FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS SEXTUS

DE GRATIA DEI ACTUALI, ET HABITUALI

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

INDEX
CAPITUM ET PROPOSITIONUM
QUÆ
IN HOC VOLUMINE VI. CONTINENTUR

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

Vid. S. Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *usque ad* 114.

In laudem gloriæ gratiæ suæ, Ephes. I. 6.

Nihil magis Theologo necessarium existimo, quam accuratam, omnibusque numeris absolutam gratiæ Dei cognitionem: quia aliquid ejus veritati, perfectionique detrahere, nedum divinam gloriam, & beneficientiam imminuit, sed etiam, ut Patres Carthaginienses, ac Milevitani, necnon magnus gratiæ vindex Augustinus rectissime observarunt, *fundamenta fidei Christianæ evertit* (vid. epist. inter August. 175. 176. & 178. Tom. II. Edit. PP. Maurin.). Quod quidem nemo exaggerate dictum putabit, qui vel cursim, obiterque perpendat hujus tractatus connexionem cum iis, quæ de Divina scientia, voluntate, providentia, prædestinatione; tum etiam de justificatione impii, de merito justi, de libero arbitrio, de virtutibus theologicis fide, spe, & charitate, de contritione, attritione, & pœnitentia, ac de totius observatione in Theologia tradi solent. Uno verbo dicam, quanta est religio nostra, a Christi gratia dependet, sine qua, nec ejus profunda mysteria utiliter credi, neque sancta ejus præcepta, ut oportet, adimpleri salutariter possunt. Quod perspicue ab Illustrissimo Petro Lombardo Archiep. Armachano in suo *Scripto* Sanctissimo Patri Paulo V. exhibito; tum a P. Hieron. Bapt. de la Nuza O. P. in *Libello memoriali* eidem Paulo V. dato anno 1612., aliisque demonstratum fuit. Permagni igitur interest, in hoc tractatu operam omnem, ac diligentiam impendere, quod nos eadem opitulante Dei Gratia, sine qua nihil possumus, pro viribus conabimur, totumque opus dividemus in partes duas; in quarum altera de gratia actuali agemus, in altera de habituali.

PARS I.

De Gratia actuali.

1. Gratiæ nomen, si vocis etymologiam spectemus, proprie significat id, quod gratis datur, non autem meritis rependitur; unde S. Paulus Doctor gratiæ ad Rom. XI. 6. *Si autem gratia*, inquit, *jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*. Porro dona gratis a Deo nobis collata duplicis sunt generis, seu ordinis; alia naturalia, alia supernaturalia. Primi generis sunt creatio, conservatio & hujusmodi: quare Synodus VI. œcumenica (Act. XI.) *Angelos esse immortales per gratiam dicit;* veruntamen usus apud Theologos invaluit, ut nomine gratiæ dona ordinis supernaturalis proprie & peculiariter designentur; quæ nos ad vitam æternam promovent; unde S. Augustinus (Epist. 177. al. 95. ad Innocen. n. 7.) „ Etsi enim, *inquit*, quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut „ nonnihil essemus, nec essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quæ non „ sentit, aut pecus, quod non intelligit, sed homines, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus; & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere valemus, „ unde merito & ista gratia dici potest, quia non „ præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est; alia „ est tamen, qua prædestinati vocamur, jusificamur, glorificamur. “

2. Gratia sumta pro dono supernaturali dividitur *primo* in habitualem, & actualem, Prima definiri potest ex S. Thoma 1. 2. q. 110. art. 2. „ forma quædam, vel qualitas supernaturalis ani- „ mæ

„ mæ infusa, qua snaviter, & prompte movetur „ ad bonum æternum consequendum.“. Quod ulterius explicat ibidem ad 2. observans. „ Quod „ gratia, secundum quod est qualitas, dicitur a- „ gere in animam, non per modum causæ effi- „ cientis, sed per modum causæ formalis; sicut „ albedo facit album, & justitia justum.“. Quam brevem gratiæ habitualis notitiam diligenter notare oportet; cum enim agentes de gratia actuali sæpius illius mentionem facere cogamur, saltem paucis explicandum erat, quid proprie esset.

3. Gratia vero actualis definiri potest ex eodem Angelico ibid. „ Quidam effectus gratuitæ Dei vo- „ luntatis, quo anima hominis movetur a Deo ad „ aliquod (*bonum, pium, & salutare*) cogno- „ scendum, vel volendum, vel agendum. Hic au- „ tem gratuitus effectus, *pergit S. Doctor*, in ho- „ mine non est qualitas, sed motus quidam ani- „ mæ“.

4. Hæc gratia actualis dividitur in gratiam Creatoris, Angelis, & Adamo in statu innocentiæ collatam, & gratiam Redemptoris, quæ etiam medicinalis vocatur, quamque Jesus Christus nobis in statu naturæ lapsæ sui pretiosi sanguinis effusione commeruit. Unde Apostolus Rom. III. 24. ait: *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

5. Hæc autem gratia Christi, seu in statu naturæ lapsæ, definitur a S. Augustino (cont. duas epist. Pelag. Lib. IV. c. 5. n. 11. Tom. X.) *Inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Hinc duo distinguuntur effectus, quorum alter ad intellectum pertinet, quem gratia illuminat, ut ea, quæ facienda sunt, cognoscamus; alter ad voluntatem, ut cognita sancto amore faciamus. (*a*). Hæc duo distinguere necessarium est, ut clarius quid sit Christi gratia, percipiamus. Quanquam effectus gratiæ principalis est voluntatis motio; cognitio enim boni nihil prodest, nisi voluntas ad illud prosequendum moveatur.

DISSERTATIO I.

De hæresi Pelagiana, & semipelagiana.

6. Ut sapienter P. Garnerius observat (Dissert. IV. in Marium Mercat. c. I.): „ nulla fuit hære- „ sis, aut pertinacior quam Pelagiana, aut quæ „ obstinatius, & artificiosius restiterit adversus Ec- „ clesiæ decreta, atque Imperatorum sanctiones. „ Videri potuit cognata morbis, qui remediis au- „ gentur, vel graminum similis, quæ recisa sub- „ olescunt, & exusta suis cineribus feruntur“. Hujus autem hydræ plura erant capita; ad duo tamen in præsentiarum vocari possunt. Primum erat contra peccati originalis propagationem, quam Pelagiani inficiabantur, contendentes: „ progenito- „ res humani generis Adam, & Evam mortales a „ Deo creatos, nec quemquam sui prævaricatione „ transgressos læsisse; sed sibi tantum nocuisse, „ seque mandati reos apud Deum fecisse, alterum „ penitus nullum.“. Alius eorum error erat circa gratiam, *cujus tamen inimici fuerunt*, inquit S. Augustinus (*de Hæres.* cap. 88.), *ut sine hac posse homines crederent facere omnia divina mandata*. Hunc secundum errorem duntaxat nobis propositum est pro viribus impugnare (*b*): prius tamen brevis hujus pestiferæ hæreseos historia texenda est.

CAPUT I.

De iis, qui Pelagio ad negandam gratiam facem prætulerunt.

7. Qui rem a primo veluti ovo ordiri velit, hujus erroris primordia in superbo Lucifero facile inveniet, de quo S. Gregorius M. inquit Lib. *Moralium* XXXIV. cap. 18.: „ Relicto eo, qui vere „ ei sufficere poterat, se sibi sufficere posse judi- „ cavit, & tanto magis infra se cecidit, quanto „ magis se contra gloriam Conditoris erexit“. Vel, ut S. Thomas exponit I. P. q. 63. art. 3. in eo Diabolus peccavit, quod voluit ultimum finem consequi *per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio*, quod a nobis in Tomo VI. Diss. I. cap. 14. explicatum fuit.

8. Eadem diabolica superbia inflati Protoparentes nostri ut S. Prosper notavit (Carm. *de ingratis* cap. 43. vers. 913.), se ipsos, & nos perdiderunt; eorumque peccatum ita nos infecit; ut homines, quodam naturæ corruptæ pondere in Pelagianam præsumptionem ferantur, nisi gratia sanentur. Quis est enim, qui vitiatæ naturæ lumen duntaxat consulens, sibi ipsi non persuadeat, se suis viribus, uti malum, ita & bonum operari, ac

(*a*) S. Augustinus laud. loco Pelagianos reprehendit, qui gratiam nolebant intelligi, nisi *adjutorium cognitionis, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus*. S. Thomas. 1. 2. qu. 28. art. 6. probat, *quod omne agens quodcumque sit, agit quamcumque actionem ex aliquo amore*; & in responsione ad 2. *ex amore*, inquit, *causatur & desiderium, & tristitia, & delectatio, & per consequens omnes aliæ passiones; unde omnis actio, quæ procedit ex quacumque passione, procedit etiam ex amore sicut ex prima causa*. Cum itaque amor sit causa omnis actionis, gratia, quæ nos movet ad bene operandum, recte a S. Augustino dicitur *inspiratio dilectionis* &c.

(*b*) Nam disputatio de peccato originali superius præmissa fuit T. IV. cujus nobis omnino opus est, plenam, accuratamque notitiam habere, ut necessitas, & efficacia gratiæ percipiatur. Quomodo enim remedii necessitatem, & vim cognoscemus, nisi prius gravitas morbi innotescat? Hinc in eodem Tomo Diss. III. cap. 6. de vulneribus per peccatum originale nobis illatis aliquando fusius egimus.

ac proinde ut vitium, & vituperium, ita etiam virtutem, & laudem sibi unice adscribendam esse, non putet? in quo Pelagianæ hæreseos virus situm erat.

9. Hanc esse communem hominum persuasionem, contendebat Cicero Lib. III. *de nat. Deor.* c. 63. „Atque hoc quidem, *inquiens*, omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ a Diis se habere: virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit: nimirum recte; propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si donum a Deo, non a nobis haberemus.... judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam (*a*)". Horum gemina fere habet Pelagius in epistola ad Demetriadem (inserta est Tomo X. operum S. August. Edit. Maurin. in append.). Hinc facile quisque percipiet, eo majorem in hoc errore convellendo operam ponendam esse, quo propter corruptionem naturæ profundius, & latius radices egit.

10. Non defuere tamen aliqui vel inter ipsos Ethnicos, qui nescio quo modo verum viderunt. Inter alios Plato in *Memnone* & sæpe, & luculenter docuit, virtutem, non minus quam cetera dona, nobis a Diis tribui. Vid. S. August. Lib. XI. *De Civit. Dei* cap. 25. Plurima etiam Homeri loca in hanc rem studiose collegit Fridericus Rappoldus (Comment. in Horat. p. 809.) ut nihil dicam de Epicteto, aliisque Philosophis Christiana Religione posterioribus; hoc enim verisimile est, a nostris hanc veritatem didicisse.

11. Sed præter Philosophos paganos, Pelagio ad oppugnandam Christi gratiam nonnulli Christiani præivisse dicuntur; atque inter alios Origenes, de quo S. Hieronymus ajebat, Pelagium alloquens in epist. ad Cresiphontem: *Doctrina tua Origenis ramusculus est* (*b*). Deinde Ruffinus quidam, a quo Pelagium fuisse primo edoctum, refert Marius Mercator *in Commonit. ad Pintam*; & cujus auctoritate Cœlestius in Concilio Carthagin. coram Aurelio suos errores defendebat (vid. S. August. *de pecc. orig.* Lib. II. cap. 3. (*c*). Denique Theodorus Mopsvestenus Pelagii erroribus prælusit, & patrocinatus est, sed postea ad sanitatem reversus eosdem ejuravit, ut Facundus Hermian. testatur Lib. X. cap. 1.

CAPUT II.

De Pelagio, Cœlestio, Juliano Anniano & Senecà.

12. Pelagius VI. Sec. in Britannia natus est (*d*), *Brito* propterea dictus, ut ab alio Pelagio Tarentino distingueretur, quemadmodum nos monet S. Augustinus in epist. 186. ad Paulinum Tom. II.

(*a*) Idem duobus famosis versibus complexus est Horatius Lib. I. Epist. 18. in fine.

Hæc satis est orare Jovem, quæ donat, & aufert.
Det vitam: det opes, æquum mi animum ipse parabo.

Huic simile est illud Isocratis in *Orat. ad Demonicum*: ἡγῦ κρατιςον εἶναι παρα μὲν Θεῦ ἰυτυχιαν, παρα δὲ ἡμων εὐβουλιαν. Senecaetiam Epist. 53. *Est aliquid*, inquit, *quo sapiens antecedat Deum. Ille naturæ beneficio non timet, suo sapiens.* Aliqua tamen loca contraria apud eumdem Senecam, Ciceronem, M. Antoninum, Jeroclem, aliosque inveniuntur; de quibus vid. Lenfant in epist. inserta Tom. I. *Bibl. Germ.*, & Boursier in nota ad Cap. I. Part. II. Sect. II. Tom. I. *De l'action de Dieu sur les creatures*, ubi plurimis exemplis ex Homero, aliisque Poetis idipsum mirifice confirmat.

(*b*) Recentiores bene multi Origenem fuisse Pelagianorum prodromum affirmant, ac inter alios post S. Thomam Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 89., Nat. Alexander in Sæc. III. Dissert. 16. art. 3., P. Laur. Berti Lib. XIV. *Theol. Discip.* cap. 1. &, qui plurium aliorum instar esse potest, Card. Norisius, tum Lib. I. *Hist. Pelag.* cap. 1., tum in Dissert. de V. *Synodo* cap. 22. Id ipsum fusius demonstrare conatus est Jansenius Lib. VI. *de Hæresi Pelag.* a cap. 13. usque ad 18. Multos tamen Origenes nactus est hac in parte patronos, Petr. Halloix in suo *Origene defenso*, Theophilum Raynaudum in *Apolog. pro Valeriano Cemeliensi* cap. 9. & doctissimum Bossuetum *Def. de la trad. des saints peres* Lib. VIII. cap. 28., Lib. XI. cap. 19. seq., ac Lib. XII. cap. 27. seq. Inter has duas sententias oppositas, alii mediam viam tenuere, putantes, Origenem contra Pelagianos quidem peccatum originale, & gratiæ necessitatem ad opera bona perficienda agnovisse, præformasse tamen errores Semipelagianorum, docendo, in nobis aliquid præcedere, cujus intuitu Deus suam gratiam largiatur. Videri possunt Pet. Dan. Huetius in *Origenianis* Lib. II. cap. 1. qu. 7., P. Garnerius Dissert. VIII. *in Marium Mercatorem* cap. 6., Rem. Ceillier Tom. II. *des Aut. Eccl.* cap. 38. n. 13., ac Fratres Ballerinii *Observat.* in Lib. I. *Hist. Pelag.* Card. Norisii cap. 1.

(c) Quis fuerit iste Ruffinus, lis est inter eruditos. Communis olim opinio ferebat, fuisse Aquilejensem, qui propter acerrimas cum S. Hieronymo controversias fuit longe notissimus. Ita Nat. Alexander Sæc. IV. cap. 6. art. 33., Antonius Pagius ad an. 410. n. 30. & seq., & Norisius Lib. I. *Hist. Pelag.* cap. 2. Sed alium fuisse ab Aquilejensi censent Ceillier. Hist. *Des Auteurs Eccles.* Tom. X. cap. 1. art. 1. n. 25. & seq., Fleury *Hist. Eccl.* Lib. XXIII. n. 1., & P. Joannes Garnerius Dissert. I. in Marium Mercat. cap. 3. Card. Orsi in *Hist. Eccl.* Lib. XXV. n. 42. Syrum appellat. p. Bern. de Rubeis *De pecc. orig.* cap. 5. diversas opiniones ad trutinam revocat, & post Sam. Basnagium in *Annal. politico eccles.* ad an. 411. n. 18. in eam sententiam propendet, Ruffinum, quisquis ille fuerit, perperam, & falso in sui patrocinium a Cœlestio vocatum fuisse; quam sententiam etiam illustrat in *Monum. Eccl. Aquilejensis* cap. 14. num. 7.

(*d*) Ita communis fere opinio ducta a synchronis Scriptoribus, Hieronymo potissimum, qui in præf. Lib. I. in Jerem. eum vocat *Scotum*; in præf. autem Lib. III.

II. Monasticam vitam egit, non in eremo, aut in cænobio degens, sed in propriis ædibus, unde S. Augustinus *de gestis Pelagii* cap. 35. eum, ejusque socium Cœlestium *veluti Monachos nominat*. Simplex laicus fuit, & externa sanctitatis specie plurimum commendatus. Desiderio loca sancta invisendi, primum se Romam contulit, ibique circa an. 405. suos errores disseminare cœpit, & cum aliquando Episcopum audisset dicentem ex Augustini *Confessionibus* Lib. X. cap. 31.: *Domine da, quod jubes, & jube quod vis, contradicens aliquanto commotius, pene cum eo, qui illa commemorabat, litigavit*. Ita S. August. *de dono persev.* cap. 20.

13. Inter illius discipulos maxime eminebat Cœlestius, illustri genere natus (*a*); sed naturæ vitio eunuchus. Hic adeo pro Pelagianæ Hæreseos dilatatione adlaboravit, ut hujus sectæ homines quandoque etiam *Cœlestiani* dicti sint, immo sub hoc ipso nomine in Concilio Ephesino damnati (*b*). Alarico Gothorum Rege Romam adventante an. 409. Pelagius cum fido suo Cœlestio in Siciliam primum, deinde post biennium in Africam navigavit, unde post brevem moram, Cœlestio ibidem relicto, in Palæstinam se contulit. Varia fuit utriusque fortuna.

14. Pelagius externa quadam pietatis fictione gratiam Joannis Episcopi Jesosolymit. aucupatus est, & non paucos sui erroris veneno infecit, quod mirabile videri non debet; facile est enim id superbis hominibus persuadere, in quod naturali fere φιλαυτία propendent, ut nempe sibi ipsis suas virtutes tribuant, de iisque quasi de propriis fœtibus glorientur. Aderat forte fortuna in Palæstina Paulus Orosius Tarraconensis Presbyter, eo ab Augustino missus, ut S. Hieronymum de origine animæ consuleret. Hic gliscenti Hæresi se statim opposuit, & a Joanne Jesosolymitano Synodum celebrari impetravit; in qua tamen Pelagio caute errores suos dissimulante, nihil definitum, sed silentio utrique parti imposito, res ad Innocentium I. Rom. Pont. remissa est. (Orosius in *Apologia*, & Augustinus *de gestis Pelagii* Tom. X. P. I.).

15. Hæc an. 415. contigerunt; post autem eodem anno duo Episcopi Gallicani, Heros, & Lazarus, qui variis de causis e suis sedibus pulsi in Africa degebant, Pelagium apud Eulogium Metropolitam Cæsariensem iterum accusarunt. Habita est hac de causa Synodus Diospolitana ex 14. Episcopis conflata (S. Augustin. Lib. I. *cont. Jul.* c. 5. Tom. X. P. I.), ubi Pelagius callide Patres fefellit, & catholicus probatus est, solo tamen errore facti, non doctrinæ: nam ejus Hæresis aperte reprobata fuit, ipse vero absolutus, qui verbis subdolis eam anathematizare simulavit (vid. Nat. Alex. Dissert. I. in sæc. V.). Hanc tamen Synodum *miserabilem* vocat S. Hieronymus in epit. 143., neque eam approbare voluit Innocentius I. Rom. Pontifex, ut testatur S. Augustinus Lib. II. *de pecc. orig.* cap. 9. Tom. X. P. I.

16. Hæresiarcha hac apparenti victoria tumidus multo audacius impiam doctrinam disseminabat; & tunc Patres Africani de gravi discrimine, in quo fides versabatur, admoniti, Synodo 68. Episcoporum Carthagine coacta (an. 416.) præside Aurelio Primate Carthaginiensi, Pelagianam Hæresim, quam jam ante quadriennium in Cœlestio damnaverant, iterum proscripserunt, atque ut proscriptionis decreto irrefragabilis vis inesset, ipsum ab Innocentio I. apostolica auctoritate confirmari curarunt. Et rursus in alio concilio Milevitano 61. Episcoporum eadem causa pertractata est, & Pelagius iterato proscriptus, quod itidem judicium Romam transmissum est ab Innocentio confirmandum.

17. Porro Innocentius re mature perpensa, novam Hæresim apostolico fulmine prostravit; unde S. Prosper canebat (Carm. *de ingratis*):

Pestem subeuntem prima recidit (c)
Sedes Roma Petri.

Et

Albinum canem; quia teste Buchanano in *Hist. Scotiæ*, Britannia dicta est olim *Scotia*, & *Albion*. Consentiunt Augustinus Epist. 106., Orosius in *Apolog.*, & Prosper initio Carm. de *ingratis*. Quare audiendus non est Lambertus Danæus, qui in Schol. ad Lib. S. August. *de Hæres.* eum fecit natione Gallum, & natum in Aremorici, maritima Galliæ regione, quam olim Britanniam vocatam fuisse contendit, eo translatis ex Albione insula Britannis.

(*a*) De ejus origine dissentiunt eruditi. Scotum fecit Baronius ad an. 410. num. 16., quem postea secuti sunt Usserius, Jansenius, & multi alii. Refragatur Jo. Garnerius Dissert. I. in *Marium Mercat.* cap. 5., & putat fuisse Romanum, vel Campanum.

(*b*) De Pelagii, & Cœlestii ingenio, ac doctrina contraria videntur Hieronymi, & Augustini judicia. Primus in proem. Lib. III. in Jerem. Pelagium notat *indoctum, & calumniatorem*. Cœlestium autem irridet in epist. *ad Cresiphontem*, quasi non per *syllogismorum, ut sui jactabant, sed per solœcismorum spineta decurret*. Contra S. Augustinus utriusque ingenia extollit Lib. *de nat. & grat.* cap. 6., in Epist. 186., in Lib. II. ad Bonif. cap. 3., & alibi. Certe qui Pelagii Epistolam ad Demetriadem, ejusque Commentarios in omnes Epist. S. Pauli legit, facile intelligit, eum indoctum obtusumque hominem non fuisse. Mores quod attinet, S. Augustinus appellavit Pelagium ex publica fama *virum bonum, egregie Christianum, & Sanctum* Lib. III. *De pecc. meritis, & remiss.* cap. 1. & 3. Contra S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. 314. eum ut Monachum vagum describit. Orosius vero in *Apolog.* eum vocat *ministrum mensarum, balneis, epulisque nutritum*.

(c) Sedes Petri hic appellatur *prima* ratione dignitatis, & primatus, non autem ratione temporis; constat enim, Hæresim Pelagianam jam prius fuisse damnatam. Vid. Card. Orsi *Hist. Eccl.* Lib. XXV. n. 129. & frustra in hoc loco explicando torquentur Petrus de Marca in Dissert. *de vet. Collect. Canonum* cap. 15. n. 7., & Petavius *de Pelagian., & Semipel. Dogm. Hist.* cap. 1. n. 18.

Et S. Augustinus Serm. 113. al. 2. *de Verbis Apost.* num. 10. Tom. V. *Jam de ea causa* (Pelagiana), inquit, *duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam & error aliquando finiatur* (*a*). Pelagius eodem tempore suæ fidei libellum ad Innocentium miserat, qui tamen nonnisi post hujus Pontificis obitum Romam pervenit, & Zosimo ejus successori traditus est, & post hæc altum est in historia de Pelagio silentium. Nunc pauca de Cœlestio.

18. Hic cum Carthagine, ubi fuerat a Pelagio relictus, impia & pestifera sua dogmata palam ac impudenter spargeret, a Paulino S. Ambrosii Diacono in Synodo accusatus est, atque erroris ac pertinaciæ convictus, anathemate percussus (an. 412.). Ille vero appellationem ad Apostolicam Sedem interposuit) vid. Nat. Alex. Dissert. II. in Sæc. V. contra Joan. Latium): „ post autem appellatione „ neglecta Ephesum Asiæ urbem contendit; ibi„ que ausus est per obreptionem locum Presby„ teri petere. Inde post aliquantos annos sub sanctæ memoriæ Attico Episcopo urbem Constan„ tinopolitanam petit, ubi in similibus detectus „ magno studio sancti illius viri ex prædicta alma „ urbe detonsus est (*Marius Mercator* in Com„ monit. c. 2.) "; ac tum demum Romam sub Pont. Zosimo perrexit, ut neglectam appellationem postliminio prosequeretur.

19. Porro Cœlestius tantum calliditate valuit, ut Zosimus suspicatus fuerit, eum præcipiti judicio fuisse injuste ab Africanis condemnatum. Suspicatus inquam fuit, non autem pro certo id habuit; quamobrem eum a sententia excommunicationis minime absolvit, duntaxat paulo acerbioribus litteris Episcopos Africanos (an. 417.), præcipitantiæ accusans, paratum esse se ad absolvendum Cœlestium declarabat, nisi intra secundum mensem ejus accusatores Romam venientes impactas ei criminationes certis argumentis comprobarent. Magis etiam in sua suspicione confirmatus est, accepto circa idem tempus Pelagii libello supplici, quo suam fidem probare nitebatur, adjunctis Praylii Jerosol. Episc. commendatitiis litteris, quibus causæ Pelagii enixius adstipulator interveniebat: (Zosimus in epist. *ad Afric.*) (*b*).

20. Post autem Zosimus acceptis ex Africa responsis, deque re tota certior factus, monitus etiam a Constantio nobilissimo viro (cujus memoria fit in Martyrol. die 30. Novemb.), coacta Episcoporum Synodo diem Cœlestio dixit. Hic suorum criminum conscius, & causæ suæ diffidens, judicium declinavit, & tunc Zosimus nil amplius morandum ratus, Pelagium, atque Cœlestium, eorumque pestilentem hæresim omnibus diris devovit, celebremque epistolam dedit *Tractoriam* (*c*), cui omnes Episcopi subscribere tenebantur, venia resipiscentibus promissa, comminata autem pertinacibus damnatione. S. August. *de pec. orig.* c. 22. & S. Prosper *in carm. de ingrat.* c. 2.

21. Zosimo se se adjunxit etiam Honorius Imper. decreta in Pelagium, Cœlestium, eorumque asseclas exilii pœna; quanquam Cœlestius, sive Volusiani urbis præfecti negligentia, aut conniventia, sive alia de causa Roma non discessit, ante an. 421. nam tunc agente potissimum Bonifacio Zosimi successore, a Constantio Augusto ab Urbe exturbatus est, & una cum cæteris Pelagianis extra centesimum ab urbe lapidem degere jussus (Rotius in *Biblioth.* Cod. 53.)

22. Porro hoc solemne Zosimi judicium magna totius orbis Christiani lætitia, & consensione exceptum est; 18. tantum Episcopi ei subscribere detrectarunt, inter quos eminebat Julianus Eclanensis (Eclanum clara olim urbs erat prope Beneventum, nunc suis ruinis sepulta) in Campania Episcopus, illustri loco natus, ingenio præstans, linguarum peritia, styli elegantia, & multa eruditione perpolitus; sed studio Pelagianæ hæreseos adeo in transversum actus, ut post hoc tempus, totius veluti belli summam in se susceperit, plurimisque editis libris, atque laboribus exantlatis, infeliciter celebris factus est. An. 421. ex Italia pulsus in Orientem migravit, & cœlum sæpe mutare coactus, extorris tanquam alter Cain (ut ait S. Fulgentius ap. Viguerium in Præf. *Oper. imperf.* S. August.) post Ecclesiam annis circiter 38. fœde turbatam, misere obiit in ignobili Siciliæ oppido anno 454.

23. Alter Pelagianæ hæresis coriphæus communiter commemorari solet quidam Annianus Diaconus Celedensis. Sed quinam iste fuerit, magnæ sunt inter eruditos controversiæ (*d*).

24. Denique circa finem sæc. V. Pælagianam hæ-

(*a*) Joan. Gerhardus Vossius Lib. I. *Hist. Pelag.* cap. 27. loquens de Epistolis Innocentii Rom. Pont. inquit: *An vero Epistolæ tanto sint dignæ Antistite, eum quoquam contendere nolumus. Negabat sane id magnus Desiderius*, scilicet Erasmus. Itane vero? Atqui S. Augustinus Epist. 186. al 106. ad Paulinum Nol. Episc. cap. 1. laudatas Innocentii Epistolas hoc grandi elogio exornat: *Ad omnia nobis ille* (Innocentius) *rescripsit eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.*

(*b*) Hinc nonnulli ansam arripuerunt Zosimo Pelagianismi dicam impingendi; sed illius vindicias egimus in Tomo IV. pag. 264. & seq.

(*c*) Non *Tractatoriam*, ut quidem legendum esse cum Labbeo propugnant. Vid. Nat. Alexander in Sæc. V. cap. 3. art. 4. §. 10., & Jo. Garnerius not. in c. 3. *Commonit.* Marii Mercat. Hæc Zosimi *Tractoria* periit invidia temporum, & solum aliqua ejus fragmenta supersunt apud Augustinum Epist. 199. al. 157., apud S. Prosperum init. Libri *contra Collatorem*, & apud S. Cœlestinum in cap. adnexis *Epist. ad Episc. Galliæ* cap. 5.

(*d*) Baronius ad an. 418. n. 17. putat, vitio codicis fuisse lectum *Annianum*, cum legi debuisset *Valerianus*. Vossius Lib. I. *Hist. Pelag.* cap. 6. opinatur, sub hac nominis larva latuisse Julianum Eclanensem, Jansenius

hæresim miserabilis quidam senex, Seneca nomine, *non modo totius eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus expers* (Gelasius in Epist. *ad Episc. Piceni*) in Piceno restaurare tentavit, *& beatæ memoriæ Hieronymum, & Augustinum Ecclesiasticorum lumina magistrorum musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis, lacerare contendit*. S. Gelasius P. reprehensa prius socordia Picenorum Episcoporum in ejus coercenda temeritate infelicem hunc Pelagianæ sectæ restauratorem ab Ecclesia separavit (*a*).

CAPUT III.

De Pelagianæ hæresis impugnatoribus, & condemnatione.

25. Qui contra Cœlestium, nova dogmata in Africa spargentem, veluti classicum insonuit, fuit Paulinus, Diaconus S. Ambrosii. Eum imitati sunt alii, & præcipue Orosius, & duo Episcopi Gallicani Heros, & Lazarus, in Palæstina Pelagio se se opponentes. Neque prætermittendus est S. Germanus Antissiodorensis Episcopus, qui primo simul cum S. Lupo Trecensi Episcopo (an. 429.) & iterum cum S. Severo Trevirensi in Britanniam missus est, ad Pelagianam hæresim extirpandam (Vid. Fleury Lib. XXV. num. 15. & seq. & lib. XXVII. num. 5. & Card. August. Orsi Lib. XXVII. num. 65.).

26. Sed qui contra Pelagianos scriptis maxime inclaruerunt, sunt SS. Hieronymus, & August., quibus etiam addi debent Orosius, Sixtus, & Marius Mercator, ita tamen, ut vere dici possit cum S. Prospero (init. Lib. *contra Collatorem*) Augustino potissimum duce, catholicam aciem contra inimicos gratiæ Christi pugnasse, & triumphasse. Nam posteriorum trium pauca sunt opuscula (*b*). Hieronymus autem, cum jam Pelagianos tribus dialogis exagitare cœpisset, visis primis Augustini operibus, pedem a certamine retraxit. *Supersedendum* inquit (in fine Dial. III.) *huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: in Sylvam ne ligna feras; aut enim eadem diceremus ex superfluo; aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora*.

27. Inter Augustini victorias merito recensere debet mirabilis conversio Leporii Monachi, qui propter errores circa gratiam ab Ecclesia Gallicana expulsus felici omine in Africam navigavit; ibi enim ab Augustino ad sanitatem conversus, omnes errores suos in Concilio Carthaginiensi ejuravit (Vid. epist. S. Aug. 219. (*c*)).

28.

Lib. I. *De hæres. Pelag.* pag. 9. opinatur, hoc nomine a S. Hieronymo designari Pelagium ipsum. Norisius denique *Hist. Pelag.* Lib. I. cap. 19. probat, hunc hominem fuisse unum ex præcipuis Pelagianæ Scholæ Magistris, unde etiam corrigendum observat Isaacum Habertum Episcopum Vabrensem, qui in *Concordia Patrum Latin., & Græcor. de gratia* cap. 2. minus considerate laudavit *Anniani veteris Ecclesiæ Scriptoris judicium*. In eamdem sententiam descendunt Jo. Garnerius Dissert. I. in Mar. Mercat., & Nat. Alexand. cap. 5. art. 2. §. 3.

(*a*) Non tamen in Pelagianis numerandus est Sulpitius Severus celebris Sæc V. Historicus propter ea, quæ Gennadius de eo scribit in *Catalog. de Script. Ecclesiast.*, ubi inquit: *Hic in senectute sua a Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatem suam silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret*. Nam Guibertus Gemblacensis in editione operum Sulpitii Severi Lugduni Batavorum an. 1654. hanc Pelagianismi accusationem in dubium revocat; novissimus autem eorumdem operum editor P. Hieronymus de Prato eam falsam esse ostendit in vita primo Tomo præmissa pag. 69. edit. Veron. 1741.

(*b*) Paulus Orosius Presb. Tarraconensis, cum de blasphemia a Joanne Jerosolymitano accusatus esset, edidit Apologiam, quæ inscribitur *Apologeticus contra Pelagium*. Eam supposititiam esse contendunt Corn. Jansenius Lib. I. *de Hæres. Pelag.*, & Petrus Vastelius Tom. II. *Vindic.* Lib. III. Sect. 5. Sed ejus αὐθεντίαν probant Jo. Garnerius Dissert. VI. in Mar. Mercat. cap. 3., Nat. Alexander in Sæc. V. cap. 3. art. 6. §. 2., ac Remigius Ceillier in *Hist. Auctor. Eccles.* Tom. XIV. cap. 1. Idem P. Garnerius loco cit., & cap. 6. sex libros *Hypognosticon*, qui in append. Tom. X. S. Augustini prostant, Sixto tribuit, qui Presbyter Romanus erat, & S. Cœlestino in Pontificatu successit. Refragatur Nat. Alexander in Sæc. V. cap. 3. art. 6. §. 6. Editores Maurini, Ceillier *Des aut. Eccl.* Tom. XIII. cap. 24., aliique eos tribuunt potius Mario Mercatori, qui etiam aliud simile *Commonitorium* edidit contra Pelagianos, & Imper. Theodosio obtulit, cum apud eum novas turbas excitare tentarent. Nonnulla alia opera Marii Mercatoris contra Pelagianos videri possunt in editione Baluzii, quæ duabus prioribus Garnerii, & Righerii (seu Gerberonii) copiosior est.

(c) Non inutile erit brevem aliquam hic adtexere operum notitiam, quæ S. Augustinus contra Pelagianorum errores conscripsit. Anno circiter 412. postquam sermonibus, & privatis colloquiis errantes ad sanitatem revocare frustra studuisset, scriptis adversus pertinaces decertare cœpit; & primo quidem tres libros *de peccatorum meritis, & remissione, & de Baptismo parvulorum* ad Marcellinum misit, ad quem postea etiam direxit librum *de Spiritu, & littera*.

Tum vero cum S. Doctor epistolam Pelagii ad Demetriadem legisset, quæ maxima arte elaborata sub pietatis specie Pelagianum virus occultabat, scripsit epistolam ad ejus matrem Julianam, quæ est 188., & aliam antea longiorem epistolam dederat Hilario (quæ est 157.), qui eum de erroribus Pelagianorum in Sicilia grassantibus monuerat.

Anno autem 415. grandem librum adversus Pelagii hæresim composuit Timasio, & Jacobo adolescentibus dicatum, quos Pelagius erroribus suis infecerat: ipsique titulum posuit *De natura, & gratia*, ut opus, quod Pelagius *de natura* inscripserat, confutaret.

Post hæc S. Doctor certior factus de iis, quæ in Synodo Diospolitana contigerant, librum scripsit *De Gestis Pelagii*, quem Aurelio Carthaginiensi Primati nuncupavit.

Pelagiana hæresi a Zosimo Rom. Pont. condemnata,

28. *Concilia* in quibus Pelagianorum causa acta est, omnino 24. enumerat P. Garnerius (Dissert. II. in Marium Mercat.). Præcipua autem sunt Carthaginiense celebr. ann. 412., Jerosol. ann. 415., Diospolitanum eodem anno, Carthaginiense an. 416., Milevitanum eodem anno, Romanum sub Zosimo an. 417., tria Africana, primum an. 417., & duo reliqua an. 418. Demum in Synodo Generali Ephesina an. 431. peremptoria eorundem damnatio uno ore conclamata est, (Vid. Ep. Synod. ad Cœlest. Rom. Pontif. in fine, & S. Prosper. *cont. Collat.* c. 41.). Addi potest & Concilium Tridentinum, in quo contra errores Pelagianorum editi sunt canones primus, secundus, & tertius Sess. VI.

29. Ecclesiæ auctoritati etiam sæcularis potestas ad hæresim Pelagianam exterminandam accessit, & præter Honorium, & Constantium supra memoratos, Valentinianus III., seu potius Placida Augusta ejus mater (nam Valentinianus nondum septennis erat) an. 425. constitutionem edidit contra Pelagianos, qua omnes Episcopi Pelagiana lue infecti jubebantur suis sedibus exturbari. Demum ann. 430. Theodosius junior, agente potissimum Mario Mercatore, Cælestium, Julianum, ceterosque Pelagianos regia urbe expulit. Quamobrem recte Gælasius Papa (epist. 7.) Pelagium, Cœlestium, eorumque asseclas dicebat, *tam ecclesiasticis constitutis, quam imperialibus percussos fuisse præceptis*. Vid. Pater Garnerius Dissert. III. in Marium Mercatorem (*a*).

CAPUT IV.

De erroribus Pelagianorum, & variis eorum hæresis statibus.

30. Ut superius innuimus, duo erant Pelagianæ hæresis præcipua capita, nempe naturam hominum *neque in parvulis medico, quia sana est, neque in majoribus gratiæ adjutorio egere, quia sibi sufficiens est ad justitiam* (S. August. *de nat. & grat.* c. 6.). Porro ex gemino hoc errore plures alios Pelagiani derivabant. Nam peccato originali sublato inferebant 1. Adamum fuisse a Deo creatum mortalem, negantes scilicet mortem esse peccati originalis pœnam: 2. ignorantiam, & concupiscentiam, quibus a bono retrahimur, & inclinamur ad malum, primordia esse naturæ, prout fuit a Deo creata, non supplicia ejusdem vitiatæ esse dicebant: 3. infantes nasci in eo statu, in quo fuit Adam ante peccatum, iisque propterea sine baptismo morientibus, nescio quam beatitudinem promittebant, diversam tamen a regno cœlorum, quod nonnisi baptizatis servari fatebantur, propter illa Christi verba Jo. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, V. T. IV. pag. 347. n. 251. Eodem modo errabant circa vires liberi arbitrii, quod in nobis ex peccato primi parentis nullatenus infirmatum, aut diminutum esse

cen-

S. Augustinus opus elucubravit *De gratia Christi, & de peccato originali* duobus libris contentum, illudque Piniano, Albino, & Melaniæ transmisit, utpote conscriptum occasione alicujus colloquii, quod Pelagius cum iis habuerat.

Anno autem 419. ineunte, cum audisset S. Augustinus calumniam a Pelagianis sibi impactam, quasi asserendo peccatum originale nuptias damnaret, misit ad Valerium Comitem libros duos *De nuptiis, & concupiscentia;* eodemque anno jam desinente cum quidam juvenis imperitus ex Mauritania nomine Vincentius Victor errores Pelagianis deteriores sparsisset, eum S. Augustinus confutavit, editis quatuor libris *De anima, & ejus origine:* anno autem sequenti *duas epistolas Pelagianorum*, quæ sibi a Bonifacio Papa transmissæ fuerant, quatuor libris eidem Bonifacio inscriptis refutavit, quos proxime consecuti sunt alii sex libri contra Julianum, quos S. Pater quanquam modestissimus *opus maxime elaboratum* appellare non dubitavit Lib. II. *Retract.* cap. 62., & Norisio teste Lib. I. *Hist. Pel.* cap. 21., *cum in ceteris adversus Pelagianos editis libris mirabilis fuerit, in hoc opere pene divinus apparuit*.

Cum autem turbæ aliquot in Monasterio Adrumetino excitatæ fuissent circa ann. 425., ad eas sedandas duos libros Augustinus conscripsit, quorum alterum *De gratia, & libero arbitrio*, alterum *De correptione, & gratia* vocavit.

His libris turbæ Adrumetinæ sedatæ sunt, sed inde aliæ eruperunt in Galliis, ac præcipue Massiliæ, quæ Augustino occasionem præbuerunt, ut duos alios libros conscriberet *De prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ;* ac demum cum Julianus Augustini opera confutare iterum ausus esset, S. Doctor contra hanc secundam Juliani responsionem, opus aggressus est, quod morte præventus absolvere non potuit, & propterea vocatur *Opus imperfectum*, sex libris comprehensum. Hæc omnia S. Augustini scripta contra Pelagianos, & Semipelagianos decimo ipsius operum tomo continentur.

Sunt præterea multæ S. Doctoris Epistolæ, & nonnulli Sermones, qui ad eamdem materiam pertinent, immo & in pluribus locis suorum tractatuum in Joannem Pelagianam hæresim data apportune occasione exagitavit. Hæc rudi minerva breviter adnotavimus. Qui plura desiderat, adeat præter Historicos, Remigium Ceiller *Hist. des auteurs Eccl.* Tom. XII., & P. Jo. Garnerium in Dissert. *De Scriptis adversus hæresim Pelagianam*.

(*a*) Hæc paucis pro temporis angustia complexi sumus, sed plura dabunt Historici Ecclesiastici, Baronius, Nat. Alexander, Tillemontius, Fleury, & Card. Orsi. Discipulis legendam consulo Præfationem Patrum Benedictinorum præmissam X. Tomo Operum Sanct. Augustini, & celebratissimam *Historiam Pelagianam* Card. Henrici Noris, quæ Romanæ Sedis judicio a Jansenismi calumnia, qua non semel impetita fuerat, post iterata examina purgata fuit. Hujus pestiferæ hæresis historiam etiam descriptam habemus a Joann. Rivio Augustiniano in Libris III., & IV. *Vitæ S. August.*, tum a Joann. Latio in *Hist. Pel.*, a Joan. Gerhardo Vossio item in *Hist. Pel.*, a Jacobo Usserio in *Comment. de antiquitate Ecclesiarum Britannicarum*, a Cornelio Jansenio in octo Libris *de Hæresi Pelagiana;* cui tamen non semper fidendum esse, eruditi Catholici norunt.

censebant; sed ad operandam justitiam tam plenum esse post peccatum, sicut fuerat ante.

31. Ex his erroribus, quos in Tom. IV. latius exposuimus, & confutavimus, in alios delapsi sunt. Nam primo ἀπάθειαν, sive quamdam impassibilitatem commenti sunt, quam in hominis potestate ita ponebant, ut ab omni passionum perturbatione esset immunis. 2. Adeo de viribus liberi arbitrii præsumebant, ut putarent, iis solis sine gratia non solum posse hominem bonum quodcumque operari, sed etiam ad talem perfectionem justitiæ pervenire, ut sine omni prorsus peccato vivat. Hæc omnia constant, cum ex quibusdam Pelagii, Cœlestii, atque Juliani fragmentis, quæ adhuc supersunt, tum maxime ex operibus S. Augustini, quibus hos errores data opera refellit. Sed quantum ad gratiam non eodem semper modo locuti sunt Pelagiani. Hinc plures distingui solent pestiferæ hujus hæreseos status, quamquam in iis explicandis eruditi non omnino consentiunt. Quid certum, & quid probabilius sit, sequentibus paragraphis exponemus.

§. I. *In primo, & secundo statu Pelagius nullam gratiam interiorem admisit.*

32. Nulla fere est de primævo Pelagii errore circa gratiam inter eruditos dissensio, constat enim, eum tantas libero arbitrio etiam post Adæ lapsum, tribuisse vires, ut quemadmodum ad malum, ita ad bonum sibi abunde sufficeret, adeo ut posset homo, si vellet, ad perfectam ἀναμαρτησίαν, & ἀπάθειαν, pervenire, atque omnis peccati purus, & passionis expers summum virtutis apicem attingere. Hinc in primis veluti hujus hæresis incunabulis nulla invenitur gratiæ mentio; post autem ad declinandam Catholicorum invidiam, Pelagius gratiam Christi confiteri cœpit, sed hoc nomine nihil aliud significabat, quam liberum arbitrium nobis gratis esse donatum. (Vid. August. Serm. XI. *de verb. Apost.* cap. 7.).

33. Vix tamen crediderim, Pelagium in hoc primo hæresis suæ exordio exclusisse quamcumque legis cognitionem; neque enim adeo stupidus erat, ut videret ad malum declinandum, bonumque operandum necessariam esse cognitionem legis, sive naturalis, sive positivæ; illius quidem per lumen naturæ, istius autem per revelationem, quamquam fortasse hanc legis cognitionem gratiam non appellavit, nisi postquam clamoribus Catholicorum se ut inimicum gratiæ ubique accusari, cognovit. Sane Concilium Carthaginiense, quod primum in Africa contra Pelagianos celebratum fuit (an.412.), in epist. ad Innocentium ita eorum errorem exposuit: *Asserunt, in eo gratiam Dei deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam: quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* Et hæc de primo Pelagianæ hæresis statu, qui non male ab aliquibus appellatur *Ethnicismus*, vel ad summum *Judaismus*, eo quod non alia in eo admittitur gratia, quam vel ipsi Pagani fatebantur, nempe liberum arbitrium, & legem naturalem, nobis a natura ipsa implantatam; vel addebatur lex revelata, qua nec Judæi carebant. Quamobrem etiam S. Aug. epist. 196. n. 7. de Pelagianis dicebat; *Non quidem nomine, sed tamen errore judaizant.*

34. Alter Pelagianæ hæresis status videtur fuisse, quando Hæreticus a Catholicis premebatur, ut veram Christi gratiam admitteret, quæ certe neque natura est, neque legis cognitio. Tunc cedere est, immo palam dicere non dubitavit: *anathema, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam; & qui hanc conantur auferre, pœnas sortiantur æternas* (ap. Aug. *de grat. Chr.* cap. 2.). His autem verbis Pelagius Patres Concilii Diospolitani solemniter decepit; sed decipere non potuit Augustinum, qui medullam ipsam, atque ultimas quasi fibras hujus hæresis penetravit. Tria igitur, ut S. Augustinus observat, Pelagius intelligebat, in quibus gratiam Christi reponeret: 1. jugem, ac continuam memoriam remissionis peccatorum per Christum factæ; *ut semper in memoria retinentes, & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius:* 2. doctrinam evangelicam, quam Christus nobis tradidit, & suis miraculis confirmavit: 3. demum exempla, quibus idem Servator, Legislator, ac Magister nos ad omne opus bonum informavit. In his tribus sita erat ad mentem Pelagii gratia Christi, quam Catholicorum clamoribus, atque argumentis adstrictus admisit: unde patet in primo, & secundo statu veram gratiam interiorem non fuisse a Pelagio admissam.

§. II. *In tertio statu Pelagiani aliquam interiorem mentis illustrationem agnoscebant.*

35. Certum pene est, Pelagium Catholicorum argumentis vehementius pressum quibusdam quasi gradibus a primævo suo errore ita recessisse, ut aliquam gratiam interiorem fateretur; nam omnes gratiæ, quas in primo, & secundo statu admisit, solum exteriores dici possunt. Porro cum duplex sit gratiæ interioris effectus, nempe intellectum illuminare, ea, quæ agenda sunt proponendo, & voluntatem movere, ut bona jam cognita velit, & faciat, communiter fere eruditi consentiunt, paucis exceptis (a). Pelagium primum gratiæ effectum,

(a) Refragantur Leonardus Lessius Lib. *de efficacia gratiæ* cap. 17., P. de Lugo Disput. I. Sect. II., & Card. Bellarminus in *Recognit. Libri I. capitisque 12. De grat. & lib. arbit.*, apud Petavium *De Hæresi Pelag.* cap. 9. n. 6., & alii non multi.

ctum, nempe inferiorem mentis illustrationem admisisse; in quo situs est tertius Pelagianæ hæresis status.

36. Id autem probatur 1. ex ejusdem Pelagii verbis (ap. S. Aug. *de gratia Christi* c. 7.): „ Adjuvat nos Deus per doctrinam, & revelationem „ suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum „ nobis, ne præsentibus occupemur, futuram de- „ monstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum „ nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis „ illuminat ".

37. Dices. S. August. post allata hæc Pelagii verba ita subdit: *In his omnibus non recessit a commendatione legis, atque doctrinæ;* ergo iste status non videtur a primo, & secundo distinctus.

38. Resp. Dist. Non recessit a commendatione legis, atque doctrinæ exterius tantum propositæ, vel solo naturali lumine notæ, nego: interius per gratiam revelatæ, concedo: Nam idem S. P. Augustinus paulo post (cap. 10.) explicans, quid nomine doctrinæ ipsæ intelligat: *Ad doctrinam pertinet*, inquit, *etiam quod sapientia revelat: ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est*. Præterea in eodem Libro S. Doctor (cap. 41.) affirmat, Pelagium existimasse necessarias orationes, *ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur*, quibus patet, Pelagium confessum fuisse, legi externæ præsidium aliquod gratiæ addendum esse, nempe internam mentis illustrationem, pro qua obtinenda preces Deo porrigendas esse, censebat.

39. Prob. 2. ex aliis verbis ejusdem Pelagii (ap. S. August. *De gratia Christi* cap. 10.) qui sibi opponens illud Apostoli Pauli (Phil. II. 13.): „ Deus „ est, qui operatur in nobis velle, & perficere, „ *inquit:* Operatur in nobis velle quod bonum est, „ velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupi- „ ditatibus deditos, & mutorum more animalium „ tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ „ magnitudine, & præmiorum pollicitatione suc- „ cendit: dum revelatione Sapientiæ in desiderium „ Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis „ (quod tu alibi negare non metuis) suadet o- „ mne, quod bonum est ". Potuisset ne Pelagius alibi negare suasionem Dei ad bonum, si nullam aliam gratiam admisisset, nisi externam legis, atque doctrinæ? Profecerat igitur Pelagius, & quam antea negaverat, postea confessus est internam gratiam intellectus.

40. Demum, ne plura persequar, ita Sanct. Augustin. Pelagianos ad confitendam gratiam voluntatis, & operationis adigebat, ut non obscure indigitaret, eos non solum exteriorem gratiam legis, atque doctrinæ, sed etiam interiorem mentis illustrationem, jam admisisse. *Legant ergo*, inquit, (*de gratia Chr.* c. 24.) *& intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus* (hæc porro non est nisi gratia externa), *sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes* (istæ pertinent ad gratiam illustrationis internam), *sed etiam bonas voluntates*. Quibus verbis videtur S. August. aperte innuere, veras internas revelationes jam fuisse Pelagianis admissas, unde omnes nervos in id solum intendebat, ut eos cogeret, gratiam etiam bonæ voluntatis agnoscere.

41. Ex his, aliisque pluribus, quæ afferri posset, facile constat, fuisse a Pelagianis gratiam aliquam interioris illuminationis admissam (*a*). Sed nova quæstio inter eruditos oritur, an istam gratiam necessariam esse dixerint ad bonum operandum: an vero solum utilem? De quo ego quidem nihil pronunciare audeo, cum Augustinus ipse, quo certo nemo melius mentem Pelagii intelligere potuit, se hac in parte dubium ostendat; nam in libro *de gratia Christi* c.40. loquens de adjutorio gratiæ a Pelagio admisso: „ quod tamen, *inquit*, „ qualecumque, & quantulumcumque adjutorium, „ eum credibile est, in hoc constituere, quod no- „ bis additur scientia, revelante Spiritu per do- „ ctrinam, quam vel non possumus, vel difficile „ habere possumus per naturam ". Nec semper sibi homo, cothurno versatilior semper sibi constabat, sed quod errantibus usuvenit, sæpius secum ipse conflictabatur. Testis sit idem S. Augustin., qui loquens de Pelagii epistola ad Demetriadem. „ Istam sane legi, *inquit* de gratia „ Christi *cap.* 37.), mihique pene persuaserat, hanc „ illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri; „ quamvis in multis ejus opusculi locis sibi ipsi „ contradicere videretur " (*b*).

§. III. *Probabile est, in ultimo statu Pelagianos aliquam gratiam voluntatis agnovisse, non tamen ut omnino necessariam, neque ut mere gratuitam.*

42. **P**elagius, ejusque asseclæ tot Conciliorum, atque ipsius Romani Pontificis auctoritate commoti tan-

(*a*) Pauca, nec admodum gravia argumenta contra hanc sententiam videri possunt apud P. Berti Lib. XIV. *de Theol. disc.* cap. 5. n. 12. & apud P. de Lemos in *Panoplia gratiæ*, Tom. I. Tract. I. cap. 18. & 19. ubi fuse, juxta ac solide ostendit, a Pelagianis internas revelationes admissas, quamvis numquam eam veram gratiam interiorem confessi fuerint, quam S. Augustinus, Concilia, & Romani Pontifices prædicabant: unde jure reprehendebantur, quod Dei gratiæ essent inimici.

(*b*) Pelagium admisisse gratiam illuminationis ut necessariam, contendunt bene multi ex Scholis Lovaniensi, & Duacena. Inter Thomistas etiam id tenent Jo. Gonzales *Controversia IV. de auxil.* art. 6. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. I. Tract. I. cap. 10. & 11. aliique nonnulli, quibus accessit P. Laur. Berti Lib. XIV. *De Theol. Disc.* cap. 5. Contra sentiunt Antoninus Reginaldus *de mente Conc. Trid.* pluribus in locis, Petavius *de Pelag. & Semipelag. Hær.* cap. 4. & alii.

tandem visi sunt, ita a prima impietate recedere, ut quamdam internam voluntatis, & actionis gratiam admiserint: quamquam in hoc etiam statu a veritatis tramite quam longissime aberant, putantes, hanc voluntatis, & actionis gratiam, nec gratuitam esse, nec necessariam, sed solum valde utilem, & nostris meritis præcedentibus redditam. Hæc autem, quæ nonnullorum eruditorum sententia est, contra alios non paucos sequentibus momentis satis probabiliter, ut puto, ostendi potest (*a*).

43. Primo observatu dignum est, S. Augustinum in operibus elucubratis usque ad universalem illam Pelagianæ hæreseos condemnationem, in id potissimum insudasse, ut gratiam voluntatis, & actionis adstrueret, post autem totus esse videtur in afferenda, tuendaque ea gratia, quæ voluntatem humanam, omniaque nostra merita prævenit. Ex quo solo luculenter colligitur, totam belli summam in eo postea fuisse, non utrum admitti debeat gratia voluntatis, sed an ita omnes voluntatis nostræ motus præveniat, ut omnino gratuita sit. Sane S. Augustinus in lib. *de dono pers.* cap. 2. totam disputationis molem cum Pelagianis ad hæc tria capita revocat, de gratuitate gratiæ, de vita Sanctorum sine quibuscumque peccatis, & de peccato originali. „ Tria sunt, ut scitis, *in-* „ *quit*, quæ maxime adversus eos catholica defen- „ dit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei „ secundum merita nostra dari: alterum est, in „ quantacumque justitia sine qualibuscumque pec- „ catis in hoc corruptibili corpore neminem vi- „ vere: tertium est, obnoxium nasci hominem „ peccato primi hominis “. Omisisset ne Augustinus illud Ecclesiæ dogma: *gratia non solum intellectum*, *sed etiam voluntatem interius adjuvari*, si illud adhuc negare perrexissent Pelagiani?

44. Neque vero quis negaret, S. Doctorem scripsisse librum *de dono perseverantiæ* non contra Pelagianos, sed contra Semipelagianos. Hoc quidem non negamus, sed in illo initio manifestum est, eum agere de veris Pelagianis, quod vel ex eo solo liquet, quod contra eos peccatum originale statuat: ut enim videbimus inferius, Semipelagiani peccatum originale non negabant.

45. Secundo. Idem S. Aug. in lib. *de grat. & lib. arb.*, quem ann. 426., aut seq. elucubravit, cap. 14. de Pelagianis loquens: „ cum fuerint, „ *inquit*, convicti non defensores, sed inflatores, „ & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scien- „ tia divinæ legis, neque natura, neque sola re- „ missio peccatorum est illa gratia, quæ per Je- „ sum Christum Dominum Nostrum datur, sed i- „ psa facit, ut lex impleatur, ut natura libere- „ tur, ne peccatum dominetur; cum ergo in his „ convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quo- „ cumque modo conentur ostendere, gratiam Dei „ secundum merita nostra dari “. Quibus verbis significatur Pelagianos Catholicorum argumentis ad incitas veluti redactos, eam demum gratiam admisisse, quæ aliquid aliud esset præter naturam, liberum arbitrium, remissionem peccatorum, & legem ipsam, quo nomine S. Augustin. intelligere solet non solum externas, sed etiam internas revelationes (Vid. *de grat. Chr.* c. 7. & 8.), nempe admisisse eam gratiam, quæ facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur, uno verbo gratiam voluntatis, & operationis, & in hoc solo Pelagianos a vero exorbitasse dicit, quod hanc gratiam secundum merita nostra dari opinarentur. Immo Pelagiani non reponebant merita præcedentia gratiam, in aliquibus bonis operibus factis sine gratia, sed in sola bona voluntate, & fide. „ Dicunt enim, *prosequitur* „ *S. August.* (de grat. & lib. arb. *cap.* 14.), etsi „ non datur secundum merita bonorum operum, „ quia per ipsam bene operamur, tamen secun- „ dum merita bonæ voluntatis datur, quia bona „ voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præ- „ cessit voluntas credentis, ut secundum hæc me- „ rita gratia sequatur exaudientis Dei “: unde alias sæpe idem Augustinus refert, Pelagianos tria merita gratiam præcedere docuisse, primam boni cupiditatem, fidem, & orationem (Vid. Lib. II. ad Bonif. cap. 8. & Lib. IV. cap. 11.).

46. Tertio. S. Doctor in lib. *de Hæresibus*, quem extremo suæ vitæ tempore conscripsit, duplicem distinguit gratiam a Pelagianis admissam, alteram probabiliter ut necessariam, nempe legis, atque doctrinæ, quia nemo bene operari potest, quin prius bonum cognoscat, alteram vere ut tantum utilem, scilicet gratiam operationis; & de hac secunda inquit (hæres. 88.): „ Pelagius a fratribus „ increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gra- „ tiæ ad ejus mandata facienda (*en gratiam ope-* „ *rationis*), correptioni eorum hactenus cessit, „ ut non eam libero arbitrio præponeret, sed in- „ fideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam „ dari hominibus, ut quæ facere per liberum ju- „ bentur arbitrium, facilius possint implere per „ gratiam “. Hic rursum in eo solum reprehenditur Pelagius, quod gratiam supponeret libero arbitrio, non quod eam negaret.

47. Neque obest, quod idem S. P. de Pelagianis illico subdat: „ ac per hoc divinitus nobis da- „ ri scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, „ cha-

(*a*) Refragantur præter alios fere communiter Molinistæ: quamquam inter eos P. Joan. Garnerius, quo fortasse nemo profundius inter recentiores Pelagianorum doctrinam penetravit, aliquam interiorem voluntatis gratiam a Pelagianis admissam fuisse tradit Dissert. VIII. *in Marium Mercatorem* cap. 2. & 5. Id ipsum fuse probant Contensonius *Theolog. mentis*, *&* *cordis* Tom. V. Dissert. III. Hist. *quæres tertio*, Antonius Goudin *De grat.* Part. II. qu. I., & alii præter Cornelium Jansenium Lib. VI. *De Hæres. Pelag.* primis quinque Capitibus.

„ charitatem autem dari negant, qua pie vivitur, „ ut scilicet, cum sit Dei donum scientia, quæ „ sine charitate inflat; non sit Dei donum ipsa „ charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat ".

48. Non, inquam, id obest, constat enim, S. Aug. in eo duntaxat Pelagianos reprehendere, quod ideo veram gratiam negarent, quia eam gratuitam esse non concedebant: unde subdit: *Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt*. Quare? En ratio, *gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari*. Propter hunc errorem jure, meritoque S. August. veram gratiam a Pelagianis negari conquerebatur, ut enim S. Apostolus dicit (Rom. XI. 6.): *si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*.

49. His accedit postremo, quod nulla videtur ratio, cur Pelagiani interiorem gratiam admitterent, qua intellectus illustratur ad cognoscendum bonum, negarent autem gratiam, qua voluntas ad ipsum bonum complectendum permovetur. Homines, enim acutissimi, cujusmodi erant Pelagiani, ignorare non poterant, multo esse difficilius bonum amare, & amplecti, quam cognoscere, quod quotidiano pene rerum usu luculenter apparet. Neque vero de humanæ libertatis jactura verendum ipsis erat, cum talem gratiam agnoscerent, non ut necessariam ad opus bonum faciendum, sed tantum ut utilem, & ulterius, cum eamdem omnino voluntati subjectam facerent, utpote quæ ab ipsius præcedentibus meritis penderet, ita ut esset adjutorium voluntatis possibilitatem adjuvans, non ipsam præveniens, & determinans. Hæc probabiliter dicta sint; aliquid enim certi, quasi ex tripode proferre, nimis est difficile. Ea tamen argumenta, quæ Tournelius affert, ut probet, Pelagium internam gratiam voluntatis, & actionis numquam agnovisse, nihil nos conturbant; omnia enim desumpta sunt ex libro Sancti Augustini *de gratia Christi*, elucubrato ante anno 418., in quo S. P. non loquitur nisi de scriptis Pelagii, quæ generalem illam sub Zosimo condemnationem præcesserunt.

CAPUT V.

Ostenditur, præcipuam controversiam Augustinum inter & Pelagianos, fuisse de gratia actuali, non de habituali.

50. Ludovicus Thomassinus, Oratorii Gallicani Presbyter, novam quamdam opinionem invehere conatus est (*Memoire de la grace*, cui de more consentit Jo. Baptist. Du-Hamel) velis, remisque contendens, acerrimas illas, quæ 20. annorum spatio Augustinum inter ac Pelagianos viguere, controversias non spectasse gratiam actualem, quemadmodum hucusque creditum fuit, sed gratiam habitualem, quæ qualitas quædam est supernaturalis animæ justi per modum habitus inhærens, & quam a Pelagianis admissam numquam fuisse multi alii Theologi præter Thomassinum opinantur (*a*). Nos hoc loco duntaxat contra Thomassinum ostendemus, controversiam inter Augustinum & Pelagianos spectasse tantum gratiam actualem.

PROPOSITIO.

Non de gratia habituali, sed de actuali, & quidem efficaci, potissima fuit S. August. cum Pelagianis contentio.

51. Prob. primo. Sanct. August. fere ubique Pelagium adigebat, ad eam gratiam confitendam, quæ justificatis ad bene operandum est necessaria, quemadmodum sanis necessaria est lux ad videndum; quamque propterea etiam justi assiduis precibus petere a Deo debent; atqui certe justi non indigent gratia habituali, cum eam jam habeant, sed actuali efficaci, qua nonnumquam eos carere contigit: ergo &c. Prob. maj. verbis Sancti Augustini *de natura & grat.* cap. 26. „ Deus, *inquit*, „ cum justificat impium, & eum ad perfectam „ sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit; non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur: sicut e- „ nim oculus corporis, etiam plenissime sanus, „ nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, „ sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi „ æterna luce justitiæ adjuvetur, recte non potest „ vivere ".

52. Præt. Eam gratiam contra Pelagianos defendebat magnus Augustinus, quæ datur ad singulos actus, & quæ ad initium fidei, omniumque bonorum operum est necessaria: atqui gratia hujusmodi non est habitualis, sed actualis; nimis absurdum enim fuisset, ad initium fidei requirere gratiam habitualem, quæ in infideli nulla esse potest: ergo &c. Major tam certa est, ut integri pene exscribendi essent ex Augustino libri, si omnia loca huc spectantia coacervare vellemus. Unum afferam exemplum S. Pauli, quo utitur S. Doctor (lib. *de grat. & lib. arb.* c. 5.) ut probet nulla nostra bona merita præcedere gratiam, sed gratiam tollere nostra mala merita, & producere bona. „ Ut autem, *inquit*, de cœlo vocaretur S. „ Paulus, & tam magna & efficacissima vocatio- „ ne converteretur, gratia Dei erat sola, quia „ me-

(*a*) A Pelagio fuisse gratiam habitualem negatam, docent Suarez Prolegom. V. *De Grat.* cap. 2. Vega Lib. VII. *De Concil. Trident.* Tournelius *De gratia*, Roncaglia not. in Natal. Alexandrum Sæcul. V. c. 3. art. 3. §. ult. aliique contrariam tuentur sententiam præter Jansenium Lib. V. *De Hær. Pelag.* a c. 32. ad 37. Nat. Alexander loco cit. §. 7., P. Laur. Berti, Vinc. Contensonius, &, ni fallor, major Theologorum pars. Hanc vindicabimus in secunda parte hujus tractatus.

„ merita ejus erant magna: sed mala". Inepte hoc exemplo uteretur S. Augustinus, si de gratia habituali fuisset concertatio; quis enim credat, gratiam, qua S. Paulus primo vocatus est, & ad terram dejectus, fuisse habitualem & sanctificantem?

53. Denique ne longum faciam, de ea gratia disputabat Doctor maximus Augustinus, quæ justis quandoque deest. „ Deus, *inquit* (*lib. II.* de „ peccat. meritis, *cap.* 19.) Sanctis suis alicujus „ operis justi aliquando non tribuit vel certam „ scientiam, vel victricem delectactionem, ut cognoscant, non a ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quo illuminentur tenebræ eorum: & suavitatem, qua det fructum suum terra eorum". Hanc gratiam defuisse S. Petro dicit, quando Magistrum suum negavit (Vid. Tract. LXXI. *in Joan. de grat. & lib. arb.* cap. 17., & alibi). Hæc autem gratia, quæ justis deest, neque est gratia habitualis, quia potius dicendum est, eam a justis amitti, quam iis deesse, nec est gratia sufficiens, quia hæc justis numquam deesset, ut explicabimus inferius; ergo est gratia actualis, & efficax.

54. Thomassinus 60. plane argumentis suam novam opinionem confirmare conatus est, quæ numero quidem multa sunt, sed pondere levia, & primo multa agglomerat S. Augustini loca, in quibus docet, gratia *sanari*, *reparari*, *& renovari* naturam. Gratiam insuper, de qua cum Pelagio agebat, vocat *animæ vitam*, *charitatem in cordibus nostris diffusam per Spiritum Sanctum*, *quæ plena erit*, *quando videbimus Deum sicuti est:* atqui hæc, & alia id genus attributa, quæ S. Augustinus gratiæ Dei adscribit, nonnisi gratiæ habituali conveniunt; ergo &c.

55. Resp. Dist. min. hæc nonnisi gratiæ habituali conveniunt *formaliter*, *& per se*, conc. *dispositive*, *& efficienter*, nego. Omnes qui allati sunt, gratiæ characteres, & plures alii, qui afferri possent, in proprio rectoque sensu etiam gratiæ actuali conveniunt, quatenus hæc disponit ad gratiam habitualem recipiendam, & hoc sensu *sanat*, *renovatque* naturam; animæ vitam restituit, & appellari potest, ac debet *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris*, *qua & facienda noverimus*, *& cognita sancto amore faciamus*, non quidem charitas permanens per modum habitus, sed transiens, & actualis. Hæc erit in cœlo perfecta, quia faciet, ut Deum actu semper amemus.

56. Obj. 2. S. Augustinus gratiam, de qua cum Pelagio agebat, parvulis æque, ac adultis necessariam esse prædicabat; atqui gratia parvulis non minus quam adultis necessaria, non est gratia actualis, cujus parvuli capaces non sunt, sed habitualis: ergo &c.

57. Resp. S. Augustinum quandoque gratiæ nomine non solum intelligere motionem voluntatis, sed etiam quodcumque aliud beneficium ad salutem ordinatum, & ex meritis Christi Domini nobis collatum, unde recte dicit, *sine Christo nec infantes*, *nec ætate grandes salvos fieri posse*. Ceterum aliam gratiam parvulis esse necessariam contendebat Sanctus Augustinus, semel ac ad adultam pervenissent ætatem. „ Parvulus, *inquit* „ (*Lib. I.* de peccat. merit. & remiss. *capit. ult.*), „ si post baptismum vixerit, atque ad ætatem, „ capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet „ (concupiscentiam), cum qua pugnat, eamque „ adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, reprobatus esse noluerit".

58. Obj. 3. Sanctus Augustinus ad oppugnandos Pelagianos utebatur quandoque exemplo Christi. „ Ea gratia, *inquit* (de Præd. SS. *cap.* 15.) fit ab „ initio fidei suæ homo quicumque Christianus, „ qua gratia homo ille ab initio suo factus est „ Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo „ est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum"; sed gratia Christi habitualis erat, & sanctificans, ergo &c.

59. Resp. Dist. utebatur exemplo Christi, ut evinceret gratuitatem gratiæ, conc.; ut gratiæ habitualis necessitatem ostenderet, nego. Satis est præcedentia verba S. Augustini expendere, ut ejus scopus appareat. Ita enim habet: „ Et etiam „ præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui, ut hoc esset, „ quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo „ est comparat? .... quod ejus bonum qualecumque præcessit? quid egit ante? quid credidit? „ quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? *Ac postea concludit:* Sicuti „ ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut „ membra ejus essemus. Humana hic merita „ conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum Nostrum". Et ita pergit comparationem in hoc instituere, ut quemadmodum Christi humanitas assumpta est gratuito in consortium Divinitatis, ita & nos sola Dei beneficentissima voluntate prædestinemur ad gratiam, & gloriam.

60. Obj. 4. S. Doctor in epist. ad Vitalem (cap. 5.), ut dogma fidei statuit, *gratiam non omnibus hominibus dari:* atqui gratia actualis nemini denegatur, habitualis autem duntaxat aliquibus tribuitur: ergo &c.

61. Resp. neg. min. Etenim non solum fide, sed quotidiano rerum usu edocemur, gratiam Dei actualem, & efficacem non omnibus dari; cujus rei tot testimonia sunt, quot sunt peccata, in quæ homines justo Dei judicio hoc efficaci gratiæ auxilio destituti propria perversitate prolabuntur.

62. Obj. ult. Sanctus Augustinus gratiam habitualem ab actuali minime distinguit, immo nec S. Thomas ejus discipulus, & hujusmodi distinctio, ut multæ aliæ id genus, Scholasticis debetur, ergo &c.

63. Resp., a S. Augustino satis fuisse utramque gratiam, sin minus nomine, saltem reipsa distinctam, ut pluribus demonstrari posset, si opus foret. Sed si Thomassinus contendit, non fuisse a S. Augustino gratiam habitualem distinctam ab actuali, non video quomodo sibi persuadere potuerit, Augustinum non de gratia actuali, sed de habituali cum Pelagianis decertasse. Quantum vero ad S. Thomam, hospitem plane in ejus operibus se prodit, qui ab eo non fuisse utramque gratiam distinctam comminiscitur. Et contra Ludovicum Thomassinum satis.

CAPUT VI.

Ostenditur, Pelagianos ideo, potissimum S. Augustino fuisse refragatos, quia putabant, ex gratia, quam Sanct. Doctor prædicabat, humanam libertatem lædi, sive cum homini non datur, sive cum datur.

64. Putant nonnulli Molinæ discipuli, totam Augustinum inter, & Pelagianos controversiam fuisse de gratiæ necessitate nullatenus autem de ejusdem vi & efficacia, ac proinde perpetuas illas Pelagianorum querelas de eversa arbitrii libertate per Augustinianam doctrinam ex eo duntaxat ortas fuisse, quod Pelagiani existimarent, nullam in nobis esse libertatem ad bonum, si ad illud faciendum semper gratia Christi esset necessaria. Ex hoc etiam inferunt, totam quam S. Augustinus difficultatem sæpius fatebatur, ad conciliandam humanam libertatem cum gratiæ donis, in eo solum fuisse positam, quod haud facile esset tueri humanam libertatem ad bonum, si ad illud faciendum gratia Christi necessaria esset, cum hæc a Divina misericordia, non autem a nostra pendeat voluntate.

65. Porro non negaverim, sæpius pugnasse Pelagianos contra gratiæ necessitatem ad opera bona facienda eo potissimum argumento, quod si nihil possumus boni sine gratia, actum sit de nostra libertate. Id luculenter apparet ex illis Pelagii verbis, quæ Sanctus Augustinus affert in Lib. *de gestis Pelagii* c. ult., inquiebat enim, *non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio*, & apud Sanctum Hieronymum in epist. ad Ctesiphontem: *Frustra*, dicebat, *dedit arbitrii potestatem, quam implere non possunt, nisi ipse me semper adjuverit, destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget;* ac demum apud eumdem S. Hieronymum in tertio Dialogorum libro ita Pelagianus redarguit Catholicum: *Quomodo servas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adjuverit?* Neque opus est in re minime dubia plures textus congerere.

66. Veruntamen non minus luculentis testimoniis ostendi potest, etiam ex eo capite fuisse Pelagianos de eversa libertate conquestos, quod admissa gratia *voluntatis, & actionis*, qualem prædicabat S. Augustinus, homines ad bonum agendum ineluctabili necessitate cogerentur. Primo enim dicebant, in ea hypothesi, nos nihil agere, sed Deum solum: „ Ut quid nobis prædicatur, „ *objiciebant*, atque præcipitur, ut declinemus a „ malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agi„ mus, sed id velle, & operari Deus operatur in „ nobis "? (apud S. Augustinum in Lib. *de corrept. & grat.* cap. 2.). Quæ profecto objectio locum non habuisset, si S. Augustinus duntaxat esse necessariam gratiam, voluisset ad bonum volendum, & agendum, non autem contendisset, talem esse gratiæ vim, ut nos ex nolentibus faceret volentes, ipsum nutum, & consensum nostræ voluntatis operando. S. autem Doctor hanc Pelagianorum objectionem sibi frequentissime propositam, non aliter dissolvebat, quam dicendo: „ A„ guntur homines, ut agant, non ut ipsi nihil a„ gant (*in loc. cit.*), & *in Lib.* de Grat. Chr. *cap.* „ 25. Non solum, *inquit*, Deus posse nostrum do„ navit, & adjuvat, sed etiam velle, & operari „ operatur in nobis: non quia nos non volumus, „ aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adju„ torio nec volumus aliquid boni, nec agimus ". Et ut alia multa omittam loca, in Lib. *de gratia, & libero arbitrio* cap. 16. „ Certum est, *ait*, nos „ velle, cum volumus, sed illa facit, ut velimus „ bonum .... certum est, nos facere, cum faci„ mus: sed illa facit, ut faciamus ".

67. Ulterius convicti a S. Augustino, gratia Dei non tolli, sed adjuvari nostras voluntates, rursus contra ejusdem gratiæ efficaciam pugnabant, quod per illam fatalis inveheretur volendi necessitas; ita ut bonum operemur volentes quidem, non tamen libere, sed necessario. Id præcipue urgebat Julianus Pelagianus apud S. Augustinum in Lib. I. *Operis imperfecti*, ubi cap. tot. *Quomodo*, inquiebat, *potest esse voluntas libera, si bonum semper velle cogatur?* Quam coactionem ut maxime absurdam ita rejiciebat S. Doctor: „ Si e„ nim cogitur, non vult: & quid absurdius, quam „ ut dicatur volens velle quod bonum est? De na„ tura etiam Dei vide quid sentias homo, qui di„ cis, cogi hominem, ut bonum velit, si malum „ velle non possit ".

68. Sed longius procedens Julianus sententiam S. Augustini de efficacia gratiæ a Menichæi, & Joviniani erroribus non procul abesse arguebat. *Videamus*, inquit cap. 97., „ Quantum ab eo „ (*Manichæo*) recesseris. Dicis esse liberam vo„ luntatem, sed ut malum tantummodo faciat; „ non autem in hoc esse liberam, ut malum de„ sistat operari, nisi ei fuerit imposita necessitas „ volendi bonum ". Et iterum cap. seq. *Tecum ergo putat* (Jovinianus) *tempore baptismi imponi hominibus necessitatem boni*. Et Augustinus ipse Libro IV. contra Julianum cap. 8. ajebat, sæpe sibi fuisse objectum, *quod appellatione gratiæ bonos fieri homines fatali necessitate*, doceret. Quibus in locis non agit de necessitate contrahen-

dæ

di peccati originalis, ut aliqui autumant, sed de necessitate, quam per gratiam a S. Augustino prædicatam inferri Pelagiani calumniabantur; unde ansam Julianus sumebat, accusandi S. Augustinum, quasi errores Manichæi, & Joviniani resuscitaret.

69. His autem, aliisque Pelagianorum clamoribus nunquam cessit Augustinus, & quamquam arbitrii libertatem tutatus fuit, simul tamen invictam gratiæ efficaciam luculentissimis verbis prædicavit; quæ non solum det posse bene operari, sed ipsam voluntatem bene operandi, immo ipsam actionem, quod suis locis copiose ostendetur. Fatebatur insuper, magnam esse difficultatem intelligendi, quomodo hæc duo invicem componantur summa gratiæ divinæ efficacia, quæ etiam nutum & consensum voluntatis operatur, & nostri arbitrii libertas; unde in Libro *de gratia Christi* cap. 47. inquiebat: „ Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri". Id est (ut aliquorum mala intelligentia præcludatur) cum dicitur, nostrum esse, velle bonum, videatur excludi gratia, quæ operatur in nobis ipsum velle: & quando dicitur, gratiam operari motum nostræ voluntatis, putant nonnulli nostram voluntatem nihil agere, sed solum agi.

70. Neque audiendi sunt, qui dicunt, difficultatem totam fuisse in componenda necessitate, non autem efficacia gratiæ, cum libero arbitrio. Nam S. Augustinus de qua difficultate loquatur, satis luculenter explicat, quasi e vestigio subdens: „ Si (*Pelagius*) consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus .... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur". Jam vero quænam est, ad mentem Augustini, hæc gratia *voluntatis*, & *actionis*, nisi ea „ qua Deus interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates (de grat. Christi *cap.* 25.); *quia homines* insuperabiliter *aguntur*, cui nullum hominis resistit arbitrium &c. &c."?

71. Accedit & alia Pelagianorum calumnia contra S. Augustinum, quod videlicet doctrina sua *supinam quamdam securitatem* hominibus afferret. Si enim gratia Dei sua vi, & efficacia nos ex malis bonos facit, & bonos conservat, colligebant aliqui minus recte, non opus esse nostris conatibus, sive ut resurgamus a malo, sive ut perseveremus in bono. Hujusmodi pravas consecutiones reprehendit S. Doctor in epist. CCXV. olim XLVII. ad Valentinum dicens: „ Illi, qui putant, bonam vitam esse deserendam (*idest omittendam diligentiam*, & *conatum ad bonam vitam conservandam*), quando audiunt, sic gratiam Dei prædicari, ut credatur, & intelligatur voluntates hominum ipsa etiam, quas fecerit, custodire..... in sinistrum declinant. Ideo vobis dixit: non declinetis in dexteram, neque in sinistram, hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis; nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligatis; quod ipsa gratia Dei avertat a nobis".

72. Ex quibus apparet, non solum Pelagianos Sancto Augustino repugnasse, quod vellet, ad omne opus bonum esse gratiam Dei necessariam, sed etiam, immo fortasse potissimum ex eo, quod talem gratiam cum Ecclesia Catholica prædicaret, quæ voluntatis imperio non subditur, sed potius voluntatem sibi subjicit, eamque ex malo in bonum mutat, & mutatam conservat; quæque non solam possibilitatem nostram adjuvat, ut possimus velle bonum, sed etiam facit, ut reipsa velimus, & operemur; quamque propterea S. Doctor appellabat gratiam *voluntatis*, & *actionis*. Repugnabant autem, quia ut ipsis videbatur, tali gratia omnis auferebatur libertas, fatalis inducebatur necessitas, & negligentia, ac desidia hominibus insinuabatur.

73. Quod si hanc voluntatis gratiam aliquando admittere videbantur, ut superius num. 41. & seq. ostendimus, cum tamen eam neque necessariam, neque omnino gratuitam esse concederent, in tuto erat apud ipsos humana libertas; tum quia homines etiam sine ea gratia bene operari valebant; tum etiam, quia eam propriis naturæ conatibus illos promereri posse putabant.

74. Sed nec illud *prætermittendum* censeo, mirum plane esse, adversariis persuaderi posse omnes Pelagianorum querelas de eversa libertate per Augustini doctrinam, ex eo unice promanasse, quod S. Doctor eos cogeret ad agnoscendam necessitatem gratiæ ad omne opus bonum. Ipsi enim certissime credunt (immo ipsis & plerique Thomistarum in hoc suffragantur), Augustinum docuisse, gratias sufficientes omnibus indiscriminatim a Deo liberaliter concedi. Posita autem hac doctrina, quomodo poterant Pelagiani conqueri, sibi ademptam esse libertatem ad bonum operandum, si gratia ad id sit necessaria? Anne ita stupidi erant, ut non viderent, adhuc plenissime in manibus suis esse bonum operari, quandoquidem gratia ad id necessaria sibi semper præsto erat? Quisnam adeo desiperet, ut conquereretur, sibi liberum non esse vivere, quia ad vitam conservandam opus est cibis, si eos quotiescumque voluerit paratos invenire possit? Ex eo igitur oriebantur Pelagianorum querelæ de negato libero arbitrio, quod S. Doctor, & omnes cum eo Catholici dicerent, ad bene operandum opus esse non solum gratia *possibilitatis*, quæ omnibus communis erat, sed etiam gratia *voluntatis*, & *operationis*, scilicet efficaci, quæ nec omnibus, nec semper a Deo datur, sed quibus ipse vult, & quæ a nostræ voluntatis nutu non su-

suspenditur, sed nutum, & consensum voluntatis facit. Et de his hactenus, quorum veritas majori in luce collocabitur, ubi de efficacia gratiæ sermo erit.

CAPUT VII.

De Hæresi Semipelagiana.

75. Prostrata acies inimica gratiæ, *& bellum confectum contra Pelagianos* (S. Prosper *contra Collatorem* cap. 6.): cum alia exorta est hæresis eo perniciosior, quo ejus venenum magis latens, facilius in homines incautos diffundebatur: nempe circa ann. 417. quidam eruperunt subtiles, & acuti homines, qui damnatos quidem Pelagii errores, ut omnium Christianarum virtutem pestes damnare se, & execrari profitebantur; Augustino tamen, quo tamquam duce Ecclesia Pelagium feliciter debellaverat, omnino subscribere recusantes, mediam quamdam inter Pelagii, & Augustini dogmata semitam sibi aperire tentabant, quasi aliquod, si superis placet, veritatem inter & errorem medium esse possit. Primi, quibus in mentem id venit, fuere quidam Presbyteri Massiliæ congregati, qui propterea *Massilienses* primum dicti sunt; sed postquam re diligentius discussa, liquido apparuit, eos saltem ex parte Pelagio consentire, dicti sunt *Semi-Pelagiani*. S. Thomas eosdem Pelagianos appellavit (2. 2. quæst. VI. art. 1.) quia error saltem in specie idem erat.

76. Dissentiendi autem ab Augustino nulla alia ipsis causa fuisse videbatur quam gratuita, & secundum propositum Prædestinatio sive ad gratiam, sive ad gloriam, quam S. Doctor contra Pelagianos fortissime & invicte semper defenderat; ea enim removeri industriam, tolli virtutes, lapsis curam resurgendi animi, sanctis occasionem temporis afferri, uno verbo fatalem induci necessitatem conquerebantur (Vid. Epist. Sanct. Prosperi, & Hilarii ad S. Augustinum, & hujus Libri *de Præd. Sanctorum*, *& de dono persev.*) Sed operæ pretium est hujus hæreseos historiam paulo enucleatius aperire.

77. Semipelagiani in duobus maxime a Pelagio dissidebant. Primo quod peccati originalis transfusionem confitebantur, quamvis, ut S. Prosper observat (P. IV. *Carm. de ingratis*), ita ejusdem vulnera, & effectus attenuabant, ut etiam peccatum reipsa tollere viderentur. Secundo quod gratiæ actualis, & interioris necessitatem cum S. Augustino, immo cum tota Ecclesia ad bona opera proficienda prædicabant.

78. Primus autem, & capitalis eorum error, quod cum Pelagio conveniebat, in eo positus erat, quod crederent, aliquod initium bonis operis in nobis præcedere gratiam, cujus intuitu Deus conantibus, volentibus, merentibus suæ gratiæ auxilia abunde largiretur. Hoc enim constituto omnes illæ difficultates evanescebant, quibus ab Augustini doctrina absterrebantur; potissimum autem in vado erat libertas humana, & ab ea, tamquam a primo annulo tota gratiarum series, ac catena, immo ipsa salus suspendebatur, ac proinde diversæ hominum sortis causa non a beneplacito divino, sed ab eorumdem arbitrio promanabat.

79. Hoc tamen boni operis initium, aliqui plus, alii minus extendebant. Quidam enim Pelagio propius accedentes, illud in oratione ponebant, quam solis arbitrii nostri viribus ad gratiam promerendam, & obtinendam a quolibet adhiberi posse censebant; nempe, ut eorum verbis utar (cap. S. Prosper. in epist. num. 4.), docebant posse hominem „ Ad hanc gratiam, qua in Christo renasci„ mur, pervenire, per naturalem facultatem, pe„ tendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, „ ideo inveniat, ideo introeat; quia bono naturæ „ bene usus, ad istam salvantem gratiam, initia„ lis gratiæ ope (*nempe liberi arbitrii*) meruerit „ pervenire“. Alii vero nonnisi quædam pia desideria salutis, aut pios credulitatis affectus gratiam præcedere dicebant: „ & nullam ita depra„ vatam, vel extinctam (*naturam*) putabant, ut „ non debeat, vel possit se velle sanari; propter „ quod vel sanetur quis a sua, vel, si noluerit, „ cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gra„ tiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ „ tantum medicum quærat, non autem quidquam „ ipsa jam valeat“ (S. Hil. in epist. n. 2.). Sed de hoc uberius paulo post.

80. Neque deerant, qui putarent, aliquibus saltem gratuito ipsam primam bonam voluntatem, & fidem a Deo inspirari. Quod Cassianus *Coll.* XIII. c. 2. explicat exemplis Pauli, & Matthæi; ne tamen id generaliter statuatur de omnibus, objicit contraria exempla Zachæi, & Latronis: „ qui „ desiderio suo vim quamdam regnis cælestibus „ inferentes specialia vocationis merita prævene„ runt. *Ex his contrariis, ut ipse sentiebat*, e„ *xemplis concludere nitebatur*, diversis, & in„ scrutabilibus viis Deum salutem generis huma„ ni procurare, quorumdam quidem volentium, „ & sitientium cursum ad majorem incitare fla„ grantiam; quosdam vero etiam nolentes, invi„ tosque compellere“. Quæ tamen opinio Cassiani ita potest commode explicari, ut putaverit, quibusdam Deum prima initia fidei gratia sua efficaci inspirare, ut Paulo, & Matthæo; alios autem gratia solum versatili prævenire, ita ut consensus eidem gratiæ, adeoque fidei, bonique operis initium ipsis tribuendum esset, quam aliorum Semipelagianorum sententiam fuisse, inferius ostendemus.

81. Quod de fidei, bonorumque operum initio, hoc idem de perseverantia usque in finem docebant: ita enim utrumque eorum dogma S. August. conjungit (*de dono persev.* cap. 16.) „ Solum i„ nitium fidei, & usque in finem perseverantiam, „ sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona „ esse non putent; neque ad hæc habenda, atque

„ re-

„ retinenda Deum operari nostras cogitationes, & „ voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, „ cum ab illo impetrantur credentis fide". Quod quidem erat eorum doctrinæ congruentissimum. Si enim perseverantiam usque in finem a Dei voluntate pendere cum S. Augustino docuissent, iterum difficultates omnes recurrebant: nempe in torporem, & disperationem homines induci, cum nec ille possit ullo modo excidere, cui Deus ab æterno perseverantiæ donum gratuito dare decrevit: nec ille salutem adipisci, qui ad tale donum prædestinatus non fuerit. Hinc consequenter, quemadmodum initium boni operis, ita perseverantiam usque in finem a nostri libertate arbitrii tantummodo suspensam esse volebant.

82. Tertio. Ex quo boni operis initium, & usque in finem perseverantia non essent proprie dona Dei, sed tantum nostra merita, alius error sua sponte fluebat, prædestinationem nempe nedum ad gloriam, sed etiam ad gratiam non esse gratuitam; unde S. Prosper Cassianum alloquens: " Quomo- „ do non advertis, *inquit* (contr. Collat. *cap.* 3.), „ te in illud damnatum incidere, quod velis, no- „ lis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum „ merita nostra dari, cum aliquid præcedere bo- „ ni operis ex ipsis hominibus, propter quod gra- „ tiam consequamur, affirmas? *Et de prædesti-* „ *natione ad gloriam idem S. Prosper* (in Resp. „ ad 8. dub. Genuensium) In hac sententia posi- „ ti, *inquit*, consequenter sapiunt, eos esse præ- „ destinatos in vitam æternam, quos per liberæ „ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit „ Deus ".

83. Consequenter ad hæc arbitrabantur, Dei bonitatem in eo apparere, quod *hominem non repellat a vita, sed indifferenter universos velit fieri salvos, & ad agnitionem veritatis venire* (Prosper epist. ad Aug. n. 4.). Sed cum inficiari haud possent, multos salutem non assequi, voluntatem illam generalem, & indifferentem, non absolutam esse dicebant, sed conditionatam, videlicet si homines ipsi velint, atque consentiant. „ Quantum „ ad Deum pertinet, *ajebant* (*ib. n.* 6.) omni- „ bus paratam vitam æternam: quantum autem „ arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui „ Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ me- „ rito credulitatis acceperint ". Eodemque sensu Christum pro omnibus mortuum esse volebant; ut tota salvandorum a reprobis distinctio ab arbitrio hominis, non autem a Dei gratia repeteretur.

84. Negabant ulterius, certum, prædefinitumque esse salvandorum numerum (ibid. num. 6., & epist. Hilarii num. 7.): quod tantummodo intelligendum est de certitudine orta ex prædestinatione, quæ humanas præveniat voluntates; hanc enim velut adamantinum fatum exhorrebant; non autem de certitudine orta ex sola præscientia; neque enim adeo delirabant, ut negarent, Deo certum, notumque esse eorum numerum, quos per bonæ voluntatis initium gratiam promerituros, & usque in finem perseveraturos prævidit: unde inferebant, Deum „ alios vasa honoris, alios con- „ tumeliæ effecisse, quod finem uniuscujusque „ prævidit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua „ futurus esse voluntate, & actione præscivit, „ *Prosper num.* 8.

85. Demum, cum exemplo parvulorum premerentur, quorum alios sine baptismo perire, justo Dei judicio, alios per baptismum salvari, gratuita Dei bonitate, sine ullis eorum meritis, luculenter apparet, illud excogitarunt absurdum: „ tales „ perdi, talesque salvari, quales futuros illos in „ annis majoribus, si ad activam servarentur æ- „ tatem, scientia divina prævideriť" (Prosper epist. ad Augustinum n. 5.): & cum Augustinus ad hunc errorem convellendum usus esset testimonio ex libro Sapientiæ (cap. IV. 11.): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus &c.*, quo declaratur, tantum abesse, ut futura mala in parvulis puniat Deus, quin potius eos rapiat, ne in mala labantur, Semipelagiani eum librum, ut Pseudo Canonicum respuebant: (Vid. S. Aug. *de Præd. SS.* cap. 14.). Hoc tamen Semipelagianorum commentum novum non erat, sed a Pelagianis jam ante excogitatum, ut apparet ex epist. 194. S. Augustini ad Sixtum cap. 9.

CAPUT VIII.

De Semipelagianæ Sectæ auctoribus, & Patronis.

86. Adeo occulte Semipelagianus error se se in nostros animos insinuat, ut non pauci doctrina, & pietate insignes viri hunc hamum incaute voraverint. Quis doctior, aut magis pius Augustino? Et tamen qua erat humilitate, confessus est, se aliquando huic luto adhæsisse putantem, *fidem qua in Christo credimus, non esse donum Dei; sed a nobis in nobis esse* (*de Prædest. SS.* cap. 3.). Idem de Ambrosiastro, seu auctore commentariorum in epist. S. Pauli sub nomine S. Ambrosii, de Tyconio Donatista, multoque magis de Origene demonstrari potest.

87. Putavit Jansenius (Lib. VII. *de hæres. Pelag.* c. 4.), etiam S. Hieronymum eo ipso tempore, quo contra Pelagianos pro gratia Christi pugnabat, in Semipelagianismum incidisse, quod ex illis ejusdem verbis colligit (Lib. III. *Dialog. adv. Pelag.* init.): „ ut nostrum sit rogare, illius tri- „ buere quod rogatur; nostrum incipere, illius „ perficere; nostrum offerre, quod possumus, il- „ lius implere, quod non possumus". Immo præcedentibus non paucis Patribus, maxime Græcis, qui studiosissime Origenis lucubrationes triverant, aliquid ex pulvere subtilissimi istius erroris adhæsisse scribit. Quod tamen vereor, ne licentius sit dictum, & ad traditionem labefactandam trahi ab aliquibus possit. Quanto sapientius S. Aug. Semipelagianis antiquam Patrum auctoritatem objicienti-

tibus, primum sententiam suam pluribus SS. Cypriani, Ambrosii, Chrysostomi, aliorumque testimonii roborare studuit; post autem auream illam veterum Patrum explicandorum regulam tradidit (*de prædest. SS.* cap. 14.). „ Quid opus est, „ ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam „ ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere „ talibus cogerentur? unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent... „ frequentationibus autem orationum apparebat, „ gratia Dei quid valeret; non enim poscerentur „ a Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent.

88. Vitalis item Carthaginensis in Semipelagianorum errores lapsus est, quem S. Aug. ad sanitatem feliciter revocavit (Vid. epist. CCXVII. al. 107. ann. circa 427.). In monasterio etiam Adrumetino (*a*) fuisse aliquos Semipelagiana fuligine tinctos, colligitur ex dissidiis ibidem exortis, quorum hæc causa fuit. Cum Felix ejus monasterii alumnus celebrem S. Aug. epist. ad Sixtum (164. al. 105.) suis Concellitis ostendisset, ejus lectione nonnulli turbati sunt, veriti, ne ex ejusdem doctrina consequeretur, liberum arbitrium tolli. Hos autem fuisse Semipelagianos ostendemus inferius (*b*).

89. At vero non multo post majori licentia Semipelagianismus prodivit in Gallia, obstetricante potissimum Joan. Cassiano Abbate monasterii S. Victoris, ab ipso Massiliæ constructi (*c*). Hic in lucem edidit famosas *Collationes Patrum Sceticorum*, in quarum decimatertia totum Semipelagianæ hæreseos virus continetur (*d*). Aliquibus tamen visum est, cum ab errore resipuisse: quod potissimum colligunt ex eo, quod S. Leo ei provinciam postea demandaverit Nestorium confutandi (ita Jansenius Lib. XIII. *de Hæres. Pelag.* cap. 9.).

90. Sub hoc duce Semipelagiani in sectam coaluisse videntur. Inter eos autem omnium maxime excelluit Faustus Rejensis Episcopus, ante Lirinensis Abbas, qui primo S. August. doctrinam, ut erroris suspectam, ausus est vellicare (in epist. ad Gratum); deinde eam aperta fronte impugnavit in duobus libris *de gratia, & libero arbitrio*. Hac de causa illius opera non minus, quam Cassiani, fuerunt a Gelasio Papa censorio stigmate inusta, improbata rursus a duobus Gelasii successoribus Hormisda (in ep. ad Possessorem), & Felice, necnon a Synodo Præsulum Africano, & in Sardinia exulantium (in ep. Synodica), impugnata autem a S. Fulgentio septem libris (*e*), tum a SS. Avito Viennensi, & Cæsario Arelatensi. Immo testatur Card. Baronius (ad ann. 490.) universum plane orbem occidentem contra Faustum insurrexisse; in oriente autem, non solum Adonem, & Jo. Presbyterum Antiochenum, sed Orthodoxos fere omnes ejusdem Fausti libros rejecisse (*f*).

91. Hunc sequitur Gennadius Massiliensis Presby-

(*a*) Adrumetum civitas erat in Africa Provinciæ Bizacenæ non ignobilis ad oram maris mediterranei; nunc Mahometes vocatur, & in regno Tunetano comprehenditur. Vid. Norisius in Lib. I. *Hist. Pel.* cap. 23.

(*b*) De horum dissidiorum epocha variæ sunt eruditorum opiniones. Baronius eam figit ann. 418. ib. n. 17. Ludov. Torellus ann. 417. in *Sæc. August.* Tom. I.; Nat. autem Alexander *Sæc. V.* cap. 3. art. 6. §. 4., & post eum Norisius *Hist. Pel.* lib. I. cap. 23. circa ann. 424. Sed multo probabilius, ni fallor, Ceillier circa ann. 427.

(c) De ejus patria valde dissentiunt Scriptores. Alii Romanum faciunt, quibus suffragatur Lambecius in *Bibl. Cæsarea* Libro IV. pag. 373. nova edit. 1778. duos codices asserens, quorum hic est titulus: Ἀββᾶ Κασσιανὸ Ῥωμαίου κ. τ. λ. tum alia opuscula cum eadem inscriptione, quibus usum fuisse opinatur Photium, qui pariter in sua *Biblioth.* cod. 147. Cassianum Romanum dicit. Gennadius, quem multi ex recentioribus sequuntur, eum ex minori Scytia originem traxisse scribit *De viris illustr.* cap. 61. Lucas Holstenius cap. 3. ad regulas Monachorum eum fuisse Gallum non ineptis argumentis evincere conatur. Vid. epist. Alardi Gazæi præmissa edit. Opp. Cassiani ab ipso factæ anno 1773.

(*d*) P. Jo. Baptista Guesnay in suo *Cassiano illustrato* eum ab omnis erroris Semipelagiani macula purgare conatus est; cui consentiunt Jo. Mariana lib. III. *de morte, & immortalitate* cap. 6., aliique pauci, contra quos Vid. Thomas de Lemos *in Panoplia* Tom. I. tract. 5. cap. 1., & potissimum cap. 4. & 5., Norisius Lib. II. Hist. Pelag. cap. 1., & in Append. ad Synod. V. cap. 2., Ceillier Tomo XIII. *des auct. Eccl.* cap. 2. art. 2. §. 1., Suarez Proleg. V. *de gratia* cap. 6., Petavius *Hist. Pelag.* cap. 7. Vossius Libro I. Hist. Pelag. c. 7., aliique passim.

(*e*) Horum librorum mentio habetur in ep. Synod. PP. Africanorum, tum apud Isidorum Hispal. *de illust. Script.* c. 14., apud Facundum Hermian. initio *Libri adv. Mocianum*; & apud Gothescalcum in sua *Confessione*. Hieron. Vignerius eos olim repererat, eosdemque edendi spem fecerat, sed eum mors subsecuta impedivit. Card. autem Bonna in epist. ad Nicasium (in edit. Taurin. an. 1755. pag. 299.) refert, sibi fuisse scriptum ab aliquo Parisiensi Doctore, post mortem Vignerii eos incidisse in manus hominis doctrinæ S. Fulgentii minime amici; ab eoque magno reipublicæ litterariæ damno fuisse combustos. Vid. Fogginius in præf. ad Tom. I. Opp. S. Fulgentii Romæ 1760.

(*f*) *Quod si*, inquit Bellarminus Lib. VI. *de gr. & lib. arb.* c. 4., *vir doctissimus Ruardus Tapperus observasset, non tam sæpe Faustum Catholicum nominasset*. Sed Tapperum nimio disputationis æstu contra Novatores abreptum in Fausti doctrinam inclinasse, res est apud eruditos fere comperta. Vid. Præloquium Nicolai Petitpied ad opera Antonini Reginaldi p. 11. Fausti libros magno in pretio habuisse videtur etiam Molina, ut præcipue constat ex ejus *Concordia* p. 23. art. 4. & 5. disp. I. membro ult., ad quem fortasse, ejusque defensores digitum intendebat laudatus mox Bellarminus, dum opere *de Script. Eccl.* postquam multis probasset, Faustum cum Semipelagianis errasse, ita concludit: *Hæc admonere volui propter aliquos, qui nostro*

sbyter, magnus Semipelagianorum fautor, ac patronus, qui in suo opere *de viribus illustribus* Fausti libros Semipelagiana pravitate a capite ad calcem scatentes, tanquam *opus egregium* extollit; opuscula autem Cassiani a Gelasio, ut diximus, damnata, *ab Ecclesia Dei probari ut salutaria*, mentitur: Hieronymo præfert Ruffinum, primum fortasse Pelagianæ Hæreseos architectum; Augustino autem obloquitur ei illud adaptans: *in multiloquio non deerit peccatum.* prov. X. 19. (*a*).

92. Præter hos nonnulli alii in Semipelagianorum factione numerantur, ut Vincentius quidam, quem S. Prosper refutavit (in *Resp. ad cap. Object. Vincent.*), quemque bene multi existimant esse celebrem illum Vincentium Lirinensem (*b*); Hilarius item Arelatensis Episcopus, quem tamen ab errore emersisse, satis probabiliter conjectantur Pagius (ad ann. 445. num. 19.) Tillemontius (art. 11. in ejus vita), aliique eruditi (*c*): Honoratus etiam Massiliensis multa Semipelagianismi suspicione laborat; & ut brevi dicam, ista pestis ita in Galliis late inundaverat, ut S. Prosper nonnisi *paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores* superesse doleret (ep. ad Aug.).

93. Nonnulli ex recensitis Semipelagianæ sectæ coryphæis, aut sectatoribus Sanctorum honore alicubi coluntur. Sed id contingere potuit vel quod Semipelagiana hæresi nondum in Ecclesia damnata, eorum error sine pertinacia excusabilis fuerit; unde S. August. eos *fratres*, non hæreticos appellavit (*de præd. SS.* cap. 4., & alibi); vel etiam quod ante obitum resipuerint, ut aliquibus visum est. Vid. Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Lib. VIII. dissert. III.

CAPUT IX.

De Hæresis Semipelagianæ impugnatoribus, & condemnatione.

94. Hujus hæresis, non minus quam Pelagianæ impugnator, ac debellator præcipuus certe habendus est S. Aug., tum propter illos duos egregios libros, quos a Prospero, & Hilario rogatus elucubravit, scilicet *de prædestinatione SS.*, & *de dono persever.* (*d*), in quibus sapientum judicio S. Pater superavit se ipsum; tum quia etiam post S. August. mortem, nonnisi ejus armis hæc hæresis impugnata, ac demum post 100. fere annos extincta est.

95. Primi tamen, qui contra eam classicum veluti insonuerunt, fuere Prosper, & Hilarius, nulla quidem Ecclesiastica dignitate insignes, immo simplices laici, doctrinæ tamen puritate, & litteris nemini inferiores. Hoc præclarum virorum par, ut errori jam gliscenti occurreret, vivente Augustino, satis se fecisse putavit, si magnus ille gratiæ vindex de fidei periculo admoneretur. Cum autem post ejus mortem, iterum Pelagiana factio tumultuaretur, ambo Romam pergentes S. Cœlestini opem implorarunt. Prosper autem multis operibus tum carmine, tum soluta oratione Semipelagianos inclaruit (*e*).

96. Porro S. Cœlestinus datis ad Episcopos Galliæ gravibus litteris Semipelagianorum licentiam, qui S. Augustino obloquebantur, apostolica auctoritate compescuit, cujus exemplum postea Leo, Gelasius, Hormisdas, aliique Romani Pontificis, us-

tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt. Etiam Jac. Sirmondus Fausti apologiam adornavit, innixus potissimum Tapperi, & Driedonis auctoritati. Dupinius in sua *Bibl.* P. II. Tom. III. Faustum purgare conatur; qua de causa merito vapulat a Bossueto *Mem. sur la Bibl. Eccl. de Dupin.* Tom. II. *Oeuvr. posth.* p. 259. Vid. Norisius Lib. II. *Hist. Pelag.* c. 12., & Append. *ad Syn.* V. c. 3., Nat. Alexander Sæc. V. c. 3. art. 7., Ceillier Tom. XV. c. 10., & Lud. Thomassinus Diss. XIII. *in Concilia Arel. & Lugd.* Mortuus est autem Faustus prope centenarius ad finem Sæc. V.

(*a*) Ita de Gennadio communis fere sententia habet contra Suarez Proleg. V. *de gratia* c. 5. n. 36., Livinum le Meyer in *Hist. de auxiliis.* Lib. V. cap. 52., aliosque paucos. Putavit Martianæus Gennadii lib. *de viris illustr.* fuisse ab aliquo Pelagiano corruptum, & depravatum, innixus potissimum Codici Corbejensi, sed eum refutatum habes in *Observ.* ad Lib. II. *Hist. Pel.* Card. Norisii c. 11. Vid. Baronius ad an. 490., Bellarminus *de Script. Eccles.* Norisius Lib. II. *Hist. Pel.* c. 16. *& in Append. ad Syn.* V. c. 4. Dupinius in *Bibl. V. Siecle*. Rivetus in *Hist. litter. de France* Tom. II., & Ceillier Tom. XV. cap. 31., qui tamen p. 483. dubitat, an ea verba *in multiloquio* &c. ab aliquo assuta fuerint, cum desint in Ms. Corbejensi.

(*b*) Id Norisius multis argumentis ostendit Lib. II. *Hist. Pel.* c. 11. in *Confutatione palinodiæ*, & in *Anonymi scrupulis circa veteres Semipel. Sectatores evulsis, & eradicatis.* Vid. etiam *Observ. in Norisii Hist. Pel.* Lib. I. cap. 6. Idem sentiunt Nat. Alexander Sæc. V. cap. 3. art. 7. §. 7., Pagius in *Critica* ad ann. 434. n. 15., Berti Lib. XV. *De Theol. discipl.*, & ante hos omnes Gerhardus Vossius Lib. I. *Histor. Pelag.* cap. 9. Vincentium tamen Lirinensem defendunt non pauci alii, ut Baronius ad ann. 434., Franc. Macedo in Lib., cui titulus: *Commentationes duæ* &c. Bruno Neusser apud Bollandistas ad diem 5. Maji, Ceillier T. XIII. c. 20. n. 18. &c.

(*c*) Hunc perperam cum altero Hilario Sanct. Augustini discipulo confundunt Jansenius Lib. I. *de Hæres. Pelag.* p. 70., & Molina in *Concord.* qu. 23. Disp. I. art. 4. & 5. memb. ult.; adversus quos vid. Norisius Lib. II. *Hist. Pelag.* cap. 2., Nat. Alexander Sæc. V. c. 4. art. 19., & PP. Benedictini in Præf. ad Tom. X. Opp. S. Augustini n. 29.

(*d*) Card. Orsius in sua *Hist. Eccl.* lib. 27. n. 62. ostendit, titulum utriusque libri fuisse *de Præd. Sanctorum*; prout etiam editores Maurini in codicibus Noalliensi, Pratelensi, ac Metensi invenerunt.

(*e*) Corrigendi sunt Cælest. Sfondratus in *Nodo Prædest. Dissol.* P. I. §. I. n. 4., aliique, qui cum Jansenio Lib. I. *Hist. Pelag.* p. 30. Prosperum faciunt E-

usque ad hæc nostra tempora imitati sunt, quotiescumque aliqui de S. August. minus reverenter loqui præsumpserunt. Sed de hoc alibi fusius.

98. Inter Semipelagianorum hostes magnum nomen obtinuit etiam S. Fulgent. Ruspensis Episcopus (a); cui adjungendus est Jo. Maxentius cum Monachis Scythis, quorum libellus *de Incarnatione & gratia* a Petro Diacono, aliisque subscriptus, fuit a quindecim Episcopis Africanis in Sardinia exulantibus approbatus; tum auctor Librorum *de vocatione gentium*, ac inter alios S. Cæsarius Episcopus Arelatensis, quo maxime curante, ultimam Semipelagianismus cladem accepit.

98. Egregius hic gratiæ defensor, & S. Augustini observantissimus cultor, Semipelagianam factionem viribus quotidie augeri animadvertens, Felicis IV. opem imploravit. Non defuit officio suo Romanorum Pontifex, & quædam capitula illi misit, quibus suam, & Romanæ Ecclesiæ fidem eidem declaravit. Tunc nihil morandum ratus Sanct. Cæsarius, occasione, qua plures Episcopi Arausicæ, ad novi templi dedicationem conveniebant, Concil. celebravit, in quo Felicis capitula, ut credere par est (Vid. Noris. *Histor. Pelag.* Lib. II. c. 21.), ad canones condendos contra Semipelagianos adhibuit, qui expressis fere S. Augustini verbis concepti sunt; itaque an. 529. hæresis Semipelagiana damnata est, & ut majus huic damnationi accederet pondus, idem S. Cæsarius eam apostolico Romani Pontificis oraculo confirmari curavit, quod & factum est, non a Felice IV. qui interea obierat, sed ab ejus successore Bonifacio II. (Vid. vita Sanct. Cæsarii Lib. I.). Immo hæc Synodus Arausicana II. œcumenicæ auctoritatem obtinuit, postquam scilicet tota plane Ecclesia in eamdem sententiam conspiravit, & error Semipelagianus undique, ut par erat, cum execratione explosus est.

CAPUT X.

De Hæresi Semipelagianæ suscitatione.

99. Quanquam Semipelagianus error bene, recteque institutæ rationi vehementer repugnet (est enim ingrati animi vitium Dei beneficiis aliquid detrahere: quo vitio nihil detestabilius inter ipsos homines videri solet), superbiæ tamen, quæ in nobis per peccatum altas radices egit, amicus, & omnes facillime irrepit, quod exemplis supra allatis manifestum factum est, magisque declarabitur exemplis aliorum, qui etsi doctrinæ simul, & pietatis laude florebant, damnatum tamen Semipelagianismum incaute suscitarunt.

100. Sæc. IX. celebris Jo. Scotus, seu Eritgena dictus, dum hortatu Hincmari Remensis, & Parduli Laudunensis, Gotheschalci doctrinam exagitabat, in manifestum Semipelagianismum, vel fortasse etiam purum Pelagianismum infeliciter lapsus est, quem propterea S. Prudentius Trecensis Episcopus, & Florus nomine Ecclesiæ Lugdunensis confutarunt, & Patres Concil. Lingoniensis, & Valentini proscripserunt. Sæpius etiam postea fuisse hunc errorem suscitatum ex eo facile suspicari possumus, quod plures inter Sanctos Patres, & ecclesiasticos scriptores in eo convellendo operam, curamque posuerunt ut venerab. Beda Sæc. VIII. (*præfat. in Cantica*), S. Anselmus Cantuariensis Sæc. XI. (*de concordia grat.*, *& lib. arb.*), & potissimum S. Bern. (*de grat.*, *& lib. arb.*) Sæc. XII., ac post istos Petrus Lombardus, & Angelicus Doctor, præcipue in *Summa Theologica*, *& in Comment. in epist. S. Pauli* (b).

101. Sed majorem occasionem in Semipelagianismum inclinandi aliquibus præbuit Sæc. XVI. fœdissimum Lutheri, & Calvini schisma: cum enim isti in Prædestinatianorum errorem impegissent,

piscopum Rejensem, aut cum Ughellio Tom. V. eumdem fuisse Episcopum Regiensem in Italia putarunt. Vid. vita ejus operibus præmissa art. 10., Jo. Salinas Canon. Regal. Lateran. in Præfatione ad opera SS. Prosperi Aquitani, & Honorati Massiliensis Romæ 1732., & Norisius Lib. II. *Hist. Pelag.* c. 14. Sed multo magis ferulam meretur Ruardus Tapperus, cui visum est, Prosperum, & Hilarium ad Augustinum scripsisse, non ut illum ad pugnandum contra Semipelagianos excitarent, sed ut eum reprehenderent. Vid. *exposit. art.* 7. *Lovan.*

(a) Præter septem Lib. contra Faustum supra memoratos alios tres edidit contra Fausti discipulos, qui inscribuntur *De Præd. & gratia*. Hic S. P. ut observavit Bossuetus *Def. de la trad.* Lib. V. c. 21., veluti alter August. habitus est, & quanta sit illius auctoritas, copiose declaravit Petrus Fogginius in præf. ad I. Tomum ejusd. Opp. *de gratia Dei* Romæ 1760. Non tamen inter Fulgentii opera enumerandus est tractatus unus *de præd.*, *& gratia*, quidquid Theophilus Raynaudus pro ejus authentia vindicanda conatus fuerit; continet enim doctrinam Augustino, plane oppositam. Vid. Ceillier *Des Auteurs Eccl.* Tom. XVI. c. 1. §. 20.

(b) Visum est Antonio Arnaldo in præfat. ad *Vindicias S. Thomæ de grat. suff.*, S. Thomæ contigisse, quod olim S. Augustino ejus magistro, ut nempe cum junior esset, in Semipelagianorum errorem incideret. Id eo verisimilius visum est Arnaldo, quod certe constet, S. Doctorem Cassiani *Collationes* Semipelagiana lue infectas, assidue pervolutasse, ut habetur in sexta lectione Breviarii in ejus festo. Sed P. Thomas Leonardi Ord. Præd. in suo opere *De Sententia S. Thomæ* &c. adv. Georgium Dorschæum Lib. III. cap. 10. p. 205. & seq. Arnaldum calumniæ postulavit, ostendens, S. Thomam ab hoc errore procul semper fuisse; quanquam negari non potest, eum in hac materia, sicut in nonnullis aliis, multo clarius, & accuratius disseruisse *in Summa Theologica*, quam in aliis operibus, quæ junior scripsit. Commentarii etiam ipsius in epistolas S. Pauli aliis ejusdem operibus præferri solent, ubi de gratia agitur.

sent, libertatem arbitrii avertentes, Catholicorum aliqui odio novarum hæresum, in oppositum Semipelagianismum deflectebant. Huic illius temporis calamitati pro viribus se opposuerunt inter ceteros magna illius ævi lumina Franc. Romæus (*de libertate operum, & necessitate gratiæ adv. Pseudo-philosophos Christianos*), & Petrus a Soto, uterque Dominicanæ familiæ (*a*); tum duo Cardinales doctissimi Contarenus, & Baronius (*b*).

102. Demum Lutherani ipsi, qui initio schismatis in Prædestinatianismum inciderant tollentes liberum arbitrium, postea mutato consilio in Semipelagianismum inclinarunt, nostris viribus salutis initium tribuentes (Vid. Bossuet VI. *Avertiss. aux Protest.* num. 56., & alias sæpe), Calvinistæ autem in duas partes scissi sunt; & quidam Arminio adhærentes purum, putumque Semipelagianismum revocarunt ab orco, qua etiam de causa in Synodo Dordrectana ann. 1618. a Gomaristis rigidis Calvini discipulis condemnati sunt (*c*).

CAPUT XI.

Ostenditur, Semipelagianos agnovisse necessitatem alicujus interioris gratiæ ad initium fidei.

103. Perdifficilem, & obscuram quæstionem ingredior, quæ tamen nedum ad historiam errorum circa gratiam, ut par est, cognoscendam pertinet, sed etiam multam lucem illis afferre potest, quæ deinceps de gratiæ efficacia disputaturi sumus. Ex hoc enim multo clarius apparebit, cujusmodi esset ea gratia, cujus necessitatem S. Augustinus contra Semipelagianos vindicabat. Porro qui Molinæ placitis adhærent, omni sacramento contendunt, Semipelagianos quoscumque nullam omnino gratiam ad primum fidei initium necessariam agnovisse; verentur enim, ne si contrarium suis adversariis concesserint, aut vix, aut nullatenus possit eorum sententia a damnatis Semipelagianorum erroribus separari; quod semper fuit illis exprobatum. Fatendum est tamen, non paucos, nec ignobiles Thomistas id ipsum de Semipelagianis sentire (inter alios Nat. Alex. Diss. IV. in sæc. V.).

104. Alii vero Theologi, & multi, & graves opinantur, nullos saltem inter Semipelagianos (non enim omnes inter se omnino consentiebant, ut ex epistolis SS. Prosperi, & Hilarii perspicue constat) alicujus interioris gratiæ necessitatem agnovisse, etiam ad initium fidei; sed in eo fuisse nihilominus a SS. Prospero, Hilario, & Augustino reprehensos, condemnatos vero a Synodo Arausicana, quod respectu fidei initialis non veram illam gratiam admitterent, quæ ipsum bonum voluntatis motum, sed ipsum credulitatis actum operatur, sed gratiam dumtaxat intellectus proponentem id, quod bonum est, non autem persuadentem, & inclinantem voluntatem; seu gratiam, quæ dici solet *versatilis*, & a voluntatis nutu pendula, quia voluntatem non infallibiliter inclinat, & movet, sed eam in sua indifferentia relinquit, ut videlicet pro sua libertate ei consentiat, vel dissentiat (*d*).

PRO-

(*a*) Si quis noscere cupit, qualis, & quantus esset Petrus a Soto, a Card. Othone Truchses ad Dillinganam Academiam vocatus, videat ejus apologiam conscriptam a Card. Orsio contra Jo. Baptistam Duchesne, qui ipsum quasi Jansenismi ova posuerit, accusare non est veritus. Legens autem ejusdem Soto epistolas ad Ruardum Tapperum, quæ prostant ad calcem operis Antonini Reginaldi *de mente Concilii Trid.* facile cognoscet, quantum Theologus ille non minus pietate, quam doctrina insignis, doluerit, sententiam S. Augustini de concordia gratiæ, & liberi arbitrii, a Conciliis, Romanisque Pontificibus toties probatam supprimi, & obscurari per eos ipsos, qui maxime, & se putabant, & putabantur ab aliis Catholicam fidem contra exortas hæreses tueri. Obiit autem Petrus a Soto an. 1563.

(*b*) Card. Contarenus in Lib. *De præd.* p. 610. *Exorti quidam sunt*, ajebat, *qui se Lutheranorum hostes, atque adversarios, Catholicæque veritatis patronos esse profitentur, qui cum pertinaciter arbitrii libertatem asserere volunt, hominem paullatim extollunt, divinam gratiam deprimunt, ipsi ex Catholicis Pelagianos se faciunt* &c. Baronius vero ad an. 490. num. 36. *Videant*, inquit, *cum quanto periculo quidam ex recentioribus, dum im novatores insurgunt; ut eos confutent, a S. Augustini sententia de prædestinatione recedunt.* Bossuetus autem *Defense de la Tradition & des Saints Peres* Lib. VI. cap. 19. hæc Baronii verba expendens, ita subdit: *Les perils son ceux de tomber dans l'hércsie Semipelagienne, comme il est arrivé presqu'à tous ceux, qui sont volontairement écartés des sentimens de S. Augustin. Nous en verrons dans la suite des grands exemples.* Longum catalogum exhibere facile possemus eorum, qui Semipelagianismi labe polluti fuere. Eminet inter alios Richardus Simonius, de cujus erroribus plura habet Bossuetus in Opere mox laud. P. II. Lib. I.

(*c*) Refragatur Petavius *De Hær. Pel.* cap. 10., sed satis sit hac de re legere Bossuetum Lib. XIV. *de Variationibus Eccl. Protest.* §. 17. & seq., ubi ostendit Arminium *errores* Gomaristarum aliis contrariis *erroribus* oppugnasse, Pelagianis appropinquasse, & quod pejus est, etiam Socinianismi fuisse merito suspectum. Sociniani autem arcana gratiæ, ac prædestinationis mysteria una cum aliis aperte rejiciunt.

(*d*) Ita sentiunt Consentonius in *Theolog. mentis & cordis* Lib. VIII. Disput. 3. *De Semip. quæres* primo, Antonius Goudin P. II. *de Gratia* qu. I. art. 11., Serry in *Hist. Congregat. de aux.* Lib. V. Sect. VI. c. 3., & *Prælect. VI. de quarta Jansenii proposit.*, Billuart Tom. VI. Disput. I. art. 2. §. 2. Fulgentius Bellelli in opere, cui titulus: *Mens D. Augustini* Lib. II. *De creat. ration.* cap. 20., & in alio *De modo reparationis post lapsum* Lib. II. cap. 4., Salmanticenses *Disput. I. Proœm. de Gratia* cap. 9. §. 3., Franc. Macedo opusc., cui titulus *Mens divinitus inspirata Innoc. X.* art. 5. Seraph. Piceinardus *De Approbat. Doctr. S. Thomæ* Lib. V. q. 3. art. 3. §. 6., Vinc. Baronius *De vera, & unica mente SS. Augustini, & Thomæ* Disp. II. Sect. 2. §. 3., Gummarus Huygens

PROPOSITIO.

Probabilius videtur, Semipelagianos ad initium bonorum operum, atque etiam ad initium fidei, admisisse necessitatem alicujus gratiæ interioris.

105. Et primo quidem id clare indicare videtur S. Prosper, cum in epist. ad S. Augustinum Massiliensium systema exponens: *hæc ipsorum*, inquit, *definitio*, *atque professio est...*, *omnem hominem ad credendum*, *& ad operandum divinis institutionibus admoneri;* id autem professos fuisse Semipelagianos non de externa, sed de interna admonitione, vel ex eo solum clare liquet, quod eam admonitionem omnibus hominibus communem esse docerent; externa autem admonitio, seu prædicatio Evangelii omnibus certe communis non est, cum multis hominibus desit.

106. Sed multo validius nostra propositio ex S. Augustino probatur, qui S. Prospero respondens observat, eadem prorsus ratione Semipelagianos errasse circa initium fidei; ac circa perseverantiam, cum in aliis recte, catholiceque sentirent. *Solum*, inquit (*de Don. Persev.* cap. 17.) *initium fidei*, *& usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate*, *ut Dei dona esse non putent; neque ad hæc habenda*, *atque retinenda Deum operari nostras cogitationes*, *& voluntates; cetera vero ipsum dare concedunt*, *cum ab illo impetrantur credentis fide;* atqui certo certius esse puto, Semipelagianos aliquam ad perseverandum gratiam admisisse, quamquam non eam admittebant, quam S. Augustinus, & Ecclesia Catholica exigebant: ergo &c. Minorem duobus argumentis evinco. *Primo*, Hilario referente (in epist. ad S. Aug. n. 6.), Semipelagiani fatebantur, Adamum aliqua gratia indiguisse ad perseverandum, *ut illum*, inquiebant, *adjuvaret gratia volentem*, *sine qua perseverare non poterat:* ergo multo magis ejusdem gratiæ necessitatem ad perseverandum fateri debuerunt in natura lapsa; nisi fingere velimus, eos adeo delirasse, ut post primævæ integritatis naufragium minorem gratiæ necessitatem agnoverint. 2. Id etiam aperte tradit S. Prosper, cum ex Semipelagianorum sententia ita loquitur: *Ut ob hoc Deus alios vasa honoris*, *alios contumeliæ fecerit*, *quia finem uniuscujusque prœviderit*, *& sub ipso gratiæ adjutorio*, *in qua futurus esset voluntate præscierit*. Et manifeste docent, perseverantiam esse a voluntate, sed sub ipso gratiæ adjutorio. Et iterum: *Qui autem credituri sunt*, *quique in ea fide*, *quæ deinceps per Dei gratiam sit adjuvanda*, *mansuri sunt; præscisse ante mundi constitutionem Deum*, *& eos prædestinasse in regnum suum*. Cassianus etiam hoc *ad Dei munera pertinere*, ajebat (Collat. XIII. c. 18.), *ut acquisitæ virtutis perseverantia teneatur*, *sed ita*, *ut captivitatem libertas addicta non sentiat*. Nihil clarius desiderari potest, ad demonstrandum, Semipelagianos non exclusisse cujuscumque gratiæ necessitatem ad perseverandum; unde consequens est &c.

107. Neque vero vim nostris argumentis tollit illa aliquorum responsio, Semipelagianos ideo solum fuisse a S. Augustino convictos, quod perseverantiam donum Dei esse negarent, quia ad illam habendam non admittebant gratiam pure gratuitam, sed quæ præcedentibus meritis redderetur. Nam primo, si ex hoc dumtaxat S. Augustinus collegisset, perseverantiam ad Semipelagianorum mentem non esse donum Dei, quia gratia perseverandi esset præcedentibus meritis reddita; pari ratione debuisset etiam inferre, in eorum sensu cetera bona opera non esse dona Dei, quia & hæc Semipelagiani fieri dicebant per gratiam bonis liberi arbitrii conatibus, & desideriis promeritam; at vero S. Augustinus laudato loco aperte ait: *Cetera vero* (bona opera) *ipsum* (Deum) *dare contendunt;* eo igitur sensu dumtaxat Semipelagiani negabant perseverantiam, atque initium fidei esse dona Dei, quia ad hæc duo admittebant quidem aliquam gratiam, sed non illam, quæ *operatur nostras cogitationes*, *& voluntates*.

108. Præterea id ipsum clare indicat S. Hilarius inquiens n. 4. *Quod autem dicit Sanctitas Tua*, *neminem perseverare*, *nisi perseverandi virtute percepta*, *hactenus accipiunt*, *ut quibus datur*, *inerti licet*, *præcedenti tamen propter arbitrio tribuatur*, *quod ad hoc tantum liberum; ut velit*, *vel nolit admittere medicinam*. Quid clarius? In eo liberum arbitrium præcedebat gratiam, quod ex suis viribus ei resisteret, vel obtemperaret.

109. Prob. demum propositio nostra ratione. Nonnisi duo Semipelagianos impellere poterant ad negandam necessitatem gratiæ ad initium fidei. Primum quod ea admissa, nulla amplius reddi poterat ratio, cur aliqui, & non omnes, cur illi potius, quam alii crederent, neque enim audire volebant, id ex beneplacito voluntatis divinæ pendere, quia, inquiebant, Deus non est personarum acceptor, neque injustus gratiæ distributor. Alterum vero, ne si gratia omnem omnino bonam voluntatem præcedat, ejusque causa sit, actum sit de nostra libertate. Atqui hæc duo eorum principia sarta, tectaque remanebant, etiam admissa aliqua interiori gratia ad ipsum fidei initium, dummodo hæc o-

in Thesibus an. 1683. concl. 4., Laurentius Berti Lib. XV. *De Theol. Disc.* c. 5., P. Viator a Coccaleo ex Cappucinorum familia adnot. 19. in S. Prosperum, & novissime P. Nic. Augustinus Chignoli Ord. Præd. in Taurinensi Universitate Professor S. Theol. emeritus in *Prælect. IV. de Gratia* P. I. n. 6.; quamvis hi omnes inter se paullulum dissentire videantur in determinanda illa gratia, quam Semipelagianos ad initium fidei admisisse arbitrantur.

omnibus hominibus indifferenter a Deo dispensaretur, & a nutu nostræ voluntatis arbitrioque penderet. Quilibet enim non omnino cæcus facile videt, in hac hypothesi totum inter credentes, & non credentes discrimen non a Deo, qui æqualiter omnibus gratiæ suæ dona distribuit, sed ab humanæ libertatis arbitrio oriri, & insuper nemo unquam somniavit, gratiam, quæ non operatur libertatem vel minimum lædere: nihil erat igitur, quod posset Semipelagianos attento ipsorum systemate ad negandam necessitatem alicujus gratiæ interioris ad initium fidei ullatenus permovere, adeoque &c.

110. Obj. I. Nihil in Epist. SS. Prosperi, & Hilarii, nihil in duobus S. Augustini libris *de Præd. SS.*, *& de dono persev.*; quos hac occasione conscripsit, frequentius occurrit, quam Semipelagianos docuisse, *fidem non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare dona Dei, quibus pie vivamus: eos, qui sponte crediderint, gratiam merito credulitatis accipere: initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo esse, qui salvat*. Et hujus generis similia etiam apud Cassianum, Faustum Rejensem, Vitalem Carthaginensem, ipsumque Augustinum, dum in Semipelagiano errore versaretur, passim inveniuntur (*a*), quibus luculenter efficitur &c.

111. Confirmatur. Quinam fuerint Semipelagianorum errores, nemo melius cognoscere potuit, quam Patres Arausicani, qui damnarunt; atqui isti in canonibus V. & VIII. expresse definierunt, initium fidei, & purum credulitatis affectum in nobis esse per gratiæ donum, eosque damnarunt, qui dixerant, hæc in nobis naturaliter inesse: ergo pro certo habuerunt, talem esse Semipelagianorum errorem; aliter aerem frustra verberassent.

112. Resp. Dist. Ant. Semipelag. dicebant, *fidem non esse donum Dei &c.*, eo quod omnem Dei gratiam excluderent, *nego*; eo quod non admitterent eam gratiam, quæ proprie operaretur solum, ipsumque primum credulitatis affectum &c., *concedo*. Cum Semipelagiani ad primum salutis initium nonnisi eam gratiam admitterent, qua proponitur quidem bonum, & suadetur, non autem & persuadetur; seu quæ resistentiam voluntatis non vincit, & quæ propterea *versatilis* non incongrue appellari solet, quia consensum a nostra voluntate expectat, non autem ipsam voluntatis inclinationem, & flexum operatur, ideo jure, meritoque a S. Augustino, ejusque discipulis reprehendebantur, quod initium salutis a nostro libero arbitrio repeterent; tum quia primum salutis initium proprie dicitur gratiæ consensus, quem a nobis esse ex eorum systemate consequebatur; tum quia posita gratia omnibus indifferenter tributa, tota electorum discretio a reprobis ab hominum voluntate unice suspendebatur. Hoc sensu, & non alio fuisse Semipelagianos reprehensos, quo gratiam prævenientem negarent ad initium salutis, & ex argumentis superius allatis evincitur, & etiam clare indicat S. Prosper his verbis (epist. ad S. Augustin. n. 5.). *Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas de ea secundum suam phantasiam; non negant esse præventas*. Ubi luculenter duo dicit, nempe Semipelagianos admisisse gratiam prævenientem *secundum suam phantasiam*; quia scilicet id verbis profitebantur; & non admisisse reipsa, quia talem gratiam prædicabant, quæ a voluntate penderet, non qua sibi subjiceret voluntatem (*b*). Id etiam apertius explicabat Vitalis Carthaginensis, quando Semipelagianis præludens ajebat, *consentire, vel non consentire, ita nostrum esse, ut si velimus, sint; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus* (apud S. Aug. epist. 217. n. 1.).

113. Ad confirm. eadem est responsio, & quidem Synodus Arausicana clare indicat, qualem gratiam ad initium fidei exigeret, scilicet, quæ per *inspirationem Spiritus Sancti corrigat voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem*. Ita canone V., & canone VII. eam gratiam, quæ consistit in *illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, quæ dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati*. Quia hanc gratiam Semipelagiani non confitebantur, pro hæreticis habiti sunt.

114. Dices. Si ita res se habet, Semipelagianis consentient quotquot gratiam infallibiliter efficacem non admittunt; immo erunt isti Semipela-
gia-

(*a*) Videri possunt hæc testimonia fusius relata ap. Nat. Alexandrum Diss. IV. in Sæc. V.

(*b*) Nescio qua probabilitate aliqui dicant, Prosperum hic loqui de parvulis, quorum voluntatibus Semipelagiani eatenus gratiam subdebant, quatenus eam iis dari comminiscebantur, ex meritis operum, quæ facturi fuissent, si adultam attigissent ætatem. Quomodo enim parvulis illa verba adaptari poterunt: *gratiam Dei quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum &c*? Ea omnino quadrant adultis, respectu quorum dicebant gratiam Dei esse *comitem, non præviam*; utpote quæ cum iis cooperabatur ad meritum; nullo autem modo in parvulos cadere possunt. Nec vero ullum facessit negotium, quod S. Prosper in toto contextu de parvulis loquatur: quid enim impedit, quod ibidem ad gratiam etiam adultorum sæpius redeat, qui præcipuus erat ipsius scopus? Et si de solis parvulis loquebatur, frustra S. Prosper objecisset Semipelagianis incogitantiam, cum non *considerabant* se reipsa gratiam subdere etiam iis voluntatibus, quas tamen non negabant ab eadem gratia esse præventas. An fortasse poterant non advertere, se gratiam subdere voluntatibus infantium, dum dicebant illos eamdem gratiam promeruisse operibus, quæ in grandiori ætate facturi erant? Contra vero de adultis recte fluit oratio, respectu quorum gratia erat *comes*, cooperando; erat vero *subdita* voluntati, cujus consensum expectabat, non faciebat; & poterat etiam dici *secundum phantasiam Semipelagianorum* præveniens, quatenus præveniebat vocando. Verum si in hoc textu Sanct. Prosperi vim facere nolimus, alia supersunt nostræ assertionis fundamenta.

gianis pejores, quia Semipelagiani nonnisi ad primum fidei, & salutis initium gratiam versatilem requirebant, ad operis autem, & salutis consummationem gratiam efficacem, & actionis fatebantur; atqui nemo hoc dixerit, cum Summorum Pontificum auctoritate vetitum sit, hæreseos notam Molinianæ Scholæ inurere, ergo &c.

115. R. *Dist. maj.* Si qui negant gratiam infallibiliter efficacem, faterentur, primum fidei, aut boni operis initium a sola liberi arbitrii naturali facultate prodire, ut Semipelagiani fatebantur, *conc.;* si contendant etiam in eorum systemate id salvari, quod Ecclesia definivit, nempe ipsum consensum gratiæ, seu primum bonæ voluntatis initium esse donum Dei, & opus gratiæ, *nego maj.* saltem quoad Ecclesia hujus causæ judex aliquid pronunciaverit. Cardo itaque magnæ illius controversiæ, quæ a duobus quasi sæculis nobis cum Molinistis est, in hoc præcise versatur: an explosa gratia per se, & ab intrinseco efficaci, solaque gratia versatili admissa, sartum tectumque maneat, quod Synodus Arausicana post S. Augustin. definivit, ipsum primum nostræ voluntatis motum in bonum esse effectum, & opus gratiæ. Negabant hoc Semipelagiani; adeoque condemnari meruerunt. Contra vero affirmant Molinistæ, adeoque putant se a Semipelagiana pravitate procul abesse; recte autem necne, sub judice lis est. Tueantur ipsi, si possunt, fines suos: nos autem eos, quos Summi Pontifices præscripserunt, ut obedientes filii, numquam, Deo dante, transgrediemur: neque tamen Ecclesiæ definitionem nos prævenire putamus, non studio partium, sed de dogmatum puritate solliciti, omnibus nervis conamur ostendere, admissa sola gratia versatili, initium boni operis a nobis naturaliter oriri. Sed de his infra copiosius.

116. Obj. 2. Certum est, Semipelagianos distinxisse inter opera bona, & desiderium salutis, sed pium credulitatis affectum. *Neque enim*, ut Hilarius habet epist. ad S. Aug. n. 2.: *alicui operi curationis eorum adnumerandum putabant*, *exterrita*, *&* *supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari;* atqui si etiam ad fidei initium, & desiderium salutis gratiam esse necessariam putassent, nullum fuisset hujusmodi discrimen ergo &c.

117. Resp. Neg. min., & in eo positum erat magnum discrimen, quod ad opera bona veram Dei gratiam voluntatis, & actionis necessariam esse cum Catholicis prædicabant, contra vero ad initium fidei, & salutis aliquam Dei gratiam quidem confitebantur, sed non veram, sed non eam, quam S. August., & Ecclesia Catholica postulabant, quæ scilicet operaretur in nobis ipsum velle, & desiderare salutem. Id claris verbis, ni fallor S. Augustinus insinuat *de don. persev.* c. 17. dicens: *Solum initium fidei &c.* (Vid. supra num. 106.).

118. Inst. I. S. August. ita Semipelagianos refellit, ut plane innuat, eos putasse ad fidei initium solam sufficere naturam, quacumque gratia semota; probat enim contra eos (*de Præd. SS.* cap. 5.), ideo gratiam requiri ad fidem, quia fidelis debet ab infideli per gratiam discerni, non per naturam, quæ fidelibus, & infidelibus communis est: hoc autem S. Patris argumentum elumbe foret, si alicujus interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei Semipelagiani admisissent: ergo &c. Secundo mirabile etiam videri deberet, S. Aug. nullibi mentionem fecisse istius gratiæ interioris prævenientis, si eam Semipelagiani ad initum fidei admisissent. Qui eam Pelagius saltem verbis, & aliquo sensu fatebatur, sæpius hoc S. Doctor commemoravit: ergo etiam &c.

119. Ad 1. resp. *dist. min.* Si Semipelagiani hanc gratiam interiorem omnibus communem esse voluissent, non secus ac naturam, *nego* aliter, *conc.* Cum itaque Semipelagiani interiorem gratiam versatilem ad fidei, & salutis initium omnibus æqualiter a Deo dispensari comminiscerentur, rectissime, & fortissime S. August. colligebat, fidelem ad infideli non gratia, quæ utrique communis erat, sed voluntate discerni, eosque propterea ibidem adigebat; ut gratiam confiterentur, non qualemcumque, sed peculiarem, *quæ bonos discernit a malis, non quæ communis est bonis, & malis.*

120. Ad 2. resp. S. Aug., si non expressam, saltem implicitam, & claram mentionem fecisse alicujus gratiæ interioris ad initium fidei, quando scilicet *de dono persever.* cap. 17. dicit, eodem modo errasse Semipelagianos circa initium fidei, ac circa perseverantiam; at vero, ut probatum est ex ipso S. Augustino, Semipelagiani ad perseverantiam alicujus gratiæ necessitatem fatebantur. Id etiam innuit S. Doctor in epist. ad Vitalem 217. al. 107. cap. 5. n. 17. inquiens: *Ita inter nos agitur de Dei gratia quæstio, utrum præcedat gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius loquar: utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam etiam hoc Deus efficiat, ut velimus.*

121. Quod autem expresse hujus gratiæ non meminerit, instabilis videri non debet, quia de ea S. Doctor minime sollicitus erat, & millies jam contra Pelagium declaraverat, eam esse gratiam confitendam, quæ *non solum mentis illustrationes, sed etiam bonas voluntates operatur in nobis, per inspirationem luminosissimæ, & flagrantissimæ charitatis.* Quare autem gratiæ versatilis, & imperfectæ meminerit cum Pelagio disputans, hæc potest inter alias esse causa, quod ille versutus, & callidus hoc specioso gratiæ nomine fucum facere imperitis conabatur; unde ejus insidiæ ab Augustino detegendæ erant & propalandæ. Contra autem Semipelagiani acutiores quidem, sed minus dolosi, aperte fatebantur, talem esse gratiam a se admissam, ut quamquam prævenirent voluntatem, ejus tamen consensum non efficeret; unde conse-

que-

quebatur, consensum gratiæ, seu initium fidei, & salutis, non a gratia, quæ indifferens erat, sed ab hominis voluntate consentiente esse desumendum. Hinc Sanct. Prosper dicebat, voluntates hominum, non reipsa, *secundum phantasiam* Semipelagianorum esse a gratia præventas (Vid. Sup. n. 112.).

122. Obj. 3. S. Prosper ita Massiliensium opinionem exponit (epist. ad Augustin. n. 4.) ,, *Putant*, ad conditionem hanc uniuscujusque hominis pertinere .... ut per discretionem boni, ac mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem; atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando; ut ideo quis accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire ". Porro gratia Creatoris in Semipelagianorum phrasi nihil erat aliud, quam liberum arbitrium: ergo &c. Præterea idem S. Prosper (*contra Collat.* c. 3.), Cassianum redarguit, quod cum antea dixisset, *non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium*, postea a vera sententia recedens, *ipse laudabiles motus, appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adscribat arbitrii:* ergo &c.

123. Resp. Ad 1. Putant aliqui hanc fuisse quorumdam duntaxat, qui Pelagio propius accedebant, non communem omnium Semipelagianorum perversitatem, quod etiam videtur ibidem S. Prosper indicare, dicens: *Quidam vero bonum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut ... ad hanc conditionem &c.* (a). Mihi tamen multo probabilius est, S. Prosperi verba ita explicanda esse, ut homo dicatur naturali sua facultate petere, quærere, pulsare, quia nativis arbitrii viribus gratiæ ad id excitanti consentit, & cooperatur (Vid. P. Berti Lib. XV. *de Theol. disc.* cap. 5.).

124. Ad 2. resp. eodem modo hæc dicta esse, scilicet non per remotionem cujuscumque gratiæ, etiam versatilis, sed per remotionem illius dumtaxat, pro qua S. Prosper simul cum Augustino, totaque Ecclesia pugnabat, quæ nempe, ut verbis utar ejusdem S. Prosperi eodem loco, *ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat*. Recte autem S. Prosper Cassianum contradictionis accusat, quia reipsa sibi contradicebant Semipelagiani, admittentes simul gratiam prævenire nostras voluntates, & nostras voluntates gratiam per se indifferentem inflectere, & determinare per bonum usum liberi arbitrii; unde alibi dicebat gratiam illam prævenientem esse non in se, & reipsa, sed *secundum eorum phantasiam*.

125. Et ut magis etiam pateat, quænam fuerit Cassiani, ejusque similium mens, attendenda sunt quæ S. Prosper inferius affert, ubi Cassiani opinionem his ejusdem verbis exponit (cap. 13.). *Inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta. Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire* (hæc habet Cassianus Collat. XIII. cap. 12). Nempe Cassianus cum aliis Semipelagianis existimabat, ea virtutum semina, quæ Creator Adamo inseruerat, adhuc post ejus peccatum superesse, quæ Dei opitulatione excitentur. In quo autem sita sit hæc Dei opitulatio, explicat ulterius Prosper ibidem, ut scilicet nihil sit aliud, quam *cohortatio, atque doctrina;* gratia interius illuminans, non autem voluntatem inflectens, & determinans. Ex quibus manifesta fit opinio Cassiani, putantis in nobis esse semina virtutum, quibus Deo interius vocanti respondere, & consentire possimus. Præcedit ergo gratia Dei vocans, & excitans, cui voluntas pro sua libertate consentit.

126. Obj. 4. S. Augustinus fatetur, *se olim similiter errasse*, ac postea errarunt Semipelagiani, scilicet putasse, *fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis* (*de Prædest. Sanct.* cap. 3.): quemadmodum ergo S. Aug. nullam aliquando agnovit gratiæ necessitatem ad credendum, ita Semipelagiani &c.

127. Resp. Eodem sensu S. August. dixisse, fidem non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, non per exclusionem cujuscumque gratiæ prævenientis, sed solum per exclusionem veræ gratiæ, quæ non solum intellectum illustraret, sed etiam voluntatem moveret, & inflecteret ad consensum. Et quidem ex multis operibus, quæ S. Doctor ante Episcopatum conscripsit, cum adhuc in errore teneretur, haud difficile esset ostendere, ipsum non omnem prorsus gratiæ necessitatem a fide exclusisse; sed ut rem pressius agamus, ex ipso illo loco nobis objecto possumus idipsum luculenter demostrare. Ita quippe subdit: ,, Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri .... nisi quia credere non possumus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar ". Quibus verbis ostendit, putasse fidem Dei gratia præveniri, sed quali? Quæ intellectum quidem præ-

(a) Quibus verbis videtur designare voluisse, minores alios fuisse Semipelagianos, eos nempe, quorum errores immediate antea n. 3. jam descripserat, scilicet dicentium, *omnem hominem ad credendum, & operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendendo vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni* (nempe gratiæ consensui) *remuneratio sit parata*.

præconio veritatis illustraret; non autem quæ consensum efficeret voluntatis.

128. Obj. ultim. Innocentius X., & Alexander VII. quartam Jansenii propositionem veluti *falsam*, *& hæreticam* proscripserunt, quæ talis est: „ Semipelagiani admittebant gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent; eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare ". Porro facile est cognoscere, censuram *falsitatis* cadere supra primam partem, quæ est historica; alteram vero *hæresis* supra secundam, quæ est dogmatica,

129. Resp. Multos reipsa hoc argumento vehementer turbari, sed frustra, ut puto; sententiam enim nostram nullo modo fuisse Apostolico fulmine tactam, vel ex eo solo luculentissime liquet, quod ubique in sinu Ecclesiæ, Pastoribus approbantibus, immo in ipso Christianæ reipublicæ centro sub oculis scilicet Summi Pontificis, nedum impune, sed laudabiliter a plerisque defendatur. Quis autem credat, ubique Pastores Ecclesiasticos, eorumque supremum Caput Roman. Pontificem, ita in utramque aurem dormitare, ut sententiam jam fulguritam palam adoptari, & defendi permitterent? Facto itaque tam solemni, & tam publico constat, sententiam nostram non fuisse ab Ecclesia proscriptam, cujus judicio, Deo auxiliante, usque ad mortem obtemperare parati sumus, & quod hic, & alibi scribimus, ea jubente, humiliter, ut par est, retractare. Et hoc ad argumenti solutionem satis esse arbitror.

130. Porro non una est Theologorum via, qua nostram sententiam extra Apostolici teli jactum positam esse putant. Aliqui primam illius propositionis partem historicam esse observant, & ad purum factum pertinere, de quo dijudicando Rom. Pontificem sollicitum minime fuisse credunt; unde inferunt, utramque censuram supra secundam partem cadere, quæ & falsa dici potest, & hæretica (*a*). Alii vero respondent, primam propositionis partem merito fuisse falsitatis censura affectam, quia Semipelagiani, quamquam aliquam gratiam ad initium fidei admittebant, veram tamen non admittebant, quæ scilicet ipsum voluntatis nutum operaretur (*b*). Alii alias responsiones tradunt.

131. Dices. In quo ergo Semipelagiani hæretici erant, si etiam ad initium fidei gratiam admittebant?

132. Responsio in promptu est, quia talem gratiam admittebant, sub qua fatebantur, primum fidei, & salutis initium a nostra voluntate, & libertate unice pendere, quæ pro nutu suo gratiam indifferenter omnibus distributam in bonum usum verteret. Unde etiam inferebant, discretionem salvandorum, non a divina misericordia, sed ab humana pendere volnutate, contra Apostolum: „ Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis "? Epist. ad Corinth. IV. 7. Et de his hactenus.

DISSERTATIO II.

De necessitate gratiæ ad opus bonum, tum perficiendum, tum incipiendum, contra Pelagianos, & Semipelagianos.

CAPUT I.

Præmittuntur quædam gratiæ actualis divisiones, & acceptiones.

1. Ut iis, quæ contra Pelagianos, Semipelagianosque dicturi sumus, major lux effulgeat, pauca de variis gratiæ Christi divisionibus & acceptionibus præmittenda sunt. S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 1. observat, primo aliam esse gratiam *gratum facientem*, per quam ipse homo Deo conjungitur; quo nomine quamquam proprie intelligitur gratia sanctificans, aliqua tamen ratione etiam omnia illa Dei auxilia continentur, quæ eo ordinata sunt, ut hominem Deo conjungant, quamvis effectus iste non semper obtineatur; aliam vero esse, quæ dicitur *gratis data*, per quam unus homo cooperatur alteri, ut ad Deum reducatur. Varia hujus gratiæ genera enumerat Apostolus, dicens I. Cor. XII. 7. & seq. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem* (scilicet aliorum): *alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ &c.* Et S. Petrus epist. I. c. IV. 10. *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes &c.*

2. Sed gratia actualis proprie dividitur primo in *excitantem*, *& adjuvantem*. Nomine gratiæ *excitantis* intelligitur auxilium Dei supernaturale excitans in homine quosdam indeliberatos motus, nempe pias cogitationes in voluntate ad bonum cognoscendum, & amandum. Hæc gratia solet a S. Litteris, sanctisque Patribus, a Conciliis appellari *vocatio*, *pulsatio*, *illuminatio*, *inspiratio &c.* quamvis nonnumquam iisdem nominibus utraque gratia excitans simul, & adjuvans comprehendatur.

(*a*) Ita inter alios multos vir doctrina, & pietate celebris P. Antonius Massulié in suo opere semel, & iterum Romæ vulgato, cui titulus *Sanctus Thomas sui interpres* &c. Tom. II. Dissert. IV. qu. 3. art. 7., Hyacinthus Serry Tom. I. *Prælec.* Dissert. IV. prælec. 7., & alii.

(*b*) Ita respondet pius, & doctus Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Libro VIII. Dissert. III. Hist. *quæres primo*. Vid. etiam P. Viator a Coccaleo adnot. 24. in Sanct. Prosperum, cujus altera editio facta est Brixianis typis anno 1762.

tur. Sed gratia hæc adjuvans, prout ab excitante distinguitur, est motio quædam Dei virtuosa, quæ voluntatem efficaciter movet, inclinat, & *physice*, (hoc est reipsa, non *moraliter* tantum, & *metaphorice*) ad libere consentiendum Dei vocationi determinat.

3. Disputari solet inter ipsos Thomistas, an duæ istæ gratiæ reipsa inter se distinguantur, an vero solum *formaliter*, seu diversis muniis, atque officiis tantummodo. Verum, ut recte monet doctissimus P. Lemos in *Panoplia gratiæ* Lib. IV. Tract. VII. P. I. c. 17. n. 264. *Quæstio hæc est metaphysica, nihil ad dogma pertinens*. Gratia excitans movet solum moraliter, suadens, & invitans. Adjuvans vero movet physice voluntatem. Utraque præveniens est: unde Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 5. declaravit: „ Justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur “. Et S. Augustinus in Lib. II. *de peccat. merit. & remiss.* cap. 18. inquiebat: *Quod ad Deum non convertimur, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus;* ac denique S. Bernardus *de grat. & lib. arb.* cap. *Conatus*, inquit, *liberi arbitrii, & cassi sunt, si non adjuventur, & nulli sunt, si non excitentur*. Sed de his omnibus dignus est, qui consulatur laud. mox sapientissimus Lemos c. 17. & seq.

4. Altera gratiæ divisio, ut docet S. Thomas (ibid. art. 2.), est *in operantem, & cooperantem*, quam divisionem Angelicus ex magistro suo Augustino deprompsit (*de grat. & lib. arbitr.* cap. 17.) inquiente: „ Deus cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus *Philipp. I.* 6.: certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus “. Ut autem ibidem S. Thomas explicat, cum Deus movet voluntatem ad primam volitionem boni, dicitur gratia operans; cum vero Deus non adjuvat, confirmando voluntatem, ut ad exteriorem actum perveniat, dicitur gratia cooperans (Vid. Estius in Lib. II. *Sentent.* Dist. 26. §. 7.).

5. Sed circa gratiam operantem animadvertenda sunt verba S. Augustini dicentis: „ Ut velimus, Deus sine nobis operatur: *cui concinit S. Thomas dicens:* In illo effectu, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & movet, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ: & secundum hoc dicitur gratia cooperans. Est autem in nobis duplex actus, primus quidem interior voluntatis, & quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, & præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans “. Hæc inquam verba animadversione digna sunt; neque enim putandum est, in effectu gratiæ pure operantis voluntatem nihil omnino agere, & instar inanimi trunci se habere, ut quidam minus recte interpretati sunt (Nicol. Petitpied *Traité de la lib.* plur. in locis, & nonnulli Scholastici); sed hoc tantum significatur, gratiam operari in nobis sine prævio aliquo voluntatis motu quo ad volendum bonum petendo, desiderando, aut aliquo alio modo conemur, aut disponamur. Reipsa videmus aliquando gratiam operari bonum voluntatis initium, in reluctante, & averso: quemadmodum in Sancti Pauli conversione contigit. Unde S. August. (*Enchir.* cap. 32.) *gratia Dei*, inquit, *nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit:* & Sanct. Thomas (ib. ad 2.) *ille motus*, inquit, (liberi arbitrii) *non est causa gratiæ, sed effectus, unde tota operatio pertinet ad gratiam* (*a*).

6. Angelicus Doctor (ib. art. 3.) aliam tradit gratiæ divisionem in *prævenientem, & subsequentem;* quæ eruitur ex sacris litteris dicentibus Ps. LVIII. *Misericordia ejus præveniet me*, & iterum Ps. XXII. *Misericordia tua subsequetur me*. Porro gratia præveniens dici potest, vel tempore, si nempe sumatur pro voluntate Dei, quæ ab æterno homini sua beneficia præparavit, & hoc modo considerata vocari solet *gratia increata;* vel sola causalitate, si videlicet sumatur pro illa Dei motione, quæ nos ad bene operandum determinat. Et quidem hoc postremo sensu communiter dici solet gratia præveniens. Unde S. August. (*Enchir.* c.

(*a*) *V. la seconde lettre d'un Theol. à l'editeur des Oeuvr. Posth. de M. de Petitpied*, & P. Lemos in *Panopl. grat.* Tomo IV. Lib. IV. P. I. tract. 8. cap. 3. pag. 267. seq., ubi copiose id totum explicat, præcipue ex verbis, quæ S. Præceptor habet in II. *Sentent.* Dist. 26. art. 5. ad 3., ubi explicans, quomodo actus liber, cum fiat a libero arbitrio, possit esse effectus gratiæ operantis: *verum est*, inquit, *quod ipse motum voluntatis non est a gratia sine libero arbitrio, & tamen quia se habet gratia, ut principale: quia inclinat in talem actum per modum cujusdam naturæ ideo ipsa sola talem actum dicitur operari: non quod sine libero arbitrio operetur, sed quia est principalior causa, sicut gravitas dicitur operari motum deorsum*.

c. 32.) *Gratia Dei*, inquit, *nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit*. Et Ecclesia in suis orationibus id frequenter a Deo postulat, ut cum dicit: *Actiones nostras aspirando præveni, & adjuvando prosequere*.

7. Dici etiam potest sensu quondam magis generali gratia prior, seu præveniens secundum diversos effectus, quorum unus est altero posterior. „ Sunt autem, *ut S. Thom. notat*, quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus est, ut ad gloriam perveniat: & ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus &c. *Quod etiam ante ipsum S. August. notavit* (de natura, & gratia *cap.* 5.), *ubi inquit*; prævenit, ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur. Prævenit, ut pie vivamus. subsequitur, ut cum illo semper vivamus ". Ceterum respectu nostrum proprie potest omnis gratia vocari præveniens, quia quidquid in nobis boni est ab initio usque in finem, Dei munere venit. Unde Apostolus (I. Cor. IV. 7.) *Quid habes, quod non accepisti?*

8. Denique celebris est divisio gratiæ in efficacem, qua nempe homo infallibiliter bonum operatur; & sufficientem, qua homo instructus bonum quidem operari potest, non tamen reipsa operatur; sed hæc gratiæ divisio uberem dicendi materiam nobis inferius suppeditabit. De his, aliisque gratiæ divisionibus copiose pro more suo agit Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Lib. IV. Part. I. tract. 7. & 8.

CAPUT II.

Demonstratur gratiæ Christi necessitas, tum ad bene operandum, tum etiam ad credendum, adversus Pelagianos, & Semipelagianos.

9. Prænotandum est, nos hic loqui solum de operibus bonis ordinis supernaturalis, cujusmodi sunt justorum opera meritoria vitæ æternæ, & quædam etiam bona peccatorum opera, præcipue quando ad conversionem disponuntur. Hujusmodi opera bona dici etiam solent opera *salutaria*, quæque ad pietatem, & salutem æternam pertinent. Non autem sermo hic est de operibus bonis mere naturalibus, quæ etiam sine ulla gratia fieri posse, inferius ostendemus.

PROPOSITIO I.

Ad initium, progressum, & consummationem boni operis salutaris necessaria est Christi gratia.

10. Prob. I. ex Sacris Litteris, quæ omnia opera nostra Deo tribuunt. Ps. LXXVI. *Dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi*. Is. XXVI. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine;* quod quamquam de omnibus operibus generatim dictum est, potiori tamen jure de operibus salutaribus intelligi debet, quæ specialiter opus Dei sunt. Rom. IX. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. In epistola S. Jacobi I. 17. *Omne donum perfectum desursum est;* & infinita hujusmodi occurrunt, ut plane non solum ingratus, sed Scripturis omnibus contrarius esse debeat, qui omnia, quæ habet, bona usque ad ultimam, ut ita dicam, fibram, Deo in acceptis non referat.

11. Invictissimum est etiam illud argumentum, quod Apostolus Paulus suppeditat dicens I. Corinth. IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Atqui si vel initium, vel progressus, vel consummatio operis nobis esset, jam aliquid haberemus a Deo non acceptum, & de quo proinde possemus gloriari: ergo &c. Unde & Sanct. Martyr. Cyprianus (Lib. III. *Testimoniorum ad Quirinum* c. 4. ap. S. Aug. *de Præd. Sanct.* c. 4.) inferebat, *in nullo nobis esse gloriandum, quoniam nostrum nihil sit*. Accedit etiam antiqua Ecclesiæ traditio, quam recte S. Augustinus ex communibus fidelium precibus colligebat; non enim, ut sæpius Pelagianis objiciebat, hæc poscerentur a Deo, nisi ab illo donaretur, ut fierent (a).

12. Ex his patet, quam merito Pelagii hæresis fuerit tum in Synodo Diospolitana, tum in pluribus Africanis, tum a Summis Pontificibus Innocentio, & Zosimo, utpote contraria luculentissimis Scripturæ, & Patrum testimoniis, orationis, & gratiarum actionis necessitatem evertens, ac denique diabolicam superbiam in nobis & excitans, & fovens, unanimi Ecclesiæ consensu damnata. Quæ etiam condemnatio fuit in Concilio Trident. verbis confirmata Sess. VI. Can. 2. „ Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, & difficulter possit, anathema sit ".

PRO-

(a) Vid. potissimum epist. S. August. ad Vitalem 217. al. 107. Cæterum si quis Sanctorum Patrum testimonia legere cupit, adeat inter alios Nat. Alexandrum Dissert. XII. in Sec. V., Hyac. Serry in *Augustino vindicato* cap. 20. & seq., & pro Patribus Ecclesiæ Græcæ Franc. Hallerium in sua *Theologia Græcorum vindicata circa universam materiam gratiæ* cap. 8.

PROPOSITIO II.

Fides salutaris, ejusque initium; immo ipsi primi credulitatis affectus sunt dona gratiæ, contra errorem Semipelagianorum.

13. Hæc propositio iisdem momentis, quibus superior demonstrari potest. Sed præterea Christus Dominus Joann. cap. IV. 29. inquit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille;* & ver. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quæ verba spectare peculiariter ad fidem, quam nemo habere potest sine gratia, ipse Christus Dominus ibidem declarat dicens vers. 65. „ Sed sunt quidam ex „ vobis, qui non credunt ---- propterea dixi vo- „ bis, quia nemo potest venire ad me, nisi fue- „ rit ei datum a Patre meo. *Ulterius idem Salvator noster apud Matth. XI.* 25. „ Confiteor, „ *inquit*, tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia „ abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, „ & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic „ fuit placitum ante te ---- & nemo novit filium, „ nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi fi- „ lius, & cui voluerit filius revelare ". Quæ verba manifeste dicta sunt de revelatione interna, & de ea gratia, quæ ad assentiendum mysteriis fidei nos movet; nam revelatio externa nedum parvulis, idest rudibus, sed etiam, immo multo magis sapientibus facta fuerat.

14. Ulterius Apostolus Paulus Ephes. II. 8. Gra- „ tia, *inquit*, estis salvati per fidem, & hoc non „ ex vobis, Dei enim donum est. *Et ad Phil.* „ *I.* 29. Vobis donatum est pro Christo, non so- „ lum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini; *quibus verbis inquit S. Augustin.* (de „ Præd. SS. cap. 2.) utrumque ostendit Dei do- „ num, quia utrumque dixit esse donatum; *&* 2. „ *Cor. III.* 5. Non quod sufficientes sumus cogi- „ tare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed suf- „ ficientia nostra ex Deo est. *Quo ex loco ita S.* „ *Aug. argumentatur* (de Prædest. SS. *cap.* 2.): „ Attendant hic, & verba ista perpendant, qui „ putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo „ esse fidei supplementum. Quis enim non videat, „ prius esse cogitare, quam credere? Nullus quip- „ pe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse cre- „ dendum ". Ac denique, ne omnia persequar in infinitum, huc etiam mirifice facit testimonium superius allatum (1. Corinth. 4.): „ Quid habes „ &c.; quo præcipue testimonio, *inquit S. August.* „ (de Præd. SS. *cap.* 3.), etiam ipse convictus „ sum, cum similiter errarem, putans fidem, „ qua in Deum credimus, non esse donum Dei, „ sed a nobis esse in nobis, & per illam nos im- „ petrare Dei dona, quibus temperanter, & ju- „ ste, & pie vivamus in hoc sæculo ".

15. Demum propositio nostra hac ratione probatur (ex S. Aug. *de Præd. SS.* c. 2.). Si fidei initium, vel aliquis pius credulitatis affectus, desiderium, aut cogitationes salutares essent in nobis sine gratia, jam aliquo modo ipsam gratiam promeremur; *quis enim dicat, eum, qui cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?* Hoc autem jam damnatum fuerat in Pelagio, quando scilicet, ne damnaretur ipse, damnavit in Synodo Palæstina hanc propositionem, *gratiam secundum merita nostra dari*.

16. Accedit & illud maxime absurdum, ut idem S. Doctor notavit, hominem quasi componere cum Deo: „ ut partem sibi vindicet, atque illi „ partem relinquat; & quod est elatius, primam „ tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo quod „ dicit esse amborum priorem se facit, posterio- „ rem Deum ".

17. Postremo cum fides, ejusque initium, vel desiderium sint prima nostræ salutis initia, si ad hæc gratia minime necessaria foret, sequeretur, falsam esse Apostoli sententiam dicentis Roman. XI. 35.: „ Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? „ quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum, „ & in ipso sunt omnia ".

18. Merito igitur perniciosissimus hic error fuit pluribus canonibus in Concilio Arausicano proscriptus, præcipue autem c. 5. his verbis: „ Si quis „ sicut augmentum, ita etiam & initium fidei, „ ipsumque credulitatis affectum, quo in eum cre- „ dimus, qui justificat impium ... non per gra- „ tiæ donum, idest per inspirationem Spiritus San- „ cti, corrigentem voluntatem nostram ab infide- „ litate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed „ naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogma- „ tibus adversarius approbatur. *Et can.* 7. Si „ quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod „ ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut „ expedit, aut eligere, sive salutari, idest Evan- „ gelicæ prædicationi consentire posse confirmat, „ absque illuminatione, & inspiratione Spiritus „ Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consen- „ tiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur „ spiritu. *Quod etiam confirmatum est a Conc.* „ *Trid. sess. VI. can.* 3. *his verbis:* Si quis di- „ xerit sine præveniente Spiritus Sancti inspira- „ tione, atque ejus adjutorio hominem credere... „ posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia „ conferatur, anathema sit ".

19. Obj. primo Pelagiani contra I. Prop. (apud S. Aug. Lib. II. *De peccat. & remiss.* c. 15., & S. Hieron. Lib. I. *Dial. adv. Pel.*). Nihil in sacris litteris frequentius occurrit, quam divinum mandatum de vitiis omnibus declinandis, sectandisque virtutibus: atqui hoc frustra nobis præciperetur, nisi in nostra esset naturali potestate: ergo sine gratia &c.

20. Resp. cum S. Thoma (1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 2.), hoc esse in nostra potestate supposita gratia divina, quæ nulli deest, nisi in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati; non autem in potestate liberi arbitrii nude sumpti.

„ Il-

„ Illud, *inquit*, quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi (in III. Ethic.): quæ per amicos possumus. *Et 2. 2. q. 2. art. 4. ad* 1. „ Ad multa, *inquit*, tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei; sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscum divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis; aut saltem originalis peccati „. Hinc etiam illa celebris S. Augustini oratio, qua adeo offensus fuit Pelagius: *Domine da, quod jubes, & jube quod vis* (Lib. V. *Confess.* cap. 31.). Immo Deus ipse, postquam Israelitis mandata dedit, manifeste significavit, se etiam gratiam suam largiri, ut ea observent Deut. V. 29.: *Quis det talem illos habere mentem, ut timeant me, & custodiant mandata mea?*

21. Inst. Poterit saltem homo ex propriis viribus Deum orare, ad impetrandum auxilium necessarium; unde regius Psaltes dicebat in Psal. LXXXVII. *Mane oratio mea præveniet te*: adeoque poterit saltem aliquod initium boni operis a se habere.

22. Resp. cum S. Aug. (ep. 194. al. 205. c. 4.), „ etiam ipsam orationem inter munera gratiæ reperiri. Quid enim oremus, ait Doctor gentium (*ad Rom. VIII.* 26.), sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit? *Hinc idem Psalmista ait in Ps. LVIII.*: Deus meus, misericordia ejus præveniet me „.

23. Ob. 2. Apostolus Paulus ad Rom. II. 1. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent*, *naturaliter ea*, *quæ legis sunt*, *faciunt*: ergo sine gratia per solam naturam possunt divina mandata adimpleri (ita Pelagius in Comment. ad hunc locum, ac in epist. ad Demetriadem, & Cassianus Collat. XIII.).

24. Resp. Dist. *naturaliter*, idest gratia seposita, nego; gratia reparante, & confortante naturam, conc. Ita explicat verba Apostoli S. Thomas Lect. 3. in hunc locum, inquiens: „ exponendum est *naturaliter*, *idest per naturam gratia reformatam*; loquitur enim de gentibus ad fidem conversis, quæ auxilio gratiæ Christi cœperant moralia legis servare. Vel potest dici *naturaliter*, *id est per legem naturalem*, *ostendentem eis*, *quid sit agendum*... Et tamen non excluditur, quin necessaria sit gratia ad movendum affectum: sicut etiam per legem est cognitio peccati (ut dicitur Rom. III. 20.), & tamen ulterius requiritur gratia ad movendum affectum „. Hanc doctrinam hausit Angelicus a S. August., qui Libro *de Spir.*, *& Litt.* cap. 27. hunc Apostoli locum explicans: „ non quod per naturam, *inquit*, negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura. *Et ex S. Prospero*, *qui* contra Collatorem *cap.* 10. *inquit*: De his Apostolus loquitur, in quorum cordibus Deus digito suo, idest Spiritu Sancto scribit novum testamentum, ut legis plenitudinem, & opera charitatis naturaliter exequantur, reformata scilicet, renovataque natura „.

25. Nec vero ab hac interpretatione amplectenda, quæ non solum Ss. Augustini, & Thomæ, sed plurium aliorum Ss. Patrum, & Interpretum est (*a*), nos absterreat condemnatio propositionis 23. Mich. Baji: *Cum Pelagio sentiunt*, *qui textum Apostoli ad Rom. II. Gentes &c. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. Certum est enim, Romanos Pontifices nostram interpretationem tot Sanctorum Patrum, & melioris notæ Interpretum suffragiis confirmatam, damnare nunquam voluisse, sed Baji audaciam duntaxat compescere intenderunt, qui aliam interpretationem hæreseos Pelagianæ nota infamare audebat, dicens: *cum Pelagio sentiunt &c.*; quod certe temeritate non vacat, neque enim desunt aliqui Ss. Patres, & Interpretes non ignobiles, qui verba Apostoli non intelligunt de gentibus ad fidem non conversis; in eo tamen a Pelagio quamlongissime recedunt, quod censeant gentes sine fide, & sine gratia non omnia, sed aliqua duntaxat legis præcepta servasse, eaque quantum ad substantiam solum, & ordine pure naturali, non autem salutariter, aut meritorie (*b*).

26. Dices. Apostolus loquitur de gentibus quæ legem non habebant; sed gentiles ad fidem Christi conversi utique legem habebant: ergo de iis non loquitur, sed de Gentilibus idololatris.

27. Resp., fuisse gentiles, qui Christi adventum præcesserunt, Job, Melchisedech, Ninivitas &c., & qui certe nullam legem scriptam habebant, ea tamen, quæ legis sunt, salutari Christi gratia adjuti faciebant. Præterea etiam de aliis gentibus ad

(*a*) Ita sentiunt Ambrosius, Prosper, Fulgentius, Hugo, Lombardus, Hervæus, Carthusianus, aliique complures latini apud Estium Comment. in hunc locum. Ex Græcis autem S. Jo. Chrysostomus Homil. V. in epist. ad Rom. *Gentiles*, inquit, *hic appellat* (Apostolus) *non eos*, *qui idololatræ essent*, *sed eos*, *qui Deum colerent*, *qui naturæ legi parentes*, *exceptis Judaicis cæremoniis*, *ea tantum*, *quæ ad pietatem conferrent*, *observarent*, *qualis erat Melchisedech cum suis omnibus*, *qualis erat Job*, *quales erant Ninivitæ*, *qualis erat Cornelius*. Qui plura desiderat in hujus rei confirmationem, adeat Estium loc. cit., & Nat. Alex. in Sæc. V. Diss. XXII.

(*b*) S. Prosper *contr. Coll.* cap. X. quamquam dictum Apostoli velit intelligendum esse de his, *qui ex præputio sunt vocati*, facile tamen concedit, etiam intelligi posse *de alienis a gratia Christi*, qui aliqua *ad temporalis vitæ utilitatem ad similitudinem mandatorum legalium proprio judicio sanciebant*.

ad fidem conversis post Christum Apostolus dicere potuit, quod *legem non habebant*, vel quia tunc temporis lex Christi nondum scripta erat, vel quia lex Christi in spiritu potissimum sita est, non in littera. Denique, ut omnium probabilius opinatur Estius, ea verba, *quæ legem non habent*, dicta sunt ad exprimendum epitheton gentium, sicuti *legem habere* est epitheton Judæorum. Non enim Gentes ad fidem conversæ legibus cærimonialibus Judæorum obstringebantur.

28. Dices iterum. Exemplum Jobi nobis ostendit, Gentes sine gratia potuisse totam legem adimplere. Si enim Job gratia Dei adjutus omnes illas gravissimas tentationes superasset, potuisset Satan Deo ipsum laudanti respondere: *Sine eum suis mecum viribus decertare, & non resistet;* cum ergo id Satan non responderit Deo, colligere possumus, Jobum nullo adjutum præsidio divino victoriam de Satana reportasse.

29. Resp. Huic argumento sibi a Cassiano objecto, respondebat S. Prosper *Contr. Collat.* cap. 15., sine dubio patientiam, & victoriam Jobi a Deo fuisse, *a quo est salus justorum, & qui protector eorum est in tempore tribulationis*. Immo idipsum fatebatur sæpius ipse Job, ut cum suis amicis eum irridentibus respondebat cap. XII. 4. *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum;* & cum fiducia plenus dicebat: *Scio, quia Redemptor meus vivit &c.* Nec tamen propterea meritum victoriæ non habuit, quia, ut inquit S. Prosper, *illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adjutorio, & libero hominis adscribebatur arbitrio*. Ea autem est Satanæ superbia, ut mirum non sit, eum præsumpsisse, posse se homines etiam divino auxilio suffultos superare.

30. Ob. 3. Plura sunt Sac. Litterarum testimonia, quibus declaratur, saltem initium boni operis esse a nobis, quo posito gratiam Dei promeremur. Libro 2. Paralipom. cap. XV. 2. dicitur: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, si quæsieritis eum, invenietis*. Ps. LXXX. 11. dicit Dominus: *Dilata os tuum, & implebo illud*. Cui simile illud Ps. CXVIII. *Os meum aperui, & attraxi spiritum quia mandata tua desiderabam*. Isaiæ XXX. 18. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Zach. I. 3. *Convertimini ad me . . . & convertar ad vos*. Prov. XVI. *Hominis est animam præparare*. In novo etiam testamento idem sæpius insinuatur. Lucæ XI. 9. *Quærite, & invenietis*. Jac. IV. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis:* & plura hujus generis afferri possent.

31. Resp. (cum S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 6. ad 1., post S. Augustinum *de grat., & lib. arb.* c. 15., & lib. 2. *ad Bonif.* cap. 9.) hæc omnia Scripturæ loca significare, conversionem ad Deum fieri quidem per liberum arbitrium, sed non sine Deo ipsum ad se convertente. Hinc eædem sacræ litteræ aliis in locis non solum operis consummationem, sed etiam initium, & ipsam præparationem Deo largitori omnium bonorum adscribunt. Et sicut in Ps. LXXX. dicitur: *Dilata &c.*, ita in Ps. 52. habetur: *Domine labia mea aperies*. Quemadmodum Zach. I. dicit Dominus: *convertimini &c.* ita ab opposito in Ps. 79. nos dicimus Deo: *Deus virtutum converte nos;* & Jerem. XXXI. 18.: *Converte, & convertar . . . . postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam;* ac Thren. ult. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur* (a). Christus Dominus nos hortatur Luc. XI. ad quærendum, pulsandum, petendum, sed Apostolus nos monet, id non fieri sine Spiritus S. gratia. *Nam quid oremus*, inquit Rom. VIII., *sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et I. ad Cor. XII. 3.: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*. Ezech. XVIII. 32. præceperat Deus: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum;* post autem id non obtineri, nisi ipso donante, declarat cap. XXXVI. 26. dicens: „ Dabo vobis cor novum, & spiritum „ novum ponam in medio cordis vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum &c. “.

32. Resp. secundo cum eodem S. Thoma (1. 2. qu. 112. art. 2.), hæc omnia Scripturarum loca posse intelligi de præparatione ad gratiam habitualem, ad quam disponimur per liberum arbitrium, motum, & excitatum a Deo, non autem de præparatione ad gratiam actualem. „ Præexigitur, *inquit*, ad gratiam (*habitualem*) aliqua „ gratiæ præparatio, quia nulla forma potest esse „ nisi in materia disposita. Sed si loquamur de „ gratia secundum quod significat auxilium Dei „ moventis ad modum, sic nulla præparatio re„ quiritur ex parte hominis, quasi præveniens di„ vinum auxilium, sed potius quæcumque præ„ paratio in homine esse potest, est ex auxilio „ Dei moventis animam ad bonum, & secundum „ hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis „ præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est „ actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum „ ad hoc dicitur homo se præparare &c. “.

33. Inst. S. Paulus Apostolus Roman. VII. 18. inquit: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio:* scilicet, ut explicabat Cassianus (Collat. XIII. c. 9.), ex nobis bonarum voluntatum prodeunt principia, quæ tamen nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possumus.

34. Resp. (cum S. Prosper contra Collat. c. 4.),

(a) Concilium Trident. sess. VI. *de Justif.* cap. 5. „ In Sacris litteris, inquit, cum dicitur: *convertimini* „ *ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis nostræ „ admonemur; & cum respondemus: *converte nos Domine ad te, & convertemur*, Dei nos gratia præveniri confitemur “.

4.), hunc Apostoli sensum, *ut cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inveniamus & facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsantibus; qui dedit desiderium, præstet effectum*. Ceterum idem Apostolus ad Philipp. II. 13. *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis velle, & perficere*.

55. Inst. 2. Christus Matth. VII. 6. Apostolis ,, inquit: ,, Nolite Sanctum dare canibus, neque ,, mittatis margaritas vestras ante porcos; *&c*. X. ,, 11. In quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ,, ibi manete &c. " Quibus verbis videtur clare significari, esse aliquos dignos, quibus Evangelium enuncietur; hæc autem dignitas non potest esse, nisi ex operibus factis sine gratia, adeoque &c.

56. Resp. In primo loco nihil aliud Apostolis præcipi, nisi non esse sancta religionis nostræ mysteria hominibus profanis, & impuris communicanda, *ne forte conculcent ea pedibus suis*, ut ibidem subditur. Cap. autem X. videtur Christum solum præcepisse Apostolis, ut apud eos diversarentur, qui inter Judæos digni erant, dignitate famæ externæ, non autem dignitate occulta morum; ne scilicet, si ad infames homines divertissent, male & ipsi audirent. *Hospes*, inquit S. Hyeronymus hunc locum explicans, *fama eligendus est populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur*. Vel fortasse, cum ibi de Judæis tantum sermonem habeat Christus, aliqui etiam digni esse poterant Evangelii prædicatione ex meritis gratiæ, & justitiæ per fidem in Christum venturum.

57. Nec obstat quod subdit ibidem Salvator; *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam*. Hæc enim verba hunc sensum habent: Si Deus fecerit domum illam dignam gratiæ suæ prædestinatione; non autem quod a Deo inventa fuerit digna; *Deus enim*, ut Lib. V. cont. Jul. cap. 3. n. 13. ait S. Augustinus, *neminem dignum eligit, sed eligendo facit dignum*; & ut dicitur Act. XIII. 48., prædicante Paulo *crediderunt*, non qui jam digni ex se erant, aut dispositi, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

58. Inst. 3. Scripturæ nonnulla exempla suppeditant eorum, qui suis bonis operibus gratiam a Deo promeruerunt. Primo Cornelius Centurio eleemosynis, & orationibus promeruit admoneri ab Angelo, ut Petrum accerseret, a quo de Evangelio edoceretur (Act. c. X.). Secundo Zachæus Publicanorum Princeps desiderio videndi Christum, ipsum domi suæ hospitem, & salvatorem habere promeruit (Luc. XIX.). Unde S. Ambrosius (Lib. I. *de Cain. & Abel*. cap. 8.) *studio suo eam Domini gratiam impetrasse*, ait. Tertio idem dici potest de beato illo Latrone, qui ob Christi auxilium invocatum: *Domine memento mei, &c.*, audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso* (Luc. XXIII.). Quarto Christus Dominus Centurionis fidem admirans, & laudans dicebat Matth. VIII. 10. *Non inveni tantam fidem in Israel*. Si autem illa fides fuisset donum Dei, potius dicendum erat Christo, *non dedi tantam fidem in Israel*: nec tunc ulla erat vel admirationis, vel laudis causa. His exemplis abutebatur Cassianus, ut probaret aliquod fidei initium in nobis præcedere (Collat. XIII.). His addi etiam potest historia Basilidis, qui, ut refert Eusebius (lib. VI. *Hist. Eccl*. c. 5.), cum virginem Potamiænam ad supplicium ductam ab impudicorum hominum petulantia tutatus esset, religiosi officii mercedem ab ea recepit, illi enim non multo post apparens, & fidem, & martyrii coronam ei impetravit.

59. Resp. neminem ex his, aut aliis, qui similiter afferri possent, solis suis viribus, & sine Dei auxilio fuisse gratiam promeritum. Manife- ,, stissime credendum est, *inquit Conc. Arausic*. ,, *Can*. 25., quod & illius latronis, quem Domi- ,, nus ad Paradisi Patriam evocavit, & Cornelii ,, Centurionis, ad quem Angelus Domini missus ,, est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere ,, meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de ,, natura, sed divinæ largitatis donum ". Et quidem Cornelium Centurionem aliquam habuisse fidem in Christum, quando orabat, & eleemosynam largiebatur, pro certo habet S. Augustinus (*de Præd. SS*. cap. 7.), & post ipsum Sanctus Thomas (2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.); alioquin, quomodo orationes ejus, & eleemosynæ potuissent esse acceptæ Deo, ut ididem (vers. 4. innuitur), cui sine fide impossibile est placere? Aliquam autem Messiæ notitiam homo ille Romanus potuit ex diuturna cum Judæis conversatione haurire. Zachæum etiam, & Latronem fuisse Dei gratia præventos, ostendit S. Prosper *contr. Coll*. cap. 6.

40. Simili modo verba S. Ambrosii de Zachæi studio intelligenda sunt, non seclusa Dei gratia, sed eadem præveniente excitato; nam eodem libro cap. ult. inquit: *Quidquid sanctum cogitaveris, Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia*.

41. Verba, quæ Christus de Centurione dixit, debent cohærenter ad alia explicari, quibus sæpius gratiæ necessitatem, & efficaciam ostendit, ut cum dixit Joan. VI. 43.: *Nemo potest venire ad me*, utique per fidem, *nisi Pater meus traxerit eum*. Et 66.: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo*; quibus, & aliis plurimis luce meridiana clarius apparet, fidem Centurionis totam fuisse donum gratiæ divinæ, qua tamen non tollitur humanum arbitrium, ac proinde nec laus, & præmium; sed ita, ut qui gloriatur, non in se ipso, sed in Domino glorietur.

42. Ad exemplum autem Basilidis resp. cum Estio (in II. Dist. 26. §. 36.), Deum fidei, & martyrii gratiam contulisse Basilidi intuitu Potamiænæ pro ipso orantis, non intuitu Basilidis aliquid a Deo promerentis. Et quanquam dici potest, Basilidem aliquid a Potamiæna profuisse,

non

non tamen sequitur, eum promeruisse etiam apud Deum; neque enim est eadem ratio inter homines, ac homines, & inter homines, ac Deum; unde ita colligi non potest, Basilides meruit orationes Potamiænæ; hæc autem promeruerunt Basilidi gratiam: ergo &c. Non inquam, cujus ratio est, quia Potamiæna aliquod beneficium a Basilide recepit, Deus autem nullum; & aliqua proportio erat inter beneficium Potamiænæ exhibitum, & mercedem ab ea redditam, nulla autem inter opus a Basilide perpetratum, & Dei gratiam. Addi tamen potest, Basilidem non naturali tantum operis honestate, sed gratia Dei præventum Potamiænam ab impurorum hominum protervia defendisse, atque adeo hoc charitatis opere uberiora auxilia ad martyrium promeruisse.

43. Inst. 4. Apostolus Paulus I. ad Tim. 1. 13. *Misericordiam*, inquit, *consecutus sum*, *quia ignorans feci in incredulitate:* si ergo aliquod fuit apud Deum meritum ignorantia, multos magis &c.

44. Resp. particulam *quia* ab Apostolo usurpatam non designare causam meritoriam gratiæ, sed solum circumstantiam quamdam Pauli delictum diminuentem, & aliqua ex parte excusantem, eo modo, quo Christus Lucæ XXIII. orabat pro suis crucifixoribus dicens: *Pater dimitte illis*, *non enim sciunt*, *quid faciunt*.

45. Inst. 5. Math. XXV. 15. Christus significat gratiæ suæ distributionem sub parabola hominis peregre proficiscentis, qui „ uni dedit quinque ta„ lenta, alii autem duo, alii vero unum, uni„ cuique secundum propriam virtutem: *quæ verba* „ *ita S. Hilar. illustrat:* non ad dividentem re„ ferenda diversitas est: ait enim unumquemque „ secundum virtutem suam accepisse; *ergo &c.*

46. Resp. S. Thom. (2. 2. q. 24. art. 3. ad 1.), „ quod illa virtus, secundum quam sua dona Deus „ dat unicuique, est dispositio, vel præparatio „ præcedens, sive conatus gratiam accipientis. „ Sed hanc etiam dispositionem, vel conatum præ„ venit Spiritus Sanctus movens mentem hominis, „ vel plus, vel minus secundum suam volunta„ tem. Unde Apostolus dicit ad Coloss. I. 12. qui „ dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in „ lumine: *& idem Apostolus ad Eph. IV.* 7., „ *inquit*, unicuique nostrum data est gratia secun„ dum mensuram donationis Christi". Hinc verba S. Hilarii ita explicari debent, ut immediate quidem diversa distributio gratiæ ad diversam recipientium dispositionem referatur, mediate tamen ad ipsum Deum, a quo est diversa accipientium virtus.

47. Obj. 4. (cum Cassiano *Collat.* XIII. c. 12.). In lib. III. Reg. VIII. dicitur, voluisse David „ æ„ dificare domum nomini Domini Dei Israel; *cui* „ *Dominus dixit*: Quod cogitasti in corde tuo æ„ dificare domum nomini meo bene fecisti... ve„ runtamen tu non ædificabis mihi domum". Unde sic colligitur: cogitatio illa fuit certe bona, alioquin Deus eam minime laudasset; atqui tamen a Deo non fuit; si enim Deus eam inspirasset, eidem non negasset effectum, ergo &c.

48. Resp. cum S. Prospero (*cont. Collatorem* cap. 12.), illam Davidis voluntatem, & fuisse bonam, & fuisse a Deo, quamquam Deus occulto judicio suo noluit, eam voluntatem, quam ipse inspiraverat, adimpleri, cujus rei plura affert idem S. Prosper exempla; ut cum Deus Apostolis bonam voluntatem immisit prædicandi Evangelium omni creaturæ & postea vetuit eos loqui verbum in Asia, & ire in Bithyniam (Act. XVI. 6. & 7.). Ecclesia etiam orat quotidie pro infidelibus, & hoc acceptum est coram Deo, „ & tamen quod „ pro omnibus petitur, non pro omnibus obtine„ tur; nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe „ postulata non tribuit, quæ postulare donavit". Et celebre est præceptum datum Abrahæ, ut filium suum Isaac immolaret, cujus tamen præcepti adimpletionem Deus ipse novo mandato prohibuit.

49. Obj. 5. plura Sanctorum Patrum testimonia, qui aperte, vel totum opus bonum, vel aliquod saltem boni operis initium, nostro libero arbitrio adscribunt. Et primo Hermas in *Pastore* (*Similitudine* VIII. num. 9.) „ Quorum *inquit*, „ viderat Dominus puras mentes futuras, & ser„ vituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit pœ„ nitentiam". Secundo S. Justinus M. arbitratus est, sine ulla plane gratia posse homines recte, honesteque vivere; nam in Apol. I. (alias II. n. 46.) „ Quicumque, *ait*, cum ratione, ac verbo vixe„ re Christiani sunt, quamvis athei, & nullius „ numini cultores habiti sunt; quales inter Græ„ cos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis simi„ les (*a*)". Tertio Clemens Alex. fuisse veteres Philosophos a Philosophia justificatos, scribit Lib. I. *Stromatum*; & Lib. VII. " Philosophia Græ„ ca, *inquit*, velut præpurgat, & præparat ani„ mam ad fidem accipiendam, supra quam veri„ tas cognitionem ædificat". Quarto S. Ambrosius in Lucam Lib. IX. sic loquitur: *Non enim dormientibus divina beneficia*, *sed observantibus deferuntur;* & L. V. *Hexameron* cap. 24. de Petro post negationem inquit: *Idem tamen post galli cantum fortior*, *& jam dignus quem Christus aspiciat*. Ac demum in secunda Apologia David cap. 11. „ Ecclesia *inquit*, meruit gratiam a Christo

(*a*) Hoc loco ad S. Justinum denigrandum utitur Casaubonus in suis *Exercitat. contra Baronium*. Vid. *Epist. Select.* Richardi Simonii 14. Tom. III., etiam Card. Sfondrati in *Nodo præd. dissoluto*. Jacobus Payva in *Explicat. orthodoxis*, & alii in Semipelagianismum propensi, eodem mire triumphant. Solent item plura loca ex Sancto Justino citari deprompta ex *Quæst.*, *& respons. ad orthodoxos*, sed certum modo omnibus est, opus illud auctoris esse Pelagiani. Confer admonit. præviam editoris Maurini.

„ sto, quia Verbum Dei quæsivit, desideravit. „ Quinto *S. Hieronym. Libr. III.* Dialog. cont. „ Pelag. *n.* 1. *ait:* Justitia, labore, & industria, „ ac diligentia, & semper super omnia Dei cle- „ mentia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius „ tribuere quod rogatur, nostrum incipere, illius „ perficere, nostrum offerre, quod possumus, il- „ lius implere, quod non possumus (*a*) “. Sexto Optatus Milevitanus Lib. II. „ Est enim, *inquit*, „ Christiani hominis, quod bonum est, velle, & „ in eo, quod bene voluerit, currere, sed homi- „ ni non est datum perficere ... quia nostrum est „ velle, nostrum est currere, Dei autem perfice- „ re “.

50. Resp. Ad. 1. Nihil aliud docere Pastorem Hermæ, nisi Deum concedere gratiam pœnitentiæ hominibus bene ad eam dispositis; non autem has bonas hominum dispositiones ex nobis esse sine ulla gratia Dei. Addi potest cum S. Prospero *contra Collat.* cap. XIII. n. 42., testimonium Hermæ *nullius esse auctoritatis*. Et reipsa liber Hermæ fuit a Gelasio P. *in apocryphis* numeratus (*b*).

51. Ad 2. S. Justinus Socratem, Heraclitum, eorumque similes vocat *Christianos*, non quod putaverit, istorum opera fuisse salutaria, seu ad salutem utilia, quod absque gratia fieri non potest; sed ut ostenderet, ea, quæ veteres Philosophi recte, sapienterque docuerunt, vel egerunt, ad Religionem Christi quodammodo pertinere; quia hæc a recta eorum ratione promanabant, quæ est divinæ rationis, seu Verbi participatio quædam. Quamobrem in Apol. II. n. 10. „ Quæcumque, „ *ait*, præclare unquam dixere, aut excogitavere „ Philosophi, aut legumlatores, hæc invento, & „ considerato aliqua ex parte Verbo elaborarunt. „ *Et n.* 15. Quæcumque apud alios omnes præ- „ clare dicta, ea nostra sunt Christianorum “. Ceterum gratiæ necessitatem, & gratuitatem multis in locis prædicavit S. Martyr. Instar omnium ea sint; quæ habet in *Dial. cum Triphone* n. 102., ubi citans verba Psalm. XXI. 11. „ Deus meus „ es tu, ne discedas a me, *inquit:* Docet, in „ Deum, qui omnia creavit, sperare omnes de- „ bere, & ab eo solo salutem, & auxilium quæ- „ rere “ (Vid. præf. Opp. S. Justini præfixa P. II. c. 7., & Nat. Alexander Dissert. VI. in Sæc. II.).

52. Ad 3. Clemens Alex. tribuit quidem Philosophiæ aliquam dispositionem ad fidem, & justificationem, sed omnino remotam, negativam, impropriam, & nullo pacto cum ipsa fide, vel justificatione conjunctam: quatenus homines Philosophiæ beneficio nonnullis præjudiciis, & erroribus declinatis, veluti uno gradu, ut idem Clemens loquitur Lib. 1. *Strom.*, ad fidem accedere videbantur. Veruntamen hujus dispositionis negativæ nullam a Deo haberi rationem, vel ex eo solo luculenter apparet, quod sapientissimi Philosophi fuere justo Dei judicio in tenebris gentilitatis, & in umbra mortis relicti, a quibus gratuita Dei bonitate rudes aliqui, & flagitiosi homines fuerunt evocati (Vid. Nat. Alexand. Diss. VIII. in Sæc. II.).

53. Ad 4. S. Ambrosius primo loco loquitur de justificatione impii, adumbrata in prodigiosa leprosi mundatione & de gratia sanctificante, quæ in justificatione infunditur. Nemini autem dubium est, eamdem gratiam adultis a Deo non dari, nisi prius per actus fidei, spei, & charitatis se ad illam disponant; ad quas tamen virtutes exercendas actuali gratia Dei indigemus. In secundo loco loquitur de Petro justificato, qui propterea dignus erat, ut ad eum Dominus oculos misericordiæ suæ peculiariter converteret, unde subdit ibidem: *quia oculi Domini super justos*. Tertio loco minime dubitandum est, ad mentem S. Ambrosii, Ecclesiam nonnisi divina gratia præventam, & roboratam, Verbum Dei quæsivisse, ac desiderasse. Tantum autem abest, ut in hoc sancto Ecclesiæ Doctore aliquod inimici gratiæ Christi præsidium invenire possint, ut potius contra eos S. Augustinus sæpissime ejus auctoritate usus fuerit (Vib. Lib. IV. *ad Pontif.* cap. 11. *De grat. Chr.* capp. 44. 45. & 46. *De don. persev.* capp. 8. 13. 19. 22. &c.).

54. Ad. 5. Duriuscula videntur S. Hieronymi verba, ea tamen emollire possumus modo sæpius indicato, ut nempe nostrum dicatur rogare &c., sed non seposita quacumque gratia, quod indicat ipse S. Hieron., dum dicit. *Et semper super omnia Dei clementia custoditur;* clarius autem gratiæ necessitatem commendat in epist. 133. ad *Cresiphontem* dicens: „ Velle, & currere meum est, „ sed ipsum sine Dei auxilio non erit meum; di- „ cit enim Apostolus: Deus est, qui operatur in „ nobis &c. *Et in epist. ad Demetriadem* (*CXXX*) „ ipsum, *inquit*, quod nostrum est, sine Dei mi- „ seratione nostrum est.

55. Eodem modo emollire possumus, quod S. Gregorius dicit Hom. XXI. in Evangelia: „ Bo- „ num opus nobis in voluntate fit; nam ex divi- „ no adjutorio erit in perfectione “. Nempe si gratia Dei præventi bonum desiderium, & voluntatem habuerimus, Deus majori, & potentiori gratia

(*a*) Similia habet n. 10.; ubi etiam in editione Veron. observatum est, in anecdoto quodam Sermone: *De Symbolo* in Veronensibus membranis hæc haberi: *Etiamsi velle nostrum est, perficere tamen sine illo* (Deo) *non invenimus*.

(*b*) Quamquam negari non potest, tantam olim fuisse apud aliquos hujus libri auctoritatem, imprimis autem apud Græcos, ut pœne inter canonicos libros recenseretur. Confer Remigii Ceillier *Hist. des Aut. Ecclesiast.* Tom. I. pag. 584.

tia nos juvabit ad ejusdem operis executionem, in qua plerumque multo plus difficultatis est, quam in sola voluntate.

56. Ad 6. Ita respondet Nat. Alexander: „ His „ verbis præformatos videtur Semipelagianorum „ error, vixque in bonum sensum flecti possunt". Etiam P. Ceillier (Tom. VI. *Deus aut Eccl.* Ch. 18. art. 1.) non omnino ad doctrinæ S. Pauli amussim id dictum esse fatetur. Sed unius, vel alterius Patris obscura quædam testimonia veritati tam patenti, aliorumque Patrum doctrinæ luculentissime confirmatæ nullum possunt præjudicium afferre.

57. Obj. 6. contra secundam proposit. Credere, vel non credere, in sola libertate nostri liberi arbitrii est, independenter a gratia Dei: dicitur enim Rom. X. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum, & in corde tuo credideris... salvus eris.* Ubi antithesis fit inter illud, quod a nobis præstandum est, & illud, quod est a Deo retribuendum; & quemadmodum frustra salus a Deo promitteretur, si in nostra esset potestate, ita ab opposito frustra a nobis exigeretur fides, si a nostro libero arbitrio tota suspensa non esset.

58. Resp. Cum S. Thoma (2. 2. q. 6. art. 1. ad 3.: „ Credere quidem in voluntate credentium „ consistit, sed oportet, quod voluntas hominis præ„ paretur a Deo per gratiam ad hoc, quod ele„ vetur in ea, quæ sunt supra naturam. *Idem* „ *antea docuerat S. Aug. inquiens;* (De Præd. „ SS. *cap.* 6.): Multi audiunt verbum veritatis, „ sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo „ isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc igno„ ret? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur „ voluntas a Domino, discernendum utique est, „ quid veniat de misericordia ejus, quid de ju„ dicio".

59. Ad illud, quod subditur ex Apostolo, iterum respondet idem S. August. (laud. Lib. cap. 11.), utrumque esse donum Dei, & quod jubetur, & quod promittitur: unde semper repetendum est cum eodem S. Doctore (Lib. X. *Confess.* cap. 31.), *Domine, da, quod jubes, & jube, quod vis* (a). Est tamen aliquod discrimen inter fidem, quæ a nobis exigitur, & præmium; quod promittitur. Nam fides ita est donum Dei, ut etiam sit nostrum opus a libero arbitrio dependens; præmium autem unice a Dei bonitate dimanat, qui dum coronat merita nostra, coronat dona sua.

60. Inst. primo. Posita vel externa, vel interna revelatione mysteriorum fidei, sine ulla gratia satis virium in nobis esse videtur ad ea credenda. Primo quia tot evidentibus argumentis fulciuntur, ut Psalmista dicere potuerit Ps. XCII.: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Secundo quia etiam Hæretici, ac ipsi pervicaces Judæi, aliquos nobiscum credunt articulos fidei, quamquam non omnes. Immo Hæretici quandoque nonnulla credunt intellectu multo difficiliora, quam nos. Tertio aliqui etiam credunt ob malum finem, ut S. Aug. observat (*De Catechizandis rudibus* cap. 17. n. 6.); & dæmones *credunt, & contremiscunt,* ut ait Sanct. Jacobus II. 19.; in quibus omnibus certe nullum est gratiæ auxilium ad credendum.

61. Resp. Dist. ad ea credenda *fide salutari, & supernaturali,* nego; alia fide, conc. In hoc adversarii falluntur, quod putent potissimam rationem, cur gratia, sive ad credendum, sive ad operandum necessaria dicatur, esse operis ipsius difficultatem; quod etsi quandoque verum sit, præcipue ubi vehemens tentatio urget, non tamen semper est verum. Ratio itaque, ob quam gratia necessaria dicitur ad actum fidei salutarem, adducitur a S. Thoma (2. 2. q. 6. art. 1.): „ Quia „ cum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, e„ levetur supra naturam suam, oportet, quod hoc „ insit ei ex supernaturali principio interius mo„ vente, quod est Deus; & ideo fides, quantum „ ad assensum, qui est actus principalis fidei, est „ a Deo interius movente per gratiam. *Hinc idem* „ *S. Doctor* (ib. q. 5. art. 2.) Quod voluntas, *in*„ *quit* moveat intellectum ad assentiendum, potest „ contingere ex duobus. Uno modo ex ordine vo„ luntatis ad bonum, & sic credere est actus lau„ dabilis; alio modo, quia intellectus convincitur „ ad hoc, quod judicet esse credendum his, quæ „ dicuntur, licet non convincatur per evidentiam „ rei... In fidelibus Christi laudatur fides secun„ dum primum modum, & secundum hoc non est „ in dæmonibus, sed solum secundo modo. Vi„ dent enim multa manifesta indicia, ex quibus „ percipiunt doctrinam Ecclesiæ a Deo esse; quam„ vis ipsi res ipsas, quas Ecclesia docet, non vi„ deant, puta Deum esse trinum, & unum, vel „ aliquid hujusmodi".

62. Docet præterea idem Angelicus (ib. art. 3.) „ in hæretico discredente unum articulum fidei „ non manere fidem, neque formatam, neque in„ formem, *cujus doctrinæ hanc affert rationem:* „ Formale objectum fidei est veritas prima, se„ cundum quod manifestatur in Scripturis Sacris, „ & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate „ prima. Unde quicumque non inhæret sicut in„ fallibili, & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, „ quæ procedit ex veritate prima in Scripturis „ Sacris manifestata, ille non habet habitum fi„ dei

(a) Ita autem S. August. respondebat: „ Sic dici„ tur: *si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* „ Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum „ offertur... Num igitur placet, ut facta carnis mor„ tificare non donum Dei esse dicamus, neque id do„ num Dei esse fatemur, quoniam exigi audivimus a „ nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? ab„ sit, ut hoc placeat participibus, & defensoribus gra„ tiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis &c."

„ dei, sed ea, quæ sunt fidei, alio modo tenet, „ quam per fidem. Manifestum est autem, quod „ ille qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tamquam in- „ fallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Eccle- „ sia docet; alioquin, si de his, quæ Ecclesia „ docet, quæ vult, tenet, & quæ non vult, non „ tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut „ infallibili regulæ, sed propriæ voluntati; & „ sic manifestum est, quod hæreticus, qui perti- „ naciter discredit unum articulum fidei, non est „ paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ ... „ & fidem non habet de aliis articulis, sed opi- „ nionem quamdam secundum propriam volun- „ tatem ".

63. Inst. secundo. S. Aug. in exposit. quarumdam proposit. Epist. ad Rom. ait: *Quod credimus, nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum.*

64. Resp. S. Doctorem erroneam hanc propositionem retractasse, tum Lib. I. *Retract.* c. 23. tum L. *De Præd. SS.* c. 3., ubi ita concludit: „ Utrum- „ que ergo (*scilicet credere, & bene operari*) „ nostrum est propter arbitrium voluntatis; & u- „ trumque tamen datum est per spiritum fidei, & „ charitatis. *Et iterum*, utrumque ipsius (*Dei*) „ est, quia ipse præparat voluntatem, & utrum- „ que nostrum, quod non fit sine volentibus no- „ bis ".

65. Obj. septimo. Si nullum in homine præcedit initium fidei, nullum desiderium, aut credulitatis affectus, jam tota ratio, cur Deus aliquibus fidem donet, aliis non donet, erit libera ipsius Dei voluntas; atqui hoc absurdum videtur. Primo quia Deus, quantum in ipso est, *vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire* (I. Tim. c. II.). Secundo quia aliqua apud ipsum foret personarum acceptio, contra id, quod dicit Apostolorum Princeps Act. X. 34. *In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus.* Tertio excusabiles forent, qui fide a Deo non accepta, in infidelitatis tenebris miseri cæcutiunt. (Ita Semipelagiani apud Petrum Diaconum in epist. ad Episcopos Africæ cap. 7.).

66. Resp. Neg. min.; ad cujus primam prob. dico, Deum velle omnium hominum salutem solum antecedenter, & inefficaciter, *cujus voluntatis effectus*, inquit S. Th. (in Dist. XLVI. q. 1. art. 1.), *est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus proposita, tam naturalis, quam gratuita.* Quare autem non omnibus conferat Deus media ad salutem efficaciter conducentia, in quibus primum locum obtinet fides; ad inscrutabilia judicia Dei pertinet. Audiatur in simili quæstione S. Aug. *De Spir. & lit.* c. 34. „ Jam si ad illam profunditatem scrutandam „ quisquam nos coarctet; cur illi ita suadetur, ut „ persuadeatur, illi autem non ita, duo sola oc- „ currunt interim, quæ respondere mihi placeat: O „ altitudo divitiarum! & numquid iniquitas est a- „ pud Deum? cui responsio ista displicet, quærat „ doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptio- „ res ". Confer, quæ dicta sunt in T. II. p. 259. & seq.

67. Alterum sexcentis in locis S. August. præoccupavit, ostendens, acceptionem personarum habere locum in his, quæ ex debito dantur, non autem in gratiæ largitione, quæ mere gratuita est; unde inquiebat in epist. 194. (al. 105. ad Sixtum cap. 2.): „ Quod autem personarum ac- „ ceptorem Deum se credere existimant .... pa- „ rum attendunt, quod debita reddatur pœna da- „ mnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se „ indignum queratur, nec dignum se iste glorie- „ tur ... ut liberatus de non liberato discat, quod „ etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia sub- „ veniret ". (Vid. etiam S. Thomas 2. 2. qu. 98. art. 4. ad 2.).

68. Ad tertium. Vel sermo est de infidelibus quos *positivos* vocant, qui scilicet mysteria fidei audiverunt, & isti inexcusabiles sunt, quia credere potuerunt; vel sermo est de infidelibus negativis, qui scilicet nihil unquam audire potuerunt de fide, & isti sunt quidem excusabiles quantum ad infidelitatem, quæ in ipsis peccatum non est, sunt tamen inexcusabiles quantum ad alia peccata libere commissa, ob quæ æternam damnationem subibunt; & si iis adultus aliquis careret, quod tamen fieri non posse arbitror, saltem damnaretur propter peccatum originis. Iterum Augustinus laud. ep. c. 6. „ Inexcusabilis est omnis „ peccator, vel reatu originis, vel additamento e- „ tiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive „ qui ignorat .... quia & ipsa ignorantia in eis, „ qui intelligere noluerunt, sine dubitatione pec- „ catum est, in eis autem qui non potuerunt, pœ- „ na peccati: ergo in utriusque non est justa ex- „ cusatio; sed justa damnatio ".

69. Obj. octavo. S. Hilarius Lib. VIII. *de Trin.* n. 12. ait, *Deum nobis non dare voluntatem, quæ si data esset, non haberet fides præmium, cum fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret.* Et Tract. in Ps. I. n. 20. *Est quidem*, inquit, *in fide manendi a Deo munus, sed incipiendi a nobis origo est.* Nihil diversum Semipelagiani dicebant (multo plura videri possunt ap. Ceillier Tom. V. c. I. art. 12. n. 8.).

70. Resp. (cum PP. Bened. in præf. ad Hilarii Opp.), primis verbis excludi solum gratiam *necessitantem*, ut ex ipsa locutione apparet; non autem illam gratiam, quæ fortiter simul, & suaviter agens, ita fidem voluntati inspirat, ut ejus nulla ratione lædat, aut tollat arbitrium. Difficilius videtur explicatu alterum testimonium, cui, ut puto, nihil aliud reponi potest, nisi S. Hilarium solum contendere, perseverantiam esse speciale donum, ad quod proinde specialissima gratia requiritur, cujusmodi non requiritur ad fidei initium, quod bene multis conceditur, quibus tamen perseverantia non donatur. Dissimulandum vero

non

non est, quod etiam ejusdem operis editores notarunt, nonnulla in S. Hilario reperiri in hac materia minus accurata, quæ diligentiore lima indigerent, quamquam alibi totum tribuendum esse gratiæ, non obscure significat, ut cum in Psalm. CXVIII. *Totum*, inquit, *a Deo Propheta sperat*, *totum ex misericordia ejus expectat;* & in Psalm. CXIII. *Quis enim relictus est nobis gloriandi locus*, *recordantibus omnia ex Deo esse?*

71. Ceterum oblivione prætereunda non est allata supra p. 29. n. 87. antea S. Aug. regula *de Præd. SS.* c. 14. „ Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur: unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent ... frequentationibus autem orationum sempliciter apparebat gratia Dei quid valeret: non enim poscerentur a Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent".

72. Obj. ult. Quamquam homo infirmus non potest sibi sanitatem donare, potest tamen eam saltem desiderare, medicum quærere, in eoque spem reponere: ergo etiam &c.

73. Resp. neg. cons., & duplex est discrimen. Primo enim, ut salus corporis est ordinis mere naturalis, ita & desiderium salutis in naturæ est potestate. Salus autem animæ, quæ non obtinetur, nisi per gratiam, altioris est ordinis, ac propterea ejusdem desiderium debet in nobis ex divina gratia oriri. Præterea homo in corporis infirmitate non sibi complacet, quemadmodum sibi complacet anima in perverso creaturarum amore, ad quas per peccatum conversa est; ac propterea nonnisi divina gratia hoc in ea efficere potest, ut suam ægritudinem agnoscat, ut sibi incipiat displicere, & ut desideret ad summum bonum, a quo per peccatum aversa est, iterum per pœnitentiam converti (*a*).

CAPUT III.

Vindicatur S. Joann. Chrysostomus a Semipelagianismi nota.

74. Inter veteres Ecclesiæ Patres præsertim Græcos, nominatim accusatur S. Joann. Chrysostomus, quod Semipelagianis præluserit (*b*). Sed quamquam negari non potest, egregium hunc Ecclesiæ græcæ Doctorem, non ita accurate scripsisse, ut certe fecisset, si hæresim Semipelagianam postea exortam cognovisset, ejus tamen verba possunt, & debent ad sanum, & catholicum sensum perduci (*c*). Quam immerito fulgidissimo huic Ecclesiæ lumini atra hæc macula ab aliquibus appingatur, declarabit sequens

PRO-

(*a*) S. Prosper *contra Collatorem* cap. 4. n. 11. *Totus homo*, inquit, *ex ipsa* (*anima*), *& cum ipsa in profundum miseriæ suæ decidit*, *ubi eam*, *priusquam a medico notitiam suæ calamitatis accipiat*, *jacere delectat*, *amantem semper errores suos*, *& amplectentem falsa pro veris*. *Cujus prima salus est*, *ut sibi incipiat displicere*, *& vetustatem suæ debilitatis odisse: sequens vero est*, *ut sanari desideret*, *& a quo sanandus sit*, *noverit*. *Quæ curationem ejus sic præcedunt*, *ut ei ab illo*, *qui ægrum sanaturus est*, *inferuntur*.

(*b*) Calvinus Lib. II. Instit. cap. 2. n. 4. *Græci*, inquit, *præ aliis*, *atque inter eos singulariter Chrysostomus*, *in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt*. Dolendum est, Calvino in hac parte nonnullos Catholicos consensisse. Nam Molina in *Concordia* qu. 14. art. 13. Disp. 43. data opera demonstrare conatur, *Chrysostomum*, *cum intelligere non valeret*, *quanam ratione libertas arbitrii nostri salva posset consistere*, *si Deus sua gratia nostram præveniret electionem*, *credidisse electionem*, *qua primo acceptamus bona*, *eaque facere decernimus*, *esse priorem ipsa Dei gratia*. Vasquez etiam in I. Part. S. Thomæ Disp. 89. cap. 4. & Disp. 91. cap. 8. S. Doctorem Semipelagianismi suspectum habet. Hos sequitur Richardus Simonius *Hist. Crit.* præcipuorum Comment. N. T. ap. Bossuet *Defense de la Tradition.* Lib. V. cap. 5. ut nihil dicam de Jansenio, qui fere omnibus PP. Græcis aliquid de Semipelagiano pulvere adhæsisse, passim consequitur.

(*c*) Aloysius Lipomanus in *Prænot.* ad suam catenam in Genesim: *Illud*, inquit, *etiam te admonitum esse volumus*, *ut si in toto hoc opere Chrysostomum aliquando legeris dicentem*, *homini*, *quoties is sua attulerit*, *& conatum omnem fecerit*, *abunde postea Deo gratiam suppeditari*, *caute*, *ac prudenter sanctum*, *& pium Doctorem ne in errorem illum incidas*, *& credas gratiam Dei dari propter merita nostra* &c. Dulcis mihi est hujus insignis viri memoria, qui Bergomum patriam meam pastorali sollicitudine semel, iterumque sancte, ac feliciter administravit. Cum enim a Bergomensi ad Veronensem Ecclesiam translatus fuisset, tantum sui desiderium apud omnes reliquit, ut post obitum Victoris Superantii Paulus IV. ad enixas totius civitatis preces eum Bergomensi Ecclesiæ restituerit, incredibili autem populi gestientis lætitia, solemnique apparatu triumphali porta exceptus fuit, in qua hæc erat inscriptio: *Ingredere*, *optime Lipomane*, *& tertius inter tutelaria Numina numeratur*. *Hanc urbem tuo nomini deditissimam clementia*, *æquitate cures*, *foveas*, *moderer*is. Apud Ferdinandum Ughellium Ordin. Cisterc. Tom. IV. *Italiæ Sacræ* pag. 497. edition. Venetæ 1729. Porro quam fideliter magnus iste Antistes Augustini, & Thomæ sententiis de gratia per se efficaci, & de prædestinatione gratuita adhæserit, ostendit P. Antonius Reginaldus *de mente Concil. Trident.* Part. II. cap. 6.

PROPOSITIO.

S. Joann. Chrysostomus gratiæ necessitatem ad initium, progressum, & complementum boni operis confessus est.

75. Prob. Explicatissimus sane est ille locus, depromptus ex Hom. XXII. in epist. ad Cor. (Tom. X.), ubi „Nihil ex te habes, *inquit*, sed a Deo „ accepisti ... ergo cum acceperis, habes: non hoc, „ vel illud, sed omnia quæ habes: non enim hæc „ tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia prove- „ niunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa ve- „ nit, si remissionem peccatorum, si charismata, „ si doctrinæ verbum, si virtutes, omnia inde ac- „ cepisti. Quid ergo habes, quæso te quod non „ acceperis, & ex te ipso recte acquisieris? Nihil „ dicere possis &c. " Et Hom. XIV. in epist. ad Rom. (Tom. IX.) allegans illa Apostoli verba: *Spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris*, ita loquitur: „ Ut discas, non in laboribus tantum, & „ periculis tibi gratiam adesse, sed etiam eam in „ iis, quæ faciliora videntur, tecum cooperari, „ & ubique suam conferre opem, subjungit: nam „ quid, ut oportet, oremus, nescimus ... etenim „ ad eam rem Dei ope egemus, usque adeo ho- „ mo infirmus est, & ex se nihil ". Sed & nonnulla alia in solutionibus objectionum addemus.

76. Obj. In Hom. XLII. in Gen. hæc de Abraham habet: „ Et vero istud ipsum, quod Pa- „ triarcha, qui ante gratiæ tempus, & ante le- „ gem fuit, a seipso, & scientia, quæ naturæ in- „ sita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, „ sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet. „ At forte dicent aliqui, quod vir ille multam a „ Deo gratiam consecutus sit, & omnium Domi- „ nus ejus singularem habuerit curam? Fateor ita „ esse & ego. Verum nisi & ipse, quod suum „ erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset ... „ vidistis, quomodo ab initio, quæ a se ipso e- „ rant, attulerit, & propterea Divina quotidie u- „ bertim susceperit ". Post autem nos ad imitandum Patriarcham exhortans, ita pergit: „ Cum „ viderit (*Deus*) sanam mentem nostram, & nos „ conari, & eniti ad virtutis agones, statim & nu- „ tu suo adjuvat &c. " Hom. XII. in epist. ad Hebr. „ Nostrum quidem est, *ait*, præeligere, & velle, „ Dei autem est perficere, & ad finem deducere: „ *& iterum:* quando nos elegerimus, tum mul- „ tum nobis affert auxilium ". Quorum gemina sæpe alibi habet.

77. Resp. Hæc, & similia loca ista esse intelligenda, ut nostrum sit nos præparare, eligere, & velle cum adjutorio tamen primæ gratiæ prævenientis, Dei autem ubertim adjuvare, & perficere, per subsequens fortius auxilium, quale ad operis executionem requiritur; cum enim in executione operis majora obstacula inveniantur, majore etiam gratia homo indiget. Nempe Sanctus Doctor prima gratiæ veluti semina, quibus pii & salutares voluntatis motus exoriuntur, ab aliis uberioribus gratiæ donis distinguit, quibus in opera charitatis perfecta erumpimus, nosque piis voluntatis desideriis majora Dei auxilia promereri docet: eodem plane sensu, quo Apostolus Paulus ad Eph. V. 14. dicebat: *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*, & passim Scripturæ nos hortantur, ut oremus, pulsemus, petamus, quæ si fecerimus, Deum nobis ad profectum adfuturum esse promittunt.

78. Hanc, & non aliam esse S. Jo. Chrysostomi mentem, ex eo maxime liquet, quod alibi aperte doceat, nihil esse in nobis boni, quod a Deo non acceperimus, & ab eo nos in omnibus præveniri. Nam præter illa, quæ superius attulimus, Hom. XXXVIII. in Gen. dicit: *Deum preces nostras semper prævenire*. Hæc autem XIII. in Joannem: *Gratia Dei*, inquit, *semper in beneficiis priores sibi partes vindicat; non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem*. Quid luculentibus pro gratuitate gratiæ prædicanda? Similia habet Hom. LXXI. in Joann. ad illa verba: *Sicut ego dilexi vos*, ubi Deum sic loquentem inducit: *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incœpi*. Quod autem aliquando non ita clare & accurate mentem suam aperuerit, id tribuendum est partim, quod nondum exortis subtilitatibus Pelagianorum, & Semipelagianorum, Patres de severa verborum proprietate servanda minus solliciti erant; partim, quod notat P. Montfauconius (in Diatr. I. Tom. XIII. p. 180.), quia S. Doctor ad populum verba faciens, plerumque ex tempore, *serio verbis omnibus, & dictis advigilare non poterat, in rebus maxime, quæ nondum publicis Ecclesiæ legibus assertæ fuerant*. Sæpius etiam, quæ ad omnem temporis & desidiæ excusationem tollendam facere videbantur, exaggerare studebat (a).

79. Dices primo. Quid sibi volunt verba illa de Abraham: *a seipso, & a scientia, quæ naturæ insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium* &c.? Annon omnem prorsus gratiam etiam initialem excludunt?

80. Resp. hæc non excludere gratiæ initialis necessitatem, sed solum legem scriptam, nempe dicit, Abraham, sine adjumento legis scriptæ, a se-

(a) Photius in *Biblioth.* Cod. 329. observat, mirum non esse, aliqua, quæ profundiorem explicationem exigere videbantur, non ita diligenter ab eo fuisse exposita; potius enim studebat, se auditorum captui accommodare, eorumque utilitati inservire, quam profundiores quæstiones resolvere.

seipso, & a scientia, quæ naturæ insita est, per legem naturæ lumine notam, cognovisse ea, quæ agenda sunt; ita, ut ope gratiæ potuerit ad summum virtutum fastigium pervenire; quod exemplum fidelibus proponit, ut demonstret, nos majori legis, & Evangelii lumine perfusos, & uberioris auxilii confirmatos nullam excusationem habere, si corpore, & desidia languemus.

81. Dices secundo. Hom. XII. in epist. ad Hebr. inquit: „ Oportet nos eligere, & cum elegerimus, „ tunc (*Deus*) affert, quæ sua sunt. Non præ- „ venit nostras voluntates, ne perdat nostrum li- „ berum arbitrium ".

82. Resp. hic solum excludi gratiam, quæ liberum arbitrium evertat: non ita S. Chrysostomus liberum defendebat arbitrium, ut gratiam negaret. Insignis inter alios locus est Hom. XXII. in Gen. (Tom. IV. pag. 194.), ubi ait: Quid in nostra „ voluntate totum post gratiam relictum est, ideo „ & peccantibus supplicia parata sunt, & bene „ operantibus merces, & præmia ".

83. Dices tertio. Idem Sanctus Hom. XXXI. Sermonem habens de Pelagia Virg. & Mart., eam dicit, habuisse consiliarium Jesum, *quoniam Martyr ipsa illius auxilio se dignam antea præbuerat*.

84. Resp., eodem modo hæc etiam explicanda esse, nempe Sancta hæc Virgo, & Martyr gratiæ minoribus donis præventa, se dignam reddidit prodigiosa illa animi fortitudine, quæ cunctis fuit admirationi; unde ibid. subdit: „ Itaque ipsam & „ admirari, & beatam dicere merito debemus: bea- „ tam, quod Dei præsidium, atque opem habue- „ rit, admirabilem, quod tantam animi fortitudi- „ nem ostenderit ".

85. Atque hac regula plures veteres Patres, præcipue Græcos ad Augustini, immo totius Ecclesiæ sensum, a quo aliquatenus distare videntur, facile adduci posse observavit Sixtus Senensis (*Biblioth. Sanct.* Lib. VI. adnot. 251.), ac post ipsum Petavius (Lib. IX. de Deo cap. 4. n. 8.), ubi inquit: „ Non raro veteres, cum de gratia lo- „ quuntur, plenam, & perfectam intelligunt; non „ inchoatam, ac rudem, quæ prima nominatur, „ cujus plerumque mentionem non habent ... ut „ Theodoretus, Photius, Œcumenius, Theophyla- „ tus, atque ipse quoque Chrysostomus ... non „ enim primum voluntatis motum, & rationis in „ gratia numerant, veluti pia desideria, quibus „ ad pleniorem quærendam (*fidem*), ac Dei no- „ titiam, & amorem excitamur; quæ sunt excel- „ lentiora gratiæ munera; proindeque gratiæ no- „ men, ac titulum præcipue merentur ".

CAPUT IV.

Demonstratur gratiam, quæ ad fidem, & opera salutaria necessaria est, non tantum in illustratione intellectus, sed etiam, immo potissimum in motione voluntatis esse sitam.

86. Dion. Petavius in Lib. unic. *De Pelag. & Semipelag. hæresi* cap. 10. n. 12. primo observat controversiæ caput Augustinum inter ac Semipelagianorum factionem fuisse, quod isti gratiam Christi in sola mentis illustratione illam esse contenderent, sine ulla motione voluntatis, Augustinus autem hanc posteriorem maxime esse Christi gratiam arbitratus sit: secundo in eo vult a Pelagianis Semipelagianos discrepasse, quod Pelagiani eam illustrationem admitterent, ut *utilem solum*, minime autem, ut necessariam, Semipelagiani vero eam prorsus necessariam esse judicaverint: demum num. 16. hæc subdit: „ Si sic forte, ac firmum Pe- „ lagius liberum vellet esse arbitrium ad non pec- „ candum, ut tamen sine gratia illa illustrationis, „ quam minime necessaria judicabat, id efficere, „ atque adimplere posse faterentur ... *non illum* „ *Augustinus reprehenderet* &c. " Immo vult, modo etiam esse Theologos plane Catholicos, qui eam gratiam, cujus necessitatem S. Augustinus contra Pelagianos tantopere vindicavit, quamque in pluribus conciliis definivit Ecclesia, in sola mentis illustratione reponunt; aliam autem, quæ in voluntatis permotione sita est, *utilem* quidem esse fatentur, non tamen necessariam. Ita Petavius (*a*).

85. Verum tamen certo certius esse credo, gratiam,

(*a*) Adhuc clarius cap. IV. n. 4. ita pronuntiaverat: „ Pelagianorum a Catholicis dissensio, *non tam in gra-* „ *tia, quam in gratiæ necessitate vertebatur; neque ob* „ *id præcise pro hæreticis judicati, damnatique sunt,* „ quod gratiam negarent (nam & nonnullam admitte- „ bant, & non diversam ab ea, *quam eruditi quidam* „ *Catholici, hodieque solam asserunt*); sed quod ne- „ cessariam non esse dicerent, posseque sine interiore „ gratia Christi solis naturalibus bonis niti homines „ ad sanctitatem, & salutem, tametsi idem aspirante „ gratia facilius assequi possent. " Inferius autem cap. X. n. 12. „ Sunt autem, inquit, *quamplures Catholi-* „ *corum Theologi*, qui quam Christi gratiam vocamus, „ eam *sola mentis, sive intellectus illuminatione defi-* „ *niunt*, alteram quæ in *permotione sita est voluntatis* „ *liberæ*, cujusque modi ea sit, de quo pronuntiare „ non licet, *ut valde utilem agnoscunt, sic absolute* „ *negant necessariam videri*. Quorum tamen eatenus „ a Semipelagiano dogmate causa distat, quod a luce „ ista, illuminationeque mentis redundare aliquid in „ voluntatem asserunt. " Episcopus Suessionensis Franc. Fitz-James in sua *Instruct. Pastor.* ann. 1770. Sect. V. Part. II. cap. 6. art. 2. Harduinum, & Berruyerum reprehendit, quod non aliam videantur gratiam admisisse; quam quæ in lege, exemplis, mentisque illustratione sita est. Missum hic facio Claudium Pajonium Calvinistam, contendentem ex Adami peccato nihil aliud in nobis consequi, quam malas cogitationes, præjudicia, & errores, ad quæ tollenda sola illuminationis gratia necessaria esset. Historiam controversiæ Pajonianæ exhibet Christ. Eberhardus Weismenus in *Introduct. ad memorabilia Eccl. Hist. Sacr.* N. T. Part. II. Sæc. XVII. pag. 541. seq., ubi etiam observat, Pajonii Pelag. ab Amyraldi placitis fluxisse.

tiam, quæ ad bonum necessaria est, non in sola intellectus illustratione, sed potissimum in actuali voluntatis motione sitam esse; idque multis cum veteris, tum novi Testamenti locis perspicue edocemur. Ezech. XXXVI. 26. & 27. „ Dabo vobis „ cor novum, *inquit Deus*, . . . auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum . . . & faciam, ut in præceptis meis ambuletis ". Psal. L. 12. orabat David. *Cor mundum crea in me Deus;* & Psal. CXVIII. *Inclina cor meum in testimonia tua;* Prov. XXI. 1. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud;* & sexcenta alia sunt hujusmodi loca, in quibus nemo ambigit, nomine *cordis* intelligi voluntatem. His consonat Apostolus dicens Philipp. II. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere;* quibus ostendit etiam motum nostræ voluntatis a divina gratia oriri; & Christus ipse Joann. VI. 44. dicebat: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* ad exprimendam scilicet fortissimam illam gratiæ vim, quæ hominem ex nolente facit volentem, & consentientem per internam voluntatis immutationem.

88. Orationes etiam Ecclesiæ non eo solum diriguntur, ut lumen divinæ gratiæ impetremus, quod nobis ostendat, quæ facere debeamus, sed eo potissimum, ut talem gratiam obtineamus, qua ea, quæ agenda sunt, opere compleamus. Unde etiam ita aliquando orat: *Concede nobis nostræ voluntatis pravitatem frangere* (in Vigilia Pentecost.); *ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates &c.* (Sabb. post Dom. IV. Quadr.), ac denique Concilium Milevitanum Can. IV. *Utrumque*, inquit, *Dei donum est, scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*.

89. Sed nemo aut sæpius, aut disertius hanc veritatem inculcavit, quam S. Augustinus, Pelagianos perpetuo urgens, ut cum Ecclesia Catholica eam gratiam confiterentur, qua Deus „ Interna, „ atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum, non solum „ veras revelationes, sed etiam bonas voluntates „ (*De grat. Chr.* cap. 24.); per inspirationem „ flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis " (ibid. cap. 35.). Et tantum abest, ut sola gratia illustrationis fuerit aliquando contentus, ut potius ita Pelagium adigeret (ibid. cap. 10.): " Eam „ gratiam volumus, fateatur, qua . . . non solum „ revelatur sapientia, verum etiam & amatur; „ nec suadetur solum omne, quod bonum est, „ verum & persuadetur . . . Hanc debet Pelagius „ gratiam confiteri, si vult, non solum vocari, „ verum etiam esse Christianus (*a*) ".

90. Etiam S. Thomas Augustino semper concors, illius gratiæ necessitatem ubique agnoscit, qua *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis* (Quæst. IV. *de malo* art. unic. ad 3. (: qua *solus Deus potest mutare voluntatem interius agendo* (I. P. Quæst. 111. art. 2.) & quasi *si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur* (1. 2. Quæst. 10. art. 4.). Et in actu fidei bene observat Angelicus, non sufficere gratiam, quia Deus intellectui patefaciat ea, quæ credenda sunt: sed requiri *aliam causam interiorem, quæ movet hominem interius ad assentiendum;* unde concludit, fidem, quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, esse a Deo interius movente per gratiam (2. 2. Quæst. 6. art. 1.).

91. Et hæc adeo certa, & explorata sunt, ut doctissimus Bossuetus affirmare non dubitaverit, posse quidem in Scholis disputari de modo quo Deus corda hominum efficaciter ad bonum movet; omnes tamen Catholicos in eo consentire debere, Deum nostras voluntates pro suo beneplacito *efficaciter* movere, neque id negari posse, quin una simul Dei omnipotentia, & providentia tollantur (*Defense de la tradition* Lib. X. cap. 6.).

92. Verum objicit Petavius. (cit. cap. X. n. 15.) S. Aug. in Lib. *de Spiritu, & littera* cap. 34. ita scribit: „ Visorum suasionibus agit Deus, ut „ velimus, & ut credamus, sive extrinsecus per „ Evangelicas exhortationes . . . sive intrinsecus, „ ubi nemo habet in potestate, quod ei veniat in „ mentem; sed consentire, vel dissentire propriæ „ voluntatis est ". Et in Lib. *De gratia Christi* cap. 29. cum hæc Pelagii verba retulisset: *ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam;* nihil aliud in iis ad Catholicæ fidei salubritatem postulat, nisi ut vocem *facilius;* „ Tolle, *inquit*, facilius, „ & non solum plenus, verum etiam sanus est „ sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, possint implere „ per gratiam ". Idem dixerat cap. 27. & 28. at vero scimus, interiorem illam gratiam, quam solum utilem, non autem necessariam esse volebat Pelagius, ad solam pertinere mentis illuminationem, non autem ad voluntatis permotionem. Ita Petavius.

93. Sed mirum profecto est, virum acutissimum, & doctissimum non vidisse primo, ipsius argumentum,

(*a*) Neque id diffitetur Petavius ipse; nam cap. 8. ejusdem libri: *Augustinus*, inquit, *totam illam gratiam, quæ mentem solam, & intelligentiam afficit, ad doctrinam referebat, præter quam aliam esse necessariam putabat, quæ voluntatem ipsam, ac liberum arbitrium attingat, cum eoque, & in eo fidem, ac dilectionem efficiat, ita ut non tantum lucem præferat menti nostræ, quæ, quid faciendum sit, ostendat, sed etiam ut faciamus, ac velimus, faciat*. Quod multis S. Doctoris testimoniis, ut facile erat, luculenter ostendit. Sed postea contendit, hanc peculiarem fuisse S. August. opinionem, non autem totius Eccl. doctrinam: qua de re erit alibi opportunior tractandi locus.

tum, si aliquid valeret, id valere etiam, ut gratia pure Pelagiana sufficiat, dummodo non utilis solum, sed omnino necessaria esse dicatur. Quod si vidit Petavius, cur tanto studio conatus est demonstrare, suos illos complures Catholicos Theologos procul a Pelagiani, vel Semipelagiani contagione erroris abesse, quia *efficientiam gratiæ proxime in solam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant?* Quid id opus est? Siquidem etiamsi statuerent cum Pelagianis, ac Semipelagianis, *gratiam Christi in sola mentis illustratione sitam sine ulla motione voluntatis*, dummodo eam necessariam esse confiterentur, ut putat Petavius, Augustino plenissime satisfacerent.

94. Ego vero, pace tanti viri, fidenter assero, nihil inveniri posse inconcussis sancti hujus Doctoris principiis magis oppositum, cum in omnibus suis aureis operibus, ac potissimum in laud. Libro *de gratia Christi* totus sit, ut Pelagium adigat ad confitendam præter gratiam *illustrationis*, gratiam *voluntatis*, *&* *actionis*, qua *ipsa voluntas, & actio subministratione Sancti Spiritus adjuvatur* (*de grat. Chr.* cap. 34.). Neque vero putavit unquam S. Pater, ex mentis illuminatione aliquid necessario promanare in voluntatem, quo ejus excitetur affectus, ut proinde possit sola mentis illustratio ad bonum operandum sufficere. Nam cap. 35. „ Non est autem consequens, *inquit*, ut „ qui habet donum scientiæ, qui noverit, quid „ agere debeat, habeat etiam charitatis, ut agat “.

95. Quantum itaque attinet ad loca objecta, quis dubitet, ea ita esse intelligenda, ut perpetuæ constantique Sancti Augustini doctrinæ cohæreant? Cum igitur in eodem opere *de Spiritu, & littera* talem gratiam ubique prædicet necessariam, quæ non solum ostendat, quid faciendum sit, sed adjuvet etiam, ut fieri possit, quod ostenderit (*de Spiritu, & littera* cap. 35.); etiam alia verba, quæ habet cap. præced., ita intelligenda sunt; ut interius *visorum suasionibus* ita agat Deus, ut velimus, non solum illuminando mentem, sed etiam voluntatem movendo, ut consentiat. Et quod addit Sanct. Doctor: *Consentire propriæ voluntatis est*, explicandum est de voluntate præparata per gratiam, prout ipse multis aliis in locis uberius explicat, ut cum *de præd. SS.* cap. 5. inquit: „ Non quia credere, vel non credere non „ est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino “.

96. Cum vero reponebat Pelagio: *Tolle facilius &c.*, id debet hac ratione intelligi, ut Pelagius primum veram Christi gratiam agnosceret „ quæ „ operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates, „ per inspirationem luminosissimæ & flagrantissimæ charitatis “. Secundo ut hanc gratiam non utilem tantum, sed omnino necessariam confiteretur. Unde in fini libri *de gratia Christi* ita rem conficiebat: „ Si consenserit nobis Pelagius, non „ solum possibilitatem in homine - - - - sed etiam „ ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus - - - - nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos „ controversiæ relinquetur “.

CAPUT V.

Demonstratur, gratiam esse pure gratuitam; & celebre illud axioma: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, *esse intelligendum de eo, qui facit quod in se est ex viribus gratiæ.*

97. Cum negari a nemine possit, gratiæ dona vario ac inæquali modo a Deo distribui, quidam diversæ hujus distributionis rationem extra divinæ voluntatis beneplacitum in hominibus ipsis invenire se posse, præsumpserant, sed a veritatis tramite recedentes in magnos absurdissimosque errores se præcipitarunt. Et primum pro somnio & delirio communiter habetur opinio Origenis, qui animas hominum multo antea, quam corporibus unirentur, creatas esse ponebat, & pro bonis, malisque meritis, sibi tunc comparatis, uberiora, vel minora gratiæ dona tunc consequi. Hic merito illud usurpari potest; *Cur portenta refellam? Exposuisse sat est.*

98. Pelagiani, postquam fuere Augustini argumentis, & Ecclesiæ auctoritate ad aliquam gratiam admittendam compulsi, eam bonis nostris meritis reddi, commenti sunt (Vid. dissert. I.): Semipelagiani autem contenti erant, si aliquod saltem boni operis, vel fidei initium, vel aliquod salutis desiderium præcedere concederetur, cujus intuitu ad largiendam suam gratiam Deus moveretur. Cumque exemplo parvulorum premerentur, in quibus certe nullum excogitari potest præcedens meritum, vel demeritum, quo moveatur Deus ad gratiam baptismi concedendam, vel denegandam, ad commentitia illa bona, vel mala confugerunt, quæ habituri fuissent, si adultam attigissent ætatem. Horum error satis superius explosus est, cum demonstratum fuit ad quodcumque boni operis initium gratiam esse necessariam, unde & illud promanat, quod in Synodo Diospolitana Pelagius, ne damnaretur, confiteri debuit: *Gratiam Dei non secundum merita nostra dari.*

99. Sed fuere quidam Scolastici, qui fatebantur quidem gratiam Dei proprie meritis non reddi, contendebant tamen, posse nos saltem de congruo, & per modum alicujus dispositionis, sive propinquæ, sive remotæ eamdem aliqua ratione mereri, & impetrare. Hinc celebre & usitatissimum illud principium, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, de eo intelligebant, qui solis naturæ viribus bene operatur, & ad salutem obtinendam conatur, quatenus ipsis congruum videbatur, ut Deus aliquam istorum conatuum ratio-

nem

nem habeat, eisque suppetias ferat (a). Ita & diversæ gratiarum distributionis causam se reddere posse, & a damnatis erroribus se procul esse, putarunt.

100. P. Ludov. Molina, ut in multis aliis, ita in hac parte novum aliquid, saltem quantum ad dicendi modum afferre visus est, ita docens (in *Concord.* qu. 14. art. 13. dip. 10. & alibi): „ Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstove est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quæ fides habet, addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat ad salutem non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur: sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater æternus statuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præsto in nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet, ad salutem efficeremus, ut ea ratione dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra &c. " Molinam sequitur Lessius (*de grat. effic.* cap. 10., & in append.) cum nonnullis aliis; major enim Molinistarum pars ducis sui vexilla in hac parte deseruit.

PROPOSITIO.

Nemo solis naturæ viribus potest gratiam de congruo mereri, aut ad illam se positive disponere, immo nec impetrare ex aliquo pacto, lege, aut promissione Dei dandi gratiam ei, qui fecerit, quod in se est ex viribus naturæ.

101. Prob. primo ex S. Litt., quæ gratiæ largitionem ab uno Dei voluntatis beneplacito suspiciunt, in epist. II. ad Timoth. I. 9. *Deus non liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, nos secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.* Ad Timoth. III. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Roman. IX. 11. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major servet minori*, & ibid. vers. 18. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Ulterius homo respectu gratiæ comparatur in Scripturis, modo *luto* in manu figuli, Roman. IX. 21., modo *terræ aridæ*, Psalm. CXLII. 6. *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi:* modo *homini mortuo*, ad Coloss. II. 13. Hæc autem plane ad oculum demonstrant, ita gratiæ collationem a Dei voluntate pendere, ut nullum in nobis præcedat meritum, nulla dispositio, nulla ipsius promissio &c.

102. Præterea tantum abest, ut aliquid in nobis boni præcedat, ratione cujus Deus quocumque modo moveatur ad gratiam largiendam, ut potius Scriptura Sacra testetur, Deum nos aberrantes quærere. Id declarat David in fine Psal. CXVIII. *Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum.* Clarius id significatur in Parabola ovis perditæ Luc. XV., tum in iis verbis Isaiæ, quæ Paulus repetit Rom. X. 20. *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Quod ipsa experientia mirifice confirmat, ut in Apostolo Paulo, *quem*, inquit S. Augustin. (*de grat. & lib. arb.* cap.), *invenimus sine ullis meritis bonis, immo cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum, reddentis bonum pro malis.* Item de Matthæo, de Muliere peccatrice, de Latrone, & de pluribus aliis dici potest, qui cum omni maleficiorum, & scelerum genere pascerentur, a Deo tamen misericorditer vocati, & justificati sunt, dum interea multi alii, certe minus scelesti, fuerunt justo Dei judicio in peccato relicti (Vid. S. Aug. Lib. I. *de peccat. mer.* cap. 22. & Lib. I. *ad Simpl.* q. 2. nec non S. Prosper *contra Collat.* c. 6.).

103. Prob. 2. ex Conciliis, & quidem contraria sententia fere iisdem verbis videtur in Concilio II. Arausicano damnata Canon. 3. „ Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ (*LXV.*), vel Apostolo idem dicenti (*Rom. X.* 20.): Inventus sum a non quærentibus &c. *Can. IV.* Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit --- resistit Spiritui sancto per Salomonem dicenti (*Prov. VII. secundum Vers. LXX.*) Præparatur voluntas a Domino, & *Can. VI.* Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus ---- resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non acce-

(a) Magna Scolasticorum turba, qui huic sententiæ patrocinati sunt, recensetur ab Estio in II. *Sentent.* Dist. 26. §. 34. & a Vasquezio in I. Part. S. Thomæ Disp. 91. cap. 10. Eorum tamen præcipuos ab hoc errore purgare nititur Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Lib. IV. part. 2. tract. 5. cap. 25. & 26. Pejus, me judice, errasse censendi sunt, qui docuerunt, solis naturæ viribus posse eam attritionem haberi, quæ cum pœnitentiæ Sacramento ad justificationem sufficiat. Nam hæc sententia congruere videtur cum propositione 57. ab Innocentio XI. damnata: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Vid. Bartholomæus Medina Comment. in 1. 2. qu. 109. art. 6.

„ pisti“? Quibus in locis nulla meriti mentio habetur, & generatim docetur, gratiam non conferri intuitu alicujus operis praecedentis, quacumque demum ratione consideretur: ex quo fit, minime esse extra tale jactum, ut sibi ipsis blandiuntur, qui praetermisso, vel etiam repudiato *meriti* vocabulo, gratiam Dei duntaxat ex aliqua lege, vel pacto, conditione, vel congruentia, conantibus, & volentibus conferri putant.

104. Id ipsum manifeste eruitur ex Concil. Trident. Sess. VI. c. 5. ubi declarat, *justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente Dei gratia sumendum esse ---- ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem --- disponatur*. Male autem justificationis exordium a Dei gratia præveniente repeteretur, si istam aliqua alia dispositio præcederet, vel aliquid cujuscumque generis, ratione cujus Deus ad conferendam suam gratiam moveretur (Vid. P. Antonin. Reginaldus *de mente Concilii Trid.* P. I. c. 26.).

105. Prob. tertio ex SS. PP., quorum omnium instar unus esse potest Augustin., quo nemo melius & profundius rem hanc ad trutinam revocavit, & quo duce Ecclesia per 20. annos contra inimicos gratiæ Christi pugnavit, & vicit. Hic autem semper, & ubique a proposito divinæ voluntatis gratiæ prædestinationem, & largitionem repetit, numquam ab humanæ voluntatis dispositione, & quotiescumque illa quæstio recurrit, quare iste trahatur gratia Dei, alter non trahatur, uni detur fides, alteri denegetur, quidam perseverantiæ donum habeant, alii non habeant, non aliam solutionem invenit, nisi cum Apostolo exclamando: „ O altitudo divitiarum sapientiæ, & scien„ tiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia „ ejus, & investigabiles viæ ejus (*Rom.XI.*)! Cur „ autem, *inquit Epist.* 194., illum potius, quam „ illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui „ potest, judiciorum ejus tam magnum profun„ dum, veruntamen caveat præcepitium“, quod centies alibi repetit. Frustra autem hæc omnia, si verum sit, Deum illis gratiæ suæ dona abunde largiri, qui faciunt, quod in se est, ex naturæ viribus. Hoc enim constituto principio, cum salus in uniuscujusque manu posita sit, tota a nostræ voluntatis nutu salvandorum, damnandorumque differentia repetenda erit.

106. Prob. demum propositio auctoritate S. Thomæ, qui 1. 2. q. 109. art. 6. data opera ostendit, „ Hominem non posse se præparare ad lumen gra„ tiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum „ Dei interius moventis. *Et qu.* 112. *art.* 2. *lo„ quens de gratia*, secundum quod significat au„ xilium Dei moventis ad bonum, *sic ait:* Nulla „ præparatio requiritur ex parte hominis, quasi „ præveniens divinum auxilium, sed potius quæ„ cumque præparatio in homine esse potest, est „ ex auxilio Dei moventis animam ad bonum, & „ secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, „ quo quis præparatur ad bonum gratiæ suscipien„ dum, est actus liberi arbitrii moti a Deo, & „ quantum ad hoc dicitur homo se præparare, „ secundum illud *Prov. XVI.* Hominis est præpa„ rare animum, & est principaliter a Deo mo„ vente liberum arbitrium“.

107. Ex his, aliisque, quæ brevitatis studio missa facimus, patet, quam juste a Clero Gallicano ann. 1700. fuerint censoria virgula duæ sequentes propositiones notatæ: Prima, Axioma illud theolo„ gicum, *facienti quod in se est, Deus non de„ negat gratiam*, non solum verissimum est, at„ que doctrinæ Conciliorum, & Patrum maxime „ consentaneum, verum etiam per illud significa„ tur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam „ facienti quod in se est, nec solum facienti, quod „ est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui, „ cum non habeat gratiam, fecit quod in se est „ ex viribus naturæ. Secunda. Quia tamen ope„ ra viribus solius naturæ elicita, omnia sterilia „ sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece, „ & theologice supernaturalia; ideo dicimus, o„ bligationem, quam Deus habet conferendi gra„ tiam facienti quod est in se viribus naturæ, seu „ viribus gratiæ pure naturalis, sive non theolo„ gice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium „ operum, aut ex ullo merito sive condigno, si„ ve congruo, quod insit in illis operibus in or„ dine ad gratiam, *sed ex pacto inter Christum „ Fidejussorem nostrum, & Patrem inito, ad „ gratiam hominibus conferendam propter Chri„ sti merita: respiciendo ea naturalia opera, „ ut purum terminum, non ut meritum ullum, „ aut rigorosam conditionem.*

108. Censura autem iis duabus propositionibus inusta hæc est: Hæ duæ propositiones, qua „ par„ te causam discernendi inter justos, & non ju„ stos in opera mere naturalia referunt, *Semipe„ lagianismum instaurant*, mutatis tantum voci„ bus. Pactum autem, quod inter Deum, & Chri„ stum asseritur, *commentitium est, temerarium, „ erroneum, nec solum tacente, sed etiam ad„ versante Scriptura, & SS. Patrum traditione „ prolatum*". (apud Bossuet T. XI. pag. 141.). Hinc mirandum non est, si post hanc celeberrimi conventus Gallicani definitionem plerique Doctores sententiam, quam hactenus impugnavimus, Semipelagianismi nota infamare non dubitant (Vid. Serry Lib. II. *Hist. de Aux.* cap. 25. (a).

109.

(a) Bellarminus, qui alioquin Molinæ quantum potuit, patrocinatus est, Lib. VI. *De grat. & lib. arb.* c. 6. *Qui docent*, inquit, *hominem faciendo quod in se est, solis naturæ viribus ad gratiam præparari, aut opinan-*

109. Obj. 1. S. Aug. opusc. contra Porphirium c. 8. (seu epist. 102. olim 49. q. 2. n. 15.). *Salus religionis hujus*, inquit, *per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur*, *nulli unquam defuit*, *qui dignus fuit*, *& cui defuit*, *dignus non fuit*. Præt. Tract. X. in Joann. Catechumenos monet, *ut ad gratiam se præparent*.. Tertio, Tract. XXVI. *Si non traheris*, inquit, *ora ut traharis*. Quarto, Hom. XVI. inter 50. seu Serm. 252. in append. Tom. V. inter Serm. IV. classis: *In tuo arbitrio*, inquit, *Deus posuit*, *cui pares locum*, *Deo*, *an Diabolo?* Demum. lib. XIX. *de civitate Dei* cap. 13. Molinæ pactum totidem verbis tradere videtur, dicens, Deum hominibus dedisse ,, quædam bona huic vitæ congrua ---- eo pacto ,, æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis recte ,, usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora &c.

110. Ad 1. R. S. Doctorem seipsum explicasse Lib. II. *Retract.* cap. 31. ubi ait; ,, Quod dixi: ,, salus religionis hujus &c.. non ita dixi, tamquam ,, ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed ,, quemadmodum ait Apostolus, non ex operibus ,, &c. *Et sane idem S. Doctor* de Præd. SS. c. ,, 10. Si discutiatur, *inquit*, & quæratur, unde ,, quisque sit dignus, non desunt, qui dicant, vo- ,, luntate humana, nos autem dicimus gratia, ,, vel prædestinatione divina ".

111. Secundus locus agit de gratia baptismatis, & sanctificante, quæ in adultis utique præparationem requirit, non tamen quæ sit ex viribus naturæ sine adjutorio gratiæ. Illum enim tractatum S. Doctor habuit paulo ante Festum Paschale resurrectionis Jesu Christi, unde dicebat suis auditoribus: *Ipsius templi solutionem*, *& reædificationem* (nempe mortem, & resurrectionem Domini Jesu) ,, anniversaria solemnitate celebraturi ,, sumus: ad quam vos exhortamur, ut præpare- ,, tis vos, si qui estis catechumeni, ut accipiatis ,, gratiam (*baptismatis*). Jam nunc tempus est, ,, jam nunc parturiatur, quod tunc nascatur ". Tom. III. Part. II. Tract. X. n. 10.

112. Ad 3. Certum est ex doctrina Sancti Augustini, immo totius Ecclesiæ, nos non posse orare sine gratia. *Etiam ipsa oratio*, inquit epist. 194. ad Sixtum, *inter gratiæ munera reperitur*. Unde sensus est. Si non traheris gratia uberiore, & victrice, ora ut eamdem gratiam obtineas, juxta illud, quod alibi idem S. Doctor dicebat (in Lib. *De natura*, *& gratia* cap. 69.). *Admonemur*, *& in facilibus quid agamus*, *& in difficilibus quid petamus*.

113. Quartus locus adstruit quidem nostrum liberum arbitrium ad bonum, sed salvis gratiæ juribus. ,, Certum est, *inquit* de gratia & lib. ar- ,, bitr. *cap.* 26., nos velle, cum volumus, sed ,, ille facit, ut velimus bonum --- Certum est nos ,, facere, cum facimus, sed ille facit, ut facia- ,, mus, præbendo vires efficacissimas voluntati ".

114. Ad ult. resp. S. August. loqui de iis, qui ex gratiæ adjutorio, non autem ex solis viribus liberi arbitrii bene utuntur naturalibus bonis, quibus proinde Deus ex pacto æquissimo tribuit *ampliora*, *atque meliora*, *ipsam scilicet immortalitatis pacem*, ut ibidem subdit S. August. (*b*).

115. Obj. 2. ex S. Thoma, qui celebre illud theologicorum axioma: *facienti quod in se est &c.* pluribus in locis insinuat. Illud autem intellexisse de eo, qui facit, quod in se est solis naturæ viribus, satis aperte colligitur ex iis, quæ habet Quæst. XIV. *de verit.* art. 11. ad 1., ubi ait: ,, Si ,, aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia nu- ,, tritus, ductum naturalis rationis sequeretur in ,, appetitu boni, & fuga mali, certissime est te- ,, nendum, quod ei Deus, vel per internam in- ,, spirationem revelaret ea, quæ sunt ad creden- ,, dum necessaria, vel aliquem fidei prædicato- ,, rem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad ,, Cornelium ". Idemque sæpius repetit (Vid. Qu. XIV. *de veritate* art. 1. ad 1., & in II. dist. 28. Qu. 1. art. 4.). Ubi observandum est primo, eum loqui de homine non habente fidem, utpote in sylvis educato, adeoque de homine sine gratia, cum *fides prima detur*, *ex qua impetrentur cetera*, ut S. Augustinus ait (*de Prædest. SS.* cap. 7.) & ut S. Thomas (1. 2. quæst. 113. art. 4.) docet, *prima Conversio in Deum fiat per fidem*. Secundo, loquitur de homine, qui facit, quod in se est, *sequendo ductum rationis*, quod certe ex naturæ viribus fieri potest. Tertio, in resp. ad 2. dicit: *Quamvis non sit in potestate nostra cogno-*

tur, *cum suis viribus posse desiderare*, *& petere a Deo gratiam & hæc est hæresis Pelagiana... aut certe existimant*, *posse hominem servare propriis viribus omnia præcepta moralia*, *& innocentem vitam agere secundum rationem*, *& hac sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum*, *quo tandem ad fidem*, *gratiamque perveniat: sed hæc quoque est hæresis Pelagiana* &c. Conter etiam Natal. Alexandrum in epist. XLII. Append. I. ad *Tom. I. Theol. Dogmat. Moral.*

(*b*) Nota est adulteratio hujus loci facta a P. Valentia in Congregat. *De Divinis Auxiliis*. Ita enim legebat: *eo pacto æquissimo*, *ut quicumque mortalis talibus bonis ... recte usus fuerit*, *accipiat ampliora atque meliora* (hoc est spiritualia dona gratiæ), *& ipsam immortalitatis pacem*. At vero vitiatum esse locum reposuit Thomas de Lemos, & aperto lib. Sancti Augustini, legendum esse ostendit: *scilicet ipsam immortalitatis pacem*; ut nempe significetur, bene utentibus temporalibus bonis dari ampliora, atque meliora, quæ non sunt, nisi *pax immortalitatis*, seu ipsa vita æterna: utque ita cum plusquam certum sit, vitam æternam non reddi nisi meritis gratiæ, liquido apparet bonum usum mortalium bonorum, non esse nisi ex gratia. Vid. Serry Lib. III. *Hist. de Div. Auxil.* cap. 5. & Lib. V. Sect. 6. cap. 3. & ipse P. Thomas de Lemos *Hist. De Div. Auxil.* Disp. IX. pag. 278. & seq.

gnoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis, tamen si nos fecerimus, quod in nobis est &c. Ubi si facere quod in nobis est intelligeretur ex viribus gratiæ, eodem modo hoc non esset in nostra potestate, sicut in nostra potestate non est credere. Addi potest quod habet eadem qu. XIV. *de verit.* art. 10. ad 5., nempe homini datam esse rationem, *per quam & necessaria hujus vitæ sibi parare potest, & disponere se ad recipienda auxilia divinitus futuræ vitæ.*

116. Resp. S. Thomam theologicum illud axioma, *Facienti &c.* semper (*a*) intellexisse de eo, qui facit quod in se est ex viribus liberi arbitrii, gratia præveniente adjuti. S. Doctor mentem suam adeo luculenter aperuit; ut hoc potius gravissimum nostræ, & communi opinioni pondus accedat. Nam in 1. 2. qu. 109. art. 6. postquam data opera demonstravit, non posse hominem se præparare ad gratiam, quin „ Præsupponatur aliquod „ auxilium gratuitum Dei interius animam mo„ ventis, sive inspirantis bonum propositum ", objicit sibi hoc ipsum axioma: „ Si homo facit „ quod in se est, &c; *cui ita respondet.* Nihil „ homo potest facere nisi a Deo moveatur, secun„ dum illud Jo. XV. Sine me nihil potestis face„ re; & ideo cum dicitur homo facere quod in se „ est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secun„ dum quod est motus a Deo". Nec aliter loquitur Lect. III. in cap. X. Epist. ad Rom., ubi cum dixisset: „ Si qui fecissent, quod in se est, Do„ minus eis secundum suam misericordiam pro„ vidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut „ Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus, *sub„ dit;* Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt „ quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, „ ex Deo est movente corda ipsorum ". Quibus omnibus patet, quo sensu laudatum theologicum axioma fuerit a S. Thoma usurpatum: Deum scilicet gratiam suam sanctificantem, vel etiam auxilia uberiora ad eamdem consequendam nunquam iis denegare, qui gratia præveniente bene utentes faciunt quod in se est, ut enim Lemosius observat (*in Panoplia gratiæ* Lib. IV. P. I. tract. 5. c. 23. & seq.); ubicumque S. Doctor hoc axioma usurpat, semper agit de præparatione ad gratiam Sanctificantem, quæ certe nemini datur, nisi facienti quod in se est, nempe nisi debitæ dispositiones præcesserint. Absurdum est autem, Angelicum Doctorem sensisse unquam, posse nos ex solis liberi arbitrii viribus ad gratiam sanctificantem nos ipsos præparare, quod plus quam Pelagianum est, & ab ipso sexcentis in locis data opera confutatur.

117. Quæ vero opposita sunt, facile expediri possunt. Nam ad primum resp., etiam ante fidem actualem, & expressam auxilia gratiæ hominibus concedi, quibus moveantur ad fidem, & per ipsam ad justificationem. Unde S. Augustinus *de dono persev.* cap. 16. ait: *Prævenit ergo & fidem gratia.* Et Alexander VIII. hanc propositionem damnavit: „ Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hu„ jus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Chri„ sto influxum ". Si itaque homo in sylvis enu„ tritus faceret quod in se est, sequendo ductum „ rationis a gratia excitatæ & motæ; Deus qui cœpit opus bonum, perficeret; cumque justificatio in lege nova sine fide explicita in Christum Jesum haberi nequeat, vel per interiorem inspirationem, vel per Angelum, vel per Prædicatorem, ei Christi Evangelium revelaret.

118. Ad secundum dico, posse hominem in statu naturæ lapsæ sine gratia aliqua faciliora mandata servare, non tamen omnia (prout inferius declarabitur), & insuper ea servare posse solum quantum ad substantiam, & sine ullo merito: ita ut ex tali observantia nulla resultet dispositio ad gratiam.

119. Ad tertium. Angelicus non dicit eodem modo in nostra potestate esse cognoscere ea, quæ sunt fidei, ac sequi ductum rationis: nam hoc secundum *immediate* est in nostra potestate, supposita gratia interiore; primum autem nonnisi *mediate* dici potest esse in nostra potestate; quatenus si prima gratia bene utentes fecerimus quod in nobis est, etiam fidei gratiam impetrabimus.

120. Ad quartum similiter cum S. Thomas dicit, posse hominem se disponere *ad auxilia divinitus futuræ vitæ*, manifestissime liquet, ab ea dispositione eum non excludere gratiam; quia ibi loquitur de auxiliis *futuræ vitæ*, nempe beatæ in cœlis, ad quam consequendam requiri gratiam, S. Thomas data opera probat 1. 2. qu. 114. art. 2.

121. Inst. I. S. Thomas I. P. quæst. 62. art. 6. docet, Deum dona gratiarum, & perfectionem beatitudinis Angelis contulisse, *secundum gradum naturalium*, sed habita ratione, & proportione eo-

(*a*) Dixi, semper, neque enim iis facile subscribo, qui S. Thomam mutasse sententiam putant, & seniorem, ac doctiorem factum in *Summa Theol.* retractasse, quæ hac de re junior docuerat. Non, inquam, huic opinioni facile subscribere possum, cum videam, eum non minus perspicue se explicasse in IV. *Sent.* Dist. 17. qu. 1. art. 2. Col. 1. ubi inquit: *Unde relinquitur, quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum, & desiderium, & ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti, quod quidem impedimentum est peccatum, & ideo per displicentiam peccati, & affectum ad Deum, se aliquis ad gratiam præparat, & quando hæc duo efficaciter facit, dicitur facere, quod in se est, & gratiam recipit.* In meridie plane cæcutiat necesse est, qui non videt, Angelicum loqui de gratia justificante, quam Deus non denegat facienti quod in se est, ex Dei auxilio *per displicentiam peccati, & conversionem ad Deum.* Ceterum negari non potest, eum, præcipue de gratia, multo accuratius in Summa Theologica esse locutum.

eorumdem naturæ: ergo eadem ratione, &c.

122. Resp. Neg. cons. & discrimen affert ibid. Angelicus in resp. ad 1., quanquam enim Deus Angelis contulerit gratiam, secundum gradum naturæ eorum, adhuc tamen gratia erat mere gratuita, quia ipse gradus naturæ Angelorum *immediate* a Deo erat, qui sua sapientia diversos gradus in angelica natura instituit, *& gradus naturæ ad gradus gratiæ ordinavit*. At vero opera bona elicita ex solis naturæ viribus non sunt immediate a Deo, sed ab homine, unde sequeretur, gratiam Dei non esse gratuitam, si eorum intuitu conferretur. Quamobrem idem S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 3. ostendit, quod „ Quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel „ ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex „ voluntate Spiritus Sancti, distribuentis sua dona, prout vult. Unde & Apostolus dicit ad Ephes. IV. unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi ". (Vid. totus articulus).

123. Inst. 2. Idem S. Doctor 1. 2. qu. 114. art. 3. dicit: „ Opus meritorium si consideretur secundum substantiam, & secundum quod procedit „ ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem, sed „ est ibi congruitas propter quamdam æqualitatem „ proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus „ recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ de condigno &c.": admittit ergo Angelicus in operibus bonis ordinis naturalis, seu prout procedunt a solo libero arbitrio, aliquod meritum *de condigno*.

124. Resp. S. Thomam ibi sumere liberum arbitrium, per exclusionem gratiæ habitualis, quæ radix est, fons, & origo *meriti de condigno*; non autem per exclusionem gratiæ actualis, sine qua nullum meritum, neque de *congruo* esse potest. Cum autem subdit, opus secundum quod ex gratia procedit, mereri vitam æternam *de condigno*, opus considerat, prout ex gratia tum actuali, tum habituali procedit; utraque enim ad meritum *de condigno* requiritur. Eadem ratione nonnulla alia loca explicanda sunt, in quibus docet, nos sine gratia ad gratiam præparare nos ipsos posse (*a*). Confutat quippe S. D. opinionem quorumdam, qui aliquod gratiæ habitualis donum necessarium esse dicebant, ut homo ad gratiam se præparet. Absurde plane; res enim hoc modo procederet in infinitum (Vid. in II. Dist. 28. qu. 1. art. 4.). Ceterum non excludi auxilium transiens docet sexcentis in locis. Quæst. XXIV. de Verit. art. 15. „ Per hoc, *inquit*, quod hominis est se ad gratiam præparare per liberum arbitrium, non excluditur necessitas auxilii divini. *Immo ibid.* ostendit, ad errorem Pelagianum pertinere quod „ homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio gratiæ ".

125. Clarissime etiam se explicat Angelicus I. P. quæst. 62. art. 2. ad 3. inquiens: „ Triplex „ est conversio ad Deum, una quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ jam Deo „ fruentis; & ad hanc conversionem requiritur „ gratia consummata. Alia conversio est, quæ est „ meritum beatitudinis; & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. „ Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non „ exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio „ Dei ad se animam convertentis, secundum illud Threnor. ult. Converte nos Domine ad te, „ & convertemur. " Quid clarius?

126. Inst. 3. In Lib. III. *Contra Gentiles* cap. 159. S. Thomas docet, neminem quidem posse gratiam promereri, posse tamen per liberum arbitrium impedire gratiæ receptionem, vel non impedire, unde concludit, merito in culpam imputari ei, qui impedimentum ponit gratiæ receptioni: „ Deus enim, quantum in se est, paratus „ est omnibus gratiam dare . . . . sicut sole mundum „ illuminante in culpam imputatur, ei, qui oculos claudit &c. „. At vero qui facit quod in se est, nullum gratiæ obstaculum ponit: ergo &c.

127. Resp. cum eodem Angelico (Lect. III. in cap. XII. epist. ad Hebr.), *quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit*; quod etiam sæpe alibi repetit; immo in ipso loco nobis objecto prius dixerat: „ Licet aliquis „ per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec „ pro-

(*a*) In II. Lib. Sent. Dist. XXVIII. qu. 1. art. 4.; ubi quærit, *utrum homo possit se præparare ad gratiam sine aliqua gratia? respondet, quod si gratia accipiatur pro dono gratuito Dei* excitantis nos ad conversionem, *nulli dubium est, quod homo sine gratia Dei non potest se præparare ad habendam gratiam gratum facientem. Si autem*, subdit, *accipiatur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuso, sic duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare, nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ*. Hanc autem opinionem refutat etiam ex hoc inconvenienti, *quod secundum hoc esset abire in infinitum*; ac demum ita concludit: *Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio* (nempe sine gratia habituali, non tamen sine gratia actuali) *se homo potest præparare; faciendo enim quod in se est, gratiam a Deo consequitur &c.* In quibus verbis, si aliqua difficultas adhuc superesse videatur, tollenda est ex doctrina, quam postea Angelicus constanter tradidit in Summa Theol., ubi majori ἀκριβείᾳ, præsertim in hac materia locutus est.

„ promereri, nec acquirere possit, potest tamen „ se ipsum impedire, ne eam recipiat.": ubi aperte docet, non solum viribus liberi arbitrii non posse nos gratiam promereri, sed nec *acquirere* posse. Videtur insuper eo loco S. Doctor loqui de gratia habituali, quam Deus omnibus paratus est dare, qui se ad illam recipiendam disposuerit, & quam nullo modo promereri possumus per liberum arbitrium, quanquam per idem liberum arbitrium possumus eam non recipere.

128. Ulterius, ut recte Sylvius observat, per hoc solum, quod homo non ponat obicem gratiæ, non facit quod in se est, ut eam recipiat; primum enim aliquid pure negativum est, quod etiam in pueris dormientibus, & amentibus, reperitur; aliud autem est aliquid positivum (*a*).

129. Obj. 3. (Lessius *de grat. effic. disp. apol. append.* ad cap. 10. num. 24.) auctoritas Scholasticorum, qui veluti certatim in hanc sententiam pedibus manibusque a 500., & amplius annis descenderunt; quorum auctoritas nauci certe facienda non est; alias sequeretur, Ecclesiam pene totam fuisse in errorem prolapsam; præcipue quia hæc est fere omnium fidelium persuasio, scilicet Deum sibi non defuturum, si ipsi suis naturalibus viribus bene utentes fecerint, quod in se est.

130. Resp. Otium nobis non esse de singulis scholasticis Doctoribus diligentius inquirere; nec vero dubitamus, si id fieret, non paucos repertum iri absurdæ illius opinionis perperam accusatos. Id testatur Thomas de Lemos, qui loca ab adversariis citata ad trutinam revocandi molestam provinciam assumpsit. Sed etiamsi verum esset, Scholasticos plerosque plus rationi, quam auctoritati deferentes in hanc laxitatem descendisse, nobis minime religioni duceremus, eos deserere, cum ipsi prius Augustinum, aliosque Patres, immo sanam Ecclesiæ doctrinam deseruerint; absit vero, ut credamus, Ecclesiam ab antiqua sua doctrina ullo unquam tempore vel minimum declinasse, & novæ quorumdam recentiorum opinioni calculum suum adjecisse. Illa ad summum toleravit, ut multos alios errores, & multa mala tolerare quotidie cogitur; unde S. Augustinus alicubi dicit: *Multa tolerat Ecclesia, quæ non probat.*

131. Obj. ult. Rationi congruum videtur, ut Deus iis potius gratiam conferat, qui faciendo quod in se est, ea minus indigni inveniuntur, quam aliis. Insuper materia dicitur præparari, & disponi ad aliquam formam, ex quo forma contraria paullatim auferatur: ergo etiam homo, dum a peccatis abstinet &c.

132. Ad 1. resp. Potius Dei attributis congruum videri, ut Deus nullam meritorum nostrorum naturalium rationem habeat; quo omnes intelligant, gratiam esse donum indebitum; nihil habere nos, unde gloriari possimus; totum Deo esse tribuendum, in eoque uno esse omnem spem nostram ponendam.

133. Ad 2. Non magnopere repugnaverim, si quis in homine minoribus peccatis coinquinato aliquam majorem dispositionem *negativam* agnoscere velit; ita tamen, ut nullo modo sit cum gratiæ largitione connexa; nam usu rerum quotidiano quosdam ita *negative* dispositos a Deo deseri videmus, aliosque minus dispositos vocari, & assumi. Sed illud etiam addendum, potius dici debere, hos homines esse minus indispositos quam magis dispositos. Sicuti lignum aridum facilius ignem concipit, quam viride, & humidum; non quod ariditas sit proprie aliqua dispositio ad ignem, & cum igne conjuncta (lignum enim quantumcumque aridum sit, nunquam ardebit, nisi ab agente illi ignis admoveatur) sed quia quo minus lignum est humidum, eo minus igni ardenti resistit (*b*).

CAPUT VI.

Demonstratur, gratiam Dei actualem etiam justis necessariam esse ad singulos actus bonos.

134. Inter fidei dogmata contra Pelagianos definita, illud etiam est, *Gratiam dari ad singulos actus*. Nam, ut S. Augustin. narrat (*de gestis Pelagii* cap. 14.), Pelagius in Synodo Diospolitana coactus est hanc Cœlestii propositionem damnare: „ Gratiam Dei, & adjutorium non ad „ singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, „ vel in lege, ac doctrina". Præterea inter sententias, quas S. Aug. Vitali Carthaginensi, tamquam totidem dogmata catholica proposuit, hæc erat num. 3. *Scimus* (gratiam Dei) *majoribus ad singulos actus dari*. Quod quidem unice de actibus bonis, piis, salutaribus, & ad vitam æternam pertinentibus intelligendum est; etenim 214. Episcopi in concilio Africano, ut S. Prosper refert (in resp. ad 8. capitula Gallorum), definierunt, *Gratia Dei per J. C. Dominum, non solum ad cognoscendum, verum etiam ad faciendam justi-*

(*a*) Plura S. Thomæ testimonia, & tam quæ videntur nobis contraria, quam quæ sunt nostræ, & communi doctrinæ consentanea, videri possunt ap. Lemos loco supra cit. & apud Billuard Tom. VI. Dissert. 3. art. 7. Sed quæ videntur nobis adversari, facile poterunt ex dictis explicari.

(*b*) Nonnulla alia argumenta levioris momenti videri possunt apud P. Berti Lib. XIV. cap. 12., Estium in II. Dist. 26. §. 30., Sylvium Comment. in 1. 2. qu. 109. art. 5., aliosque Scholasticos, præcipue autem apud Thomam de Lemos, qui hanc quæstionem fusiori calamo tractavit in *Panoplia gratiæ* Lib. IV. P. I. tract. 6. cap. 11., & seq. Vid. etiam P. Jacobus Le Bossu Ord. Bened. animadv. 34. in doctrinam Molinæ apud P. Antonin. Reginaldum *De mente Conc. Trid.* pag. 1914. seq. & Bellarminus Libro VI. *de grat. & lib. arb.* cap. 5. & seq.

stitiam, *nos per actus singulos adjuvari*; *ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis cogitare*, *dicere*, *agere valeamus*. Quam Conciliarem constitutionem fuisse a toto mundo receptam, ibidem S. Prosper affirmat.

135. Cum id certum sit, Theologi quidam dubium moverunt, quænam illa gratia sit, quæ ad singulos actus necessaria dicitur; an scilicet actualis, vel habitualis tantum sufficiat. Sufficere habitualem tantum putavit Molina, qui propterea docuit, hominem gratia sanctificante instructum, cum solo naturali & ordinario concursu, hoc est sine gratia actuali posse bonum opus salutare exercere (*a*): Ut hujusmodi falsa opinio explodatur, sit

PROPOSITIO.

Gratia actualis necessaria est ad singulos actus pios, *& salutares*, *etiam iis*, *qui gratiam habent habitualem*.

136. Id probant primo omnia testimonia Scripturarum, & SS. PP. superius contra Pelagianos, ac Semipelagianos allata, quibus dicitur, *nihil nos habere*, *quod a Deo non accepimus*. Si enim ad aliquod bonum opus faciendum gratia habitualis sine actuali sufficeret, consequens foret, ex duobus justis gratia sanctificante æqualiter ornatis, eum, qui bene agit aliquid præ altero habere, a Deo non acceptum, de quo proinde etiam gloriari posset.

137. Sed id ipsum multo efficacius probatur ex orationibus Ecclesiæ, quibus etiam justi juge & perenne auxilium Dei, ad bene operandum a Deo implorant. Nam & David, quamvis Dei gratia sanctificatus t orabat: *Adjutor meus esto Domine*, *ne derelinquas me*. *Deus in adjutorium meum intende*: & justi omnes, ipsius exemplo eadem verba identidem repetere consueverunt. Unde Concil. Arausicanum c. 10. „ Adjutorium Dei, „ *inquit*, etiam renatis, ac Sanctis semper est „ implorandum, ut ad finem bonum pervenire, „ vel in bono possint opere perdurare “. Ac vero si gratia habitualis ad singulos pietatis actus sufficeret, supervacaneum, immo stultum foret, adjutorium Dei postulare; ut enim centies contra Pelagianos S. Aug. repetebat: *Quid stultius*, *quam orare*, *ut facias*, *quod in potestate habes* (*de Nat. & grat.* cap. 18., epist. ad Vital., & alibi)?

138. Prob. ult. ex S. Thoma, qui 1. 2 qu. 109. art. 9. probat: „ eum qui jam consecutus est gratiam (*habitualem*), non posse per se ipsum operari bonum, & vitare peccatum absque auxilio gratiæ (*actualis*). *Il autem probat primo ex S. Aug.*, *qui Lib.* de nat. & grat. *cap.* „ 26. Sicut oculus corporis, *inquit*, plenissime „ sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic & homo perfectissime etiam justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere “. Post autem ita pergit Angelicus: „ Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo, „ quantum ad aliquod habituale donum, per quod „ natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ „ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. „ Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a „ Deo moveatur ad agendum... & hoc propter „ duo. Primo quidem ratione generali propter hoc, „ quod nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ (ut „ probavit art. 1. ejusdem qu.). Secundo ratione „ speciali, propter conditionem status humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam sanetur, „ quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per „ quam servit legi peccati; ut dicitur Rom. VII. „ 25. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam *quid oremus*, *ut oportet*, *nescimus*; ut dicitur Rom. „ VIII. 26. Propter varios enim rerum eventus, „ & quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat, secundum illud Sap. IX. 14. *Cogitationes mortalium timidæ*, *& incertæ providentiæ nostræ*... & propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: „ *& ne nos inducas in tentationem*; *& fiat voluntas tua*, & cetera, quæ in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia “.

139. Obj. 1. Christus Dominus gratiam comparat semini, quod ex se fructificat, etiamsi alia operatio non accedat, inquit enim Marci IV. 26. & seq.: „ Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo

(*a*) In *Concordia* qu. 14. art. 13. disput. 8. *Postquam vero*, ait, *habitus* (fidei) *est infusus*, *is cum generali concursu Dei satis est ad eliciendos actus credendi supernaturales*, *fini supernaturali accommodatos*. Idem sæpe alibi docet. Etiam Lessius, & Hamelius propter hanc sententiam reprehenduntur in *Justificatione censuræ Lovaniensis*. Et certe omnes illi, qui putant, voluntatem tantis pollere viribus, ut possit seipsam flectere, & determinare æque ad bonum consentiendo gratiæ, ac ad malum resistendo, consequenter docere videntur, gratiam non tam esse necessariam ad bonum faciendum, quam ut bonum illud sit in ordine supernaturali. Cum autem justi gratia sanctificante instructi, jam sint in ordine supernaturali, illis in hoc systemate non videtur necessaria alia gratia actualis ad operandum. Celebris Ruardus Tapperus, quem in Semipelagianorum errores inclinasse alibi monuimus (in nota ad n. 90. Diss. I.) hanc ipsam quæstionem olim moverat, an homo per solos habitus infusos fidei, spei, & charitatis cum solo generali auxilio absque speciali gratia actuali possit bene operari. Contra quem priscam S. Augustini doctrinam nervose defendit P. Gaspar Casalius Lusitanus in opere *De quadripartita justitia*, quod ann. 1562. Patribus Concilii Tridentini obtulit, I. parte lect. I. cap. 7.

„ mo jaciat sementem in terra, & dormiat .... „ & semen germinet ... ultro enim terra fructificat &c. "; ergo præter gratiam habitualem ad bene operandum non requiritur alia gratia actualis, adeoque &c. Accedit, quod idem Salvator ait Joan. IV. 14.: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam;* quibus verbis luculenter insinuatur, gratiam habitualem esse veluti fontem, unde bonæ operationes, tamquam rivuli, perenniter emanant. Simile est etiam, quod Christus dicebat ibid. c. VI. 51. & 52.: „ Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in „ æternum ".

140. Resp. Utique gratiam habitualem ex se fructus bonorum operum producere, sed non sine rore aliarum gratiarum actualium; quemadmodum ut semen crescat, & fructum afferat, requiritur ros, & pluvia de cœlo. Et si justi nullo amplius indigerent gratiæ cœlestis auxilio, eos Christus non monuisset, ut *vigilarent, & orarent, ne intrarent in tentationem* (Matth. XXI. 41.). Quæ Christi adhortatio nihil aliud sibi vult, nisi justis etiam esse perpetuo Dei auxilium implorandum, ne tentationi succumbant, & cadant.

141. Obj. 2. Synodus Africana celebrata an. 418. cap. 4. ita definit: „ Quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem „ peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, „ non etiam ad adjutorium, ut non committantur, „ anathema sit ".

142. Resp. Nomine gratiæ, qua justificamur, non intelligi gratiam sanctificantem, qua *formaliter* justificamur, ut scholæ loquuntur; sed gratiam actualem, quæ ad justificationem nos perducit, & in justitia conservat. Editus est enim ille canon contra Pelagium, qui Catholicorum argumentis convictus gratiam tandem admiserat, sed eam solum, qua nobis ex naturæ viribus pœnitentibus Deus peccata remittit, non eam, quæ adjuvat, ut iterum non peccemus.

143. Inst. Gratia habitualis ad hoc nobis datur, ut ejus beneficio bonum agamus, & declinemus a malo; etenim omnes habitus supernaturales ideo nobis a Deo infunduntur, ut in actus erumpant; alias frustra infunderentur: ergo ad bonum quodcumque operandum sola gratia habitualis sufficit.

144. Resp., Habitus supernaturales nobis dari, ut in actus sibi proportionatos erumpant, accedente tamen auxilio divino actuali, cujus est voluntatem determinare, ut habitibus supernaturalibus uti velit; habitus enim, ut S. Thomas observat 1. 2. qu. 78. artic. 2., definitur: *quo quis utitur, cum voluerit*. Ut autem velimus, necessaria est gratia actualis, & quidem, ut inquit S. Thomas supra citatus, *propter duo &c.* (Vid. n. 138.). Immo addit Angelicus, (ib. ad 1.), *quod etiam in statu gloriæ; quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit;* unde infert, multo magis divino auxilio hic opus esse, *ubi aliqualiter gratia imperfecta est*.

145. Inst. 2. Ad summum ex his sequeretur, requiri in justis aliquem concursum Dei ordinarium, non autem gratiam actualem. Nam certum est, posse nos ex insitis naturæ viribus cum ordinario concursu Dei aliquod opus bonum morale naturalis ordinis facere, ut faciunt peccatores, & infideles. Id autem si faciat justus, hoc ipso erit opus supernaturale, & meritorium, utpote a principio supernaturali proveniens, nempe habitu gratiæ sanctificantis: ergo saltem ad aliqua faciliora opera bona peragenda justi non indigent gratia actuali.

146. Resp. In eo positum esse magnum discrimen, quod natura ex solo concursu ordinario Dei potest habitus naturales ad actum reducere; non autem valet ad reducendos in actum habitus supernaturales, qui sunt in justis, cum isti ad ordinem superiorem pertineant. Et quamquam spectata rei substantia iidem videantur actus virtutum tum in justis, tum in peccatoribus, ac paganis, differunt tamen toto cœlo dignitate, & modo; unde actus pietatis, & salutares, saltem quatenus in Deum tendunt, debent ab actuali Dei gratia inspirante, movente, & cooperante originem trahere (*a*).

147. Obj. 4. S. Aug. in libris *de Prædest. SS., & de dono perseverantiæ* omnes ingenii sui nervos intendit, ut evincat necessitatem gratiæ actualis ad initium boni operis, & ad perseverantiam usque in finem; atqui id frustraneum foret, si credidisset gratiam esse necessariam ad singulos actus: ergo &c. Ulterius Lib. II. *de peccat. meritis, & remiss.* cap. 19. „ Cum, *inquit*, a Deo il„ lius adjutorium deprecamur, ad faciendam, per„ ficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, „ quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat, „ quod non delectabat "? quibus verbis S. Doctor declarat, ab bene operandum sufficere delectationem a Deo immissam; atqui hæc habetur per solam gratiam sanctificantem; est enim habituum proprium, ut prompte, facile, ac delectabiliter operari faciant: ergo &c. Deinum *de nat. & grat.* cap.

(*a*) Sanctus Thomas 1. 2. qu. 63. art. 4. observat, virtutes infusas specie diversas esse ab aliis, quas ex operum assuetudine acquirimus, primo ratione objecti, qua ratio formalis temperantiæ ex gr., prout virtus infusa est, in eo consistit, ut homo castiget corpus suum, & in servitutem redigat per abstinentiam cibi, & potus, & aliorum hujusmodi: ratio autem temperantiæ secundum regulam rationis humanæ est statuere modum in sumptione ciborum, ne noceant valetudini corporis, nec impediant rationis actum. Secundo habitus distinguuntur specie secundum ea, ad quæ ordinantur; unde diversæ sunt virtutes, per quas homo ordinatur ad fines politicos, ab iis, quibus ordinatur ad hoc, ut sit *civis Sanctorum, & domesticus Dei*.

cap. 26. Deum, inquit, per gratiam habitualem ita sanare animam, *non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*.

148. Resp. Ad 1., Duos illos libros fuisse elucubratos contra Semipelagianos, qui necessitatem veræ gratiæ ad omnia alia opera bona concedentes, eamdem ad initium fidei, & perseverantiam usque in finem fateri nolebant. Sed in aliis libris contra Pelagianos scriptis necessitatem gratiæ ad singulos actus strenue pro more suo propugnavit. Sufficiant nobis ex multis ea verba ex lib. *de grat. & lib. arb.* cap. 27.: „ Deus, ut velimus, sine „ nobis operatur: cum autem volumus, & sic vo„ lumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Ta„ men sine illo vel operante, ut velimus, vel „ cooperante, cum volumus, ad bona pietatis o„ pera nihil valemus "; quibus indicatur, Deum toties in nobis operari gratia sua, quoties volumus, & toties cooperari, quoties operamur.

149. Ad 2. Ea verba sunt intelligenda de actuali, non de habituali: quamquam enim habitus etiam id in nobis præstant, ut facilius operari possimus; gratiæ tamen actualis id magis proprium est; unde eam S. August. definit: *Inspirationem sanctæ dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*.

150. Ad 3. dist. *Ut præstet &c.* per gratiam actualem, quam justis Deus non denegat, conc. per solam habitualem, nego. Unde antea immediate dixerat: *Sicut oculus corporis &c.* (Vid. supra num. 138.).

151. Obj. 4. S. Hieronymus Lib. III. *dial. adv. Pelag.* cap. 4. concedit, posse justum viribus suis brevi saltem temporis intervallo abstinere a peccato, quamquam non jugiter, nec in perpetuum; & alibi dicit, justum, si intentus sit, nullaque tentatione sollicitatur ad malum, posse per gratiam semel acquisitam in bono pergere; ergo &c.

152. Resp. Utique justum, nulla tentatione urgente, in bono aliquandiu perseverare posse, non tamen omni gratia actuali semota, sed solum semota gratia peculiari, & fortiori, qua justus indiget longiori tempore; quia & natura longiori itinere quasi defatigatur, & tentationibus ingruentibus majores se offerunt difficultates superandæ.

153. Obj. 4. S. Athanasius in vita S. Antonii Abbatis refert, hunc Dei servum post gravissimam tentationem superatam, quasi conquerentem dixisse Christo: *Domine ubi eras?* ab eo autem hoc tulisse responsum: *Huc eram, sed expectabam videre certamen tuum;* non ergo Deus ulla gratia actuali præsto erat Antonio in tentatione pugnanti, sed ad summum gratia habituali.

154. Resp. His verbis duntaxat exprimi tentationis vim, & certaminis difficultatem, non autem actualis auxilii subtractionem. Impium enim esset credere, Deum luctarum nostrarum spectatorem tantummodo esse, non autem esse in iis nostrum auxiliatorem; cum de eo scriptum sit: *Adjutor in opportunitatibus*. Hinc idem S. Ambrosius ibid. scribit: *Ideo superabat Antonius Diabolum, quia servum suum adjuvabat Dominus* (Vid. Estius in II. dist. 26. 9. 18. & seq.).

155. Obj. ult. S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. docet: „ minimam gratiam (*habitualem*) posse „ resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne „ peccatum mortale, quod committitur in trans„ gressione mandatorum legis. *Et addit rationem:* „ minima enim charitas plus diligit Deum, quam „ cupiditas millia auri, & argenti ". Idem docuerat supra q. 62. art. 6. ad 3., & 1. 2. q. 111. art. 2. docet, non solum gratiam actualem, sed etiam gratiam habitualem dividi in *operantem & cooperantem*.

156. Resp., Gratiam habitualem sufficere ad vincendam concupiscentiam, ad observanda legis mandata, & ad vitanda peccata, sed *suo modo;* scilicet non exclusis, sed adjunctis gratiæ actualis auxiliis. Quod in omnibus habitibus contingit, qui dant potentiam ad agendum, sed non reducuntur ad actum, nisi adjuncta voluntatis determinatione. Hæc autem voluntatis determinatio in ordine supernaturali nonnisi a gratia actuali haberi potest. Quomodo vero gratia habitualis dividatur in operantem, & cooperantem, ita explicat laudatus Angelicus Doctor: „ Habitualis gratia, inquantum „ animam sanat, vel justificat, sive gratam Deo „ facit, dicitur gratia operans, inquantum vero „ est principium operis meritorii, quod ex libero „ arbitrio procedit (*utique moto a gratia actua„ li*), dicitur cooperans ".

157. Quæres primo, cujusnam generis sit illa gratia, quæ ad singulos actus datur?

158. Resp. Quidam (ut Card. Bellarminus Lib. VI. *de grat. & lib. arb.* cap. ult. in fine) opinati sunt, justos in singulis operibus exercendis indigere quidem gratia adjuvante, & cooperante; non tamen præveniente, & excitante. Innitebantur autem potissimum verbis Synodi Arausicanæ, quæ can. ult. sic definit: „ Hoc etiam secundum fidem „ catholicam credimus, quod accepta per bapti„ smum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, „ & cooperante, quæ ad salutem pertinent, pos„ sint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, „ adimplere ".

159. Verumtamen eos a vero magnopere aberrare, facile esset multis demonstrare; sed pauca brevitatis causa seligo S. August. (L. II. *de pecc. mer. & remiss.* cap. 18.). „ Quod vero, *in„ quit*, ad Deum nos convertimus, nisi ipso ex„ citante, atque adjuvante non possumus... Quid „ habemus, quod non accepimus ". Quod si excitatio, & primum voluntatis initium in nobis esset sine gratia, utique haberemus aliquid, quod non accepimus. Ulterius (L. IV. *ad Bonifacium* c. 6.): „ In omnibus, *inquit*, quæ quisque agit „ secundum Deum, misericordia ejus prævenit „ eum. *Et in* Enchiridio *capit.* 33. Deus, *inquit*, „ nolentem prævenit, ut velit, volentem sequitur, „ ne frustraverit. *S. Greg. M.* (*T. X. in Ezech.*)

„ Ipse, *ait*, aspirando nos prævenit, ut velimus, „ qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus. „ *S. Bern.* (*in Tract.* de grat., & lib. arb. *capit.* 13.): Conatus, *inquit*, liberi arbitrii ad bo- „ num, & cassi sunt, si a gratia non adjuventur, „ & nulli sunt, si non excitentur. *Denique*, *ne* „ *infinitus sim*, *Synodus Arausicana II. can.* 9. „ *ita statuit:* Quoties bona agimus, Deus in no- „ bis, atque nobiscum, ut operemur operatur": Unde patet, quo sensu verba canonis ultimi accipienda sint; ut nempe Christus auxiliari intelligantur etiam gratia præveniente, & excitante eos, quos habituali sua gratia sanctificavit.

160. Quæres secundo, quænam in opere bono sint partes gratiæ, & quænam liberi arbitrii?

161. Resp. S. Thomas (1. 2. q. 111. art. 2. ad 1. Vid. etiam Lect. III. sup. c. X. ep. II. ad Cor.), *totam operationem pertinere ad gratiam*. Id autem a magistro suo Augustino didicerat, ubi ubique totum, quod in nobis est bonum, esse Deo in acceptis referendum prædicat. „ Nos ergo vo- „ lumus, *inquit* (de dono persev. *cap.* 13.), sed „ Deus in nobis operatur & velle: nos ergo ope- „ ramur, sed Deus in nobis operatur & operari „ pro bona voluntate. Hoc nobis expedit credere, „ & dicere: hoc est pium, hoc est verum, ut sit „ humilis, & submissa confessio, & detur totum „ Deo. *Id denique ad fidem Ecclesiæ pertinet;* „ *nam Synodus Arausicana can. ult. ita statuit:* „ Nemo habet quidquam boni, nisi datum ei fuerit „ desuper; *&* *can.* 22. Nemo habet de suo, nisi „ mendacium, & peccatum".

162. Nec tamen inferendum est, liberum arbitrium nihil omnino agere, & instar inanimis trunci se habere; quemadmodum sibi ab aliquo objectum fuisse S. Bernardus narrat (initio Lib. *de grat. & lib. arb.*): „ Quid tu ergo operaris, aut „ quid mercedis speras, vel præmii, si totum fa- „ cit Deus"? Certum est enim, ad opus bonum etiam liberum hominis arbitrium concurrere. Quod in Concilio Trid. definitum est Sess. IV. c. 5. & can. 4.

163. His expositis, quæstio oritur, quidnam in opere bono gratiæ, quidnam libero arbitrio tribuendum sit. In qua quidem quæstione illud omnibus certum est, primam excitationem, seu primum indeliberatum voluntatis motum esse totum gratiæ excitanti tribuendum, qua Deus nullis nostris meritis, & ex solo suæ voluntatis gratuito beneplacito nos ad bene operandum excitat, allicit, invitat, viresque tribuit, quibus bene operari possimus. Quæ autem postea consequuntur, voluntatis consensus gratiæ vocanti, volitio boni, atque ipsa ejusdem boni executio, hæc omnia debent tota gratiæ tribui, & tota etiam libero arbitrio. Præclare, & omnino ad mentem S. Augustini fidelis ejus discipulus S. Bernard. in *Tract. de grat. & lib. arbitr.* cap. 14. *Deus*, inquit „ tria hæc, bo- „ num cogitare, velle, perficere operatur in no- „ bis: primum profecto sine nobis; secundum no- „ biscum; tertium per nos facit. Si quidem im- „ mittendo bonam cogitationem nos prævenit: im- „ mutando etiam malam voluntatem sibi per con- „ sensum jungit: ministrando & consensui facul- „ tatem, foris per apertum opus nostrum internus „ opifex innotescit. *Et iterum:* Gratia Dei libe- „ rum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; „ sanat, cum immutat affectum; roborat, ut per- „ ducat ad actum: servat, ne sentiat defectum. „ *Ac demum:* Non partim gratia, partim libe- „ rum arbitrium, sed totum singula opere indi- „ viduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum „ illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illo".

164. Quod quidem nec est intelligibile, nec mirum videri debet, cum in omnibus causis subordinatis quotidie accidat. Id explico exemplo picturæ, quæ & pectore procedit, & a penicillo, non operis partitione, quasi aliquid a pictore fiat, & non a penicillo, aut contra: sed tota pictura est a pictore, tamquam a causa principali, tota itidem a penicillo, ut a causa instrumentali: & ita plane totum opus bonum est a Deo movente, & applicante nostram voluntatem; totum iterum a voluntate, tamquam a causa secunda, primæ subordinata; cum hoc tamen discrimine, quod penicillum, utpote instrumentum inanime, unice a pictore movetur; voluntas autem nostra, quæ est potentia activa, & libera, active, & libere se movet. Quamvis S. Thomas explicans illud Apostoli (I. Cor. XII. 6.) *Qui operatur omnia in omnibus*, ut majori emphasi energiam divinæ causalitatis significaret, „ *Operatur omnia*, inquit, *sic* „ *ut prima causa creans operationes*. Ne ta- „ men aliæ causæ videantur esse superfluæ, sub- „ dit: *In omnibus;* quia in causis secundariis pri- „ ma causa operatur". (Comment. in hunc loc. Vid. etiam 1. p. q. 105. art. 5.; 1. 2. q. 109. art. 1. & alibi).

165. Hæc ad mentem S. Thomæ vera, germanaque est interpretatio communis Ecclesiæ phrasi, quod totum opus bonum sit Deo tribuendum non vero, ut Molina autumavit, qui postquam ingenue confessus est, sibi valde difficilem esse ad intelligendam motionem, & applicationem hanc, quam D. Thomas in causis secundis (in *Concordia* qu. 14. art. 13. disput. 26.), contendit, Deum, & hominem esse duas partiales causas operis boni; quemadmodum duo trahentes navim, quorum unius vis non recipitur in alio, sed utriusque in effectu; & vere dicitur, totum motum navis esse ab utroque, *partialitate causæ*, *non partialitate effectus;* quia nihil est in tractione navis, quod sit ab uno trahentium, & non sit simul ab alio (ibid., qu. 23. art. 3. & 5. disput. 1. memb. 6.). Non, inquam, hæc explicatio arridere potest; siquidem ea admissa, sequitur manifeste, nostram cooperationem non esse gratiæ effectum quemadmodum nisus unius hominis ad trahendam navim non est effectus nisus alterius: adeoque aliquid nos habere, quod a Deo non acceperimus, contra ac

per-

perpetuo clamat Apostolus. Quapropter refert P. Serry (Lib. III. *Histor. de auxiliis* cap. 24.), hanc Molinæ sententiam, omnium Consultorum calculis (duobus tantum exceptis) fuisse judicatam, *Pelagii dogmati maxime consonam*. Vid. le Bossu *Animadv.* 11. *in doctrinam Molinæ* cap. 1.

166. Multo minus aliorum explicatio admitti potest (ap. Driedonem Lib. II. *de grat. & lib. arb.* cap. 3., & Tractat. *de captivit. & redempt. generis hum.* cap. 1. pag. 2.), qui totum, quod in nobis est bonum, eo sensu dumtaxat Deo adscribendum esse volunt, quod omnia bona simul sumpta a Deo sint, quamvis singula non sint a Deo ex omni parte, cum aliquid etiam nostri liberi arbitrii viribus tribui debeat. Sed hæc interpretatio contorta est, & sensui Scripturarum, Sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ aperte contraria, quo edocemur, nihil omnino nos boni habere, quod Deo in acceptis referre non debeamus. Et ne in re satis per se clara longior sim, concludo verbis capituli ultimi ex his, quæ Sanct. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ transmisit: *Operi, ac dignationi* (gratiæ Dei) *nihil penitus subtrahendum est.* Nihil inquam, neque ex parte actus boni, seu effectus, neque ex parte causæ, seu nostræ voluntatis operantis; *ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo.* Vid. sup. n. 611.

CAPUT VII.

Demonstratur necessitas gratiæ specialis ad perseverandum in justitia usque in finem (Sanct. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 10., 2. 2. qu. 137. art. 1. 3.; & Lib. III. *Cont. Gent.* c. 155.).

167. Sanctus Thomas 1. 2. qu. 109. art. 10. observat, perseverantiæ nomen triplici sensu usurpari posse; primo prout significat ,, Habitum mentis, per quem homo firmiter stat, nec removetur ab eo, quod est secundum virtutes, per tristitias irruentes ". Alio modo perseverantia potest dici ,, Habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bonum usque in finem"; & utroque isto sensu, subdit Sanctus Doctor, perseverantia simul cum gratia habituali infunditur. Tertio pesseverantia in proprio sensu, de quo nunc agitur, dicitur *continuatio boni usque ad finem vitæ*. Et ideo, ut recte notavit S. Augustinus in initio libri *de dono perseverantiæ*, nullus potest dici perseverantiæ donum habere, quamdiu vivit: ,, Eamque potius habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur, fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit".

168. Porro, si excipiamus Pelagianos, nullus fuit, qui gratiam aliquam ad perseverandum necessariam esse negaret. Sed aliquibus Theologis (Andreæ Vega Lib. XII. *in Conc. Trid.* cap. 22., Andreæ Duvallio, aliisque paucis) visum est, perseverantiam in parvulis baptizatis, qui ante usum rationis moriuntur, aliisque adultis, qui non multo post adeptam justificationem decedunt, non esse speciale donum a gratia habituali distinctum. Laud. autem Molina (in *Concordia* qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.) ad donum perseverantiæ duo esse necessaria docet; unum ex parte Dei, videlicet, ut ea auxilia conferre statuerit, cum quibus prævidebat, adultum *pro sua libertate* perseveraturum, alterum ex parte arbitrii adulti, tamquam conditionem, sine qua voluntas conferendi talia auxilia non habuisset rationem conferendi donum perseverantiæ: nempe ut adultus *pro sua libertate* ita sit cum iis cooperaturus, ut perseveret. A qua Magistri sui sententia nec illos recedere existimo, qui specialem gratiam, nempe congruam, ad perseverandum necessariam esse fatentur. Ut enim infra videbimus, etiam gratia congrua suam efficaciam trahit a consensu, quam voluntas humana *pro sua voluntate* in quibusdam circumstantiis Dei vocationi dat (*a*).

169. Thomistæ vero, & quotquot germanam Sanct. Augustini, & Thomæ doctrinam sequuntur, primo censent perseverantiam esse speciale Dei donum, a gratia habituali omnino distinctum; deinde docent, hoc donum a gratuita tantum Dei bonitate pendere. Nam quamquam verum est, homines non perseverare, nisi volentes, & libere volentes; Deus tamen est, qui pro sua gratuita bonitate electos facit libere velle in bono perseverare; dum interim sinit pro sua justitia reprobos libere a gratia excidere; ut enim recte inquit S. Augustinus *de dono persev.* cap. 8., *voluntate sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat.*

170. Porro si quis quærat, in quonam proprie hoc speciale donum situm sit, respondemus, situm esse in iis omnibus, quibus Deus facit, ut homo sive parvulus, sive adultus in statu justitiæ decedat, & salvetur; quamobrem in parvulis non est, nisi exterior quædam causarum dispositio, ut vita eis auferatur, antequam gratiam in baptismo ac-

(*a*) Lessius, & Hamelius duplex distinguebant perseverantiæ donum. Aliud *consistens in quodam speciali auxilio, & protectione, qua Deus ita protegit, & munit quosdam, ut fere indeclinabiliter, & infallibiliter in gratia perseverent usque ad mortem; quibusdam conceditur, ut forte Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum, & iis, qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiæ donum, quod consistit in quodam auxilio, & protectione, qua Deus ita certo adest, ut possint in gratia perseverare, si velint; & hoc donum est necessarium ad salutem, & datur omnibus justis in actu primo.* Quæ tamen distinctio vel ex eo solum sufficienter exploditur, quod nova sit, nulloque vel Scripturæ Sacræ, vel traditionis fundamento innixa. Vid. Censura Academiar. Lovaniensis, & Duacenæ Assert. XIII.

acceptam amittant. In adultis vero, præsertim si diu vivant, requiritur interior gratia efficax, qua tentationibus ingruentibus resistant, præcepta occurrentia adimpleant, & omne peccatum grave declinent, vel si cadere permittantur, ut ante mortem resurgant. Et quamquam singula hæc beneficia non videntur a communibus gratiæ auxiliis differre, prout tamen procedunt a voluntate Dei volentis, ut electi in justitia decedant, beneficium speciale, immo specialissimum constituunt, & donum coronans omnia alia dona; utpote a quo nostra salus æterna pendet.

PROPOSITIO.

Perseverantia in bono usque in finem est in omnibus electis specialissimum Dei donum, a gratia habituali omnino distinctum, & a divinæ voluntatis beneplacito, non autem a solo libero hominis arbitrio pendens.

171. Et primum quidem perseverantiam esse donum Dei, infinitis propemodum divinæ Scripturæ, sanctorumque Patrum testimoniis ostendit Sanctus Augustinus in libro *de dono perseverantiæ*; potissimum iis verbis apud Jeremiam cap. XXXII. 40. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. „ Quod quid est aliud, subdit S. Pater cap. 2. quam talis ac tantus erit „ timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi „ perseveranter adhæreant? "

172. Quod vero hoc donum sit a gratia habituali distinctum, vel eo solo liquet, quod, ut S. Thomas observat, *multis datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia*. Si vero non ex peculiari Dei beneficio, sed ab hominum arbitrio hoc discrimen oriatur, ii, qui in accepta gratia perseverant, se discernerent ab aliis, qui non perseverant, præ aliis inflari possent, & in se ipsis gloriari. Quod ab Apostolo Paulo damnatum est I. Corinth. IV. 7. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

173. Accedit, etiam justis implorandum esse divinum auxilium ad perseverandum. Nam definiente Concilio Arausicano can. 10. „ Adjutorium Dei „ etiam renatis, & Sanctis est semper implorandum ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare "; atqui certe justi orare non debent, ut gratiam sanctificantem accipiant, quam jam habent: est ergo perseverantiæ donum aliquid a sanctificante gratia diversum. Quod etiam Tridentina Synodus declaravit Sess. VI. cap. 22. ita definiens: „ Si quis dixerit, justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia „ perseverare posse ... anathema sit. *Et in eadem „ Sess. cap.* 13. *dixerat*, perseverantiam aliunde „ haberi non posse, quam ab eo, qui potens est „ eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, „ & eum, qui cadit, restituere ".

174. Cujus rei rationem etiam theologicam S. Thomas affert, tum ex naturali inconstantia & mutabilitate hominis de bono in malum, quam gratia habitualis non tollit, tum ex corruptione naturæ, quæ numquam ita sanatur per gratiam, ut non remaneat semper aliqua ignorantia in intellectu, & rebellio carnis adversus spiritum (Vid. sup. n. 138. & alias S. Thomæ rationes Lib. III. *contra Gent.* cap. 155.).

175. Quod demum hoc perseverantiæ donum a Deo gratuita misericordia expectandum sit, primo tradit Apostolus Philipp. I. 6. inquiens: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*. Et Christus ipse in Evangelio Lucæ cap. XXII. 32. dicebat Petro: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*. Et sexcenta alia hujus generis afferri possunt.

176. Id præterea non minus luculenter, quam sæpe tradidit Sanct. Augustinus; ut cum Lib. *de corrept. & grat.* cap. 12. afferens discrimen inter gratiam Adamo innocenti collatam: & eam multo fortiorem, quam Christus nobis promeruit: „ Nunc vero, *inquit*, Sanctis in regnum Dei per „ gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium „ perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono „ perseverantes esse non possint, verum etiam, „ ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint ". Et paulo post: *Ipse ergo eos facit perseverare in bono, qui facit bonos*. Et explicans ea verba Pauli Rom. XIV. 4. *Stabit autem; potens est enim Deus statuere illum*, inquit. „ Ipse itaque dat „ perseverantiam, qui statuere potens est eos, qui „ stant, ut perseverantissime stent ". Ac demum ostendens non propterea excludi liberum arbitrium, quo electi perseverare velint, ita subdit: „ In eis „ (*prædestinatis*) etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis & possibilitas, & voluntas „ divinæ gratiæ largitate donetur". Et supra, nempe cap. 8., eorum sententiæ, qui ad solum liberum arbitrium pertinere putabant, *ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret*, objicit ea verba Christi Domini Luc. XXII. 32. *Rogavi pro te (Petre) ne deficiat fides tua*. Et subdit: „ An „ audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus „ eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque „ in finem perseverare noluisset; quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus „ rogasset, ut vellet "? Et nullus plane esset dicendi finis, si omnia, quæ in hanc rem Sanct. Doctor conscripsit, huc transcribere vellem.

177. Frustra autem sunt, qui hæc, & hujus generis alia plurima testimonia explicare se posse putant de gratia aliqua versatili, aut etiam congrua, cui voluntas *pro libertate sua* consentiens perseverat. Nam primo ista gratia, cum tota subdatur voluntati humanæ, & ab ipsa reddatur efficax, dici non potest, *operari in nobis & ipsum vel-*

velle. At vero S. Doctor talem prædicabat gratiam quæ operatur in electis voluntate perseverandi, & ipsam donat. Deinde hæc responsio non habet locum in parvulis, in quibus certe donum perseverantiæ nullo modo ab horum libertate pendet; ex quorum exemplo ita concludebat S. Augustinus *de corrept. & grat.* cap. 8. „ Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat „ homo vitam suam, antequam ex bono mutetur „ in malum, cur autem aliis donetur, aliis non „ donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono „ perseverantiam .... fateantur nobiscum; & cur „ aliis non detur, sine murmure adversus Deum „ dignentur ignorare nobiscum ".

178. Probatur demum propositio nostra quantum ad omnes partes ex S. Thoma, qui Quæst. XXIV. *de verit.* art. 13. acute observat; „ Quod aliud est „ dicere, posse abstinere a peccato, & posse perseverare usque ad finem vitæ in abstinentia a „ peccato. Cum enim dicitur aliquis posse abstinere a peccato, potentia fertur super negationem „ tantum, ut scilicet aliquis possit non peccare: „ & hoc potest quilibet in gratia existens, loquendo de peccato mortali, quia habenti gratiam „ non inest aliqua habitualis inclinatio in peccatum, quin potius inest ei habitualis inclinatio „ ad vitandum peccatum... Sed cum dicitur, iste potest perseverare usque ad finem vitæ in „ abstinentia peccati, potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicet aliquis ponat se in tali „ statu, quod peccatum in eo esse non possit .... „ Hoc autem non cadit semper sub potestate liberi arbitrii, quia virtus motiva exequens ad hoc „ non se extendit. Et ideo homo causa perseverantiæ sibi esse non potest; sed necesse habet „ perseverantiam a Deo petere ".

179. Obj. 1. justi, utpote filii Dei, & cohæredes Christi, habent jus ad gloriam, gratia enim est semen gloriæ, dicente Sancto Joanne in epist. I. cap. III. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare:* ergo habent etiam jus ad perseverantiam, sine qua gloria obtineri non potest; adeoque &c. Ulterius justi simul cum gratia habituali omnes alias virtutes infusas habent; adeoque etiam perseverantiam, quæ in virtutibus numeratur.

180. Resp. Ad 1., Justos habere jus ad gloriam ex suppositione, quod in justitia perseverent usque in finem, dicente Domino Matth. X. 22. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* non tamen habent jus ad ipsam perseverantiam, quam Deus pro gratuita sua bonitate donat, quibus vult. Verba autem S. Joannis communiter ita exponuntur, ut justus peccare non possit, quamdiu manet justus, scilicet in sensu composito; non autem quasi gratia habitualis perseverantiam habeat annexam. Hujus rationem affert S. Thomas (Lib. III. *Contr. Gent.* cap. 155.): „ Quia homo variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in „ malum. *Et infra:* habitus, qui nobis infunditur divinitus, secundum statum præsentis vitæ, „ non auferunt a libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum licet per eos liberum arbitrium „ aliqualiter stabiliatur in bono ".

181. Ad 2. respondet S. Thomas Qu. XXIV. *de verit.* art. 15. ad 3. „ Quod perseverantia dupliciter dicitur. Quandoque enim est specialis virtus, & sic est quidam habitus, cujus actus est „ habere propositum firmiter operandi, & sic perseverantiam habet omnis habens gratiam, quamvis non sit usque in finem perseveraturus. Alio „ modo accipitur perseverantia, prout est circumstantia quædam virtutis, designans permanentiam virtutis usque in finem vitæ; & sic perseverantia non est in potestate habentis gratiam ".

182. Obj. 2. Perseverantia a nostra voluntate dependet; nam S. Augustinus Lib. *de corrept. & grat.* cap. 7. probat, nullam eos habere excusationem, qui non perseverant; *quoniam potest dici: homo in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles. Et de dono persev.* cap. 6. loquens de perseverantia, *hoc Dei donum*, inquit, *suppliciter emereri potest*, utique nostris precibus, quæ ab arbitrii libertate dependent.

183. Resp., primo hoc argumentum certe locum non habere in infantibus, quorum perseverantia in finem nullatenus ab eorum voluntate dependet. Deinde quod S. Augustinus dicit: *in eo perseverares, si velles*, intelligendum est juxta sæpius repetita ejusdem principia, si velles *voluntate a Domino præparata* per specialem gratiam, non autem ordinariis, & consuetis Dei auxiliis. Ea autem verba, *suppliciter emereri*, intelligenda sunt de merito minus proprie dicto, seu, ut vocant, *de congruo;* nam perseverantiam *viæ* meritis non reddi, sed gratis a Deo donari, ostendit S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 9. (*a*). Ceterum S. Augustinus in eodem libro cap. seq. cur alii perseverent, alii non perseverent, non a voluntate humana, sed ab inscrutabili divinorum judiciorum abysso dependere docet: *Cur hoc donum* (perseverantiæ) *ille accipiat, ille non accipiat, puto, quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus*. Et ulterius perseverantiam esse peculiare donum Dei ex illis verbis Christi Domini colligit ad S. Petrum (Luc. XXII. 32.): „ Rogavi pro te (Petre) ne deficiat „ fi-

(*a*) Verba Sancti Doctoris hæc sunt: *Illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente, sicut terminus, non autem id, quod comparatur ad prædictum motum, sicut principium. Unde patet, quod perseverantia gloriæ, quæ est terminus prædicti motus, cadit sub merito, perseverantia autem viæ non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quæ est principium omnis meriti. Sed Deus gratis perseverantiæ bonum largitor cuicumque illud largitur.* Vid. etiam in resp. ad. 1.

„ fides tua; quibus verbis, *inquit*, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem (*a*) "?

184. Inst. Cum speciale illud auxilium gratiæ in nostra potestate non sit, neque in nostra potestate erit perseverare. Hoc autem si verum est, non ei ad culpam imputari poterit, qui non perseverat: quo nihil fingi potest absurdius.

185. Resp. Quamquam speciale illud auxilium gratiæ in nostra potestate non est, nemini tamen deest, nisi ex propria culpa; quam culpam in electis Deus impedit ex gratuita sua bonitate, in aliis ex sua justitia permittit. Isti peseverare possent, si vellent, sed propria perversitate nolunt; nec Deus illam perversitatem corrigere vult, aut tenetur. Electi autem & perseverare possunt, & voluntate præparata per gratiam illis divina misericordia donatam, quo fit, ut nec isti possint de se ipsis gloriari, nec illi excusationem habeant, si non perseverant.

186. Et difficultas hæc eadem est, ac de gratia efficaci, quam nemo Catholicorum negat esse necessariam ad bene operandum. Et sicut ad inscrutabilia judicia Dei pertinet, quod omnibus gratia efficax ad bene operandum non conferatur; ita, & multo magis de perseverantia dicendum est. Quamobrem S. Augustinus *de dono persev.* cap. 7. cum prius dixisset, inscrutabilia Dei judicia esse, cur ex duobus originali peccato adstrictis unus assumatur, alter derelinquatur, & cur e duobus adultis impiis unus efficaciter vocetur, alter non, ita demum solita sua energia concludit: *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Et S. Prosper ad Object. Vincent. *Cur autem*, inquit, *illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare: cum scire sufficiat, & ab illo esse, quod statur, & non ab illo esse, quod ruitur* (*b*).

187. Inst. 2. In Concilio Trid. Sess. VI. c. 11. ita definitum est: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi deseratur:* ergo perseverantia non speciale donum, sed tale, quod Deus omnibus justis dare paratus est, nisi culpa sua illa se indignos reddant.

188. Resp. Illud Trydentinæ Synodi dictum a plerisque intelligi de gratia habituali, quam Deus non subtrahit, nisi iis, qui lethali culpa ab ejus amicitia se subtrahunt (*c*). Quæ explicatio si admittatur, nulla amplius superest difficultas. Si autem cum aliis Theologis (Vid. Card. Pallavicinus in *Hist. Conc. Trident.* Lib. VIII. c. 14. n. 6.) intelligatur de gratia actuali, resp. Deum numquam justos deserere desertione totali, per subtractionem cujuscumque gratiæ tam efficacis, quam sufficientis; deserere tamen ex parte, quatenus inscrutabili judiciorum suorum abysso iis gratias efficaces non donat, quod nemo negare potest, nisi apertæ, & continuæ experientiæ refragari velit.

189. Obj. 3. Plus nobis fuit per gratiam Redemptoris collatum, quam per Adæ peccatum amisimus, dicente Apostolo ad Rom. V. 20.: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia;* atqui Adam acceperat, unde perseverare posset sine speciali dono: ergo multo magis &c.

190. Resp. S. Thomas (1. 2. q. 109. art. 10. ad 3.): „ Sicut Augustinus dicit (*de Nat. & grat.* cap. 48., & *de corrept. & grat.* cap. 12.), „ homo in primo statu accepit donum, per quod „ perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret, nunc autem per gratiam Christi multi „ accipiunt & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quod perseverent: „ & sic donum Christi est majus, quam delictum „ Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in „ quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam „ nunc possimus: quando reparatio gratiæ Christi „ etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum „ tamen est consummata, quantum ad carnem, „ quod

(*a*) S. Thomas Lib. III. *Contra Gentes* cap. 156. etiam theologica ratione ostendit, perseverantiam non esse in potestate nostri liberi arbitrii, nisi beneficio gratiæ, inquiens: *Licet homo per voluntatem, & liberum arbitrium sit dominus sui actus, non tamen est dominus suarum naturalium potentiarum; & ideo licet liber sit ad volendum, vel ad non volendum aliquid, non tamen volendo facere potest, quod voluntas in eo, quod vult ad id, quod vult, vel eligit, immobiliter se habeat. Hoc autem requiritur ad perseverantiam, ut scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat: perseverantia igitur non est in potestate liberi arbitrii. Oportet igitur adesse homini auxilium divinæ gratiæ ad hoc, ut perseveret.*

(*b*) Præclara in hanc rem sunt etiam illa S. Augustini verba *de corrept. & grat.* cap. 12. *Si in tanta infirmitate vitæ hujus... ipsis* (Sanctis) *relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur &c.*

(*c*) Ita Estius in II. Dist. 26. §. 44. Sylvius in I. Part. qu. 23. art. 5. Alvarez Lib. XI. *De auxiliis* Disp. 110. n. 19. Nugno III. Part. qu. 62. art. 5. Nazarius I. Part. qu. 23. art. 5. Ledesma *de auxiliis* art. 12. ad 7., & qui hoc laudat Serry in *Scholæ Thomist. Vindic.* animadv. 10. Addi possunt l'Herminier, qui id a multis Theologis teneri affirmat, Anton. Reginaldus *De mente Concil. Trid.* Part. I. cap. 45., Medina in I. P. S. Thomæ qu. 109. art. 10. in resp. ad 11. objection. contra IV. proposit., Contensonius Theol. *mentis, & cordis* Tom. I. Lib. I. Diss. IV. cap. I. Specul. 2. coroll. 2. Henr. a S. Ignatio in *Ethica amoris* Tom. I. Lib. IX. c. 29. §. 3. P. Laur. Berti in *Accessione* ad Lib. XVII., aliique.

„ quod erit in patria, ubi homo non solum per„ severare poterit, sed etiam peccare non poterit“.

191. Obj. ult. Potest justus in accepta justitia saltem brevi temporis intervallo perseverare, præcipue si nulla ingruat tentatio: potest insuper eodem tempore ex naturali causarum dispositione mori: in hoc autem casu perseverantia finalis specialis gratia non esset, cum hominem justificatum aliquamdiu peccatis carere specialis gratia non sit, multoque minus specialis gratia sit, juxta naturalem causarum seriem mori.

192. Confirm. Ad perseverandum in bonum sufficit non peccare; hoc autem homo potest ex solis liberi arbitrii viribus, saltem brevi aliquo temporis intervallo: igitur multo magis id poterit justus cum gratia sanctificante sola, saltem brevi temporis mora.

193. Resp. ad 1., Hæc duo seorsim accepta non esse peculiarem gratiam, bene peculiarem tamen esse, & insignem, si simul conjungantur. Neque enim putandum est, hæc fortuito casu conjungi; sed potius firmiter credendum, ex speciali Dei benevolentia erga electos mortem cum justitia conjungi. Quid clarius iis divinis verbis Sap. IX. 11. seq. „ Raptus est, ne malitia mutaret intellectum „ ejus, aut ne fictio deciperet animam illius .... „ placita enim erat Deo anima illius: propter hoc „ properavit educere illum de medio iniquitatum?“ Unde S. Augustinus *de dono persev.* cap. 17. „ Videte, *inquit*, a veritate quam sit alienum, „ negare donum Dei esse perseverantiam usque in „ finem hujus vitæ, cum vitæ hujus, quando vo„ luerit, ipse det finem; quem si dat ante immi„ nentem lapsum, facit hominem perseverare u„ sque in finem“.

194. Ad confirm. resp., aliud dicendum esse de eo, qui perseverat in gratia aliquo tempore, etiam diuturniore, sed non usque in finem; aliud de eo, qui perseverat usque in finem, tempore quamtumvis brevissimo. Prima enim perseverantia non efficaciter ordinatur ad vitam æternam, bene vero secunda utpote quæ gratuitæ Dei prædestinationis effectus est.

195. Ceterum S. Thomas Lib. III. *Contra Gentiles* cap. 155. postquam multis cum Sacr. Scripturarum, tum rationum momentis hanc doctrinam confirmavit, ita demum concludit: „ Sciendum tamen est, quod cum ille, qui gratiam „ habet, petat a Deo, ut perseveret in bono; sic„ ut liberum arbitrium non sufficit ad istum ef„ fectum, qui est perseverare in bono sine exte„ riori Dei auxilio; ita nec ad hoc sufficit aliquis „ habitus nobis infusus. Habitus enim, qui no„ bis infunduntur divinitus secundum statum præ„ sentis vitæ, non auferunt a libero arbitrio to„ taliter mobilitatem ad malum; licet per eos li„ berum arbitrium aliqualiter stabiliatur in bono. „ Et ideo cum dicimus, hominem indigere ad per„ severandum finaliter auxilio gratiæ, non intel„ ligimus, quod super gratiam habitualem prius „ infusam ad bene operandum alia desuper infun„ datur ad perseverandum; sed intelligimus, quod „ habitis omnibus habitibus gratuitis adhuc indi„ get homo divinæ providentiæ auxilio exterius „ gubernantis (a)“.

DISSERTATIO III.

De Hæresi Prædestinatiana.

1. Hæresi Pelagianæ, & Semipelagianæ, de quibus satis in superioribus, e diametro opponitur altera, quæ dicitur *Prædestinatiana*. Ut enim Pelagiani, eorumque surculi Semipelagiani, in extollendis plus æquo viribus liberi arbitrii, & gratia decurtanda peccabant, ita ex opposito Prædestinatiani talem prædicabant gratiæ energiam, ut nihil viribus liberi arbitrii in nostræ salutis negotio tribuerent; unde fatalis necessitas consequebatur. Ex hac autem radice nonnulla alia absurda dogmata pullulabant, quæ ad præsens institutum non pertinent: sicuti enim ponebant, aliquos homines absoluto Dei decreto ita ad gratiam, bona opera, & finalem perseverantiam prædestinari, ut nullatenus perire possent; sic contra alios pari ineluctabili decreto prædestinatos esse volebant ad malum, ut necessitate ad æternam ruinam, & damnationem pertraherentur; quo nihil horribilius audiri potest. Vide, quæ dicta sunt T. II. pag. 362. seq.

2. Et hæc quidem, aliaque hujus generis esse Prædestinatianorum execranda dogmata, nulla plane est controversia; illud anceps, an, & quando hujusmodi hæresis extiterit. Sunt enim, qui eam chimericam esse, & imaginariam contendunt (b). A-

(a) Neminem movere debet, quod Doctor Angelicus hic, & alibi dicat, auxilium hoc Dei esse exterius, & exterius hominem gubernare; quasi intelligat auxilium solius exterioris gubernationis. Sexcentis enim ejusdem testimoniis probari posset, intelligi auxilium vere internum, animæ tribuens interiores & efficacissimas vires, ut in accepta justitia perseverare & possit, & velit. Ideo S. Thom. hoc auxilium exterius vocat, quia non ab internis, & naturalibus animæ viribus promanat, sed a Deo. Hoc eodem sensu idem Angelicus 1. 2. qu. 109., ubi de gratia tractare incipit, hunc præfixit titulum: *De exteriori principio humanorum actuum, scilicet de gratia Dei.*

(b) Ita primus omnium, ni fallor, Usserius Armachanus in libro, cui titulus, *Gotthescalchi, & Prædestinatianæ controversiæ ab eo motæ histor.* cap. 2.; tum in alio opere inscripto: *Britannicarum Ecclesiarum antiquitates &c.* Idem senserunt Jansenius Lib. VIII. *de Hæres. Pelagian.* cap. ultim., Gilbertus Mauguinus in Tom. II. libri inscripti: *Vindiciæ Prædestinationis, & gratiæ*, Cabassutius Presb. Congregation. Orat. in sua *Conciliorum notitia* Sæcul. V., Diatriba *de Hæres.*

Alii vero fuisse quidem Prædestinatianos, facile concedunt, sed in hujus Hæresis epocha figenda plurimum inter se digladiantur. Ut igitur quod verisimilius est, assequamur, varia distinguenda sunt tempora.

CAPUT I.

Ostenditur Sæcul. V. nullam fuisse Sectam Prædestinatianorum.

3. **P.** Jacobo Sirmondo visum est, jam ab anno 424., Augustino adhuc vivente, hæresim Prædestinatianam in Monasterio Adrumetino erupisse; post autem ex Africa migrasse in Gallias, ac contra ipsam S. Prosperum, & Hilarium ab Augustino opem implorasse, eos denique post Augustini mortem Romam se contulisse, ut contra hanc odiosissimam pestem, adeo in Galliis grassantem, S. Cœlestini zelum accenderent (in *Hist. Hær. Præd.* cap. 1. 2. & 3.): *Sed hæc scripsit Sirmondus effœta jam ætate*, inquit Norisius, & admodum paucis potuit suam sententiam probare. Mirum tamen est, inter hos paucos Sirmondi suffragatores etiam inveniri Petavium Lib. XIII. *de Incarnat.* c. 6. n. 6. & iterum c. 12. n. 11. Plures eidem Sirmondo consentiunt, cum præterea contendit, eodem Sæcul. V. ad finem vergente, a Lucio Presbytero fuisse Prædestinatianam hæresim in Gallia excitatam.

PROPOSITIO.

Neque in Monasterio Adrumetino, neque in Galliis, Augustini & Cœlestini ætate, nata est hæresis Prædestinatiana. *

4. **P**rob. Prima pars ex S. Augustino, qui loquens de libro suo inscripto *de gratia*, & *libero arbitrio*; quem ad sedandos Adrumetini monasterii tumultus elucubravit, expressis verbis nos docet, Semipelagianismum in eo monasterio regnasse, non Prædestinatianismum. „ Propter eos, inquit Lib. II. *Retract.* cap. 66., qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cujus titulus est, de gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio “. Omisissetne S. Doctor novum Prædestinatianorum errorem impugnare, & præfocare, si eum jam natum esse vidisset?

5. Prob. ulterius ex celebris illius dissidii historia. Contentio Monachorum maxime excitata fuerat contra Florum, qui S. Augustini epistolam ad Sixtum ad Monasterium per cancellitam suum Felicem deferendam curaverat. Si itaque ostensum fuerit, adversarios Flori fuisse Semipelagianos, Florum autem recte cum S. Augustino de gratia sensisse, consequens erit, non Prædestinatianum, sed Semipelagianum errorem in eo monasterio pullulasse. Utrumque autem sic facile ostenditur. Nam qui Floro adversabantur, præcipue Cresconius, & Felix, ad S. Augustinum profecti sunt; ille autem, ut eorum errorem convelleret, ipsis legendas dedit epistolas Concilii Carthaginensis, & Milevitani, tum quinque Episcoporum litteras ad Innocentium, cum hujus responsionibus: epistolam insuper Concilii Africani ad Zosimum, hujusque *tractatoriam*; omnia denique, quæ contra Pelagium acta fuerant; & insuper ad eos, eorumque socios errantes edocendos, librum *de gratia*, & *lib. arb.* elucubravit, in quo tota disputationis vis ad gratiæ necessitatem comprobandum, veluti ad scopum dirigitur: hi ergo errantes erant Semipelagiani. Flori autem puram, & sanam doctrinam, & a Prædestinatianorum errore alienam Valentinus Abbas commendat apud Sanctum Augustinum epistol. CCXVI. & CCXXXVI. Deinde cum S. Augustinus Florum ad se mitti impetrasset, ita Valentino scripsit: „ Hanc fidem, quæ sine dubio vera, & prophetica, & apostolica, & catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt .... qui eum non intelligebant (de correptione, & gratia cap. 1.) “.

6. Demum non aliam fuisse Adrumetinorum hæresim, quam illam ipsam Semipelagianorum, quæ postea erupit in Galliis, aperte testatur Sanctus Prosper; nam postquam Massiliensium errores exposuisset, subdit, eosdem fuisse prius in Africa excitatos, utique in monasterio Adrumetino, & a S. Augustino (Lib. *de corrept.* & *grat.*) jam confutatos. „ Evenit, *inquit*, ex dispositione misericordiæ Dei, ut, cum quidam intra Africam similia movissent, librum de correptione, & gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres “: at vero plusquam certum est, Massilienses non Prædestinatianos, sed Semipelagianos fuisse; quod mox luce clarius ostensuri sumus.

7. Prob. secunda pars. Et quidem postremis Augustini annis nullam fuisse hæresim Prædestinatianam, sed solum Semipelagianam liquet, tum ex duabus epistolis Prosperi, & Hilarii ad Augustinum, tum ex duobus libris *de Prædestinatione Sanctorum*, & *de dono perseverantiæ*, quos hac occasione S. Doctor elucubravit. Prosper enim, & Hilarius exponunt querelas eorum, qui in S. Augustini scriptis reprehendebant, & contrarium putabant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quid-

Prædestinat., Contensonius Lib. VIII. *Theolog. mentis*, & *cordis*. Laurent. Berti Lib. VI. *de Theologicis Discipl.* cap. 14. Eusebius Philalethes Lettre 3. *à François Morenas sur son prétendu Abrégé de l'Hist. Eccles. de M. Fleury*, Phil. Buchius in *Fabula hæreseos Prædestinatianæ* Francofurti 1676. in 4., & alii.

quidquid ille de vocatione electorum secundum Dei propositum disputaverat. Quod vero dicebant, *removeri industriam*, *tolli virtutes*, & *fatalem induci necessitatem*, non asserendo, sed objectando dicebant, nempe putabant, admissa gratuita prædestinatione, sive ad gratiam, sive ad gloriam, hæc sequi absurda consectaria; a quibus nihilominus tam ipsi, quam Augustinianæ doctrinæ defensores longe abhorrebant. S. Augustinus autem in laudatis libris *de Præd. SS.* & *de pers.* totus est, ut gratiæ gratuitatem, & necessitatem demonstret. Quod si etiam pro libertatis defensione aliqua admiscet, non id agit ad Prædestinatianorum errorem refutandum, qui nullus erat, sed ad hujus erroris suspicionem a se removendam.

8. Augustino etiam e vivis sublato, & Cœlestino in Apostolica Sede regnante, nullos fuisse Prædestinatianos, liquet primo ex celebri illa epistola, quam idem S. Cœlestinus a Prospero, & Hilario de erroribus in Gallia gliscentibus admonitus scripsit. In ea enim, ut inquit S. Prosper *contra Collatorem* cap. 41. ar. 41. *intra Gallias istis ipsis, qui sanctœ memoriœ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiœ est ablata libertas*. Contra eos itaque data est Cœlestini Epistola, qui Augustini scripta reprehendebant, cujusmodi erant Semipelagiani, non Prædestinatiani. Id liquet secundo ex capitulis eidem epistolæ subjectis, quibus nullibi Prædestinatiana, sola vero ubique Pelagiana, ac Semipelagiana hæresis confutatur. Tertio ex operibus a S. Prospero elucubratis, quibus totus semper est, ut Semipelagianam pravitatem impugnet, de opposito autem Prædestinatianorum errore nullibi sollicitus est, quem certe, si alicubi regnasset, impune grassari non permisisset (*a*).

9. Quod si aliquando S. Prosper in suis operibus etiam Prædestinatianorum errores explodit, id ea occasione tantummodo facit, qua Prædestinatianorum paradoxa suæ, & magistri sui Augustini doctrinæ objiciebantur; unde in proœmio *responsionis ad Vincentianas objectiones* de suis adversariis ita scribit: *Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia ... asserentes talia in nostro esse sensu &c.* Clarius adhuc in epist. ad Ruffinum; ubi de S. Augustino loquens, *Scripta ejus*, inquit, *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiœ nomine necessitatem prœdicare fatalem &c.*

10. Si autem, ut P. Sirmondus contendit, fuissent aliqui ita Massiliensibus oppositi, ut absurdam Prædestinatianam hæresim adoptarent, certe prodigio simile videretur, id nunquam fuisse a Prospero indicatum, simul etiam declaratum, se impiis istorum blasphemiis minime adhærere. At vero in hoc uno operam suam impendit, ut putidos esse calumniatores ostendat, qui absurda hæc paradoxa ad invidiam Augustinianæ doctrinæ conflandam comminiscebantur: nulli ergo fuerunt temporibus SS. August., Cœlestini, & Prosperi re, & nomine Prædestinatiani.

11. Ob. 1. Testimonia veterum, qui hæresim Prædestinatianam S. Augustini ætate emersisse scribunt. Prosper Tyro in *Chronico* ad ann. 23. Honorii, hoc est nostræ æræ vulgaris 417. *Prœdestinatianorum hœresis*, inquit, *quœ ab Augustini libris male intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorta est*. Sigebertus autem pariter in *Chronico* illam ponit biennio prius, nempe an. 415.; cui Genebrardus consentit, eam ponens sub Zosimo (*b*): & ante Sigebertum, & Genebrardum, Hincmarus Episcopus hæc habet in epist. ad Nicolaum P. *De veteri hœresi Prœdestinatiana, quœ primum in Africa, postea in Gallia per idem tempus, quando & Nestoriana hœresis est exorta, & tempore Cœlestini Papœ ipsius auctoritate, & instinctu est revincta* (*c*). His accedit auctor *Prœdestinati* a Sirmondo editi ann. 1643., qui loquens de libro pseudonymo, quem Prædestinatiani sub nomine Augustini ad suos errores defendendos vulgabant, *ad manus nostras*, inquit, *pervenit liber, qui Augustinum mentitur titulo, cum se hœreticum ostendat in textu. Hunc librum aliquando, sibi oblatum S. Pontifex Cœlestinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo damnari juberet silentio*. Etiam Gennadius in Appendice ad librum Sancti Augustini de *Hœresibus* (in codice Mss. Biblioth. Sanctis Victoris) hæresim Prædestinatianorum recenset num. XC., eorumque impia dogmata exponit. Demum Ar-

(*a*) Baronius ad an. 400. n. 17. putavit, S. Prosperum contra eos calamum acuisse, qui suos errores *S. August. nomine, & auctoritate defendere conabantur*; cujusmodi erant Prædestinatiani. Sed facile est ostendere, eum pro magistri sui August. auctoritate, & doctrina defendenda contra ipsius detractores, & inimicos in omnibus suis opusculis pugnasse. Vid. Noris Lib. II. *de Hær. Pel.* cap. 15.

(*b*) Nihil dico de insigni anachronismo Claudii de Sainctes, qui tractatu *de Prædest.* postquam indignis modis de Augustino patre suo oblocutus est, suam ignorantiam prodit, cum in pluribus aliis, tum in eo, quod n. 10. inquit: *A' l'occasion des livres de S. Augustin, comme dit Sigebert en sa Chronique, s'éleva l'hérésie des Prédéstinés l'an. 415. peu aprés la mort de S. Augustin*. Mirum est, hunc imprudentem, (ut mitissime loquar) S. Augustini reprehensorem nec annum ejusdem emortualem compertum habuisse, qui certe non ante an. 415., sed in annum 430. incidit. Pater Antoninus Reginaldus in suo egregio opere *de mente Concilii Tridentini circa gratiam efficacem*, Part. II. cap. 89. Claudii Sainctesii temeritatem, multosque errores ostendit, & castigat.

(*c*) Idem sæpius repetit Hincmarus, scilicet in posteriore suo opere *de Prædestinatione*, quod edidit anno 863., & in *epist.* ad Rodulphum Bituricensem, quæ extat in Tom. III. *Concil. Antiq. Galliæ*.

Arnobius Augustino coævus, fuisse aliquos Prædestinatiana fuligine tinctos, satis clare innuit in Psalm. CXLVI., ubi postquam generalem Dei voluntatem de salute omnium hominum ostendit, ita subdit: *Nota tibi, Prædestinate, quod loquor &c.*: & in Psalm. CVIII. aliqua a se scripta fuisse declarat, *propter hæresim, quæ dicit, Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem*.

12. Resp., Omnes memoratos auctores nullam in hac re mereri fidem; tum quia non admodum gravis est eorum auctoritas; tum quia res narrant, quæ cum gravioribus Historiæ monumentis pugnant, cujusmodi ea sunt, quæ ad demonstrandum, nullam Augustini, aut Cœlestini ætate fuisse hæresim Prædestinatianam, superius attulimus. Et quantum ad Prosperum Tyronem attinet, Norisius jure miratur, homines eruditos ei confidenter fidem præstitisse; *Cum idem non tyro, sed puer in Chronologia, appareat: totus in historia hospes, ac omnium, quæ litteris prodidit, imperitissimus;* quod multis allatis exemplis idem Eminentissimus auctor ostendit. Accedit, quod si huic scriptori fides habeatur, Augustinus ipse hæresis Prædestinatianæ auctor dicendus foret; inquit enim: *Prædestinatianorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium &c.*, non *ab Augustini libris male intellectis*, ut Pithœus ex Sigeberto legit contra Mss. fidem (Vide Labbeus in Bibl. nov. Mss.) (*a*).

13. Hincmarus autem, Sigebertus, & Genebrardus Scriptores sunt recentiores, quorum prior Sæcul. IX., alter XII., & tertius XVI. floruit. Iis præter fundamenta nostræ propositionis antiquiora, & solidiora, etiam opponere possumus duos testes multo graviores Sæcul. IX. Sanctum Prudentium Trecensem, & Florum scribentem nomine Ecclesiæ Lugdunensis, quibus Prædestinatiana hæresis incognita erat. Primus enim in libro adv. Joann. Scotum, seu Erigenam cap. 4. ait: *Tertiam vero hæresim, quam Pelagianis contrariam asseritis, qua ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus*. Alter autem: *Quæ est*, inquit adversus eumdem Erigenam c. 4., *ista secunda hæresis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato, solius gratiæ sit prædicatrix, nisi, ut nobis videtur, disputator iste vel B. Augustinum latenter quasi hæreticum accusat* (*b*)?

14. Auctori libri, qui *Prædestinatus* inscribitur, nulla fides habenda est; constat enim eum Pelagianis, & Semipelagianis consentire, quibus solemne erat Prædestinatianorum portenta Augustino, ejusque sectatoribus calumniose tribuere. Quod narrat de libro sub Augustini nomine vulgato, & a Cœlestino execrationi habito, ut commentitium rejicitur, cum de tanta calumnia Augustino impacta, tum apud Cœlestinum, tum apud Prosperum, & Hilarium Augustini discipulos altum sit silentium (*c*).

15. Gennadii etiam auctoritas hac in re pluribus de causis notat. *Primo*, quia hæc Prædestinatianorum hæresis in unico laudato codice Mss. invenitur, in aliis multis codicibus, qui extant, de Prædestinatianis nulla est mentio. *Secundo*, dubium est, an additio illius codicis bibliothecæ Victorianæ sit vere Gennadii, an alterius ignotæ manus, quæ etiam addidit postea alias hæreses ex S. Isidoro. *Tertio*, Gennadii fides in hac materia admodum suspecta est; fere enim constat apud eruditos, paucis reclamantibus, Gennadium Semipelagianis erroribus fuisse non leviter aspersum, & quæ hic Prædestinatianorum dogmata enumerat, omnia conveniunt cum objectionibus, & calumniis, quibus Massilienses doctrinam S. Augustini, ejusque discipulorum notabant. Confer, quæ de hac re erudite pro more suo habet Natalis Alexander Dissert. V. in Sæc. V. Prop. III.

16. Arnobius denique junior totus in Semipelagiano luto hærebat (*d*); unde nil mirum, quod discipulos S. Augustini odioso Prædestinatianorum nomine infamare nisus fuerit; cum enim Augustini, immo Ecclesiæ doctrinæ vindices solerent Semipelagianos ignominiæ causa vocare *Ingratos*; isti contra, ut par pari redderent, eos appellabant *Prædestinatos*, vel *Prædestinatianos*.

17.

(*a*) Quis sit auctor istius *Chronici*, incertum est. Ipsum primo edidit Petrus Pithœus, contendens esse genuinum S. Prosperi Aquitani fœtum, sed omnis criticorum turba se Pithœo opposuit; cum potius Semipelagiani alicujus opus videatur. Adi-sis Jos. Antelmium Dissert. VIII. in S. Leonem, Dupinium Tom. IV. *Biblioth.*, Ceillier Tom. XIV. cap. 12. art. 2. §. 8. &c.

(*b*) Hincmarum in hac historia Prædestinatianismi non admodum fuisse versatum, ex pluribus erroribus, in quos turpiter lapsus est, luculenter apparet. Primo enim librum *Hypognesticon* Augustino tribuit contra omnes critices regulas. Secundo Concilium Arelatense, in quo Lucidus Prædestinatianismum ejurasse dicitur, celebratum fuisse putat sub S. Cœlestino, qui 40. circiter annis antea vita functus erat. Tertio S. Fulgentii auctoritatem parvi faciendam esse vult, quia S. Gelasius eum inter Ecclesiæ Patres non recenset. Sed Hincmarus ignorasse videtur, Concilium Rom. habitum sub Gelasio fuisse, antequam Fulgentius scriptis contra Semipelagianos inclaruisset. Demum & in eo fallitur, quod Sanctum Hilarium, qui ad Sanctum Augustinum scripsit, putat fuisse Archiepiscopum Arelatensem.

(*c*) Conjectationes eruditorum circa auctorem libri *Prædestinati* legi possunt L. II. *Observ. in hist. Pelagianam* Card. Norisii c. 10., & apud Ceillier *Des Auteurs Eccles.* T. XIV. c. 14. n. 8. Extat etiam *Censura* Martini de Barcos in librum *Prædestinati* Parisiis edita an. 1644., in qua purus putus illius auctoris Pelagianismus demonstratur. His adde Gilb. Mauguinum in *Prædestinat. fabulæ confutatione* P. I. cap. 4.

(*d*) Arnobium frustra ab hæresis Semipelagianæ suspicione liberare aliqui conati sunt duabus epistolis, quæ in *Ephemeridibus Trevoltianis* insertæ leguntur. Vid. Ceillier laud. Tom. XIV. cap. 14.

17. Obj. 2. S. Augustinus in epist. ad Valentinum: „ Retulerunt, *inquit*, monasterium vestrum „ nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam „ in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium ". Hinc idem S. Pater in Libro *de grat. & lib. arb.*, ad erudiendos illos errantes Monachos elucubrato, nedum de gratia vindicanda, sed etiam de libero arbitrio servando sollicitus est. Immo ita illum librum exorditur: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium*. Demum Lib. II. *Retract.* cap. ultim. dicit, se scripsisse ad Monachos Adrumetinos librum *de correptione, & gratia*, „ cum ipsi nunciatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem „ corripiendum, si Dei præcepta non fecit, sed „ pro illo tantummodo orandum, ut faciat ".

18. Resp. Ad primum, hæc scripsisse S. Augustinum falsa Felicis, & Cresconii narratione deceptum, qui Florum, aliosque veræ gratiæ prædicatores *Prædestinatianismi* accusabant: quanquam non omnem fidem Felici, & Cresconio adhibuisse, sed anceps hæsisse videtur: ita enim Librum *de grat. & lib. arb.* auspicatur: „ Sed quoniam „ sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, „ ut negent liberum arbitrium; aut quando gratia „ defenditur, negari existiment liberum arbitrium „ &c. " qua disjunctiva locutione suspicionem suam manifeste insinuat: Sed postea de tota rei controversia, & a Valentino per litteras, & coram a Floro certior factus, plane cognovit, non in eo positum esse errorem, quod liberum arbitrium tolleretur, sed quod nimio studio defendendi liberum arbitrium, detraheretur gratiæ Dei. Unde Valentino rescribens Flori, Sociorumque ejus, qui *Prædestinatianismi* accusabantur, *in veritate consensionem, & eam fidem, quæ sine dubio vera, & prophetica, & apostolica, & catholica fides est, invenisse se gratulabatur* (*De Corrept. & grat.* cap. 1.); ac demum Lib. II. *Retract.* cap. 66. nullum relinquit dubitandi locum, dicens; *propter eos &c.* Vid. supra n. 4.

19. Nec quemquam movere debet, quod in laudato libro nonnulla reperiantur pro liberi arbitrii defensione. Nam primo id tribuendum est falsæ Cresconii, & Felicis relationi, qua S. Augustinus saltem in suspicionem adductus est, esse aliquos, qui liberum arbitrium de medio tollere conarentur. Deinde si totum opus bene, accurateque perpendatur, apparebit, omnes in eo vires intendi ad gratiæ necessitatem, & efficaciam comprobandam; pro libero autem arbitrio nonnisi cap. 2. decertari, præter pauca, quæ adjiciuntur cap. 14. Quod si Augustino persuasum fuisset, non minus Prædestinatianum, quam Semipelagianum errorem in monasterio Adrumetino grassari, certe quo zelo pro puritate doctrinæ circa gratiam flagrabat, utrumque æquali contentione eradicandum curasset.

20. Ultimum facile expeditur, observando hæc dicta fuisse a Flori adversariis, non affirmando, sed objectando: quod luculenter apparet ex ipso S. Augustino, qui cap. 2. ejusdem libri *de corrept. & grat.* eamdem difficultatem sibi proponit, & diluit, inquiens: „ Non se fallant, qui dicunt; „ ut quid nobis prædicatur, aut præcipitur, ut „ declinemus a malo, & faciamus bonum, si hoc „ nos non agimus, sed id velle, & operari Deus „ operatur in nobis. " Quæ perpetuæ erant Pelagianorum, ac Semipelagianorum querelæ, & objectiones. Ulterius c. 4. hæc objici dicit, non a gratiæ Dei defensoribus, cujusmodi erant Prædestinatiani, sed ab ejusdem gratiæ inimicis. *Hoc enim dicunt*, inquit, *qui in suis malignis operibus, ab hujus gratiæ prædicatoribus corripi nolunt &c.* Et demum S. Pater totus in eo libro est; ut ostendat, correptionem tunc solum utilem esse, quando ejus *strepitu forinsecus insonante, atque flagellante, Deus in nobis occulta inspiratione operatur & velle*. Quæ certe non contra Prædestinatianos, sed contra Pelagianos, vel Semipelagianos dicta esse apparet.

21. Dices. Ille saltem Prædestinatianus erat, de quo S. Augustinus ait Lib. *de dono persever.* c. 15.: „ Fuit quidam in nostro monasterio, qui „ corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret; & facienda non faceret, respondebat: qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit ".

22. Resp. primo, hunc fuisse unicum, & singularem: nullos vero alios habuisse socios, ex quibus Prædestinatianorum secta condi potuerit. Deinde iste non videtur fuisse Prædestinatianus, quia S. Augustino teste ibidem, *profecto verum dicebat*, non falsum: quanquam postea ex vera doctrina perversam in praxi consequentiam deducebat; unde Augustinus ita prosequitur: „ Et hic „ vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo „ profecit in malum, ut deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum ".

23. Obj. 3. S. Prosper *in Præf. Resp. ad Capitula Objectionum Vincentianarum* loquens de Semipelagianis, qui Prædestinatianorum paradoxa Augustini discipulis affingebant, inquit: *Blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earundem repertoribus debere puniri*. Quorum verborum hic sensus est: paradoxa Prædestinatianorum non Augustini discipulis objicienda, qui ea damnabant, sed in ipsis Prædestinatianis eorumdem repertoribus punienda: pro certo itaque S. Prosper habebat, fuisse tunc temporis Prædestinatianos.

24. Resp., Repertores illarum blasphemiarum ad Prosperi mentem non fuisse Prædestinatianos, sed Semipelagianos, qui indiculum nescio quem blasphemiarum Prædestinatianarum contexuerant, & Christianæ, ac fraternæ charitatis obliti, discipulis S. Augustini, quasi eorum doctrinæ legitima consectaria objiciebant. „ Contendunt, *inquit*. „ & qualibus possunt sententiis, comprehendunt „ ineptissimarum quarumdam blasphemiarum pro-

„ di-

„ digiosa mendacia, eaque ostendenda, & ingerenda multis publice, privatimque circumferunt; „ asserentes, talia in nostro sensu esse, qualia diabolico continentur indiculo (*a*) ".

25. Obj. 4. Photius in *Bibliotheca* Cod. LIV. ex versione Andreæ Scoti „ Post S. Augustini mortem, *inquit*, cæperunt quidam in Clero impium „ illud dogma efferre, male etiam de Augustino „ loqui, atque adeo conviciis lacessere, tanquam „ arbitrii libertatem tollendam docuisset, " at vero impium illud dogma esse non poterat Semipelagianum, utpote quod non post mortem S. Augustini, sed ipso adhuc vivente eruperat; ergo &c.

26. Resp., Dogma illud impium, de quo Photius loquitur, non fuisse Prædestinatianum, sed Semipelagianum, ut ex adjunctis verbis luculenter apparet; ita enim pergit: „ Male etiam loqui „ de Augustino, atque adeo conviciis lacessere, „ tanquam arbitrii libertatem tollendam docuisset. „ Verum Cœlestinus Pontifex Rom. de Sancto viro, & contra eos, qui hanc hæresim resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit". Porro, qui Augustino obloquebantur, non erant Prædestinatiani, qui potius dicuntur ex libris S. Augustini male intellectis ansam erroris sumpsisse, sed Semipelagiani. Rursus non dicit, hunc errorem de novo erupisse, sed potius fuisse revocatum. Demum Photius ibi Pelagianam, & Nestorianam hæreses tantum recenset, præcipue autem Pelagianam, & de Prædestinatianis ne somniasse quidem videtur.

27. Quæres primo: Quid de Lucidi Prædestinatianismo sentiendum sit?

28. Sæculo V. jam inclinante circa ann. 474. dicitur quidam Presbyter nomine Lucidus coactus in Synodo Arelatensi Prædestinatianos errores palam ejurasse. Porro hujus ejurationis testes afferuntur primo epistola Fausti ad Lucidum, in qua sex dogmata Prædestinatiana ipsi damnanda proponit: Secundo, Libellus emendationis Lucidi ad Episcopos Gallicanos: Tertio, duo concilia Arelatense, & Lugdunense, in quibus Lucidi errores damnati sunt. Hinc contendunt bene multi esse initia hæreseos Prædestinatianæ ab his temporibus repetenda (*b*). Sed alii cum Tillemontio in *Monum. Hist. Eccles.* Tom. XVI. in *Fausto* art. 6. primo dubitant, an Lucidus reipsa errores Prædestinatianos adoptaverit, an vero Faustus, qui medullitus Semipelagianus erat, doctrinæ Lucidi, plane Augustinianæ, absurdas Prædestinatianorum consecutiones per calumniam affinxerit. Alii id pro certo habent; immo & duas Synodos Arelatensem, & Lugdunensem, in quibus Lucidi errores condemnati dicuntur, a Fausto viro doloso, ad Semipelagianam luem propagandam confictas fuisse affirmant (*c*). Alii demum, etiamsi concedatur, Lucidum fuisse Prædestinatianum, hinc tamen minime confici dicunt, extitisse sectam aliquam Prædestinatianam, sectæ enim condendæ non unus, vel alter sufficit, qui erret.

29. Quæres 2., an Monimus, ad quem S. Fulgentius tres libros scripsit circa annum 511., dum secundo in insula Sardiniæ pro fide exularet, Prædestinatianus fuerit? Respond., incertum adhuc esse, an Monimus revera Prædestinatianis erroribus adhæserit, an duntaxat ingenii tarditate crediderit, eos S. Augustini doctrina consequi, quam Fulgentius mordicus defendebat. Immo si primum librum S. Fulgentii ad ipsum legamus, apparebit, Monimum S. Fulgentio dogmata Prædestinatianorum potius, ut difficultates solvendas, quam ut proprias sententias, proposuisse.

30. Postremo quæri solet, an tempore concilii Arausicani II. celebrati anno 529. fuerint Prædestinatiani, propter illa verba Can. 25. „ Aliquos „ vero ad malum divina potestate prædestinatos „ esse, non solum non credimus: verum etiam si „ qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum „ omni detestatione illis anathema dicimus "? Sed dubia res visa fuit etiam Patribus illis; si enim certo scivissent, esse aliquos reipsa eo errore infectos, non profecto dixissent: *Si qui sunt*, *&c.* Potius probabile est, eos Patres voluisse a se Prædestinatianismi suspicionem amovere, quam Semipelagiani veræ gratiæ Christi defensoribus injiciebant.

GA-

(*a*) Neque vero hujusmodi mendacia a Semipelagianis sparsa fuisse mirabitur, qui eorum doctrinam de mendacio noverit. Cassianus Collat. XVII. cap. 17. *quandoque licitum esse mentiri*, dicit. Faustus autem Rejensis Lib. II. *de lib. arbit.* cap. ult. vel ipsi Deo veritati summæ quodammodo attribuere ausus est mendacii possibilitatem inquiens: *Optat judex misericors cælestis decreta consilii pio mutare mendacio, si reus medicinam sustinet adhibere peccato.*

(*b*) Jo. Bapt. Duchesne in sua *Prædestinatianismi Hist.* Lib. II. c. 2., Nat. Alexander Diss. V. in Sæc. V. Propos. 3., Henr. Norisius Lib. II. *Hist. Pelag.* c. 15., Card. Jos. August. Orsi lib. 35. *Hist. Eccles.* n. 82., & Rem. Geillier *des Aut. Eccles.* Tom. XV. p. 166.

(*c*) Jansenius *de Hæres. Pelag.* Lib. VIII. c. ult., Usserius in *Antiquit. Britan.* cap. 31., & post hos Gilbertus Mauguinus in *Prædestinat. fabulæ confutat.* cap. 8., Cabassutius in *Notitia Concil.*, Lud. Thomassinus Dissert. XIII. in *Concil. Arelat. & Lugd.* n. 9., aliique censent, cum Lucidi retractationem, tum duas Synodos Arelatensem, & Lugdunensem Fausti commenta fuisse, ut ita pestiferam suam doctrinam facilius incautis propinaret. Baronius ad an. 490. Faustum appellavit *versipellem vulpeculam*, & ante eum S. Isidorus eumdem definierat *virum profundæ calliditatis* in Lib. *de viris illust.* Hujus sententiæ momenta breviter collecta videri possunt apud Gasp. Juvenin. *Instit. Theol.* Tom. II. P. I. Dissert. 4. c. 5. art. 2. §. 3. Nihilominus veritatem historiæ Lucidi tuetur præter laud. Nat. Alexandrum Propos. IV., Henr. Norisium, & Orsium, ex Heterodoxis Jac. Basnagius in *Hist. Eccles.* Tom. I. Lib. XII. c. 2.; & in *Animadversionibus Criticis* præmissis suæ editioni *Lectionum antiquarum* Hen. Canisii Tom. I.

CAPUT II.

Historiæ Gotteschalci brevis Synopsis ; ejus doctrina ab hæresi Prædestinatiana vindicatur.

52. Inter Prædestinatianæ hæreseos propugnatores a bene multis recenseri solet Gotteschalcus, *Fulgentius* communiter dictus, quod Fulgentii librorum maxime studiosus esset, eique præter S. Augustinum præferret neminem. Hic origine Saxo erat, & ab infantia a parentibus Deo in monasterio Fuldensi dicatus, ubi diu monasticam vitam exercuit, sed postea religiosi status pertæsus, votorum relaxationem petiit. Causa acta est sub Otgario Archiepiscopo Moguntino in Synodo anno 829. habita, & pro Gotteschalco sententia lata. Sed Rhabanus, tunc Fuldensis Monasterii Abbas, appellationem ad Ludovicum Pium (vel ut gallice vocari solet *Debonnaire*) interposuit. Appellationis exitus ignoratur. Id certum, Gotteschalcum ad Orbacense monasterium migrasse in Suessionensi Diœcesi, ubi sub Abbate Davone a Ragolbo Remorum Chorepiscopo ad Presbyteratus ordinem evectus, Patrum lectioni, potissimum autem SS. Augustini, & Fulgentii, diligentem, & assiduam operam navavit. Anno 846. Romam profectus est, unde ad Comitem Eberardum divertit, qui unus erat ex primis Imperatoris Lotharii aulicis. Ibi cœpit de prædestinatione Dei sæpius disputando ea in vulgus spargere, quæ magnam ei invidiam suscitarunt: nempe geminam ajebat esse prædestinationem, aliam electorum ad vitam, aliam reproborum ad mortem. Notingus (*a*) inter alios Gotteschalci sermonibus offensus fuit, ac de tota re Rhabanum, qui a Fuldensi monasterio fuerat ad Archiepiscopatum Moguntinum evectus, certiorem fecit. Nil cunctatus Rhabanus Gotteschalci doctrinam confutavit, edicto libro *de Prædestinatione*, quem Comiti Eberardo misit una cum litteris, quibus eum orabat, ut sciolum illum Monachum a se dimitteret.

52. Gotteschalcus Italiam deserere coactus, per Dalmatiam, Pannoniam, & Noricum peregrinatus est, ac tandem malo omine Moguntiam advenit anno 848., quasi comminus cum adversario suo signa collaturus. Tunc Rhabanus concilio coacto diem Gotteschalco dixit, & simul testis, ac judex sedens, ejus doctrinam accusavit, atque ut Prædestinatiana labe aspersam, condemnavit. Infelicem autem Monachum ad Hincmarum Remensem Episcopum misit, ad hominem scilicet *versutum*, *cavillatorem*, *falsarium*, *impostorem*, uno verbo *Camaleontem* (non auderem ita de Episcopo scribere, nisi his infamiæ titulis eum Nicolaus I. Rom. Pont. notasset, ipsum violento Dioscoro comparans) (*b*).

53. Hincmarus anno sequenti concilium habuit in Carisiaco palatio, in quo non solum Gotteschalci doctrina iterato damnata fuit, sed etiam „ inaudito irreligiositatis, & crudelitatis exemplo, tandiu ille miserabilis flagris, & cædibus trucidatus est, donec accenso coram se igne libellum, in quo sententias Scripturarum, sive SS. Patrum collegerat, quas in concilio offerret, coactus est jam pene emoriens suis manibus in flammas projicere, atque incendio concremare ". Id verbis expressi S. Remigii Lugdunensi Episcopi in Lib. *de tribus epistolis* cap. 25. Post crudelem flagellationem in carcere apud Monachos Altivillarenses inclusus, variisque modis diu, multumque afflictus est. Anno autem 853. in altera Carisiaca Synodo rursus damnatus fuit, ac contra ipsum quatuor famosa capitula edita sunt, quorum primum erat: *Quod una sit Prædestinatio Dei:* alterum: *Quod liberum arbitrium per gratiam sanetur:* tertium: *Quod Deus omnes homines salvos fieri velit:* postremum: *Quod Christus pro omnibus passus sit*. Hæc tamen IV. capitula non a Synodo integra, sed potius ab Hincmaro confecta fuisse probat Mauguinus *in Dissert. hist. & chronica cap.* 33., & a paucis quibusdam Episcopis Hincmarianæ factionis confirmata (*c*).

54. Infelici Monacho nihil omnino profuit plurium Episcoporum, aliorumque illius ætatis præstantium virorum patrocinium; nihil oblata probandi per ignem innocentiam suam, nihil denique appellatio ad Summum Pontificem interposita. Nam Hincmarus hæc omnia insuper habuit, vel ipsis Apostolicæ Sedis Legatis rationem reddere variis tergiversationibus detrectavit (ibid. Flodoardus Lib. 3. c. 14.). Ita Gotteschalcus exactis in durissimo ergastulo 4. lustris ad extremum dedu-

(*a*) Variant de Notingo opiniones. Rudolphus in vita Rhabani eum Veronensem Episcopum dicit, Chronicon Hirsaugiense facit Vercellensem; sed in Concilio Rom. anno 846. dicitur Brixiensis Episcopus; quam sententiam nuper illustravit, & contra Maffejum, aliosque vindicavit vir eruditione, pietate, multisque aliis nominibus clarissimus Hieronymus Gradonicus ex Sacra Clericorum Regularium familia ad Archiepiscopatum Utinensem assumptus in sua *Brixia Sacra* pag. 118. & seq.

(*b*) Idem Pontifex etiam *Superbiam*, *dolositatem*, *crudelitatem*, & *duritiam Pharaonis* Hincmaro exprobravit. Vid. Baronius ad an. 863. n. 87. & seq. tum ad an. 866. n. 55. & seq., & alibi. Ac crudelitatis ipsius præter ea, quæ in Gotteschalcum egit, aliud etiam argumentum habemus in ipsius nepote Hincmaro Laudunensi Episcopo, in quem sævit usque ad oculorum avulsionem. Ut nihil dicam de odio, quo prosecutus est Rhotaldum Suessionensem Episcopum.

(*c*) Hincmarus in suo libro *de Prædestinatione*, quem emendatum, & perfectum anno 863. in lucem emisit, etiam S. Prudentium hisce capitulis subscripsisse asserit. Sed quis illi fidem adhibeat, id nullo satis idoneo teste evulganti post mortem S. Prudentii, quæ biennio ante contigerat?

ductus est; & vel in ipso mortis articulo Sacramentis, omnique consolatione privatus an. 868. mortalium omnium infelicissimus supremum diem obiit. Neque post mortem dira persecutio cessavit; nam & cadaveri ecclesiastica sepultura, & ejus animæ communia suffragia denegata sunt.

55. Porro quantum attinet ad Gotteschalci mores, omnibus fere persuasum est, cum veteribus, tum recentioribus historicis, eum turbulentum, imprudentem, ac pervicacis ingenii fuisse. Quare S. Remigius unus ex præcipuis ejus doctrinæ patronis, *etsi illius miserabilis Monachi*, inquit, *improbatur temeritas*, *culpatur loquacitas*, *non ideo divina neganda est veritas*. Idemque fere de ipso scripsit Lupus Ferrariensis alter ejusdem doctrinæ fautor epist. 30.: unde Mabillonius concludit in Præf. ad Tom. VI. *Sec. Bened.* c. 2.: „ Certe Gotteschalcus paullo jactantior, & audacior fuisse videtur, atque inutilium quæstionum „ sectator, ut patet ex Lupi Abbatis epist. 58., „ ubi ejus nimiam impetiginem reprehendit .... „ Hæc satis dicta de Gotteschalco, qui si animum „ tantisper continuisset, melius famæ, melius saluti suæ consuluisset (*a*)".

56. Sed de Gotteschalci doctrina acrior contentio viget a primis ejus causæ exordiis usque ad nos propagata; quam certo definire difficile est, cum inveniantur Scriptores Scriptoribus, Episcopi Episcopis, & quod plus est, integræ Synodi, & Ecclesiæ, Synodis, & Ecclesiis vehementer repugnantes. Probabilius tamen videtur sententiam Gotteschalci plane fuisse catholicam, cujus hæc potissima sunt momenta.

57. Primum argumentum ducitur ex duabus confessionibus fidei, quas in carcere elucubravit. In utraque enim prædicat quidem prædestinationem ad mortem; sed clare exponit, hanc prædestinationem non esse ad malum, sed ad pœnam tantum, & quidem post prævisionem peccatorum. *Quia quos præcisti*, inquit Deum alloquens in secunda confessione, *per ipsorum propriam miseriam in damnabilibus perseveraturos esse peccatis*, *illos profecto*, *tanquam justissimus judex*, *prædestinasti ad interitum*. Eodemque sensu, & non aliter geminam prædestinationem ad Augustini mentem semper defenderat, aliam ad vitam, eamdemque gratuitam, alteram ad mortem post peccatorum prævisionem.

58. Alterum argumentum ducitur a plerisque viris, qui per id tempus magna non solum doctrinæ, sed etiam pietatis laude floruerunt, quique Gotteschalci doctrinæ, ut catholicæ patrocinati sunt. Hi fuerunt S. Prudentius Trecensis Episcopus (*b*), Lupus Servatus Abbas Ferrariensis, S. Remigius Episcopus Lugdunensis, Florus ejusdem Ecclesiæ Presbyter, aliique. Et quidem S. Prudentius, cum eum Hincmarus, post Gotteschalcum in Carisiaco conventu jam damnatum, & castigatum, consuluisset, *an in Cœna Domini*, vel in Paschate deberet eum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem, ap. Flodoard. Lib. 3. c. 21., Trecensis Antistes non modo Gotteschalcum sacris admittendum respondit, sed ejus doctrinæ, tanquam Augustino prorsus conformis, patrocinium suscepit.

59. Lupus autem Servatus Ferrariensis Abbas in suo opere, *de tribus quæstionibus* eamdem sententiam tuetur (*c*). Etiam S. Remigius, qui Amoloni in Lugdunensi Sede successerat, Capitula Synodi Carisiacæ contra Gotteschalcum edita improbavit in Lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, & nomine totius suæ Ecclesiæ Gotteschalci opinionem strenue tutatus est. Præterea respondens tribus epistolis, quæ a Rhabano Moguntino, Hincmaro Remensi, & Pardulo Laudunensi fuerant Amoloni contra Gotteschalcum datæ, hujus doctrinam omni argumentorum genere defendendam suscepit, dolens, *non illum miserabilem*, *sed ecclesiasticam veritatem esse damnatam* (de tribus *Ep.* c. 24.). Denique Florus ejusdem Ecclesiæ Presbyter Jo. Scotum, seu Erigenam, qui contra Gotteschalcum jussu Hincmari, & Parduli librum adornaverat, Pela-

(*a*) Baronius ad an. 848., & alibi Gotteschalcum non alio, quam *hæretici* nomine appellat. At vero quam immerito infamis hæc hæreseos nota infelici huic Monacho inusta fuerit, ex mox dicendis apparebit. Addo, in sententia contra ipsum lata in Synodo Carisiaca non fuisse *hæretici* censura notatum. Immo nec desunt, qui ita Gotteschalci causam defendant, ut non solum ejus doctrinam; sed etiam vitam ab omni culpa liberent. Ita inter alios Mauguinus supra laud., ejus epitomator Norisius *in Synopsi Gotteschalcana*, qui ipsum alterum Danielem in lacu leonum pugnantem appellare non dubitavit. Contensonius etiam Lib. VIII. *Theol. mentis*, *&* *cordis in Append. de Præd.* §. 3. eum quasi martyrem facit.

(*b*) *Ejus reliquiæ lignea capsula insitæ in primaria Tricassinum æde servantur*, *in qua festum ejus VI. Aprilis peragitur*. Ita habent *Antiquitates Tricassinæ* in Cat. Episc. p. 160. Videri etiam possunt Jo. Bollandus, & Godefridus Henschenius in *Actis Sanctorum* die 8. mensis Jan. in not. ad vitam S. Frodoberti Abbatis. Quibus falsitatis convincitur auctor *Annalium Bertinianorum*, qui Hincmaro favens, & Prudentio suboffensus, scribere non est veritus, Prudentium *ante aliquot annos Gotteschalco Prædestinatiano restitisse*, *post felle commotum contra quosdam Episcopos una secum hæreticos resistentes*, *ipsius hæreseos defensorem fuisse acerrimum*. Et subdit: *Indeque non modica inter se diversa*, *&* *fidei adversa scriptitans moritur*, *sicque licet diuturno languore fatigaretur*, *ut vivendi*, *ita* *&* *scribendi finem fecit*. Eademque licentia de Nicolao I. Summo Pontif. minus honorifice loqui ausus est an. 858. 865., & 867., quia S. Pontifex Hincmari superbiam, & violentiam sæpius represserat.

(*c*) Fere communis olim erat opinio distinguens duos Lupos, alterum Servatum dictum alterum Ferrariensem; sed modo extra dubium videtur, unum, eumdemque esse. Ita post Sirmondum Baluzius in præf. ad hoc ipsum opus *De tribus quæstionibus*.

lagianis erroribus plenum, erudito & profundo opere, quamquam non prolixe (Tom. XV. *Biblioth. PP.*), confutavit (*a*).

40. Tertium argumentum ducitur ex Synodis, quæ Gotteschalci doctrinam adoptarunt. Cum enim Hincmarus in Synodo Carisiaca II., an. 853. quatuor capitula contra Gotteschalci dogmata edi, vel potius a se edita ab aliis confirmari curasset, id ægre tulerunt non pauci Gallicanæ Ecclesiæ Pastores, & anno 855. coacta Synodo Valentina ex trium Provinciarum Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis Episcopis, S. Remigio Concilii præside, præfata quatuor capitula, *propter inutilitatem*, *vel etiam noxietatem*, *& errorem contrarium veritati*, una cum opere Jo. Scoti condemnarunt. Porro eamdem fuisse Gotteschalci, ac Synodi Valentinæ doctrinam pro certo habuit Hincmarus, nam hujus Synodi Patres vocat *modernos Prædestinatianos* in Lib. *de præd.* c. 34., & contra S. Remigium inurbane invehitur ibid. cap. 31. quo fit, ut quemadmodum certum est, S. Remigium, & Patres Synodi Valentinæ fuisse ab omni Prædestinatianismi suspicione immunes, idem debeamus de Gotteschalco inferre (*b*).

41. Porro Synodi Valentinæ decreta fuerunt anno 859. in altero Concilio Lingonensi, & post 15. dies iterum in Tullensi duodecim Provinciarum probata, immo confirmata a Nicolao Summo Pontifice, ut testatur S. Prudentius apud Hincmarum ep. 24., & annales Bertiniani ad ann. 859. Erasa tamen fuerat in Conciliis Lingonensi, & Tullensi censura Concilii Valentini contra capitula Carisiaca, ut ita Ecclesiæ pax restitueretur. Satis etiam probabile est, re magis discussa, compertum tandem fuisse, totam illam dissensionem, quæ causa Gotteschalci Ecclesiam Gallicanam mire turbavit, fuisse solam logomachiam, ut proinde neque Rhabanus, Hincmarus, aliique ejus factionis, qui capitula Carisiaca defendebant, Pelagiani essent, ut suspicabantur eorum adversarii (excepto tamen Scoto Erigena, quem ab errore liberare nimis difficile foret), neque Remigius, Prudentius, Lupus, Florus, aliique, qui capitula Carisiaca rejecerant, essent Prædestinatiani, quemadmodum Hincmaro, aliisque ejus factionis visum fuerat, ac proinde nec Gotteschalcus, cujus doctrina non videtur ab istorum doctrina discrepasse.

42. Neque vero quis urgeat accusationem Notingi, judicium Rhabani, & Hincmari, vel Moguntinam, & duas Carisiacas Synodos Gotteschalcum condemnantes, tum etiam Amolonis Archiepiscopi Lugdunensis epistolam ad Gotteschalcum, in qua Prædestinatianas absurditates ei objicit. Nam primo eis opponimus Scriptores ea tempestate doctrinæ, & sanctitatis fama longe celebriores; tum Synodos frequentiores, quibus Hincmarus tandem debuit fasces submittere, & quibus postea totus Christianus orbis assensus est. Deinde quemadmodum Gotteschalci defensoribus Prædestinatianæ hereseos nota immerito inusta est, idem contingere potuit Gotteschalco, cui in carcere recluso se purgandi media defuerunt. Amolonem autem fuisse ab Hincmaro falsis & suppositis Gotteschalci scriptis deceptum, non contemnendis argumentis Mauguinus ostendit in *Diss. Histor. & Chronica* cap. 22. Et si quis demum opponat Annales Fuldenses, Chronicon Hildeshemeuse, Annales Bertinianos, item Annales Bojorum, & alia hujus generis documenta in quibus Gotteschalcus non alio, quam *hæretici* nomine appellatur (*c*); facilis est responsio, non multam similibus documentis hac in re fidem tribuendam esse. Cum enim horum Annalium auctores, fortasse aut non admodum theologicarum rerum periti, aut partibus Rhabani, & Hinc-

(*a*) Visum est P. Jo. Bapt. de Chesne in Diss. *Sur les trois livres attribués à l'Eglise de Lyon* Lib. III. suæ *Hist. Præd.* p. 197., nec opus *de tribus epistolis* Ecclesiæ Lugdunensi, nec aliud contra Jo. Scotum Floro tribui posse. Sed hæc opinio convellitur pluribus argumentis, præcipue autem ex Ms. Bibl. Colbertinæ citato a Mabillonio in *Suppl. Diplom.* p. 64. & seq., in quo sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis extat tum liber *de tribus epistolis*, tum alter *de tenenda veritate*. Ita etiam in Codice Corbejensi legitur nomen Flori contra Erigenam. Nec verum est, Florum obiisse an. 851., ut post Manestrierium putavit Duchesnius loc. cit. Deceptus uterque fuit Necrologio Monasterii de Richenou (*Augiæ divitis*); in quo ponitur Florus ante Amolonem, quem anno 853. certum est obiisse; nam, ut Mabillonius recte observavit in *Analectis* p. 426., illud non est Necrologium, sed Catalogus, nomina continens, nedum mortuorum, sed aliorum etiam, qui tunc temporis vivebant, inter quos Florus erat. Vid. Ceillier Tom. XIX. cap. 15. art. 2. & seq.

(*b*) A vero quam longissime abiit magnus historiæ Ecclesiasticæ parens Card. Baronius, dum ad an. 855. hac Valentina Synodo Gotteschalci doctrinam condemnatam fuisse, scribit.

(*c*) Annales Fuldenses ad an. 884. ita habent: *Gotteschalcus quidam Presbyter de prædestinatione Dei prave sentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter a Deo prædestinatos esse affirmans; in conventu Episcoporum rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Ingumarum Remis transmissus est.* Chronicon Hildeshemense ad eumdem annum: *Gotteschalcus hæreticus convictus, & damnatus est.* Annales Bertiniani ad ann. 849. *Gotteschalcus Gallus .... quædam nostræ saluti valde contraria, præcipue sub nomine Prædestinationis pestiferis dictis, & scriptis adstruens ... Episcopali judicio detectus, atque convictus &c.* In Analibus Bojorum Aventini Lib. IV. *Gotteschalcus genere Belga professione Sacerdos, qui docebat, homines quosvis inevitabili lege, & necessitate Providentiæ divinæ, sive inferis, sive superis destinatos esse &c.* Item Sigebertus *in Chronico* ad an. 849. *Gotteschalcus*, inquit, *hæreticus a Rhabano Archiepiscopo rationabiliter, ut multis visum est, convincitur; sed tamen in suo perseveravit errore.* Trithemius tamen in vita Rhabani Lib. III. *Gotteschalcum convictum, superatum, & confusum errorem suum publice revocasse*, narrat.

Hincmari addicti, Gotteschalcum damnatum vidissent, etiam jure damnatum esse crediderunt, atque adeo *hæreticum* nuncuparunt.

43. Colligite, immerito prorsus reprehendi, qui Gotteschalcum ab omni errore purgare conantur. Neque enim inde aliquod fidei veritatis præjudicium exoritur, immo potius novorum Prædestinatianorum conatus magis eluduntur. Si enim ponamus, eorum doctrinam cum doctrina Gotteschalci convenire, inde aliquod desperatæ suæ causæ præsidium accedere putabunt, credentes, non minus suam, quam Gotteschalci doctrinam fuisse a tot illustribus viris, & tam numerosis Synodis probatam. Nos vero omnia illorum tela retundimus, asserentes, doctrinam infelicis illius Monachi, ut imprudenter expositam, fuisse tamen a Prædestinatianorum labe omnino remotam (*a*).

CAPUT III.

De recentioribus Prœdestinatianis Wiclefo, Jo. Hus, Luthero, & Calvino.

44. Certe Prædestinatianorum primordia possumus a Catharis, & Valdensibus sæc. 11. & 12. repetere: in quibus similia errorum portenta sæpe confutat Ven. Moneta Ord. Prædic. (*b*); tum a Jo. Wiclefo, qui in Anglia Sæc. 14. infeliciter floruit. Inter alios ipsius errores a Constantiensi gener. Synodo condemnatos an. 1415., hi duo ad Prædestinatianorum hæresim spectant, scilicet quod *Oratio prœsciti nulli valet*, & quod *omnia de absoluta necessitate eveniunt* num. 26. & 57. (*c*).

45. Jo. Hus obscuro loco in Bohemia natus, sed ingenii magnitudine, studiorumque assiduitate in Pragensi Universitate primos honores adeptus Wiclefi errores malo Ecclesiæ fato adoptavit, & pertinacissime defendit usque ad mortem, ad quam in Concilio Constantiensi damnatus fuit, & vivus combustus mense Julio an. 1415. Idemque fuit fatum Hieronymi de Praga; qui simul cum memorato Jo. Hus hæresim Wiclefianam disseminare conabatur. Et ipse enim a Synodo Constantiensi, tanquam hæreticus, immo in hæresim, quam ejuraverat, relapsus, multorumque criminum reus eodem supplicii genere affectus est 3. Kal. Junii an. 1416. Uterque incredibili pertinacia, multisque adulterinæ pietatis signis mortem subivit (*d*).

46. Martinus Lutherus initio schismatis, quo sæc. XVI. Ecclesiam non reformavit, sed crudeliter turpiterque deformavit, ac laceravit, in Prædestinatianorum errorem lapsus est, docens liberum arbitrium *esse titulum sine re:* post autem consueta sua inconstantia, non solum libertatem arbitrii admisit, sed etiam, ut Bossuetus observavit (*Hist. des variat.* Lib. 3. §. 19.) in oppositam Semipelagianorum hæresim inclinavit, quam modo plures ipsius asseclæ aperte profitentur (Vid. supra Dissert. I. num. 102.).

47. Audacius Prædestinatiana dogmata adoptavit Calvinus, pluribus in locis aperte docens, homines a Deo prædestinari sive ad bonum, sive ad malum necessitate ineluctabili, nec bona opera ad salutem consequendam prodesse, nec mala obesse. Calvino adhæserunt Petrus Martyr, Mart. Bucerus, Theodorus Beza, Jo. Piscator, Whitakterus, Gomarus, & præter alios Naudæus in Libro *de la souveraine perfection de Dieu*. Hi Supralapsarii dicti sunt, eo quod malorum prædestinationem ad mortem ante prævisionem lapsus, seu peccati factam esse docerent.

48. Negari tamen non potest, nedum Arminianos, quos in Semipelagianismum declinasse supra notavimus, sed etiam rigidos Calvinianos recentiores a Prædestinatianorum blasphemiis resiliisse, atque ad Thomistarum sententiam de libertatis integritate sub gratiæ efficacia ita propius accessisse, ut vix, ac ne vix quidem ullum supersit inter nos, ac illos in hac parte discrimen. Testes hujus rei omni exceptione majores sunt duo Episcopi ac fratres, Adrianus, & Petrus de Wallemburch Tomo II. *Contr.* tract. I. cap. 57. & 60., tum Card. Richelieu *le Methode plus facile, &c.* Lib. I. p. 573., Bossuetus in præf. *à l'Exposit. de la foi*. & Lib. VIII. *Hist. des variat.* §. 24. & 51., & ne longum faciam, Veronius, qui ad hanc rem confirmandam multas affert pseudoreformatorum confessiones, Galliæ, Bataviæ, Scotiæ, Angliæ, Helvetiæ, Augustæ, & Saxoniæ in III. P. *Contr.* cap. 2.; idemque evincit Jacobus le Fevre (*Motifs invincibles*), adductis celebriorum inter eos Scriptorum testimoniis, scilicet Amessi, Perschinsii, Guillelmi Forbesii, Petri Du Moulin, Buxtorfii, Tuisii, aliorumque (Vid. Serry lib. 3. *Hist. de auxil.* capit. 47.), qui propterea dicti sunt *Infralapsarii*, quod prædestinationem ad

(*a*) Gotteschalcum minime excusari posse inter alios contendunt Nat. Alexander Diss. V. in sæc. IX. & X. (apud quem etiam documenta ad Gotteschalcum pertinentia inveniuntur, quæ nos brevitatis causa omittere debuimus). Ludov. Cellotius in *Hist. Præd.*, Du-Chesnius Lib. II. *Hist. Præd.* c. 3. &c.

(*b*) Consul. Libri V. Ven. Monetæ *adv. Catharos, & Valdenses* Romæ editi 1743. cura P. Thomæ Augusti. Richinii, præsertim Lib. I. cap. 4. §. 2., & Lib. V. c. 15., tum notæ a doctissimo editore laudatis locis appositæ.

(*c*) De Wiclefo, ejusque hæresi agunt Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariensis in *Hist. Eccl. Angliæ*, Nat. Alex. sæc. XIII. c. XIV. c. 3. art. 22., & alii passim Historici. Videndus autem potissimum Thomas Waldensis in *Doctrinali Fidei*.

(*d*) De Hussitarum hæresi agunt Jo. Cochlæus in *Hist. Hussitarum*, Æneas Sylvius in *Hist. Bohemica*, Jo. Dubravius Olomucensis Episcopus Lib. XXIII., & alii. Est autem inter errores Jo. Hus a Constantiensi Synodo proscriptos præcipue notandus XXV., quo tota Wiclefi hæresis suscitabatur, his verbis: *Condemnatio XLV. articulorum Jo. Wiclefi per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & male facta &c.*

ad mortem post peccati prævisionem factam esse docerent; tum *Synergistæ*, quod admitterent voluntatem humanam, non instar trunci inanimis se habere, sed gratiæ συνεργεῖν *cooperari* (a). Porro tam multa, & tam gravia, atque aperta testimonia in suspicionem vocare, ut numerum Prædestinatianorum augeamus, neque prudentis esse videtur, neque veritatem amantis.

CAPUT IV.

De Michaele Bajo.

49. Michael Bajus magni vir ingenii, magnæque eruditionis, sæc. XVI. in Academia Lovaniensi floruit (b). Ut laxis quibusdam opinionibus circa gratiam, quæ tunc temporis, odio novarum hæresum invehebantur, se se opponeret, contrarii ipse erroris accusatus fuit, quod scilicet talem gratiam Dei admitteret, quæ omnem nostram libertatem & cooperationem tolleret. Neque in hoc solum, sed in pluribus aliis etiam reprehendebatur. Nam octodecim ex ejus libris extractæ propositiones a Sacra Facultate Parisiensi anno 1560. variis censuris proscriptæ sunt. Ejus præcipui adversarii erant Ruardus Tapperus, Judocus Ravensteyn, *Tiletanus* dictus ab oppido Tileto, unde ortum trahebat (c), & nonnulli ex Seraphico Minoritarum Instituto. Poro Bajo suæ doctrinæ vindicias agente, nec paucis ipsi adhærentibus, eo disputationis fervor pervenit, ut Pius IV. expedire judicaverat, silentio utrique parti imposito controversiarum incendium extinguere.

50. Non diu tamen pax perduravit; iterum enim turbæ excitatæ sunt, & multo plures Baji propositiones, ut censura dignæ ad Academias Salmaticensem, & Complutensem, ac demum, ad ipsum Summum Pontificem Pium Quintum delatæ sunt. Porro Sanctus Pius V. sex supra septuaginta (d) ex iis, „ ut respective hæreticas, erro„ neas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in „ pias aures offensiones immittentes damnavit " ann. 1567. Nulla tamen Baji in Bulla habita est mentio, ut ejus honori, quantum fieri poterat, consultum esset, immo nec Bulla de more publici juris facta fuit, sed tantum per Morillonium Vicarium Generalem Card. Granvellani Archiepiscopi Mechliniensis *strictæ* (ut vocant) Facultati Lovaniensi communicata. Hinc apud duos Pii biographos Hieron. Catenam, & Antonium Gabutium altum est hujus Bullæ silentium.

51. Porro Bajus primum conqueri cœpit, sibi aliquas propositiones calumniose affingi, alias autem in pravum sensum detorqueri; quare edita apologia apud Rom. Pontificem se purgare conatus est, sed cum litteras ab eodem accepisset, quibus ipsi sine ulla tergiversatione esse obediendum significabatur, tunc nihil amplius cunctandum ratus, ut verum Ecclesiæ filium decet, coram Morillonio damnatas propositiones ejuravit, & a censuris, quas ob contumaciam incurrisse dicebatur, absolvi postulavit.

52. Tam humili Baji subjectione, accedente etiam postea Facultatis Theol. Lovaniensis decreto, quo ann. 1571. omnibus interdictum fuit, damnatas eas propositiones defendere, res omnino tranquillæ videbantur. Sed circa annum 1578. contendentibus aliquibus, Bullam Pii V. fuisse supposititiam, discordiæ repullularunt, ad quas sedandas Gregorius XIII. Pianam Constitutionem per Franciscum Toletum iterum misit, declarans, eam in Regestis S. Pii fuisse repertam, adeoque ei fidem esse adjungendam. Porro Bajus Apostolicæ Sedis judicium humiliter reveritus, palam eosdem errores iterum ejuravit, *se eos damnare*, dicens, *secundum intentionem Bullæ, & sicut Bulla eos damnat;* nec demum Toleto repugnavit, cum privatim jussus est confiteri, multos ex damnatis articulis a se traditos, ac eo sensu proscriptos, quo eos docuisset. Immo refertur a P. Gerberonio in præf. ad Opera Baji ab ipso edito 1696. instrumentum ipsius Baji manu subscriptum, quo testatus est: „ se plane persuasum habere, earum „ omnium sententiarum damnationem, atque prohi„ bitionem jure, meritoque, ac nonnisi maturo ju„ dicio, ac diligentissima discussione præmissis factam,

(a) Hinc natæ sunt inter Heterodoxos variæ controversiæ, nempe *Synergisticæ*, eorum, qui liberum arbitrium gratiæ cooperari docebant, & quæ a Melanchtone originem traxisse dicuntur. De iis agunt Conr. Schlusselburgius in *Catal. hæret.* Lib. V. p. 13. & seq. & Jo. Musæus in *Prælect. in epitom. formulæ concordiæ* (art. 1.). Postea *Universalistarum*, & *Particularistarum*, quibus occasionem dedit Moses Amyraldus; cum enim Cameronis magistri sui vestigiis insistens sententiam de gratia universali vindicandam suscepisset, in Libro *de la Predestination*, *&* *des ses principales dependences*, id fuit quasi classicum acerrimi & diutini belli, quod eum inter & Petrum Molinæum, Fridericum Spannemium, aliosque Pseudoreform. Ecclesiæ Ministros exarsit. Plura de hoc bello habentur apud Jo. Quick Ministr. Londin. in libro, cui titulus: *Synodicon in Gallia reformata*.

(b) Molini in agro Athensi apud Belgas an. 1513. natus est. Regius S. Scripturæ Professor, ac postea Cancellarii, & Curatoris, seu privilegiorum Conservatoris dignitatibus auctus, nec non Capituli Ecclesiæ S. Petri Decanus renunciatus fuit. Et cum multa doctrinæ, & pietatis laude floreret, ut testis est Card. Pallavicinus in *Hist. Conc. Trid.* Lib. XV. c. 7. n. 7., jussu Regis Catholici Concilio Tridentino interfuit.

(c) Hunc Baji hostem quidem fuisse, non tamen Augustinianæ sententiæ desertorem, ut non pauci alii tunc erant, sed gratiæ a se efficacis strenuum vindicem, ostendit Card. Orsius in *Apologia Petri a Soto* contra P. Du-Chesne c. 7.

(d) Suarez Proleg. VI. *de grat.* cap. 2. Card. Pallavicinus Lib. XV. *Histor. Concil. Trident.* cap. 17. n. 12., Natal. Alex. Sæcul. XV. & XVI. cap. 2. art. 14. §. 4., & Graveson epist. X. *Theol.* secundæ classis, propositiones proscriptas dicunt fuisse 79. alii 80., quod ortum est ex quarumdam propositionum divisione.

„ ctam, atque decretam esse". Uno verbo Bajus adeo in omnibus obedientem se exhibuit, ut Toletus exclamaverit: *Nullus Michaele Bajo doctior, nullus humilior* (*a*). Post id temporis quædam, nec memoratu dignæ Bajo molestiæ creatæ sunt, qui tandem ann. 1589., ætatis suæ 77., mortalem hanc vitam exuit, pauperibus bonorum suorum hæredibus constitutis.

53. Non desunt tamen pii & catholici Theologi, qui nonnullas ex damnatis illis propositionibus adhuc defendi posse putant, censentes, illas non fuisse proscriptas, nisi quia aut contraria doctrina nimis acerbis censuris perstringitur, aut quia in pravo sensu intellectæ scandalum ingenerare poterant. Ita inter alios P. Suarez T. I. *de Grat. Prolegomenon* VI. cap. 2., & P. Vasquez in 1. 2. disp. 190. cap. 18., qui postremus addit: „ Hujus damnationis sensum, prout a me explicatus est, „ contuli cum Illustrissimo D. Card. Toleto .... „ qui pro hac Bulla, & damnatione recipienda „ Lovanium missus fuerat, eumque probavit, & „ germanum esse dixit, propriaque manu subscripsit, cujus subscriptionis exemplar apud me adhuc est".

54. Id etiam aperte colligitur ex ipsa Piana Constitutione, ita enim habet in fine: „ Quas quidem „ sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum „ sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. præsentium auctoritate damnamus". Unde nata est famosa controversia de commate, quæ nostra parum attinet, an scilicet post vocem *possent* debeat comma interponi, vel non debeat. Si enim nullum post vocem *possent* interponatur comma, significatur, earum nonnullas posse sustineri *in rigore*, & *in sensu ab assertoribus intento* (*b*). Si vero post vocem *possent* interpunctio ponatur, apparet, eas propositiones damnatas esse *in rigore*, & *in sensu ab assertoribus intento*, quamquam in alio sensu sustineri possunt. Sed, ut dixi, hæc famosa de uno commate controversia, quæ adhuc viget, nostra parum interest: semper enim verum est, nonnullas ex damnatis illis propositionibus posse aliquo pacto sustineri.

55. Antequam hoc caput absolvamus, surdis auribus prætereunda non est calumnia, qua Jo: Bapt. Du Chesne in *Hist. Bajanismi* damnata Decr. Congreg. Ind. 17. Mart. 1734. ausus est scribere, Bajum doctrinam suam Calvinismo infectam a Petro Soto clarissimo Dominicanæ familiæ lumine hausisse. Hujus tanti viri vindicias egit Card. Joseph Augustinus Orsi in libro Apologetico Romæ edito anno 1734. sub auspiciis Clementis XII. Romani Pontificis. Extant etiam in Tom. V. Bullarii FF. Prædicat. *Vindiciæ P. de Soto* pag. 631., & pariter gallico idiomate cum titulo: *Apologie de R. P. Pierre de Soto*. Videatur P. Antonius Touron Com. IV. *de l' Hist. des Hommes illustres de l' ordre de S. Dominique* pag. 229.

CAPUT V.

De Cornelio Jansenio.

56. Profligato Bajanismo, Leonardus Lessius, Jo: Hamelius, ac nonnulli alii cœperunt novas quasdam opiniones invehere, quæ pluribus videbantur in oppositum Semipelagianorum errorem vergere, quorum conatibus se se opposuere inter alios duæ Academiæ, Lovaniensis, & Duacena editis celeberrimis suis censuris, quibus plures illorum propositiones configebantur. Cum autem paulo post Molinianum Systema prodiisset, & aliqui contentiosius easdem propositiones defenderent, laudatæ duæ Academiæ suas censuras sæpius confirmantes, pro tutissimis, & inconcussis Sanctorum Augustini, & Thomæ dogmatibus eadem semper animi fortitudine decertarunt.

57. Egregie illæ quidem ita mediam viam tenuerunt, ut earum censuræ numquam potuerint erroris redargui. Sed non idem contigit Cornelio Jansenio, illustri quondam Lovaniensis Academiæ Professori, post autem Iprensi Episcopo (*c*). Huic visi sunt Thomistæ, & omnes alii, qui novis Molinistarum opinionibus obsistebant, remissius, quam par erat, gratiæ efficacis causam defendere, & a S. Augustini vestigiis (cujus opera contra Pelagianos

(*a*) Utinam hanc Baji modestiam illi imitati essent, qui ejusdem discipulos se profitentes hanc S. Pii constitutionem indignis modis prosciderunt, contra quos videatur inter alios P. Laur. Lib. XVIII. *Theol. dogm.* cap. 2., P. Car. Renatus Billuard Diss. I. præamb. art. 3., & P. Ignatius Amat de Graveson ap. X. theol. secundæ classis.

(*b*) Ita inter alios legendum esse contendit Pat. Hyacynthus Serry *Histor. de aux.* Lib. IV. cap. 20. & Lib. V. sect. 7. c. 4., multa ad id afferens documenta; cui subscribit P. Viator a Coccaleo annot. 13. *Ricerca Sistem.* Part. II. in not. (*a*), idque ipsum antea tenuerat Natal. Alexan. in Sæc. XVI. in Sæc. II. §. 21. in resp. ad 5. object., quamquam postea in Sæcul. XV. & XVI. cap. 3. art. 14. sententiam mutavit. Facile fuisset celebrem hanc virgulæ litem dirimere, autographo Bullæ inspecto, nisi illud de more Curiæ Romanæ interpunctionibus careret.

(*c*) Ex Catholicis parentibus ortus est anno 1585. in agro Leerdamensi apud Batavos. Otho dictus fuit, sed cum Ultrajecti studiis operam navaret, ne ab hæreticis agnosceretur, *Jansen*, seu *Jansenius* dici maluit. Studiis partim Ultrajecti, partim Lovanii emensis, in Gallias peregrinatus cum celebri Joann. Du-Verger de Haurannes Abbate Sancti Sigyrani diu versatus est. Anno 1617. Lovanium repetiit, anno autem 1630. ad sacras litteras profitendas regiis auspiciis evectus, ac demum anno 1635. Iprensi infula donatus, quam tamen nonnisi per triennium tenuit; anno 1638. pestilentia correptus, quam suis ovibus Sacramenta propria manu administrando contraxit, vita functus est, annum agens ætatis suæ 53.

nos plus quam vigesies se legisse testabatur) aliquatenus recedere. Quapropter grande opus, magno studio de hac materia elucubravit (duos supra 20. annos ei insudasse dicitur), quod hoc titulo insignivit: „ Augustinus, seu Doctrina S. Augustini de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicina, adversus Pelagianos, & Massilienses “; ut scilicet præseferret, nihil aliud eo contineri, quam puram & defæcatam S. Augustini doctrinam. Illud publici juris facere minime potuit, morte præventus, se cum jam prælo maturum esset, Sacellano suo, ea conditione moriens legavit, ut curis Liberti Fromondi, & Henrici Caleni, Doctorum Lovaniensium, typis mandaretur; quod & factum est, quamquam non sine magnis difficultatibus; nam ejus impressionem, & evulgationem plures impedire conabantur, sed frustra: prodiit enim infaustum opus primum Lovanii anno 1640. Rhotomagi autem, & Parisiis anno sequenti. Illud tamen prætereundum non est, Jansenium supremis tabulis, ut pium & catholicum virum decet, totum suum opus Apostolicæ Sedis judicio his verbis humiliter submisisse: „ Si Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens „ filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi „ usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. „ Ita mea postrema voluntas est “. Quam tamen supremam Jansenii voluntatem minime curarunt Operis ipsius editores, cum illud inconsulta S. Romana Sede publici juris fecerint.

58. Jansenii opus, ut primum publicam lucem adspexit, Molinianos præcipue offendit, quod in eo nove eorum opiniones veluti apertæ hæreses ubique sine ullo fuco sugillarentur, unde illico theses, & opuscula, veluti futuri ingentis belli primordia, raptim contra ipsum prodiere. Aliorum autem studia divisa erant; non pauci enim librum hunc adeo extollere, ut veluti Augustinum ipsum de cœlo delapsum ad Molinismum compescendum venerarentur; contra vero alii eum, ut opus Prædestinatiana lue jam pridem in Bajo damnata infectum, execrabantur, arbitrantes, Jansenium nimio Molinismi evertendi zelo abreptum, a veritate exorbitasse, & dogmata Prædestinatiana pro Augustini doctrina accepisse. Horum judicium comprobavit Urbanus VIII. Jansenii *Augustinum*, ut Bajanis erroribus refertum damnans Coustit. *In eminenti* 6. Martii 1642. Eadem tamen Bulla omnes Theses, aliæque opellæ, tam quæ contra Jansenium ex Molinistarum officina, quam quæ pro ipso prodierant, damnatæ sunt, ut ita sopitis discordiis pax restitueretur.

59. Sed jam animi ardentius incaluerant, quam ut possent hoc remedio compesci. Universitas Lovaniensis Urbani Bullam primum recipere detrectavit, eam pro subreptitia habens (*a*), duosque e sinu suo Doctores Jo: Sinnichium, & Jo: Papinum Romam delegavit, qui Pontifici humiliter demonstrarent, non posse Jansenii librum damnari, quin S. Augustini doctrina per Jansenii latus impeteretur. Res diu protracta est, sed postquam clare expositum fuit, & Bullam esse authenticam, & SS. Augustini, & Thomæ doctrinam de gratia per se efficaci, gratuitaque Prædestinatione sartam manere, Lovanienses anno 1651. fasces submiserunt, eorumque exemplum omnes fere in Belgio secuti sunt, exceptis Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensi, & Antonio Triest Episc. Gandavensi, qui tamen & ipsi biennio post Urbani Bullam receperunt.

60. Sed ex Belgio bellum migravit in Galliam, ibique multo plures, & acriores, tum patronos, tum adversarios Jansenii *Augustinus* invenit. Nicolaus Cornet Facultatis Theologicæ Parisiensis Syndicus, septem propositiones ex Jansenio extractas, ejusdem Facultatis censuræ subjecit, nihil tamen efficere potuit, intercedente Parisiensi Senatu, quem *Parlamentum* vocant. Hac spe frustrati Jansenii censores ad Innocentium X. Urbani successorem confugerunt, & nomine 85. Galliæ Episcoporum easdem illi propositiones obtulerunt, Apostolico stigmate configendas; quarum prima hæc erat: „ Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas „ habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis „ gratia, qua possibilia fiant. *Secunda:* Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur. *Tertia:* Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in „ homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Quarta:* Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam „ talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. *Quinta:* Semipelagianorum error est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem „ fudisse. *Sexta:* Sensit olim Ecclesia privatam „ Sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere. *Septima:* Naturalis attritio „ sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ “. Hæ tamen duæ postremæ postea prætermissæ sunt, totaque pugna ad quinque priores, quæ gratiam spectabant, conversa est.

61. Porro ad urgendam earumdem propositionum condemnationem, Romam missi fuerunt tres Doctores, nempe Hallier, Corneti in Sorbonæ Syndicatu successor, Lagault, & Loysel. Ex parte autem contraria undecim Episcoporum, qui pro Jansenio stabant, delegati sunt Brousse, de Lalane, & Angran, Doctores Sorbonici; tum Aloysius Sanctamoræus, qui paullo antea Roma discesserat, eo-

(*a*) Alexander VIII. die 7. Decembris 1690. hanc propositionem damnavit num. 31. *Bulla Urbani VIII. In eminenti, est subreptitia.*

eodem redire jussus est, & postea duo alii in subsidium adjuncti, Pater Desmaret Congreg. Orat. Presbyter, & Manessier Doctor Sorbonicus. Optassent hi postremi palam cum suis adversariis congredi, & reciprocam fieri scriptorum utriusque partis communicationem, quemadmodum in famosis Congregationibus *de divinis auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. factum paulo antea fuerat. Sed id minime placuit Summo Pontifici Innocentio, ne scilicet, quemadmodum in istis contigerat, mutuis altercationibus res in infinitum protraheretur. Interim tamen utraque pars, tum ore, tum scriptis audita fuit, ut ipse Sanctamoræus sincere fatetur: ac demum post 36. Congregationes integro biennio celebratas, quarum septem ipse Innocentius interfuit, die 31. Maji ann. 1653. prodiit Bulla Apostolica *Cum occasione*, in qua quinque propositiones priores supra memoratæ specialibus censuris confixæ sunt: „ *Prima* ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica. *Secunda*, *&* *Tertia* ut hereticæ. *Quarta* ut falsa, & hæretica. *Quinta* denique, ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica “.

62. Declaravit tamen non semel summus Pontifex, se doctrinam SS. Augustini, & Thomæ de gratia per se, & ab intrinseco efficaci, ac de prædestinatione gratuita, quæ in Scholis Augustiniana, ac Thomistica propugnatur, nullo modo labefactare, vel ferire voluisse (Vid. epist. de Valencey ad Comit. de Brienne ap. Serry *Aug. Vind.* c. 18.). (*a*). Hinc illi ipsi Thomistæ, & Augustiniani, qui prius propositionibus Jansenii ideo dumtaxat favebant, quod cum opinionibus suarum Scholarum conjunctæ esse viderent, facilem & promptam Innocentianæ Bullæ obedientiam præstiterunt, de utroque convicti, & erroneas esse damnatas illas propositiones, & ab illis sententiis, quas ante paucos annos contra Molinianos strenue, feliciterque defenderant, procul abesse. Quamobrem non solum Innocentianam constitutionem, qua decet reverentia, exosculati sunt, sed ejus etiam defensionem strenue susceperunt (Vid. inter alios Contensonius Lib. VIII. *Theol. mentis & cordis* Dissert. 5. Massouliè in opere *D. Thomas sui interpres &c.*).

63. In Galliis etiam Innocentiana constitutio ubique recepta est; sed aliqui Episcopi prætextu majoris cautionis, ne simul cum erroribus Jansenii, etiam vera, solidaque SS. Augustini, & Thomæ doctrina condemnata videretur, ut perperam nonnulli blaterabant, aliquam explicationem in ejusdem promulgatione addere opportunum judicarunt. Quod tamen Romæ improbatum fuit, & imperatum, ut sine ulla declaratione pure, & simpliciter Innocentiana Bulla ubique reciperetur.

64. Ex Jansenii autem Apologistis nullus vel Innocentianam constitutionem respuere, vel condemnationem quinque propositionum aperte improbare ausus est, si fides adhiberi debeat testimoniis Aloysii Sanctamoræi *Diarii* P. II. cap. 2., & Lud. Montalti epist. XIV. ad *Provinc.*, sed dumtaxat Jansenii librum a fulmine Apostolico subtrahere illis curæ fuit. Itaque palam profiteri, damnare se propositiones illas quinque, ubicumque illæ fuerint, sed eas in Jansenio minime reperiri, excepta prima, cujus tamen sensum, prout in Jansenio jacet, ab illo pravo sensu, quem Innocentius damnavit, quam longissime distare contendebant. Contra Episcopi Gallicani, aliique Jansenio infensi remis velisque contendere, Pontificia constitutione damnatas esse illas propositiones in sensu Jansenii. Quod si aliquæ earum totidem verbis in ejus libro non inveniebantur, id parum interesse, cum ex contextu, scopo, & circumstantiis luculenter ex eo colligerentur. Hinc novorum dissidiorum occasio, & nova utrinque scripta, quibus acrius pro Jansenii libro purgando, vel condemnando, quam olim pro Patrocli corpore sub Trojanis mœniis pugnatum est (Homerus *Iliadis* Lib. XVII.).

65. Interea Gallicani Episcopi veriti, ne Jansenii patroni non alia de causa, tanto labore ejus librum defendere conarentur, quam ut Innocentianam Constitutionem, quam palam revereri protestabantur, clam, & per cuniculos everterent, anno 1654. Parisiis congregati, Præside Card. Mazzarino, octo Præsulibus (quorum 4. Archiepiscopali dignitate fulgebant) Jansenii librum diligenter perscrutandi provinciam demandarunt, quibus cum visum fuisset, in eo damnatas propositiones, sin minus conceptis verbis, saltem sensu perverso, & proscripto contineri, decretum in comitiis fuit, *quinque propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque opiniones fuisse proscriptas*: quod Præsulum Gallicanorum decretum postea ab Innocentio X. die 29. Sept. 1654. confirmatum est.

66. Cum id non sufficeret ad Jansenii defensores in officio continendos, anno 1656. in generalibus Galliæ Comitiis constitutum fuit quoddam formularium, cui unusquisque subscribere adstringe-

(*a*) Putida calumnia est, quam Melchior Leydeckerus ex Calviniana secta, in sua *Historia Jansenismi*, quæ innumeris scatet erroribus, tum Petrus Jurieus item Calvinista in satyrico suo libello *De l'esprit de M. Arnauld*, aliique passim, potissimum ex Pseudo-reformatis, Ecclesiæ Romanæ hostes, eidem affingere ausi sunt, videlicet condemnatam fuisse hac occasione S. Augustini doctrinam *de gratia*, & reprobatum olim Semipelagianismum solemniter a Romanis Pontificibus tunc approbatum. Leydeckeri, & Juriei audaciam repressit etiam Quesnellus in suo libro, cui titulus: *Defense de l'Eglise Rom. des Souvrains Pontifes sur la grace par Mr. Germain*. Sed innumeri alii & Romanorum Pontificum, & doctrinæ S. Augustino vindicias egerunt; & res adeo aperta est, ut nec operæ pretium videatur, multa ad id argumenta congerere.

gebatur, testans, *damnare se corde, & ore doctrinam 5. propositionum Cornelii Jansenii, in ejus libro, cui titulus Augustinus, contentas, quas Pontifex, & Episcopi jam damnarunt: quæ doctrina S. Augustini non est, ut Jansenius contra hujus S. Doctoris mentem explicavit*. Huic formulario irrefragabilem auctoritatem adjecit Alexander VII., qui Innocentio X. in Apostolica Petri Sede successerat, declarans in sua Constitutione *Ad Sacram B. Petri Sedem* Die 16. Oct. 1656. *quinque illas propositiones ex libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, cui titulus Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse*. Et iterum in alio Brevi post quinquennium emisso 1. Aug. 1661. increpans eos, qui refragabantur, velut *temerarios, mendaces, malorum zizaniorum in agro Domini seminatores, Ecclesiæ catholicæ perturbatores, auctores turpissimi schismatis, in quibus protervia dignoscitur, cavillationibus subdolis, & circuitibus obviam eundi Ecclesiæ definitionibus*. Et quia nonnulli sub Jansenii corio SS. Augustini, & Thomæ doctrinam condemnari, calumniabantur, idem Alexand. VII. in Brevi ad Theologos Lovanienses 7. Aug. 1660. *Non dubitamus*, inquit, *quin vos præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, & impense revereri velitis. Quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingenita, & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent*.

67. Dum bene multi nec istis mandatis, nec Pontificis confirmatione, nec Regis auctoritate adduci possent, ut huic Cleri Gallicani formulario subscriberent, demum Alexander VII. ejusdem Cleri Gallicani precibus commotus, & ratus, *nullum aliud remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent ipsius auctoritate firmatam* (sunt verba Pontificis), celebrem edidit constitutionem *Regiminis Apostolici* ann. 1665. die 15. Febr., in qua hoc aliud formularium præscripsit, cui omnes subscribere tenentur: *Ego Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maji 1653., & Constitutioni Alexandri VII., datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia*. Auctoritas etiam Regia accessit, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis districte mandatum, ut hoc Formularium a singulis Ecclesiasticis utriusque sexus, immo & a Ludimagistris absque ulla distinctione, explicatione, vel restrictione subscribi curarent.

68. Hoc formulario Jansenii defensores ad ultimas angustias redacti sunt; & tunc in varias quasi sectas abierunt. Commune quidem erat eorum omnium principium: „ Factum a dogmate distinguendum esse, in dogmate agnoscendum Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, a Christo usque ad consummationem Sæculi, ei promissam, non sic autem in facto, cujusmodi erat attributio quinque damnatarum propositionum libri Jansenii ". Hoc inquam erat commune eorum principium; sed quantum ad subscriptionem in varias distrahebantur sententias. Quatuor Episcopi, Alectensis, Apamiensis, Bellovacensis, & Andegavensis, nulla tergiversatione, aut tacita difficultatione uti posse censentes, aperta fronte declararunt, se Formulario subscribere, & subscribi a suis ovibus jubere, quantum ad jus, seu condemnationem 5. propositionum; sed quantum spectat ad factum, hoc est earumdem attributionem libro Jansenii, se subscribere sine mendacio non posse; Appostolicæ tamen Sedis auctoritati se eatenus externe parituros, ut religioso silentio nullas excitent turbas; quod extrinsecus Ecclesiasticæ disciplinæ ordo exigit. His pauci alii adhærentes muneribus omnibus, bonisque exspoliati, exilium, & alia acerbiora mala perpeti maluerunt, quam Formulario subscribere, quod sine perjurio facere se non posse dictabant.

69. Alii tamen remissiores vitæ commoda cum Jansenii defensione conjungere cupientes, minus aperte refragabantur, & talem Formulario subscriptionem se præstare profitebantur, qualem in hujusmodi circumstantiis Ecclesia exigere semper consuevit; pro certo autem habebant, nonnisi externam obedientiam ab Ecclesia exigi posse, & solere. Quidem verbalibus actis scripto consignatis, nonnulli solum oretenus idipsum testabantur. Aliqui etiam suppresso penitus Jansenii nomine, se talem Formularii subscriptionem præstare declarabant, qua palam constaret, se quinque propositiones sincere damnare. Nec denique defuerunt, qui docerent, puram, & simplicem subscriptionem Formulario præstitam ex se ipsa, ac natura sua solum in jus cadere, non autem in factum, cum factum natura sua a jure distinctum sit, nec infallibili Ecclesiæ definitioni subjectum (*a*). Sed horum omnium subdola agendi ratio nedum ab his,

(*a*) Acuta hac utebantur similitudine. Si rex, inquiebant, talem hominem in tali domo commorantem comprehendi juberet, mandatum ex natura sua hominis comprehensionem tantum respiceret; domus autem designatio esset circumstantia accidentalis, quam certe mandatum Regis minime intenderet. At vero, subdebant, per Regem intelligi Papam, per hominem damnatum ad vincula quinque propositiones, & per domum Jansenii librum. Vel etiam addebant alii, si publico edicto notum fieret, quasdam medicinas noxias esse, quæ in certo pharmacopæo venduntur, principalis edicti finis esset, ut ab ejusmodi medicamentis ho-

his, qui Ecclesiæ definitionibus religiose adhærebant, sed etiam ab iis ipsis, qui pro Jansenii libro, tamquam pro ara pugnabant, aperte improbata est.

70. Nec etiam prætereunda videtur discensio eorum, qui Sedi Apostolicæ debita reverentia obtemperantes, pure, & simpliciter Alexandrino Formulario subscribebant. Aliqui enim factum, quod dogmaticum appellabant, non minus quam ipsum dogma fide divina credendum esse dicebant, alii fide pura humana; & nonnulli, quasi mediam semitam calcantes, fide *ecclesiastica*, quæ inter utramque media, & certissima est, utpote innixa speciali assistentia Spiritus Sancti, qui Ecclesiæ in rebus necessariis, cujusmodi est ista, numquam deesse potest (*a*).

71. Subscriptionem simplicem, & puram non minus Rex, quam summus Pontifex urgebat, & de judicandis, condemnandisque quatuor supra memoratis Episcopis serio agebatur, cum Alexander VII. vita decessit anno 1667. In ejus locum suffectus est Clemens IX., sub quo de pace in Gallia restituenda eo magis cogitatum est, quod quatuor illis Episcopis alii novendecim adhæserant, & periculum majoris schismatis imminere videbatur. Archiepiscopus Senonensis singulari dexteritate præditus, rem hanc aggressus est, cui postea Card. Etræus, & Episcopus Catalauniensis adjuncti sunt. De tanto negotio cum Pontifice per ejus Nuncium Bargellinum, solo Rege, paucisque aliis consciis secreto actum est, ac multis superatis difficultatibus, quas recensere nimis longum esset, tandem memorati quatuor Episcopi novis editis Pastoralibus instructionibus Formularium pure, & simpliciter subscribendum in suis Diœcesibus proposuerunt; actis tamen verbalibus, quæ etiam scripto consignata sunt, expresse declarantes, se factum a dogmate sejungere; isti internam, & commodam assensionem corde, & ore præbere; facto autem nonnisi externam reverentiam. Humiles etiam, ac submissas Pontifici Max. litteras dedere; quibus peractis ad Ecclesiæ pacem publice admissi sunt, eorumque exemplum reliquos post se traxit, ut nullos plane fuerit, qui Formulario eodem modo non subscriberet; itaque qui in carceribus detinebantur, libertate donati sunt; qui in exilio degebant, aut in occulto latitabant, ad patrios lares remeare palamque prodire potuerunt. Hæc est illa famosa pax Clementis IX., quæ tantam in Galliis lætitiam peperit, ut illius memoria fuerit etiam publicis numismatibus perennis.

72. Porro triumphum canebant Jansenii patroni,

mines abstinerent, quocumque tandem in loco, vel a quocumque porrigantur; unde concludebant, Ecclesiæ plene satisfieri, si hæreticæ illæ propositiones damnentur, ubicumque sunt, non autem credi oportere, eas in Jansenii libro inveniri. Sed vanas subtilitates & evasiones alii, ut aperta mendacia condemnabant. Arnaldus in *Apologia Petrusregii*, Colbertus in *Instr.*, & præcipue Fourquevana in Opusc. *De la sincerité Chrétienne* 1721.

(*a*) Ita Archiepiscopus Parisiensis de Perefixe, Cardinalis de Bissy, Tournelius &c. quorum doctrinam non approbat recentissimus Scriptor. Jo. Vinc. Bolgeni in sua erudita Dissertatione de *factis dogmaticis* Tom. I. n. 128.; ubi etiam notat, hoc, & alia nonnulla infirma argumenta, quibus aliqui usi sunt, pessimæ Jansenistarum causæ plurimum posuisse. Sed neque negari potest, fuisse Theologos non paucos, qui *infallibilem* de hujusmodi *facto dogmatico* Ecclesiæ auctoritatem non agnoscerent, quorum plures nominat Cat. Witasse Tom. 1. *De locis theolog.*, ubi agit *De Conciliis* qu. 7. & seq., & adhuc plures recenset Opstraetus *De locis theolog.* Diss. IV. de Conciliis qu. 7. & seq. Videri etiam possunt Vinc. Contensonius in *Theologia mentis & cordis* Lib. V. Diss. præambula cap. 2. specul. 2. coroll. 2. (in editione autem Taurin. anni 1769. Lib. I. Prœloquio 2.). Jac. Hyac. Serry Disp. III. Prælect. VI., & alii. Immo illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis Fenelonius, acerrimus, si quis alius Ecclesiæ infallibilis auctoritatis in factis dogmaticis defensor, in epist. *de l'infallibilité de l' Eglise touchant les textes dogmatiques* Edit. Paris. 1728. pag. 75. hæc habet: *A' Dieu ne plaise, que j'accuse d'être hérètiques ceux, qui n' admettent point cette infallibilité. On ne trouvera aucun endroit des mes écrits, où je l' aie fait. On en trouvera plusieurs, où j'ai dit positivement le contraire.* Lamindus etiam Pritanius, seu Lud. Muratorius *De ingeniorum moderatione in Religionis negotio* Lib. I. cap. 20. Jansenii factum ad fidem non pertinere probat: dicit tamen debere omnes, & singulos fideles judicio sedis Apostolicæ acquiescere corde, & ore, quia hoc definire pertinet ad auctoritatem Ecclesiæ circa disciplinam.

Sed hoc argumentum nuperrime exhausisse visus est laudatus mox Joan. Vinc. Bolgeni, multis aliis editis libris admodum celebris. Qui tamen n. 157. p. 302. seq. ita loquitur: ,, I Giansenisti nel caso di Giansenio di-
,, stinguono il diritto dal fatto, e vale a dire ammet-
,, tono, che le cinque famose proposizioni sono ereti-
,, cali nel senso loro ovvio e naturale; ma negano poi,
,, che la dottrina di Giansenio e il senso del di lui Li-
,, bro *Augustinus* sia conforme al senso ovvio e natu-
,, rale di quelle cinque proposizioni, e perciò ricusano
,, di condannare il libro, e la dottrina di Giansenio,
,, ambedue condannate dalla Chiesa. Posto ciò si può
,, domandare, se i Giansenisti in questo loro procede-
,, re sieno *Eretici Formali?* Rispondo francamente di
,, nò, poiche il senso di queste parole *Eretico Forma-*
,, *le* viene fissato nel comune linguaggio a chi soltan-
,, to nega una cosa rivelata da Dio espressamente, e
,, la nega con contumacia. Se poi mi si domanda, se
,, i Giansenisti sieno *Eretici* in qualche vero senso,
,, cioè in senso di essere più o meno vicini, incammi-
,, nati, e favorevoli alla eresia? Io rispondo franca-
,, mente di sì, poichè negano una cosa rivelata da Dio,
,, almeno implicitamente, mediatamente, e indiretta-
,, mente, e sopra la qual cosa l' infallibilità della Chie-
,, sa si deduce concludentissimamente dalla parola stes-
,, sa di Gesù Cristo". Inter alia vero exempla *hæreticorum latiore sensu* ibidem eruditus Auctor affert illud Honorii, quem tamen nos ut ab omni hæresi immunem vindicavimus Tom. V. pag. 198. Sed de auctoritate Ecclesiæ in factis dogmaticis definiendis præter laud. Jo. Vinc. Bolgeni, aliosque non paucos, vid. etiam Nat. Alexander Diss. XIV. in Sæc. V., & ibidem Animadversiones P. Constantini Roncaglia.

ni, palam evulgantes, Clementem IX. fuisse sola externa reverentia circa factum, seu religioso silentio contentum, nec quemquam ulterius adigi, ut fateretur, damnatas quinque propositiones in Jansenii libris reperiri. At vero jure reclamabant, qui jus a facto Jansenii nullo modo distinguendum esse putant, ac perspicue demonstrant, Clementem IX. non alia de causa ad communionem suam memoratos Episcopos recepisse, nisi quia eidem a pacis conciliatoribus scriptum fuerat: ,, Eos damnasse, & a suis damnari jussisse quinque propositiones sincere, absque ulla exceptione, seu ,, restrictione, in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatæ ". Hinc eumdem Clementem scripsisse Regi Christianissimo 18. Sept. 1668., *se cum lætitia cognovisse in simplici ac pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam;* & pariter in Brevi ad eosdem quatuor Episcopos 19. Januarii 1669., gratulatum fuisse de perfecta, & de integra obedientia sibi, & Apostolicæ Sedi præstita, *subscriptione formularii sincero animo, & juxta præscriptum litterarum Apostolicarum ab iis facta* (*a*).

73. Hinc famosa, & decantata pax Clementis IX. non diu duravit; iterumque pura, & simplex Formularii subscriptio exacta est, & Refractarii a muniis se abdicare, solum mutare, omnisque generis molestias perpeti coacti sunt; tantumque abfuit, ut postea benignius cum iis ageretur, quin potius aliqui in Belgio Episcopi (Humbertus de Præcipiano Arch. Mechliniensis, & alii pauci), ad omnem fraudis suspicionem præcavendam, Formulario Alexandri VII. aliquid addere præsumpserunt, exigentes *primo*: ,, Ut subscriberent non ,, tantum in reverentiam constitutionum Apostolicarum, sed etiam in veritatem earum; *secundo* Ut damnarent quinque propositiones, ut excerptas ex libro Jansenii, & in sensu a Jansenio intento, seu in prædicto ejus libro expresso ". Quæ res majorum turbarum causa extitit; adeo ut Innocentius XII. immoderatum eorum Episcoporum zelum compescere coactus fuerit; & propterea Constit. sua 6. Febr. 1694. præcepit duntaxat, ut juramentum præstarent: ,, Sincere absque ulla distinctione, restrictione, aut expositione, damnando eas propositiones ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet ,, propositionum verba præseferunt ": vetuit autem quascumque additiones; *etiam sub prætextu*, quod tales additiones contineantur in Formulario Alex. VII.

74. Neque prætereunda sunt verba, quæ idem Sanctissimus Pontifex ibidem addidit: ,, Ceterum ,, *inquit*, ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant ---- injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga ista ,, accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum ,, esse constiterit, aliquam ex his propositionibus ,, (*scilicet quinque damnatis*) docuisse, aut tenuisse ". Hac de causa eos, qui famosas propositiones ubicumque inveniantur, sincere se damnare profitebantur, & solum eas in Jansenio reperiri negabant ego Janseniano nomine *proprie* infamari non posse censeo, nisi aliis de causis Jansenianæ hæreseos tuendæ fundatam præbeant *suspicionem*. Nam hi soli ex allata Innocentii Constitutione *Janseniani* proprie vocari possunt (Vid. Serry disput. IV. *de natura lapsa* Prælect. I.). Quamquam usus fere obtinuit ut ii omnes, qui formulario refragabantur odioso hoc nomine insignirentur, sive quod latiori sensu Jansenismi nota usurparetur; sive potius, quod de tuendis etiam propositionibus damnatis in suspicionem venirent; quod Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini* anno 1705. his verbis significavit: ,, Fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur, ad fovendam silentio ,, hæresim (*b*) ". Sed e diverticulo in viam.

75. Sapientissimus ille Cleri Gallicani conventus ann. 1700., qui propter eliminatum Probabilismum, laxasque morum opiniones damnatas ab omnibus purioris Theologiæ cultoribus magni fieri solet, quatuor propositiones damnavit: ,, quibus inquieti homines Innocentii X., & Alexandri VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. ,, Bre-

(*a*) Ad hanc vero controversiam finiendam, Clemens XI. Constitutionem edidit *Vineam Domini Sabaoth* 16. Julii 1705., in qua eos acriter objurgat, qui Clementis IX. *litteras in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescunt, perinde ac si memoratus Clemens prædecessor, qui eisdem suis litteris se Innoc. X. & Alexand. VII. Prædecessorum constitutionibus firmissime inhærere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque formulæ a præfato Alexandro editæ sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse, protestatus fuit, reipsa admisisset.*

(*b*) Propter Jansenismi notam nimis intemperanter bene multis inustam, ante paucos annos Romæ damnatum est opus, cui titulus: *Bibliotheque Janseniste, ou Catalogue alphabetique des livres Jansenistes, Bajanistes, ou suspects de ces erreurs* 20. Sept. 1749.; tum aliud simile opus inscriptum: *Dictionnaire des livres Jansenistes, ou qui favorisent le Jansenisme* 11. Mart. 1754. Etiam P. Ghazzi revocare coactus est Jansenismi censuram quibusdam orthodoxis opinionibus incaute illatam. *Quam multi*, inquit apposite ad rem nostram sapientissimus Card. Jos. Aug. Orsi Tom. XX. *Histor. Eccl.* qui Romæ prodiit an. 1761. Lib. 44. n. 53., *etiam impræsentiarum, quosdam Jansenismi accusare præsumunt; qui si ab ipsis sciscitaremur, quid Jansenismus sit, respondere adstringerentur, se nescire. His secundum S. Gregorium M. dicendum esset; tacete igitur, nec tam ignorantes alios judicare velitis.*

„ Brevia æquissima, & ab omnibus approbata „ contemnebant " (ap. Bossuet T. IX. pag. 140.).

76. Nec tamen propterea turbæ sublatæ sunt; prodiit enim paulo post famosus *Conscientiæ casus*, in quo quæstio proponebatur, an possit Sacramentalis absolutio alicui Clerico denegari, qui Formulario Alexandri VII. sincere subscripsisse testatur: quantum ad quinque propositionum damnationem, fatetur tamen, quantum ad quæstionem facti, seu earumdem attributionem libro Jansenii, nonnisi religiosum silentium, & extrinsecam obedientiam se exhibere paratum. Porro 40. Doctores Sorbonici proprio apposito nomine in Sorbona definiverunt 20. Julii 1701.: „ hujus Ecclesiastici viri sententiam nec novam esse, nec „ singularem, nec ab Ecclesia damnatam, nec „ talem, ut Confessarius possit ipsi Sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit ".

77. Hic casus veluti fax fuit, ad discordiæ, incendium iterum renovandum. Doctrinam in eo contentam damnavit Summus Pontifex Clemens XI. 13. Febr. 1703.; cujus exemplum illico secutus est Card. de Noailles Parisiensis Archiepiscopus, alioquin SS. Augustini, & Thomæ fidelis discipulus, & Molinianæ scholæ minime amicus 22. Feb. 1703. Doctores autem Sorbonici suam decisionem retractare coacti sunt; ac demum Facultas Sorbonica 1. Sept. 1704., hanc propositionem in prædicto conscientiæ casu contentam: „ Satis est „ reverentia, & silentio se submittere definitionibus Ecclesiæ circa factum Jansenii, *sua censura proscripsit*; ut temerariam scandalosam, „ injuriosam SS. Pontificibus, & Episcopis Galliæ: ut præbentem occasionem revocandæ ex integro Jansenianæ doctrinæ, & ut mendacio, ac „ perjurio faventem ". Decrevit insuper, duos Magistros e sinu suo expellendos, nisi intra unius anni spatium subscriptionem dicti casus revocaverint; & reipsa alter eorum obedire recusans, fuit ex albo Doctorum expunctus (*a*).

78. Ac demum cum aliqui puram, & simplicem Formularii subscriptionem præstare detrectarent, potissimum prætextu famosæ pacis Clementis IX., & Constitutionis Innoc. XII., qui declaraverat, tantum exigi ab Ecclesia condemnationem quinque propositionum *in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præseferunt*, Clemens XI. celebrem edidit Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth* 16. Julii 1705., in qua renovavit diplomata Innocentii X., & Alexandri VII., distortas autem Epistolarum Clementis IX., & Innocenti XII. interpretationes eliminavit declarans ad veram Apostolicæ Sedi obedientiam: „ damnatum in quinque præfatis propositionibus „ Jansenii libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & „ corde rejici, & damnari debere ". Vide supra not. ad n. 72. Quam Clementis XI. Constitutionem Clerus Gallicanus in comitiis generalibus solemniter recepit, ac probavit eodem anno 1705. Eamdem recepit demum etiam Lovaniensis Academia, & opera, ac studio celebris Doctoris Liberti Hennebel omnes pene in Belgio formulario Alexandri VII. subscripserunt, & ita pax, & tranquillitas fuit Ecclesiæ reddita, paucis frustra eam impedire conantibus.

79. Antequam a tabula manum amoveamus, aliqua etiam de Antonio Arnaldo addenda sunt, cujus causa celeberrima fuit. Hic magni ingenii, magnæque eruditionis Doctor Sorbonicus, Molinisticæ scholæ, in qua a Lescotio educatus fuerat, nuncium remittens, Augustinianæ doctrinæ mordicus semper adhæsit. Cum eam in Jansenii libro sibi reperire videretur, ejusdem defensionem in ipso turbarum exordio suscepit, & contra Isaacuum Habertum, qui fuit unus ex præcipuis adversariis Jansenii, duas edidit pro ipso Apologias anno 1644. & 1645. quamobrem invidioso Jansenismi nomine statim infamari cœpit.

80. Sed crevit nostra Jansenismi suspicio, occasione duarum epistolarum ipsius adversus Sacerdotem quemdam (M. Picotè), ex Sulpitiano cœtu, qui viro nobilissimo Duci de Liancourt Sacramentalem absolutionem ea dumtaxat de causa denegaverat, quia a defensoribus Jansenii, quibuscum amicitia conjunctus erat, se segregare recusabat. Id contigit anno 1655. 24. Febr. & 10. Julii. In secunda ipsius epistola, duo maxime reprehensione digna inventa sunt, alterum ad factum, alterum ad jus spectans. Primum his verbis continebatur: „ Jansenii librum accurate a se „ perlectum, nec tamen inventas in eo propositiones illas, quas *Innocentius X.* damnavit, ceterum illas a se ubilibet damnari; & si sint in „ Jansenio, etiam in Jansenio: *alterum ad jus* „ *pertinens his erat fere verbis ab Arnaldo expressum:* Scriptura, & Patres nobis in persona S. Petri ostendunt justum cui gratia, sine „ qua nihil possumus, ea occasione defuit, in qua „ a peccato excusari non potest ".

81. Utraque hæc propositio post multa dissidia, quæ recensere non vacat, fuit a Facultate Sorbonica die ult. Jan. 1656. sin minus unanimi calculo (num. 71. Doctores Arnaldo favebant) saltem majore suffragiorum parte damnata; & prima quidem, quæ erat facti: „ ut temeraria, scandalosa, „ in-

(*a*) Is erat Nicolaus Petitpied multis editis libris clarus. Ob detrectatam subscriptionis retractationem a Gallia pulsus diu in Hollandia commoratus est. Post autem in Patriam redux an. 1719. fuit a Facultate, & domo Sorbonica in suum sinum receptus. Sed ejusmodi receptio a Rege in irritum missa est, & iterum exulare coactus. Demum ann. 1734. exilio soluto, Parisios remeavit, ubi tranquillam vitam duxit usque ad mortem, quæ contigit anno 1747.

„ injuriosa Summo Pontifici, & Episcopis Galliæ, „ & quæ etiam præberet occasionem renovandæ „ ex integro post damnationem Jansenii doctrinæ: „ *altera autem, quæ jus spectabat*, ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, „ & hæretica". Hæc enim propositio Censoribus videbatur primam ex damnatis Jansenii propositionibus ab orco revocare.

82. Sibi non defuit Arnaldus, & pluribus scriptis Sorbonæ censuram declinare usus est, præcipue circa quæstionem juris, de qua sollicitus potissimum erat, declarans, se proscriptas ab Innocentio X. propositiones sincere damnare, & de gratia illa locutum tantummodo esse, sine qua nihil possumus potentia proxima, seu consequente, & conjuncta cum actu (Hæc collecta habes in *Causa Arnaldina* edita a Quesnello an. 1699.). Sed omnia frustra. Immo quia post censuram palinodiam canere detrectavit, ejus nomen fuit ex albo Doctorum erasum; nec illi quidpiam profuerunt Launojus, Petrus Nicolius, Blasius Paschalis, aliique, qui plurimis scriptis ejus causæ patrocinati sunt. Sententiam autem Facultatis Sorbonicæ inter alios defendit Jo. Nicolai Dominicanus in suo opere, cui titulus: *Judicium, seu Censorium suffragium de propositione Antonii Arnaldi &c.*, qui etiam in duarum propositionum condemnatione magnam habuit partem.

83. Arnaldus a Sorbona ejectus, publicæ luci se subduxit, usque ad pacem vulgo dictam Clementis IX. Post autem, cum iterum Formularii Alexandrini subscriptio non minus a Regia, quam ab Ecclesiastica potestate exigeretur, in Belgium tandem secessit, ubi innumeris fere editis libris (*a*), quorum plerique ad defensionem fidei Catholicæ contra Calvinistas spectant, toto orbe litterario clarissimus obiit anno 1694. æt. suæ 83. (*b*).

CAPUT VI.

De Paschasio Quesnello, & celebri Constitutione Unigenitus.

84. Paschasius Quesnellius Parisiis natus anno 1634., Congregationi Sacerdotum Oratorii a Card. Berullio erectæ nomen dedit: eam tam deserere postea maluit, quam Formulario doctrinæ in ejusdem Congregationis Comitiis constituto subscribere. In Belgium se recepit, & Bruxellis diu vixit cum Antonio Arnaldo. An. 1703. ab Humberto Guillelmo a Præcipiano Archiepiscopo Mechliniensi in carcerem conjectus est, sed amicorum ope pariete carceris effracto, in Hollandiam migravit, & octogenario major Amstelodami mortuus est an. 1719.

85. Plures libros evulgavit (Vid. *Supplem. Diction.* Moreri, & P. Ricard *Diction. des Sciences Ecclesiast.*), sed ille præ ceteris famosus fuit, cui titulus *Reflexiones morales in novum Testamentum*. Hoc opus a multis Ecclesiæ Pastoribus maxime commendatum, 40. circiter annorum spatio fidelium manibus, in Gallia potissimum, tenebatur; sed postea cœperunt nonnulli suspicari, Jansenianum virus summa calliditate inspersum in eo latere: multi deinde Episcopi librum, ut perniciosum improbare, alii contra defendere (*c*). Sed causa ad Apostolicam Sedem delata, Clemens XI. ipsum proscripsit Bulla *Universi* 18. Julii 1708. Idem etiam Clemens XI. post quinquennium an. 1713. 8. Sept. solemnem edidit Constitutionem, quæ incipit *Unigenitus Filius Dei*, in qua propositiones centum, & unam ex eodem libro excerptas variis censuris *in globo*, *& respective* perstrinxit; maxime autem propter Jansenii hæresim, in iis instauratam.

86. Fuit hæc Clementina Constitutio non multo post in Comitiis Gallicanis recepta, adjunctis tamen quibusdam explicationibus, quas 40. Episco-

(*a*) Numerantur ab aliquibus plus quam 160. Vid. *Hist. Abregé de la vie, & des ouvrages de Mr. Arnauld.* Omnium Arnaldi scriptorum amplissima collectio prodiit Lausannæ 1775. & seq. Tom. XLII. in quarto.

(*b*) Cum valde multi prodierint libri de Jansenii rebus tractantes, pauci tamen sunt, qui inoffenso pede percurri possint. Plerique Romana censura perstringi meruerunt. Nonnulli alii studio partium corrupti, ita dogmata catholica cum privatis scholæ placitis confundunt, ut non facile cognoscas, quandonam pro Ecclesia, & quando pro domo sua decertent. In his postremis numerandus est Tournelius, qui, ut ostendit P. Daniel Concina Tom. VI. *Theol. Christ.* Lib. I. Diss. I. c. VI. §. 6. *implexe, perturbate, atque confuse exponit systema Jansenianum.* Et propterea non ita pridem perdoctus, & eruditus vir Fransc. a Puteo Congreg. Orat. Rom. Presbyter in suo opusculo *de studiis Ecclesiasticis*, adnexo *Hist. S. Gregorii M.*, Romæque ed 1758. sub auspiciis Clementis XIII. c. 8. caute Tournelium legendum monuit in tractatu *de gratia; quia Molinismo nimium addictus quasdam vetustissimas, tutissimas, catholicasque doctrinas audacter ut hæreticas sugillat.* Hoc vitium cudendi pro marte suo dogmata fidei Tournelio antea objecerat P. Cajetanus Benitez de Lugo Dominicanus in opere, cui titulus *de vera Christi gratia* Romæ 1733. Diss. III. Dubio I.

(c) Illum defendit inter alios Bossuetus in opere, cui titulus: *Justification des réflexions morales sur le nouveau Testament, approuvées par Mr. le Card. de Noailles Archevêque de Paris*, quod est ad calcem III. Tomi *de la défense de la declarat. &c.* Bossuetum tamen sententiam postea mutasse, aperteque declarasse, damnatas quinque propositiones in eodem libro reperiri, contendit P. la Fontaine *in Constitut. Unigenitus theologice propugnata* Tom. I. proleg. c. 4.; solide ne, an secus, alii viderint. Neque desunt, qui hoc Bossueti opus supposititium esse contendunt, ut Languetius Episc. Senon. in V. *Docum. Pastor.* P. II. ap. Auct. libri, cui titulus: *De suprema Roman. Pont. auctoritate hodierna Ecclesiæ Gall. doctrina* Auct., N. N. in regia Universit. Taurin. Juris utr. Doct. Avenione 1747. in 4. T. II. p. 185.

scopi edidere, Card. Noaillio Archiepiscopo Parisiensi, & octo cum eo Episcopis, aliisque nonnullis nequidquam refragantibus. Recepta similiter fuit, Rege urgente, in Sorbona, quamquam non sine turbis, propter quas duo insignes Theologi Ludov. Habert, & Carolus Witasse fuere in exilium amandati. In Academia item Lovaniensi, & in Belgio Apostolica hæc Constitutio publici juris facta est. Et ita quidem obedientium numerus, quotidie augebatur, ut brevi tranquillitas, & pax speranda foret.

87. Sed post mortem Ludovici XIV. 1. Sept. 1715., Duce Aurelianensi regnum administrante, Constitutionis hostes denuo vires sumpsere, & Facultas Sorbonæ 5. Dec. 1715. nullam, irritamque declaravit Bullæ acceptationem a se factam, tamquam vi, metuque extortam: ejusque exemplum admodum multi omnium fere ordinum Ecclesiastici secuti sunt. Clemens autem XI. hac re vehementer commotus, Sorbonæ Facultatem omnibus gratiis, & privilegiis, quibus fuerat a suis Prædecessoribus ornata Brevi 18. Nov. 1716., in pœnam inobedientiæ privavit, alios vero qua exhortationibus, qua minis ad officium revocare studebat. Dux etiam Aurelianensis de pace in Gallicana Ecclesia restituenda sollicitus videbatur; sed omnia frustra. Immo an. 1717. res in pejus declinare cœpit. Nam quatuor Episcopi, Miradicensis, Senitensis, Montispessulanus, & Bononiensis coram Facultate Sorbonæ solemnem interposuerunt appellationem a Constitutione *Unigenitus* ad futurum Concilium, cui appellationi statim Sorbonica Facultas adhæsit, ac postea bene multi Episcopi, animarum Pastores, Regulares, aliique Ecclesiastici, ac tandem ipse Archiepiscopus Parisiensis Card. Noaillius; ita ut res in apertum schisma vergere videretur.

88. Rom. Pontifex in suo proposito constans an. 1718. die 8. Sept. Litteris datis, quarum hoc est initium *Pastoralis officii*, omnes hujusmodi Appellantes, & qui Bullam *Unigenitus* recipere detrectabant, a sua, & a Romanæ Ecclesiæ charitate alienos declaravit. Sed qui a Constitutione appellaverunt, etiam ab istis Apostolicis litteris appellaverunt, easque publici juris fieri Parisiensis Senatus vetuit.

89. Biennio autem post Dux Aurelianensis, de concordia restituenda semper cogitans, multos Episcopos eo adduxit, ut quodam doctrinæ corpus ederent, circa eas catholicas sententias, quas Quesnelli patroni Pontificis Constitutione labefactari conquerebantur, ut ita Constitutio una cum memorato *doctrinæ corpore* reciperetur. Placuit fere omnibus consilium, imprimis vero Card. Noaillio, cujus opera doctrinæ corpus fuit elaboratum, & a 100. circiter Episcopis subscriptum. Verumtamen postea compertum fuit, discordias hoc modo non tolli, sed augeri. Nam Pontifici hæc agendi ratio probari non potuit, qui puram, & simplicem Bullæ subscriptionem exigebat. Ulterius eorum, qui Constitutionem recipiebant, aliqui sine ulla prorsus explicatione se humiliter submittebant, alii addebant primam explicationem 40. Episcoporum factam an. 1714.; quidam vero, cum *corpus doctrinæ* reciperent, Bullam absolute repudiabant, tanquam *corpori doctrinæ* contrariam, & omnino oppositam. Demum nonnulli tam *corpus doctrinæ*, quam Bullam recipere detrectabant, & appellationi interpositæ contumaciter adhærebant; quamquam isti postremi in dies semper decrescebant; & denique hæc Constitutio talem, tantamque sibi in Ecclesia auctoritatem conciliavit, ut, quemadmodum inquit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. *in Encyclica ad Episcopos Galliæ* 10. Octob. 1756., *Nemo fidelium possit absque salutis æternæ discrimine, a debita erga ipsam subjectione se se subducere, aut eidem ullo modo refragari.*

90. Nimis longum esset, & a præsenti nostro instituto alienum, omnia referre, & refutare, quæ Appellantes Constitutioni *Unigenitus* opposuerunt; infinita enim scriptorum, libellorumque legio quotidie pullulabat, in quibus vel eædem, vel novæ difficultates excitabantur. Unum tamen est, surdis auribus minime prætereundum. Nihil solemnius hujus Constitutionis hostibus, quam profiteri, ea potissimum de causa Constitutionem se recipere nolle, ne cogantur tutissimis SS. Augustini, & Thomæ dogmatibus de gratia per se, & ab intrinseco efficaci, necnon de prædestinatione gratuita valedicere. Augustinianam, & Thomisticam Scholam per latus Quesnelli fuisse confixam clamant, ac propterea Augustinianos, & Thomistas omnes in suas partes vocare non desinunt. Nec eos omnino fefellit eventus; non pauci enim hamum vorarunt. Accedebat quorumdam imprudentiam, qui nostræ doctrinæ odio in transversum acti, eam cum damnatis Jansenii, ac Quesnelli erroribus involvere non verebantur; quorum testimonio dictu non facile est, quantum Anti-Constitutionarii apud incautos proficerent.

91. Sed hanc criminationem præoccupavit idem Clemens XI. in Bulla *Pastoralis officii* 2. Sept. 1718. ubi hæc habet: „ Ceterum in hoc ipso præ-
„ postero judicio consuetum calumniandi morem
„ non derelinquunt: nisi enim excæcaret eos ma-
„ litia eorum, ac nisi magis diligerent tenebras,
„ quam lucem, ignorare non deberent, sententias
„ illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per
„ nos damnatis confundunt, palam, & libere, in
„ catholicis scholis etiam post editam a nobis me-
„ moratam Constitutionem, sub oculis nostris do-
„ ceri, atque defendi, illasque propterea minime
„ per eam fuisse proscriptas " (*a*).

92.

(*a*) *Et tot confixis*, inquit Polidorius in vita Clementis XI. : *Quesnelli pronunciatis, nonnulla, quæ ad divinam gratiam pertinent, notissimo Jansenii sensu proscripsit, qui Dei gratiæ necessitatem invexit, inte-*

92. Ulterius Benedictus XIII., Clementis XI. post Innocentium XIII. successor, sua Constitutione *Pretiosius* 7. Kal. Jun. 1724. sub *canonicis pœnis* mandavit: „ Ne doctrinam S. Thomæ, ejusque insignem in Ecclesia Scholam, præsertim ubi in „ eadem Schola de divina gratia per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione „ ad gloriam, sine ulla meritorum prævisione agitur .... velut consentientem cum damnatis ab „ Apostolica Sede, & signanter a Constitutione 64. „ fel. record. Clementis XI. incipiente *Unigenitus*, Jansenii, Quesnelli, & aliorum erroribus „ traducant ". Idemque Summus Pontifex in Brevi 6. Nov. 1724. ad universos Fratres Ord. Præd. „ Magno animo contemnite, *inquit*, dilecti filii, „ calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia „ præsertim per se efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & „ quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino, & „ Thoma se hausisse; & verbo Dei, Summorum „ Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum „ dictis consonas esse; Schola vestra commendabili studio gloriatur ". Idemque iterum declaravit Clemens XII. Benedicti successor.

Et de Historia Prædestinatiana satis.

DISSERTATIO IV.

Confutantur errores ab Innocentio X. condemnati circa gratiam sufficientem, & efficacem.

1. Tria hoc loco Ecclesiæ dogmata defendenda suscepimus; primo admittendam esse aliquam interiorem gratiam, cui resistitur, quæque communi jam Theologorum consensu *sufficiens* appellari solet; quamquam quo sensu dicatur sufficiens, nec ullo Ecclesiæ decreto definitum est, nec inter Scholasticos convenit: secundo hanc gratiam justis conantibus, & volentibus præcepta Dei adimplere, nunquam deesse: tertia talem non esse, gratiæ efficaciam, ut humanam libertatem evertat, aut lædat (*a*).

CAPUT I.

Demonstratur, præter gratiam efficacem, in statu naturæ lapsæ admittendam esse aliam gratiam interiorem inefficacem, cui humana voluntas resistit; ac propterea jure damnatam esse illam propositionem: Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

2. A Scholasticis controversiis in præsentiarum abstinentes eam appellamus gratiam inefficacem, quæ potentiam quidem ad bonum operandum confert, sed voluntatem efficaciter non determinat, adeo ut bonum illud opus, ad quod efficiendum gratia nos sollicitat, & movet suo modo, minime consequatur. Hinc patet, eamdem gratiam, & efficacem dici posse, & inefficacem. Efficax est, quia conjunctam semper habet ex parte intellectus aliquam sanctam cogitationem, & ex parte voluntatis imperfectam aliquam boni cupiditatem. Inefficax, quia caret actu illo perfecto, & consummato, ad quem ex natura sua, & ex antecedente Dei voluntate ordinatur.

3. Nonnisi a tribus circiter sæculis consueverunt Theologi hanc gratiam vocare *sufficientem*, nam apud veteres raro id nomen usurpatum legitur, & plerumque in sensu a nostro admodum diverso. Non tamen dicitur *sufficiens*, quasi totum illud contineat, quod ad opus hic & nunc eliciendum requiritur; hoc enim falsum esse inferius contra Molinistas ostendemus; sed quod potentiam ad bene & salutariter operandum conferat, ab actu tamen sejunctam.

PRO-

gra, ac prorsus illæsa permanente doctrina de gratia se ipsa efficaci, quam a damnatis nuper erroribus immani tutam discrimine, potissimum Schola Thomistica, aliæque celeberrimæ in orbe Catholico Academiæ, frequentesque Theologi, ducibus Sanctis Augustino, & Angelico Doctore propugnant .... Neque deerant, qui tametsi Quesnellianis, ut Catholicos decebat homines, essent adversi & Clementinæ Sanctioni obsequerentur, licentia nihilominus pari, illustres utriusque Doctoris Scholas criminabantur: sua, alia de causa, interesse rati, id calumniæ genus vulgo alere: at horum item Pontificium diploma tempestive compressit audaciam. Hinc etiam Dominicani, aliique Thomistæ non pauci, non solum lubenti, promptoque animo, ut necesse erat, hanc Summi Pontificis Constitutionem receperunt, sed etiam suis scriptis illustrarunt, ac defenderunt. Eminet inter eos Card. Gregorius Selleri, qui Propositiones in Bulla *Unigenitus* damnatas *merito fuisse confixas* ostendit, octo Tom. in 4. Romæ 1718.

(*a*) Non hic prolixam, spinosamque quæstionem *facti dogmatici*, ut vocant, instituemus, an tres isti errores reipsa in Jansenii *Augustino* inveniantur. Id definivit Alexander VII. (Vid. sup. n. 67. p. 69.) *quæ decisio*, inquit non minus pius, quam doctus Contensonius Lib. VIII. *Theol. mentis, & cordis* Diss. V. in fine, *omni qua par est reverentia excipienda est, quia prudenter illum fuisse Jansenii sensum Pontifex arbitratus est, quem verba ipsa in suo naturali sensu indicant, cum oratio sit mentis interpres, & interioris animi sensus manifestatio. Quia etsi ex alicujus auctoris contextu, vel collatis prolixi operis sententiis, possit alius sensus erui, non tenentur Pontifices, non tenetur Ecclesia illa omnia inquirere; quia solis Sacris Litteris, solis Sanctorum Patrum dictis hanc debet reverentiam, ut obscura, & difficilia eorum verba inquisitis reconditis eorum sensibus explicet, piisque interpretamentis exponat: alia vero filiorum suorum, vel quorumvis auctorum asserta, prout sonant, judicare, & si in naturali, & ultro se ingerente sensu erronea sint, & a veritate aliena, ea sine cunctatione proscribere, & sine distinctione damnare potest.*

PROPOSITIO.

Admittenda est in statu naturæ lapsæ aliqua gratia interior, cui improbitate, & malitia voluntatis humanæ resistitur.

4. Prob. 1. ex Sacris Litteris, in quibus nihil frequentius occurrit, quam justa Dei querimonia adversus peccatores, qui divinæ gratiæ resistunt. Act. VII. 51. S. Protomartyr Stephanus ita objurgabat Judæos: *Dura cervice & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos;* quibus postremis verbis digitum intendebat ad multa veteris Testamenti loca, in quibus Deus Israelitis duritiam cordis, & resistentiam gratiæ suæ exprobravit, Prov. I. 24. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam & non fuit, qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Isaiæ X. 4. *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Christus etiam in novo Testamento dicebat Matth. XXIII. 37. *Jerusalem, Jerusalem ... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Apostolus autem Rom. II. 4. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Denique, ut cetera omittam, quid aliud Christus docere nos voluit in parabola seminis Lucæ VII., 5. & seq., cujus aliud *cecidit secus viam, & conculcatum est . . . & aliud cecidit supra petram, & natum aruit . . . & aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud*, nisi gratiam in paucis efficacem esse, in multis vero duntaxat sufficientem?

5. Neque vero aliquis reponat, hæc Scripturarum testimonia esse intelligenda de gratiis extrinsecis, legis scilicet, atque doctrinæ forinsecus insonantis, aut de sola mentis illustratione, non vero de interiori voluntatis gratia. Non inquam: nam in iis sermonem esse de interiori voluntatis gratia, patet ex verbis S. Stephani: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus &c.*, quis enim ignorat, per corda intelligi voluntates? Ulterius S. Thomas hæc Scripturarum testimonia de interiori gratia inefficaci intelligenda esse, apertissime docet. Nam Quodlib. II. art. 6. *Tenebantur homines*, inquit, *interiori vocationi non resistere ... sicut de quibusdam dicitur Act. VII. Vos semper &c.* & rursus ea Apostoli verba I. Thessal. V. 19. *Spiritum nolite extinguere*, ita commentatur Lect. II.: „ Dicitur quis extinguere Spiritum, uno modo fervorem ejus extinguendo .... „ Cum enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere, vel etiam cum aliquis „ bonus motus surgit, & ipse impedit, extinguit „ Spiritum Sanctum. Act. VII. Vos semper Spiritui Sancto resistitis “.

6. Prob. secundo ex Concilio Tridentino, quod pro certo habet, nos aliquando gratiæ Dei interiori resistere, dum Sess. VI. c. 13. inquit: „ In „ Dei auxilio firmissimam spem collocare, & re„ponere omnes debent: Deus enim nisi ipsi illius „ gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita „ perficiet operans velle, & perficere “.

7. Prob. tertio ex S. August., qui quanquam non ita frequenter hujus gratiæ inefficacis mentionem facit, cum nulla de ipsa cum Pelagianis controversia esset, eam tamen silentio non omnino prætermittit, Lib. I. *de peccat. meritis, & remissione* cap. ult. de homine justo loquens: *Habet*, inquit, *concupiscentiam, eam qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit.* Initio Præfat. in Psal. CXXIV. *Cor eorum*, inquit, *congelascit adversus Deum, & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.* Hæc certe non est illa gratia efficax, quæ, ut idem Augustinus scribit *de Prædestin. Sanctorum* cap. 8., *a nullo duro corde respuitur, ad hoc quippe datur, ut durities cordis primitus auferatur.* His similia sunt, quæ habet, *de Spiritu, & littera* cap. 34. „ Si ad illam pro„funditatem scrutandam quisquam nos coarctet, „ cur illi ita suadetur, ut persuadeatur, illi „ autem non ita, duo solum occurrunt interim, „ quæ respondere mihi placet: O altitudo divi„tiarum! & numquid iniquitas est apud Deum “? Quinam autem illi sunt, quibus ita suadetur, ut non persuadeantur, nisi qui obstinatione suæ gratiæ resistunt? Neque de aliis solum id S. Augustinus docuit, sed in seipso id expertum fuisse initio conversionis suæ, sæpius tradit in Libris *Confessionum*, præcipue Lib. VI. cap. 4. 5., & 11. tum Lib. VIII. cap. 5. &c.

8. Augustinum sequitur de more S. Thom., ut apparet ex verbis supra relatis n. 5., quibus addi possunt, quæ habet 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. „ Gratia novi Testamenti etsi adjuvet hominem „ ad non peccandum, non tamen ita confirmat „ in bono, ut homo peccare non possit: hoc e„nim pertinet ad statum gloriæ. Et ideo, si quis „ post acceptam gratiam novi Testamenti pecca„verit, majori pœna est dignus, tamquam ma„joribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato „ non utens .... Quia quantum est de se, suffi„ciens auxilium dat ad non peccandum “. Loquitur nempe Angelicus de iis, qui gratia abutuntur, quæ copiosius, & abundantius in novo Testamento conceditur, quam concederetur in veteri. Ac demum in lib. IV. *Sent.* Dist. 17. qu. I. artic. 1. solut. 2. “ Vocatio, inquit, est du„plex, quædam exterior, ut quæ fit per præ„dicatorem .... quædam vero interior, & hæc „ quandoque quidem non pertingit ad finem suum „ ex vocati defectu; & hæc vocatio nihil aliud

„ est,

„ est, quam aliquis instinctus, vel motus ad bo„ num a Deo immissus " ; qui tamen inefficax est.

9. Hinc patet merito fuisse ab Innocentio X. damnatam ut hæreticam illam propositionem. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur* (*a*). Cujus propositionis venenum in eo situm est, quod sola admittatur gratia efficax, nulla vero alia inefficax, seu sufficiens. Eadem de causa nonnullæ propositiones Quesnelli a Clemente XI. damnatæ sunt, ut *nona*. " Gratia Chri„ sti est gratia suprema, sine qua confiteri Chri„ stum nunquam possumus, & cum qua nunquam „ illum abnegamus. *Decimatertia*: Quando Deus „ vult animam salvam facere, & eam tangit in„ teriori gratiæ suæ manu, nulla voluntas hu„ mana resistit „; & id genus aliæ, merito proscriptæ, quia nonnisi gratia efficax, omni alia sufficiente explosa, in iis asserebatur.

10. Obj. I. S. Augustinus solam gratiam efficacem agnovit; nam illa Christi verba apud Jo. VI. 66.: *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: de gratia efficaci semper explicat (Vid. Lib. I. *ad Bonifac.* cap. 19.. & alibi). Ulterius negat, eum, qui gratia efficaci caret, bonum posse operari. *De grat. & lib. arb.* cap. 17. *Qui ergo*, inquit, *vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam*. Id confirmat celebri exemplo Petri, qui *istam charitatem nondum habuit, quando timore Dominum pernegavit .... & qui putabat se posse, quod se velle sentiebat*.

11. Resp. recte a S. Augustino ea verba; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, de gratia efficaci intelligi, quia reipsa ad gratiam efficacem spectant, quæ potentiam bene operandi confert cum actum conjunctam. Hoc tamen non obest, quia alibi cum sacræ literæ, tum S. Augustinus, aliam gratiam agnoverint, quæ improbitate nostra suo effectu privatur.

12. Sed in alio loco objecto ex cap. 17. Lib. *de gratia, & libero arbitrio* aperte S. Doctor gratiam inefficacem agnoscit, dum dicit: *qui vult facere Dei mandata*; unde enim ista bona voluntas, nisi a Deo? Est autem voluntas inefficax, propterea quod perduellis concupiscentia gratiæ resistit. Neque vero negotium facessere debet, quod S. Doctor vocet istam bonam voluntatem *adhuc parvam, & invalidam*, quæ non potest facere Dei mandata; id enim intelligi debet de potentia consequente, seu conjuncta cum actu, vel, ut S. Augustinus ipse loquitur, *de natura, & gratia* cap. 42., *de possibilitate simul cum effectu*, quam non affert nisi gratia efficax. Ceterum etiam sine gratia efficaci in nobis esse potentiam adimplendi mandata, sæpius docuit S. Augustinus. Instar omnium sint ea ipsius verba *de nat.*, *& grat.* cap. 43., quæ sua fecit Concilium Trid. sess. 6. cap. 9.; „ Deus impossibilia non jubet, sed jubendo „ monet & facere, quod possis, & petere, quod „ non possis ".

13. Instant hic acrius Adversarii. Gratia parva, & inefficax, quam S. Augustinus quandoque commemorat, non est nisi gratia externa. Nam Lib. *de Gratia Chri.* cap. 13. *Qui novit*, inquit, *quid est, quod fieri debeat, & non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram*; quæ iterum repetit cap. seq. Et *de Prædestinatione Sanctorum* c. 8. docet, eum, qui non credit, audire foris, sed non intus; *nam si audisset, & didicisset, veniret*.

14. R., His, aliisque similibus verbis S. Doctor declarat, se in iis, qui non credunt, vel bonum non operantur, non agnoscere eam gratiam victricem, & efficacem, de qua potissimum sollicitus erat contra Pelagianos, & Semipelagianos; non autem per hoc excludit quamcumque aliam gratiam interiorem, qua adjutus homo vel crederet; vel bene operaretur, nisi ei propria perversitate resisteret. Id patet satis aperte ex ejus scopo, nam in *Lib. de gratia Christi* contra Pelagium disputabat; qui gratiam aliquam, qua possibilitas adjuvaretur, admittere non detrectabat (vid. ibidem cap. 3.): S. Augustinus autem de gratia illa parum sollicitus, omnes ingenii sui nervos intendebat, ut hæreticum cogeret, ad aliam gratiam confitendam voluntatis, & actionis; unde in eodem cap. 13. *Hæc etiam*, inquit, *si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere*; & cap. 14. " Et isto divino docendi mo„ do etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non „ sola volendi, & operandi naturalis possibilitas, „ adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac „ gratia juvaretur, ita diceret Dominus: omnis, „ qui audivit a Patre, & didicit, potest venire ad „ me. Non autem ita dixit, sed omnis, *inquit*, „ qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me „.

In

(*a*) Hæc propositio desumpta est ex Lib. II. *De gratia Salvat.* cap. 25., cui hunc titulum Jansenius inscripsit: *Ejus gratiæ* (medicinalis) *efficacissima natura declaratur ex eo, quod nullo prorsus effectu careat, sed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operatur*. Et quidem nihil aliud voluisset Jansenius, nisi omnem gratiam esse efficacem, habita saltem ratione aliquorum motuum imbecillium, quos in voluntate excitat, reprehensionem non mereretur, dummodo eamdem inefficacem esse concederet respectu operis, seu actus perfecti. Sed in eo capite totus esse videtur, ut omnem gratiam efficacem esse ostendat, quantum ad ultimam operis consummationem; nam inter alia hæc habet: *Primo igitur hoc probat: quod apud Augustinum gratia, & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa ex defectu operis gratiam non esse datam &c.* Sed id obiter.

In libro autem *de Prædest. Sanctorum* totus erat, ut contra Semipelagianos necessitatem gratiæ efficacis ad initium fidei adstrueret; unde factum est, ut nullo plane loco habere videretur gratiam illam sufficientem, & versatilem, quam ipsi admittere non recusabant.

15. Inst. secundo. S. Augustinus nomine gratiæ sufficientis nullam aliam intelligit, quam efficacem. *De gratia, & lib. arb.* cap. 15. „ Qui voluerit, *inquit*, & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat; & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata; *& cap.* 16.: certum est, nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus ". Eadem habet sæpe alias. Docet insuper, absente gratia efficaci, voluntatem minime sufficere ad bonum operandum, sed solum ad malum. *De corrept. & gratia* cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est* (legi debet, *parum est*), *nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Eadem est phrasis S. Fulgentii Lib. II. *de Prœdest. & gratia* cap. 7. ubi ait: „ Ut deficiat voluntas, potest sibi sola sufficere; ut proficiat vero, indiget semper divinæ miserationis auxilio ". Angelicus etiam gratiam sufficientem ab efficaci minime distinguit, ut cum I. P. quæst. 105. art. 4. ait. „ Voluntas non potest moveri sufficienter, & efficaciter, nisi a Deo; non enim sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis ": nulla est ergo gratia interior ab efficaci distincta (*a*).

16. Resp., Vocabulo gratiæ sufficientis duplicem, & æquivocam subesse significationem, nempe accipi potest pro tali sufficientia, quæ etiam conferat actum; quo sensu fuit, tum a S. Augustino, tum ab ejus discipulis sæpius usurpatum, ut patet ex testimoniis allatis, aliisque pluribus (*b*). Sed iterum sumi potest pro tali sufficientia, quæ potentiam significet ab actu sejunctam quæ significatio modo trita est, & vulgaris in scholis, rarior apud veteres, non tamen illis omnino incomperta, vel inusitata. Instar omnium sint illa S. Augustini verba Lib. III. *de lib. arb.* cap. 16.: „ Ex eo, quod non accepit, nullus reus est; ex eo vero, quod non facit, quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem ": ubi certe loquitur de facultate ab actu sejuncta. Etiam S. Thomas gratiam sufficientem, & inefficacem ab efficaci omnino diversam agnovit, ut patet ex locis supra relatis num. 8. Ceterum S. Thomas nonnunquam nomen *efficaciæ* pro sola sufficientia usurpavit, ut cum 3. Part. quæst. 49. art. 2. ad 3. inquit: *Si aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciæ passionis Christi.* (Vid. Massoulié Dissert. III. *de Grat.* quæst. 6. art. 2., & P. Lemos in *Panopl. grat.* Lib. IV. P. II. Tract. 3. cap. 1.). Cum autem S. Augustinus, vel alii Patres negant, sine gratia efficaci esse in voluntate vires sufficientes ad bonum operandum, intelligi debent de illa sufficientia, quæ potentiam cum actu conjungit; non autem propterea negant aliam sufficientiam ab actu sejunctam. Exemplum est in promptu. Quis enim negavit, in oculo sano esse veram videndi facultatem; Et tamen S. Augustinus *de gestis Pelagii* cap. 3. eumdem oculum nonnisi ad tenebras sufficere dixit. „ Sufficit sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum vero lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur ".

17. Inst. tertio. Gratia inefficax, vel sufficiens idem est, ac auxilium, *sine quo*; atqui S. Augustinus in hoc potissimum ponit discrimen inter statum naturæ innocentis, & statum naturæ lapsæ, quod homini innocenti datum fuerit auxilium *sine quo*; homini autem lapso nonnisi auxilium *quo*, seu efficax; inquit enim *de correptione & gratia* cap. 12. n. 34.: *Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ* (scilicet *sine quo*) *datur*: ergo &c. (*c*).

18. Resp., discrimen ab Augustino toties inculcatum inter statum naturæ innocentis, & statum naturæ lapsæ, in eo potissimum consistere, quod Adamo non fuerit concessum ad perseverandum, nisi auxilium sufficiens, seu *sine quo*; si enim auxilium efficax habuisset, sine dubio perseverasset; nobis vero in statu naturæ lapsæ subventum sit majori gratia, qua nedum a vulnere per peccatum accepto sanemur, verum etiam in justitia constanter, & usque in finem perseveremus. Unde

(*a*) Ita inter alios objciebant Henricus a S. Ignatio in damnata *Ethica Amoris* Lib. IX. cap. 4. & Ant. Arnaldus in *Vindiciis S. Thomæ circa gratiam sufficientem* Sect. IV. art. 1.

(*b*) Hac de causa duæ Universitates Lovaniensis, & Duacena in suis *Censuris* contra Lessium, & Hamelium sæpius auxilium sufficiens pro efficaci sumpserunt; & in *Justificat. Censuræ Lovan.* cap. 12. dictum est: *Gratia ad conversionem sufficiens, ipsa convertit; quæ vero non convertit, non sufficit;* quo sensu etiam S. Thomas Lect. IV. in cap. IX. Epist. ad Rom. de divina absoluta voluntate loquens, *quæ est*, inquit, *causa sufficiens, eo quod nullus possit ei resistere.*

(*c*) Legi possunt capitula 10., 11., & 12. in quorum postremo ita S. Doctor utrumque auxilium explicat: *Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerit alimentum, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus.*

de inquit ibid. cap. 11.: *Fit quippe in nobis per hanc gratiam . . . non solum posse, quod volumus* (en auxilium *sine quo*), *verum etiam velle, quod possumus* (per auxilium *quo*) *; quod non fuit in homine primo, unum enim bonum in illo fuit, alterum non fuit*. Quando igitur S. Pater dicit, Sanctis in statu naturæ lapsæ non dari auxilium *tale*, scilicet *sine quo*, intelligi debet, ut non detur *tantummodo* tale auxilium, sed etiam aliud, nempe efficax. Et quidem Lovanienses observarunt, in antiquis editionibus inveniri; *non tantum tale*. Deinde id etiam ostendunt verba sequentia; ita enim prosequitur: ,, non solum, ,, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, ,, verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.

19. Sed & illud addi potest cum eodem S. Augustino cap. 11., hoc inter utrumque statum esse discrimen, quod " si hoc adjutorium sine quo, ,, vel Angelo, vel homini, quum primum facti ,, sunt, defuisset... non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale ,, adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum ,,. Unde quidam Theologi magna verisimilitudine, inferunt, plerisque infidelibus, & peccatoribus consummatæ malitiæ illud in pœnam denegari.

20. Ist. 4. S. Doctor in Lib. *de gratia Christi* totus est, ut adjutorio *possibilitatis* exploso, solam adstruat gratiam *actionis*, & *voluntatis*, seu gratiam efficacem: ergo &c.

21. R., Id esse falsum; Augustinus siquidem omnem operam dedit, ut Pelagium ad confitendam gratiam *actionis*, & *voluntatis* adigeret, nunquam tamen adjutorium possibilitatis negavit; unde cap. 14. *Et isto*, inquit, *docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non solum volendi, & operandi naturalis possibilitas adjuvatur*. Et postea: ,, Omnis, qui didicit a Patre, ,, non solum potest venire, sed venit, ubi jam ,, & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, ,, & actionis effectus est ". Et cap. 25. ,, Non solum Deus nobis posse donavit, & adjuvat, sed ,, & velle, & operari operatur in nobis ".

22. Inst. 5. Sanct. Pat. Augustinus pluribus in locis illam gratiam admittendam esse docet, quam Ecclesia in suis precibus a Deo postulare consuevit; unde etiam auctor Capitulorum ad Episcopos Galliæ, quæ adnexa sunt epist. Sanct. Cœlestini cap. 8. *Legem*, inquit, *credendi statuit lex orandi;* atqui Ecclesia quotidianis suis precibus gratiam inefficacem, aut sufficientem nunquam postulat, sed gratiam *actionis*, & efficacem; Hinc Sanct. Augustinus *de Prœdest. Sanctorum* cap. 2. *Quid ergo oramus*, inquit, *pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle?*

23. Resp., Ecclesiam a Deo petere gratiam *actionis*, & efficacem, tum quia hæc perfectior est, & magis necessaria; tum quia hæc etiam sufficientem includit: quapropter dum postulat efficacem, implicite etiam sufficientem petit. Exemplum est in illo cœco, qui Christum ita rogans; *Domine, fac ut videam* Lucæ XVIII. 14., non solum actum, sed etiam potentiam videndi petiit, & obtinuit.

24. Obij. 2. Sanct. Thomas I. Part. quæst. 19. artic. 6. *Necesse est*, inquit, *voluntatem Dei semper impleri;* atqui gratia quæcumque est actualis motio voluntatis humanæ a Dei voluntate procedens: ergo &c.; adeoque &c.

25. Resp. Disting. maj. omnem voluntatem Dei *consequentem, & absolutam*, conc.; *antecedentem, & conditionatam*, subdist; quantum ad ultimum, nego. Voluntas Dei alia consequens est, & absoluta, quæ semper impletur, & de qua scriptum est Rom. IX. 19.: *Voluntati ejus quis resistit?* Alia antecedens, secundum quam dicebat Christus Matt. XXII. *Jerusalem, Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* & hæc etiam suo modo efficax est, quantum ad effectum suum immediatum. Quamobrem etiam gratia sufficiens suam habet efficaciam in eo sitam, quod intellectum aliqua ratione illustret, & voluntatem ad bonum concupiscendum excitet, quanquam ultimum & consummatum effectum, scilicet pium & salutare opus, ad quod natura sua ordinatur, defectu voluntatis humanæ non consequitur, in quo ejus inefficacia consistit.

26. Obij. ult. Gratia hæc inefficax, & sufficiens est plane inutilis: ut enim S. Augustinus *De gratia, & libero arbit.* cap. 15. inquit: *Quid prodest, si quod non possumus, volumus, aut si quod possumus, nolumus?* Sed præterea est etiam noxia: ea enim nemo justus efficitur, sed potius peccator. Nam si ea deficeret, observatio mandatorum in nobis impossibilis foret; adeoque eorumdem violatio ad culpam minime imputaretur. Quamobrem non male videtur ille orasse, qui dicebat: *A gratia sufficiente libera nos, Domine* (Hoc argumentum fuse tractat Jansenius Libro III. *de gratia Salvat.* cap. 2. & sequ.).

27. Resp. Dist. est inutilis ex defectu nostro, *conc.*, defectu suo, *nego*. Facile est ostendere, inutilem non esse gratiam inefficacem, & sufficientem, multoque minus noxiam, & quidem multis de causis. Primum enim homini potentiam confert ad bonum ordinis supernaturalis efficiendum: quemadmodum ergo in ceteris rebus quibuscumque potentia agendi etiam actu orbata nec inutilis est, nec noxia, ita etiam in nostro casu. Secundo est item dispositio, quæ accedente aliquo majore gratiæ augmento suum effectum reipsa habet; nam quamvis gratia illa inefficaci, prout talis est, nemo unquam bonum operatus fuerit, si tamen ei aliquis major adjungatur motionis gradus, contraria resistentia superata, plenus effectus consequitur. Unde S. Augustinus *de gratia, & lib. arb.*

arb. cap. 15. " Per hanc, *inquit*, etiam fit, ut „ ipsa bona voluntas, quæ jam cæpit, augeatur, „ & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde, perfecteque voluerit „. Tertio non parum quoque emolumentum gratiæ sufficientis est, quod homo per eam ad bonum aliquatenus inclinatus, minori concupiscentia feratur in malum; ac minor proinde sit peccati malitia, & gravitas. Peccatores contra obcæcati, vel nullis, vel admodum levibus gratiæ stimulis retardati, veluti equi confractis habenis, majori impetu feruntur ad malum, in eoque pervicacius obdurantur. Hinc patet, quam merito fuerit sub Alexandro VIII. Inquisitionis judicio ea impudentissima propositio proscripta 7. Decembr. an. 1690: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine.* Et nihil absurdius dici potest, quam gratiam sufficientem esse causam, cur peccemus; peccati enim causa, & origo non alibi, quam in nostra perversitate quærenda est, quæ pios & salutares gratiæ motus extinguit. Recte autem S. Augustinus ait: *Quid prodest, si quod non possumus volumus; aut si quod possumus, nolumus?* Veruntamen tota hujus inutilitatis causa non gratia est, sed humana voluntas.

28. Neque vero commentitia dici debet hujusmodi gratia inefficax, & sufficiens, eo quod nunquam reducatur ad actum, ut aliqui tum Janseniani, tum Molinistæ ad nauseam usque nobis objiciunt. Nam primo falsum est, hanc gratiam sufficientem nunquam ad actum reduci; contingit enim quamsæpissime, ut pii voluntatis motus, qui debiles primum, & inefficaces sunt, sensim, ac sensim ita augeantur, & crescant, ut tandem in actum perfectum erumpant. Id Augustino in sua conversione contigit, idemque aliis peccatoribus ut plurimum usuvenire solet; raro enim uno veluti ictu, instar S. Pauli trahuntur ad Deum. Deinde etiamsi hæc potentia nunquam in actum erumperet, non propterea commentitia dicenda esset. Anne, amabo, fictitia est in prædestinatis, ut damnentur, & in reprobis, ut salventur? Et tamen nemo unus prædestinatus periit, aut reprobatus salvatus est. Nonne certum est, res a Deo prævisas, vel prædestinatas posse aliter evenire? Id tamen nunquam factum est, aut fiet. *Et alia sexcenta*, inquit S. Augustinus *de Spiritu, & littera* c. 1. *possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse, vel posse fateamur, & eorum tamen exempla, quod facta sint, proferre non valeamus.*

29. Coroll. Consueverunt bene multi Theologi hanc gratiam inefficacem eo sensu *sufficientem* appellare, ut potentiam conferat completam, proximam, & expeditam ad bene operandum. Quem loquendi modum etiam Thomistarum aliqui post Alverezium amplexi sunt (*a*), ita tamen ut omnes uno ore fateantur, ad actum pium & salutarem aliam gratiam majorem, & efficacem esse necessariam.

30. Tournelius autem totus est Quæst. VII. *De Gratia sufficiente* art. 1. ut demonstret: „ nomine gratiæ sufficientis ab Ecclesia eam intelligi, „ quæ expeditam, proportionatam, & relativam „ ad præsentes subjecti circumstantias confert voluntati ad opus bonum potentiam, ac vires pares, & æquales superandæ concupiscentiæ ". Veruntamen perspicuum est, Ecclesiæ definitionem ad illud solum restringi, quod in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori aliquando resistatur. An vero hæc gratia interior dici debeat *sufficiens* (*b*)? & in quo sensu sufficiens sit? Insuper an potentiam completam, proximam, & expeditam conferat? an vires pares, & æquales tribuat in omnibus circumstantiis ad oppositam concupiscentiam superandam, nullo Conciliorum, aut Pontificum oraculo expresse definitum est, & nonnisi ratiocinando hæc ex Ecclesiæ definitionibus deduci solent (*c*).

31. Addo, adhuc disputari, quid veniat nomine gratiæ sufficientis, quid nomine potentiæ completæ, proximæ, & expeditæ, & quid per vires pares, & æquales intelligatur. Nisi id prius vel constet inter Theologos, vel ab Ecclesia determinetur, nulla certa, & dogmatica definitio haberi poterit.

CAPUT II.

Ostenditur, justis conantibus, & volentibus nunquam deesse gratiam, qua præceptorum observatio vere possibilis fiat.

32. Celebrem hanc controversiam non solum damnatio primæ propositionis Jansenii fecit, sed etiam turbæ in causa Arnaldina excitatæ, de quibus supra satis diximus Diss. III. n. 79. seq. Sed hic observandum est, duplicem esse impotentiam, aliam *naturalem*, seu *physicam*, qualis est ex. gr.

(*a*) Non paucos tamen contra sentientes allegat Arnaldus in II. *Apolog. de Quæst. juris* Demonstr. VI. Certe P. Antonin. Massoulie T. II. Diss. III. q. 3. probat ex D. Th., gratiam efficacem *esse complementum virtutis agentis secundi.*

(*b*) Card. de Laurea Opusc. III. cap. 4. „ sæpe miratus sum, *inquit*, cur Theologi moderni gratiam „ illam, qua homo excitatur ad bonum faciendum, & „ effectum non obtinet, vocare cœperint sufficientem ".

(*c*) *Legant*, inquit Cajetanus Benitez in opere, cui titulus: *De vera Christi gratia*, Romæ impresso 1733., & Clementi XII. dicato Dissert. III. Dub. 1. §. 4. n. 43. *legant, & relegant Concilia, Summorumque Pontificum decreta, nihil hujusmodi invenient, quod Ecclesia gratiæ sufficientis nomine intelligat illam, quæ proportionatam & relativam voluntati conferat potentiam, ut salutariter operetur.*

gr. in homine ambulandi super aquas; aliam *voluntariam*, qua aliquod ideo facere non possumus, quia nolumus; quo sensu S. Augustinus Tract. LIII. in Joannem explicat ea Christi verba Jo. XII. 39. *Non poterant credere. Quare*, inquit S. Pater, *non poterant? Si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant.* Porro manifestum est, de prima impotentia, quæ vera & physica impotentia est, sermonem hic esse contra Jansenium, non de secunda, quæ mere voluntaria est, & a nobis pendet. Rursus quæstio non est de illa solum potentia, quæ unicuique inest ex libero arbitrio, quod definitur a S. Thoma *Facultas ad opposita;* hæc enim non solum in justis est, verum etiam in peccatoribus omni prorsus gratia destitutis: sed de illa potentia, quam gratia confert. Id colligitur ex iis verbis damnatæ propositionis: *deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant;* ut sit sensus, justis non torpentibus, & desidibus, sed conantibus, & volentibus semper præsto esse aliquam Dei gratiam, qua reipsa possint præcepta Dei adimplere. His breviter prænotatis sit.

PROPOSITIO.

Justis conantibus, & volentibus præceptum aliquod adimplere, numquam gratia sufficiens deest, qua illud reipsa adimplere possint (*a*).

33. Prob. 1. ex sacris paginis, quæ ubique fere singularem Dei erga justos benevolentiam ac protectionem commendant. Ps. XXXIII. 16. *Oculi Domini super justos;* item Ps. XXXVI. 25. *Non vidi justum derelictum.* Ecclesiastici II. 12. *Quis permansit in mandatis ejus, & derelictus est?* Et ut cetera brevitatis causa prætercam, insignis est locus Apostoli Pauli, qui I. ad Cor. X. 13. *Fidelis Deus est*, inquit, *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere;* seu ut legit S. Cyprianus Lib. III. *Testimoniorum* cap. 91. *sed faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem:* quæ certe verba intelligi debent de gratia sufficiente; nempe ut prosequitur S. Martyr loco cit., *permittit Deus tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere.*

34. Frustra autem quidam hoc Paulinum testimonium intelligendum esse volunt de solis electis, quos a finali perseverantia Deus excidere non sinit, quam in rem testimonia S. Augustini magna copia allegant. Iis suffragatur etiam Estius in Comment. ad hunc loc., id ipsum comprobans auctoritate Hormisdæ, Gregorii M., Leonis, aliorumque tam Latinorum, quam Græcorum. Frustra inquam. Tametsi enim haud inficias eo, posse hoc testimonium peculiari quadam ratione de prædestinatis intelligi, contendo tamen, aliquo modo etiam ad alios justos pertinere; ad illos saltem, qui conantur, & volunt præcepta observare; quod liquet, quia versic. præced. dixerat: *Itaque qui se existimat stare, videat, ne cadat;* quæ certe verba ad omnes justos pertinent; & ipsi Sancti Patres nobis objecti, etsi quandoque illud Apostoli dictum ad electos referunt, nonnunquam tamen etiam universaliter de omnibus justis intelligunt, dummodo inertes, & desides non sint, sed conentur, & velint. Unde Sanct. Augustinus *de Catechizandis rudibus* cap. 25. Tomo VI. non solos prædestinatos, sed omnes fideles alloquens, inquit: *Humilis esto Deo, ut non te permittat tentari supra id, quod potes:* & magis adhuc generaliter Synodus Tridentina Sess. XXIV. can. 9. a Clericis castitatem posse servari definit: *cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari* (*b*).

35. Prob. 2. auctoritate Ecclesiæ. Nam Synodus Arausicana II. Can. 25. ita credendum definit: „ Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ". Ubi decernitur, in justis per baptismum regeneratis esse *potentiam adimplendi ea, quæ ad salutem animæ pertinent*, & hanc potentiam esse a *Christo auxiliante, & cooperante* (*c*).

36. Rursus Synodus Tridentina Sess. VI. c. 11. „ Nemo debet, *inquit*, temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis ". *Cujus doctrinæ hæc redditur ratio:* „ Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt, ut ipsemet testatur, servat sermones ejus; quod utique cum divino auxilio præstare possunt ". *Et demum* can. 18. *Si quis*

(*a*) Jansenii propositio contraria, & damnata totidem plane verbis continetur in ejus Lib. III. *de gratia Salvat.* cap. 13. ubi inquit: „ Hæc igitur omnia plenissime, planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustino certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia: hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum est, qui tentantur ultra quam possint sustinere ".

(*b*) Vel ipse Jansenius novit, non ad solos electos hoc testimonium Apostoli referri posse; unde Lib. III. *De grat. Salvat.* c. 13. inquit, hoc beneficium tribui *non promiscue cuilibet credentium, sed tantum orantibus, ac de divino adjutorio, sicut oportet, confidentibus, adeoque* FERE *electis.*

(*c*) Ubi apparet, non tantum per liberum arbitrium, sed etiam per gratiam præcepta Dei esse justis possibilia, *si fideliter laborare voluerint;* quæ iterum voluntas a gratia efficaci donatur.

quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

37. Et quamquam minime negavero, hæc verba potissimum spectare Calvini, & Lutheri insaniam, qui nulla prorsus ratione ab hominibus etiam justis præcepta Dei adimpleri, ut oportet, impie delirabant; manifestum est tamen, Concilium etiam absolute definire voluisse, præcepta Dei esse justis, eodem Deo ipsis opitulante, observatu possibilia; quia dicit, contrarium errorem esse a Patribus sub anathemate prohibitum; at vero Patres antiqui de nova, & antea inaudita Calvini, & Lutheri blasphemia fortasse ne cogitarunt quidem; bene vero solliciti erant, ut præceptorum observantiam possibilem esse assererent, sive contra Prædestinatianos, si qui tunc temporis extiterunt, sive potius contra Pelagianos, qui id a Catholicis negari calumniabantur. Sensus ergo definitionis Tridentinæ est, absolute posse justos Deo adjuvante præcepta Dei adimplere, etiam cum debito perfectionis modo.

38. Sed clarius sententia nostra ab Innocentio X. definita est, cum hanc primam Jansenii propositionem hæreseos censura notavit. „ Aliqua præ„ cepta Dei hominibus justis volentibus, & conan„ tibus, secundum præsentes, quas habent vires, „ sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua „ possibilia fiant ".

39. Neque vero recte contendit Arnaldus *De Quæst. juris Apolog. I.* Sect. 4. Innocent. X. Jansenii propositionem non in alio, quam in Calvini sensu, jam in Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 11. damnato, proscribere voluisse, quia dicit, *eam anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Non inquam id recte Arnaldus colligit; potius enim Summus Pontifex Innocentius X. iis verbis *anathemate damnatam* ad antiquos Patres digitum videtur intendisse, quam ad Concilii Tridentini definitionem, quemadmodum & Tridentini Patres jam dixerant: *Nemo* (debet) *temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti Dei præcepta &c.*

40. Hinc patet etiam, æquam fuisse censuram a Sacra Parisiensi Facultate latam contra hanc propositionem, quæ damnatæ primæ propositionis Jansenianæ quasi filia videbatur: *Scriptura, & Patres nobis in B. Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit in ea occasione, in qua dici non potest, eum non peccasse.* Quæ propositio ideo damnata est, ut omnes intelligerent, justis conantibus, & volentibus mandata Dei adimplere aliquam Dei gratiam semper præsto esse, qua vel *immediate* ea adimplere possint, vel saltem *mediate*, scilicet petendo a Deo fortiora gratiæ auxilia; aliquis enim vires ad superandam tentationem non habet, habet tamen vires ad orandum; vel etiam ad occasionem peccati vitandam &c.; quæ si faciat, vires etiam pares tentationi vincendæ obtinebit. Unde S. Augustinus Lib. *de Nat. & grat.* cap. 69. „ Eo „ ipso, *inquit*, quo firmissime creditur, Deum „ justum, & bonum impossibilia non potuisse præ„ cipere, hinc admonemur, & in facilibus quid „ agamus, & in difficilibus quid petamus ". Non autem Sarbonicæ Facultatis mens fuit, aut esse potuit definire, adesse semper justis omnibus gratias efficaces, aut saltem gratias immediate & proxime sufficientes, quod cum experientia pugnat.

41. Prob. 3. ex S. Augustino, qui in libro *de Natura, & gratia* cap. 26. in eo constituit discrimen inter hominem medicum corporis, & Deum medicum animæ, quod homo sanus non amplius indigeat medico; cum vero *Deus spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, idest justificat impium.... non deserit, nisi deseratur, ut pie semper, justeque vivatur* (a).

42. Respondent aliqui, hæc verba: *Non deserit, nisi deseratur*, esse intelligenda de gratia habituali, quam Deus homini non subtrahit, nisi quando ab eo per peccatum deseritur. Sed reclamat primo Augustini scopus. Pugnabat enim ibi contra Pelagianos de gratia actuali, non de habituali, quam eos admisisse vel Jansenius ipse contendit. Reclamat præterea ipse contextus, & distortam interpretationem excludit; quia e vestigio subdit: *ut pie justeque vivatur:* quæ verba nihil aliud indicant, quam gratiam talem a Deo justis concedi, qua pie justeque vivere possint; sed hæc non est gratia habitualis, cum ad pia & salutaria opera gratia actualis necessaria sit (Vid. Dissert. II. c. 6.). Denique suam mentem clarius etiam S. Doctor exponit, subdens: Sicut enim oculus „ corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore „ lucis adjutus non potest cernere, sic & homo „ etiam plenissime justificatus, nisi æterna luce „ justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vi„ vere ". Communi sensu eum carere necesse est, qui his Augustini verbis non intelligit, præter gratiam habitualem, aliquod actuale auxilium, ad pie justeque vivendum, justis a Deo jugiter concedi.

43. Obj. 1. plura testimonia tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, quibus evincitur, grat-

(a) Omisimus ea verba, quæ tanquam Augustini afferri solent ex Serm. 236. alias 191. „ Execramur etiam „ illorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid „ homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non „ a singulis, sed ab omnibus in commune posse ser„ vari ". Omisimus inquam, observantibus quippe Patribus Mauvinis, hic Sermo nihil aliud est, quam fidei „ professio a Pelagio directa ad Apostolicam Se„ dem, & in operum S. Hieronymi Tom. IX. conten„ ta; quæ hic exordio præfixo, & mutata conclusione „ formam Sermonis accepit ". Male autem aliqui contendunt, Innocentium X. ad hunc spurium Sermonem digitum intendisse, cum primam Jansenii propositionem, ut blasphemam condemnavit.

gratiam, sine qua nihil possumus, esse gratiam efficacem. Unde S. Thomas ea Christi verba: *Sine me nihil potestis facere*, de gratia efficaci intelligit 1. 2. qu. 109. art. 6. dicens: *Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Jo. XV. sine me &c.* quod repetit etiam in qu. 112. art. 3. atqui certum est, gratiam efficacem justis sæpe deesse, iis nempe omnibus, qui propria infirmitate in peccata labuntur: ergo vera est propositio Arnaldi supra num. 40. *Scriptura, & Patres &c.*

44. R. Gratiam efficacem eam esse, sine qua nihil possumus potentia *consequente*, ut ajunt, seu cum actu conjuncta, & sine qua nunquam ita volumus, ut superata concupiscentiæ resistentia bonum reipsa operemur. Sed præter eam alia agnoscenda est, cum qua bonum operari possumus potentia *antecedente*, seu ab actu sejuncta, ut supra demonstratum est; & cum qua, ut S. Augustinus loqui solet, habemus quidem aliquam voluntatem bonam, sed parvam, & invalidam.

45. Inst. S. Augustinus censet, sine gratia efficaci nullam prorsus in nobis esse potentiam antecedentem ad operandum bonum. Nam in Lib. *de gratia, & libero arbitrio* cap. 17. *Qui ergo*, inquit, *vult facere Dei mandata, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam, poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam*. Et reipsa non possumus mandata Dei observare sine bona, & efficaci voluntate; at vero hanc bonam, & efficacem voluntatem nobis non præstat, nisi gratia efficax, quæ, ut perpetuo S. Augustinus docet, nos facit de nolentibus volentes: ergo &c.

46. R. Hæc pariter intelligi oportere de potentia *consequente* conjuncta cum actu, vel etiam, si mavis, de potentia *immediata*, quæ justis non semper adest; non autem de potentia *antecedente, & mediata*, qua justi orando possunt uberiora gratiæ dona sibi comparare. Sic Concilium Tridentinum Sess. VI. can. 23. definivit, *neminem posse in tota vita peccata etiam venialia vitare;* quod communiter intelligitur de potentia conjuncta cum actu; cum enim Deus jubeat, *ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum* (quod S. Augustinus Pelagianis concedebat Lib. II. *de Peccator. merit. & remiss.* cap. 16.), sequitur etiam nos absolute id posse; neque enim, ut antea pariter concesserat idem Sanct. Doctor cap. 3. *præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati*. Non possumus itaque tota vita peccata etiam venialia vitare potentia *consequente*, quamvis possimus potentia *antecedente*. Eodem sensu justi aliquando præcepta Dei adimplere non possunt potentia *consequente*, quia bona & efficaci voluntate carent, quam sola gratia efficax largitur; possunt tamen potentia *antecedente*, quam ex gratia sufficiente habent.

47. Ob. 2. celebre & potissimum argumentum ex lapsu S. Petri, qui quando tentatus fuit, ut Christum negaret, certe justus erat; cum illi non minus, quam aliis dixerit Christus Jo. XV. 3. *Et vos mundi estis;* & iterum: *manete in me, & ego in vobis;* atqui tamen tunc omni fuit divina ope destitutus; quod infinitis propemodum tum veterum Sanctorum Patrum, tum recentiorum Theologorum testimoniis comprobari potest. Pauca seligo (plura videri possunt apud Arnaldum in Scripto *de qu. juris*). S. Jo. Chrysostomus Hom. XXXI. in epist. ad Hebr. *Negatio Petri*, inquit, *non tam erat socordiæ, ac negligentiæ, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat .... ut sciret, quod absque Deo nihil potest fieri;* & Hom. LXXII. in Jo. Petrum dicit a Deo, *non quidem impulsum ad negandum, sed desertum, ut suam intelligeret imbecillitatem;* & rursus ibidem: *Casus Petri non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit*. S. Augustinus Serm. CXXIV. de tempore (*a*). „ Quid est homo, *inquit*, sine gra„ tia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret „ Christum? .... B. Petrum Dominus paululum „ subdeseruit, ut in illo totum hominum ge„ nus posset agnoscere, nihil se sine gratia Dei „ prævalere ". Idemque antea docuerat Origenes, dicens Tract. XXXV. in Matth. Petrum fuisse *abundantius derelictum*. Immo id ipsum non obscure Christus insinuavit, dum illi dixit Jo. XIII. 36. *Non potes me sequi modo;* significans, vel ipsam Christum confitendi potentiam illi fuisse subtractam.

48. Resp., His omnibus tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum testimoniis nihil aliud doceri, quam Petro fuisse subtractam gratiam efficacem, qua posset Christum sequi, & confiteri potentia conjuncta cum actu, seu *consequente;* non autem auxilia sufficientia saltem remota, quibus potuisset orando majora impetrare, ut vel tentatio submoveretur, vel ipsam superaret. Id colligitur *primo* ex superioribus momentis, quibus abunde demonstratum est, justos nunquam omnino a Deo deseri: *secundo*, quia inverisimile est, Petrum fuisse magis derelictum a Deo, quam Judam, cui tamen fuisse sufficientes gratias concessas, aperte liquet, vel ex ipsa benignissima Christi voce Matth. XXVI. 50. & Luc. XXII. 48.: *Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis?* Demum, quia S. Augustinus, qui unus instar omnium esse potest, in epist. contra Donatistas, seu vulgo in Lib. *de unit. Ecclesiæ* c. 9. Tom. IX. „ Petrus, *inquit*, si voluisset, ter Dominum „ non negasset; nam dum se perculsum sensit, dep-

(*a*) Supposititius est hic Sermo, ac propterea rejectus ad append. Tom. V. num. 79. Gemina habet S. Pater Serm. CVII. (qui pariter in spuriis numeratur in append. Tom. V.), in Tract. LXXVI. in Joann., & alibi.

„ deponere potuit mentis tumorem, & Deo cum „ Propheta dicere: adjutor meus esto, ne dere- „ linquas me “: Habebat ergo S. Petrus gratiam sufficientem ad orandum, qua poterat uberiora auxilia ad non peccandum impetrare.

49. Dices. Si Petrus gratiam aliquam sufficientem habuisset, ejus lapsus socordiæ, & frigiditati tribueretur; atqui hoc negat S. Jo. Chrysostomus: ergo &c.

50. Resp. Lapsum Petri socordiæ & frigiditati minime tribuendum, sed potius præsumptioni, & superbiæ, qua credidit, se posse quod volebat, & majorem, ac fortiorem gratiam implorare neglexit.

51. Inst. S. Petro defuit etiam gratia ad orandum, quia præsumptione suarum virium peccavit. Nam, ut docet S. Augustinus in Lib. III. ad Bonif. c. 7. & Tract. LIII. in Jo. homines, dum præsumunt, se aliquid suis viribus posse, nec orant, nec orare possunt Deum, ut illud faciendi sibi potentiam conferat. Quid enim stultius, quam petere, quod habere credimus? Petrus itaque, qui teste eodem S. Patre *De grat. & lib. arb.* c. 17. *putabat, se posse, quod se velle sentiebat*, gratiam orationis non habebat (Vid. Card. Norisius Tom. II. in *Calumnia sublata* cap. 3. §. 2.). Ulterius S. Doctor Lib. I. *ad Simplic.* Quæst. 2. „ Nonne, *inquit*, aliquando ipsa oratio nostra sic „ tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, „ immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc „ in nobis cum dolore advertamus? Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui, ut hæc faciamus, jubet”.

52. Resp. Petro non defuisse gratiam orandi, sed potius ab eo fuisse frustratam, & rejectam. Annon Christus eum docuit aperte, & clarissime de ipsius impotentia? *Non potes me sequi modo?* Annon ipsum monuerat Matth. XXIV. 41., *ut vigilaret, & oraret, ne intraret in tentationem?* Haud est verisimile, has Christi externas admonitiones fuisse sine aliqua interna gratia. Sed Petrus Christo fidem adhibere noluit, & orandi gratiam proinde rejecit, seu frustraneam reddidit. S. Augustinus autem in loco objecto loquitur de gratia orationis efficaci, quam justis non semper concedit, extra dubium est.

53. Obj. 3. Justi interdum peccant ex ignorantia, ut cum Cephas fuit a Paulo reprehensus, quod *non recte ambularet ad veritatem Evangelii*, ad Galat. II. 14.; & cum Fabiola, quæ ut S. Hieronymus narrat in ejus *epitaphio*, ignorans Evangelii præceptum, *quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur, deserto proprio viro alteri nupsit, & ita diaboli incauta vulnus suscepit;* quamobrem postea nonnisi publica exacta pœnitentia, ad Ecclesiæ communionem recepta est. Libellatici etiam, qui sacrificasse se idolis mentiebantur, *existimantes sibi satis esse, quod non sacrificavissent, errore decepti erant*, ut ait S. Cyprianus epist. ad Antonianum; & alia hujus generis exempla sexcenta afferri possunt. Peccant insuper quandoque per incogitantiam, inconsiderantiam, subreptionem &c. *Plena*, inquit S. Augustinus *de Spiritu, & littera* cap. 36., *humana vita est documentis talibus*. Hinc illa Pauli vox I. Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. At vero qui aliquo ex istis modis peccant, nullam gratiam sufficientem habent; hæc quippe constitit in illustratione intellectus, & voluntatis motione, quæ nulla in eis esse potest, qui per ignorantiam, incogitantiam, aut subreptionem peccant (*a*).

54. Resp. Hæc omnia in justis torpentibus, desidibus, & nolentibus contingere posse, qui gratiis male utentes labuntur, non autem in justis conantibus, & volentibus, qui potius ex infirmitate peccant, quatenus eorum voluntas parva est, & invalida. Ei enim, qui pro viribus conatur, vel nulla subrepit ignorantia, incogitantia &c. vel etiamsi subreperet, vitio minime verteretur, utpote invincibilis, & inculpabilis. Hinc S. Augustinus Lib. I. *Operis imperfecti contra* Julianum cap. 93. „ Qui exauditus fuerit, *inquit*, in eo, „ quod dicere jussi sumus: nec nos inferas in ten- „ tationem, proculdubio nulla decipietur inscitia, „ nulla cupiditate vincetur”. Qui autem ignorantia, vel incogitantia peccant, habent quidem illustrationes sufficientes, quibus possent cognoscere malum, quod agunt; sed propria culpa iis non attendunt. Hinc eorum ignorantia, vel incogitantia culpabilis est.

55. Obj. 4. Conqueruntur sæpe justi cum D. Paulo Rom. VIII. 15. de necessitate, qua ad peccatum adiguntur. Satis sit audire S. Hieronymum in epist. ad Ctesiphontem cap. 33. n. 9. ita suam fragilitatem ingenue confitentem: *Novi me multa velle, quæ facienda sunt, & tamen implere non posse;* non alia certe de causa, nisi quia ipsi gratia operandi deerat.

56. R. Apostolum ibi nihil aliud significare, nisi difficultatem, quam experiuntur justi in comprimendis concupiscentiæ perduellis motibus, quos tamen ope gratiæ compescunt, vel saltem compescere possunt; unde eidem Apostolo Paulo roganti, ut sibi auferretur stimulus peccati, responsum fuit: *sufficit tibi gratia mea*. Et Sancti pariter conquerebantur de carnis fragilitate, spem tamen in divina gratia reponebant; unde in laud. loco S. Hieronymus ita prosequitur: „ Audio Dominum „ commonentem: vigilate, & orate, ne intretis in „ tentationem: spiritus promptus est, caro autem „ infirma”.

57.

(*a*) Aliqui, ut hac difficultate se expedirent, commenti sunt nescio quas illustrationes, & motiones imperceptibiles, contra quos consule Bellarminum *de Gratia, & lib. arb.* Lib. II. cap. 6. & Jac. Hyac. Serry Lib. III. *Hist. de auxiliis* cap. 48.

57. Obj. ult. S. August. *de dono persev.* c. 22. calculo suo hanc propositionem probat; „ Si qui „ obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahen„ tur obediendi vires, ut obedire cessetis ". Et solum corrigendam esse docet per verbi personam tertiam, *si qui obediunt &c.* ergo censet S. Doctor, justis non prædestinatis aliquando subtrahi obediendi vires, adeoque &c.

58. Resp. primo, a S. Augustino non solum modum hujus durissimæ propositionis, sed etiam substantiam ipsam fuisse reformatam; nam eam sic immutandam esse censet. „ Si qui obediunt, sed „ in regnum ejus, & gloriam prædestinati non „ sunt, temporales sunt, nec usque in finem in „ eadem obedientia permanebunt. Nonne, *subdit*, „ & verius eadem res, & congruentius dicitur "? Quamobrem & S. Prosper Augustini discipulus in *Resp.* ad 15. *object. Gallor.* num. 12. „ Qui di„ cit, *inquit*, quod quibusdam vocatis, & pie, „ justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut „ obedire desistant, male opinatur de bonitate Dei, „ atque justitia ". Præterea etiamsi illa propositio esset quantum ab substantiam ab Augustino probata, intelligi deberet de subtractione gratiæ efficacis, quam utique justis non prædestinatis Deus ex inscrutabili judiciorum suorum abysso denegat, non autem de subtractione gratiæ sufficientis. Et certe ibidem S. Pater omnes hortandos esse docet, ut perseverantiam a Deo quotidianis orationibus poscant; quod utique facere non possent, si omni essent auxilio destituti.

CAPUT III.

Ostenditur a gratia divina humanam libertatem non tolli.

59. In statu naturæ lapsæ superesse libertatem arbitrii, seu immunitatem a necessitate, omni argumentorum genere alibi evincimus Tom. IV. Dissert. III. c. 8. Nihil itaque modo superest, nisi ut ostendamus, hanc libertatem a gratia victrici minime tolli, aut lædi.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, sub gratia efficaci intactam remanere libertatem arbitrii, nullamque absolutam induci necessitatem.

60. Prob. I. ex iis omnibus Sacræ scripturæ locis, in quibus nostra libertas asseritur, & prædicatur, ut cum Ecclesiastici XV. 14. & seq. dicitur: „ Deus ab initio constituit hominem, & re„ liquit illum in manu consilii sui. Adjecit man„ data, & præcepta sua, si volueris mandata ser„ vare, conservabunt te --- Apposuit tibi aquam, „ & ignem, ad quod volueris, porrige manum „ tuam ". Et quanquam priora illa verba: *Deus ab initio &c.* videntur referri ad primam hominis conditionem, in qua hominem fuisse etiam sub gratia liberum, nemo inficiatur, sequentia tamen: *Si volueris &c.* manifeste spectant ad eum statum, in quo sumus; ut scilicet sacer textus indicet, eam libertatem, qua homo creatus fuit, adhuc post lapsum in nobis permansisse. Præterea alia hujus generis sunt prope infinita in Sacris Litteris ad homines in statu naturæ lapsæ directa, quibus declaratur, posse nos Dei gratia adjutos, judicio, & arbitratu nostro præcepta servare, vel non servare. Sic Moyses Deuteron. XXX. 19. seq. postquam proposuisset populo Israelitico *vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem*, ita eum hortatus est: „ Elige ergo vitam, ut & tu vivas, „ & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, „ atque obedias voci ejus &c. ". Et nihil frequentius in tota Sacra Scriptura utriusque testamenti hujusmodi exhortationibus, quibus tamen nullus esset locus, si gratia Dei omni adempta libertate nos ad operandum adigeret.

61. Prob. 3. ex condemnatione IV. propositionis Jansenii: „ Semipelagiani in hoc erant hære„ tici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui „ posset humana voluntas resistere, vel obtempe„ rare "; quæ propositio ideo ut hæretica proscripta est, quia gratia liberum humanæ voluntatis arbitrium tolli significabat. Atque in eodem sensu nonnullæ propositiones Quesnelli proscriptæ sunt, ut 10. „ Gratia est operatio manus omnipotentis „ Dei, quam nihil impedire potest, aut retarda„ re "; & ceteræ ejusdem generis, non alia de causa damnatæ, nisi quia gratiam nostræ libertati inimicam insinuabant.

62. Et sane magnus ille Doctor, & vindex gratiæ S. Augustinus Pelagianis, ac Semipelagianis conquerentibus, ex ipsius doctrina sequi interitum libertatis humanæ, nunquam victas manus dedit; sed utrumque confitendum esse perpetuo prædicavit, scilicet summam gratiæ vim, & efficaciam, unaque simul integram libertatem humanam (Vid. *Contra duas epist. Pelag.* Lib. II. n. 30. & Lib. IV. 2. 26. & 30.). *Si non est Dei gratia*, inquit epist. CCXIV. alias XLVI. *quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Similia repetit epist. seq. CCXV. alias XLVII. & alibi. Ad quæ verba S. Bernardus alludens: „ De gratia, & libero arbi„ trio *dicit:* tolle liberum arbitrium, non erit, „ quod salvetur: tolle gratiam, non erit, unde „ salvetur ".

63. Neque vero aliqui dicant, posse solam voluntatis libertatem, scilicet immunitatem a coactione, non autem libertatem arbitrii, nempe immunitatem a necessitate, ad Augustini mentem simul cum gratiæ efficacia componi. Non inquam; eos enim vehementer falli, vel unico hoc argumento decretorio evinco. Sæpius fassus est S. Doctor, admodum operosum esse nostram libertatem cum Dei gratia componere. „ Ista quæstio, *inquit* „ *Lib.* de gratia Christi *cap.* 47. ita est ad discer-

„ nen-

„ nendum difficilis, ut quando defenditur liberum „ arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando „ autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium „ putetur auferri". At vero posita sola immunitate a coactione, seu libertate voluntatis, nihil facilius, quam simul libertatem hominis cum Dei gratia conciliare; nemo enim unquam aut somniavit, aut objecit, gratiæ efficaciam talem esse, ut nobis violentiam inferat; repugnat enim, voluntatem proprie cogi; sed tota difficultas a Pelagianis Augustino objecta in eo sita erat, quod gratia necessitatem afferret, seu quod liberum arbitrium tolleret.

64. Obj. 1. Jo. VI. 44. Christus dicit: „ *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Porro trahere non significat motionem liberam, sed necessariam. Multæ aliæ similes loquendi formulæ facile afferri possent.

65. R. S. Augustinus Tract. XXVI. in Jo. hanc eamdem difficultatem ita movet: „ Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo „ inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non „ voluntas excitatur". Ubi per violentiam non intelligitur coactio, cujus incapax est voluntas in credendo, sed sola necessitas. Jam vero quidnam isti difficultati respondet? .... „ Nolite cogitare in„ vitum trahi, *inquit*; trahitur animus & amore ... „ etiam voluntate traheris ... Porro si Poetæ dice„ re licuit: trahit sua quemque voluptas, non ne„ cessitas, sed voluptas, non obligatio, sed dele„ ctatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi „ hominem ad Christum, qui delectatur veritate, „ delectatur beatitudine, delectatur justitia, dele„ ctatur sempiterna vita, quod totum Christus „ est"?

66. Obj. 2. Celebre illud Augustini effatum in expositione cap. V. epist. ad Galat. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*. Cum itaque facile sit ex Augustino ostendere, gratiam efficacem nihil esse aliud, quam delectationem victricem, sequitur &c.

67. R. Necessitatem, quam Augustinus non semel admittere videtur, non esse *absolutam*, & omnimodam, sed vel *hypotheticam*, vel *moralem*, quarum neutra libertati officit, ut uberius postea explicabimus.

68. Dices. S. Doctor sæpius asserit, Dei gratiam *indeclinabiliter*, *&* *insuperabiliter* flectere nostram voluntatem.

69. R. His vocibus explicari summam, & efficacissimam gratiæ energiam, quæ omnem nostri cordis duritiam aufert, non liberi arbitrii jura lædendo; sed ipsius vulnera sanando, contumaciam superando, & inclinationem ad bonum operando. Præclare de more S. Thomas Quæst. IV. *de malo* art. 11. ad 3. „ Deus, *inquit*, movet immutabili„ ter voluntatem, propter efficaciam virtutis mo„ ventis, quæ deficere non potest, sed propter na„ turam voluntatis motæ, quæ indifferenter se ha„ bet ad diversa, non inducitur necessitas, sed „ manet libertas".

70. Dices iterum. Nonnumquam S. Doctor ad gratiæ efficaciam exponendam utitur similitudinibus Incarnationis Verbi, creationis mundi, suscitationis mortuorum, aliisque hujus generis, quæ certe nullam in nobis remanere sub gratia libertatem ostendunt. Augustinum autem magno consensu sequuntur ejus discipuli Prosper, Fulgentius, Gregorius Magnus &c. (a).

71. R. Hujusmodi similitudines a S. Augustino, aliisque Patribus, immo & ab ipsis Sacris Litteris, plerumque adhiberi ad explicandam gratiæ, & prædestinationis gratuitatem, ut patet ex ipsis locis adductis. Quod si nonnumquam etiam usurpantur ad exprimendam vim, & efficaciam gratiæ, non ita accipiendæ sunt, quasi voluntas nostra mere-

(a) Quamquam hæc frequentissime occurrunt in S. August. ejusque discipulis, non erit tamen abs re pauca loca breviter hic indicare. *De dono persev.* c. ult. *Nullum autem*, inquit, *est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse Jesus... Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum ... sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus*. Et Lib. I. *Operis imperf. cont. Julianum* n. 130. *Qua ergo gratia*, inquit, *homo ille* (Christus) *ab initio factus est bonus, eadem gratia homines, qui sunt membra ejus, ex malis fiunt boni*. S. Fulgentius in libro *de Incarn. & grat.* cap. 20. „ Ex eodem Spiritu, *inquit*, renati sumus, ex quo na„ tus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus for„ matur secundum fidem in corde uniuscujusque cre„ dentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est „ in utero Virginis". Creationis exemplum sæpissime „ adhibet S. Augustinus, ut cum *de grat. & lib. arb.* cap. 8. explicans illud Apostoli Eph. II. 10. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operis bonis*. „ Non illa creatione, inquit; qua homines facti sumus, „ sed ea, de qua ille dicebat, qui utique jam homo „ erat: *Cor mundum crea in me Deus*... Fingimur er„ go, idest formamur, & creamur in operibus bonis, „ quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, „ ut in illis ambulemus". Unde etiam ejus discipulus S. Prosper in Carm. *de Ingratis* ita gratiæ virtutem versibus exprimit cap. 14.

... Mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Et nihil apud Sanctos Patres frequentius hoc verbo *creationis* ad gratiæ efficaciam explicandam occurrit. Demum in eodem sensu Sanct. Augustinus utitur quandoque similitudine Dei suscitantis mortuos; ut cum in Tract. XXII. in Jo. dicit: „ Hoc esse transire a mor„ te ad vitam, transire ab infidelitate ad fidem, ab „ injustitia ad justitiam, a superbia ad humilitatem, „ ab odio ad charitatem". Cui concinit de more S. Prosper in Carm. *de ingratis* cap. 16. inquiens: *Deus ergo sepultos suscitat*.

re passive moveatur a Deo; cum hoc & Sacris litteris, & Sanctis Patribus, & Conciliorum definitionibus adversetur aperte; sed ut intelligamus intrinsecam, & fortissimam esse virtutem gratiæ Dei, quæ ita nostras sibi subdit voluntates, ut etiam nostrum liberum consensum operetur; qua de re infra erit ulterius dicendum.

APPENDIX

In qua explo litur fictitium æquilibrium virium quod quidam ad libertatem necessario requiri putant.

72. Fuit hoc olim falsum Pelagianorum principium, nullam esse in voluntate veri nominis libertatem, nisi voluntas tanta ad bonum, æque ac ad malum indifferentia polleat, ut veluti in æquilibrio quodam constituta sit (Vid. S. Augustinus Lib. III. *Operis imperfecti* n. 110. & n. 117. epist. CLXXXVI. alias CVI. cap. 10., & alibi). Fuerant etiam non ita pridem, qui, ut a Janseniana hæresi longius recederent, talem sub gratia libertatem *indifferentiæ* homini asserebant, ut æqualibus omnino momentis sive ad bonum, sive ad malum inclinentur (*a*).

73. At vero id perabsurdum esse, pluribus argumentis facile ostenditur. Et primo quidem sine hoc æquilibrio vera, & perfecta libertas consistere potest. Quis enim negaverit, esse in homine rationis compote veram libertatem se ex alta turri præcipitandi, vel lento igne comburendi, vel alio quovis modo sibi mortem consciscendi? & tamen quis unquam somniaverit esse in illo æqualem propensionem, seu indifferentiam, sive ad vitam conservandam, sive ad eamdem sponte perdendam?

74. Sed ut rem nostram propius agamus, certum est, in quolibet homine veram esse non peccandi potentiam, libertatem; atqui nemo finget, esse in peccatoribus excœcatis, & obduratis æqualem sive peccandi, sive bonum operandi indifferentiam; cum ad malum pravis suis consuetudinibus *quasi* violenter inclinentur; a bono autem quadam morali impotentia retardentur. Idem ex opposito dicendum est de justis, qui bonis, & sanctis habitibus eo tandem perveniunt, ut multa facilitate bonum operentur, incredibili autem horrore aversentur malum; nec tamen iis ademptam libertatem bene, vel male agendi quisquam somniabit.

75. Ulterius autem hoc æquilibrium ut figmentum, & delirium a sana Theologia exsibilandum, S. Aug. ejusque discipuli exploserunt. Nam S. Doctor ita Julianum alloquitur Lib. III. *Operis imperfecti* n. 177.: ,,Libra tua, quam conaris ex ,, utraque parte per æqualia momenta suspendere, ,, ut voluntas quantum esset ad malum, tantum ,, etiam sit ad bonum libera, urgendo in unam ,, partem te indicat delirantem". Et Sanct. Prosper in epist. ad August. n. 4. inter erroneas Semipelagianorum opiniones hoc etiam æquilibrium recenset. ,, Et consequens putant, *inquit*, ut ... quantum quisque ad malum, tantum habeat facul- ,, tatis ad bonum, parique momento animum se ,, vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bo- ,, na appetentem gratia Dei foveat, mala sectan- ,, tem damnatio justa suscipiat".

76. Verum quidem est, Pelagianos in hoc turpius errasse, quod æquilibrium admitterent tam ad bonum, quam ad malum, seposita gratia, solisque consideratis naturæ viribus; sed tamen notatu dignum est, S. Aug. absolute hoc æquilibrium semper ut commentitium explosisse, ac de eo sub gratia admittendo ne cogitasse quidem. Præterea Semipelagiani a virium æquilibrio gratiam non excludebant, unam salutem ad operis consummationem requirebant, nihilominus in absurdis eorum opinionibus hæc etiam a S. Prospero numeratur.

77. Accedit, quod si verum esset ridiculum hoc æquilibrium, illud consequeretur longe absurdissimum, in homine impio, quo magis effrenatæ concupiscentiæ laxat habenas, & peccatis se se obstringit, eo semper magis, ac magis augeri debere gratiæ dona, ne scilicet hoc virium æquilibrium, concupiscentia vires gratiæ superante, turbaretur, atque ita libertas deficeret; justis contra diminuendas esse gratias, quo plus in virtute proficiunt, ne æquilibrio gratiam inter, & concupiscentiam sublato, bonorum operum meritum aut diminuatur, aut tollatur omnino. Hinc peccatoribus obduratis, Hæreticis, Paganis liberaliori manu gratiæ suæ dona Deus impertiri debebit, quam Christianis, piisque hominibus: quod quam monstruosum sit, nemo non videt.

78. Nec illud demum prætermittendum, in commentitia illa æquilibrii hypothesi non amplius a Deo, ejusque misericordia gratiarum distributionem pendere, sed ab hominum perversitate; nam quo magis voluntas in peccatis obdurabitur, eo magis Deus debebit gratiæ suæ dona multiplicare, ne scilicet æquilibrio sublato voluntas necessario inclinetur ad malum.

79. Sunt ex Schola Thomistica, qui hoc æquilibrium *inclinationis*, seu *propensionis*, ut maxime absurdum, nobiscum detestari se profitentur, & aliud substituunt *potentiæ*, & *facultatis*, illudque ad libertatem omnino pertinere contendunt, ut

(*a*) Videri possunt Boursier in celebratissimo opere: *L'Action de Dieu sur les creatures* Tom. VI. Sect. VII. part. 2. *Traité de l'Équilibre de la volonté contre Mr. l'Éveque de Soissons, & les autres Molinistes*, a Utrecht 1720., Lettre II. à Mr. Tournely *Sur l'équilibre* du 13. Oct. 1726. Etiam auctor libri *De origine mali* hujus sæc. initio in Anglia evulgati hanc eamdem libertatis ideam invehere tentavit.

ut sine illo nulla esse possit veri nominis libertas.

80. Et si quidem nomine istius æquilibrii nihil aliud intelligerent, quam id, quod communiter Scholastici appellant *activam indifferentiam*, nemo nostrum esset, qui hoc æquilibrii genus non ambabus ulnis susciperet, quidquid sit de vocabulo, de quo non multum solliciti esse debemus, ubi res ipsa intelligitur (*a*).

81. Sed Molinistæ nomine æquilibrii eas intelligunt in voluntate vires, ut pro nutu suo vel gratiæ excitanti consentiat, eamque efficacem reddat, vel dissentiat, & reddat inefficacem; unde Suarezius *de gratia* P. I. c. 3. ad libertatem id omnino requiri putat, ut positis omnibus prærequisitis ad agendum homo in *sensu composito* possit non agere, propter æquilibrium scilicet potentiæ in voluntate. Et adeo putat, a sola voluntate pendere, ut gratia sortiatur effectum suum, ut alibi Lib. V. *de Gratia* cap. 21. aperte dicat: „ nullum auxi„ lium excitans de se ex vi suæ entitatis esse ef„ ficax ad determinandam voluntatem ad unum; „ & quocumque auxilio excitante dato, oportere „ inquirere, per quid fiat efficax ". Ex quibus verbis patet, aucta quantumcumque gratia, nunquam tolli voluntatis æquilibrium, ut ipsa inclinetur ad consensum. Si enim gratia sublato voluntatis æquilibrio ipsam ad consensum inclinaret, profecto aucto gratiæ auxilio augeretur inclinatio; & tandem eo usque pertingeret, ut voluntas infallibiliter consentiret, & sic non oporteret inquirere, per quid auxilium Dei fieret efficax.

82. Sed ut res adhuc pressius urgeatur, & ut omnis controversia vel de nomine, vel etiam de mente adversariorum evitetur, sciscitor ab ipsis, an voluntas hoc *potentiæ*, & *facultatis* æquilibrio, ut vocant, æquales habeat vires sive ad consentiendum, gratiæ excitanti, sive ad dissentiendum? Si æquales non esse in voluntate vires fateantur; jam nullum est æquilibrium; & inclinatio ad bonum ex gratia procedens poterit tantum augeri, ut tandem voluntas cedat, & sic gratia erit ex seipsa efficax, operans voluntatis inclinationem, & consensum.

83. Si vero contendant, in voluntate sub quacumque gratia pares esse vires, sive ad dissentiendum, sive ad consentiendum, ut semper intactum maneat æquilibrium, in plurima absurda delabantur, necesse est. Nam primo nulla causa erit, cur homines a Deo augmentum gratiæ postulent: si enim aucta gratia vires voluntatis non augentur, sed semper remanent in æquilibrio, frustra Deum rogamus, ut majora gratiarum suarum dona nobis largiatur; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Secundo sequeretur, easdem esse vires, ut tentationi resistat in homine justo, ac in peccatore, pagano, idolatra, excæcato &c.: nam ut adversarii opinantur, gratia non solum justis, sed peccatoribus etiam cujuscumque generis semper adest; & cum in omnibus vera sit libertas, etiam pares in omnibus admitti debebunt vires, quibus possint huic gratiæ vel resistere, vel obtemperare.

84. Plura alia omitto necessariæ brevitatis gratia; sed si seposito contradicendi studio velimus intimam nostram conscientiam consulere, fateri cogemur, nos sæpius supernis illustrationibus gratiæ actualis, veluti quibusdam ictibus sollicitari ad bonum; & iterum a concupiscentia quasi ictibus repetitis trahi ad malum. Si vis istorum ictuum contrariorum ponatur æqualis, erit certe in voluntate fictitium illud virium æquilibrium, sive ad bonum, sive ad malum; sed quando gratia victrix, & efficax, sublato quocumque æquilibrio, voluntatem infallibiliter determinat ad bonum, & homo quidem resistere potest, si velit, in quo salvatur libertas; sed gratia hoc ipsum efficit, ut homo non velit resistere; facit enim sua efficacitate nos de nolentibus volentes.

85. At inquit Tournelius: „ Licet gratia suffi„ ciens comparata ad oppositam concupiscentiam „ æquales vires non semper habeat, sed sæpissi„ me inferiores, attamen eam superare vere, ac „ relative potest ... ita strenuus dux, ac impera„ tor

(*a*) *Activam indifferentiam* voluntatis Thomistæ una cum Angelico ab indifferentia judicii potissimum repetunt; quatenus nullum bonum creatum est, quod voluntatis amplitudinem, & capacitatem repleat. Hoc ita præclare S. Thomas explicat I. P. q. 82. art. 2. *Sicut intellectus naturaliter ex necessitate inhæret primis principiis, ita voluntas ultimo fini. Sunt autem quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum, & talibus non ex necessitate assentit intellectus; quædam autem propositiones sunt necessariæ, quæ habent connexionem necessariam cum primis principiis, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum, & his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem; non autem e necessitate assentit, antequam hujusmodi necessariam connexionem per demonstrationem cognoscat. Similiter etiam est ex parte voluntatis: sunt enim quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus, & hujusmodi voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret, in quo solo vera beatitudo consistit; sed tamen antequam per certitudinem divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret &c.* Et cum sibi opposuisset, quod objectum movet voluntatem, & motus mobilis necessario consequitur ex movente, respondet ad 2. *quod movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile ita, quod tota ejus possibilitas moventi subdatur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis, & perfecti, non subjicitur ejus possibilitas alicui particulari bono, & ideo non ex necessitate movetur ab illo.*

„ tor exercitus non raro cum paucis militum co- „ piis numero longe superiorem exercitum vincit, „ ac superat, aut saltem impetum ejus sistit, ac „ moratur ".

86. Verum, quantum ex Tournelii systemate apparet, non est gratia sufficiens, quæ vires suppeditet, ad oppositam concupiscentiam vincendam, sed potius voluntas, quæ gratia sufficienti etiam minima bene uti potest ad oppositam concupiscentiam vincendam; quemadmodum strenuus dux cum paucis militum copiis exercitum numero longe superiorem vincit; ut proinde quemadmodum in hoc casu victoria non tam exiguo militum manipulo, quam ducis virtuti, ac præstantiæ tribui debet, ita victoria concupiscentiæ non tam viribus gratiæ, quæ inferiores erant, quam voluntatis virtuti, atque industriæ tribuenda erit, ut proinde sit falsum illud Apostoli Pauli effatum: *Quid habes, quod non accepisti &c.?*

87. Qui hoc æquilibrium *potentiæ* in nostra voluntate constituere nituntur, potissimam vim facere solent in iis Angelici Præceptoris verbis 3. P. q. 62. art. 6. ad 3. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ*, quod iterum repetit S. Doctor q. 70. art. 4. Sed manifestum est, S. Thomam in utroque loco loqui de gratia sanctificante, seu habituali, quæ etiam in minimo gradu, semper tamen major est quocumque peccato, & quacumque concupiscentia; unde in secundo loco ita subdit Angelicus: *Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* Jam vero, ut alias animadversum est Diss. II. n. 156., gratia habitualis sufficit ad resistendum cuilibet concupiscentiæ, & ad vitandum omne peccatum mortale, sed *suo modo;* scilicet non exclusis, sed adjunctis gratiæ actualis auxiliis, quæ movendo, inclinando, ac determinando nostram voluntatem, faciat nos velle, quod possumus. Unde S. Augustinus omnino fatebatur, *posse hominem, si velit, esse sine peccato, adjutum a Deo*, Lib. II. *de peccatorum meritis, & remissione* cap. 6. Sed suos adversarios adigebat, ut etiam ipsi confiterentur, gratiam Dei in nobis operari, ut velimus.

88. Ut isti appendici, quæ aliquanto nimium excrevit, finem imponamus, hoc unum observandum est cum S. Thom. I. P. q. 83. art. 2. *liberum arbitrium* (per se, & nude sumptum) *indifferenter se habere ad bene agendum, vel male:* sive, ut idem S. Doctor alibi inquit Q. XXIV. *De verit.* art. 4. ad 1., liberum arbitrium *quantum est de se, non inclinatur in unum magis, quam in aliud.* Hoc autem æquilibrium tollit gratia, nostram voluntatem inclinans, & determinans ad bonum; nec tamen tollitur libertas, quæ in hoc æquilibrio non consistit, sed consistit in eo, ut voluntas ita unum amplectatur, ut possit etiam velle contrarium; aliter etiamsi homo posset se ipsum solis suis viribus ad bonum determinare, adhuc libertatem amitteret; quia posita hac ipsa determinatione, arbitrium non amplius *indifferenter se habet ad bene eligendum, vel male, & inclinatur in unum magis, quam in aliud.* Sed de his plura inferius. Videri possunt Cajetanus Benitez *De concursu Dei Disp. II. Dub. II.* §. 2. Card. Vinc. Gotti *De Grat.* q. 2. Dub. 5. §. 3. & P. Laur. Berti in *August. System. Vindic.* Diss. IV. c. 1. §. 7.

DISSERTATIO V.

De gratia efficaci, & sufficiente.

1. Ut superius observatum est Dissert. I. n. 92., sæculo præsertim XVI., odio novarum hæresum, quæ extincto libero arbitrio gratiam necessitantem invehere conabantur, cœperunt quidam in oppositum errorem inclinare, gratiæ energiam extenuantes, & vires liberi arbitrii plus æquo extendentes.

2. In hanc laxitatem prolapsos esse Lessium, & Hamelium, visum est Academiæ Lovaniensi; quapropter an. 1586. celebrem contra eos censuram edidit, in qua præter tres illorum propositiones ad Sacram Scripturam pertinentes, aliæ 31. proscribebantur, eo quod in ipsis „ præcipuum il„ lud de gratia Christi, ac divina prædestinatio„ ne argumentum novis, immo jam olim repro„ batis, rejectisque periculosis opinionibus cor„ rumpi, ac infici cerneretur ".

3. Lovaniensem hanc censuram suo suffragio probavit biennio post, novisque argumentis confirmavit Academia Duacena. „ Major *etiam* E„ piscoporum pars, & quædam Collegia Canoni„ corum geminis duarum Academiarum censuris „ calculum adjecerant. Immo Mechliniensis, & „ Cameracensis Metropolitæ Synodum parabant E„ piscoporum, qui (Lessii, & Hamelii) dogma„ ta a duabus Facultatibus damnata discuterent, „ eademque toto proscriberent Belgio, tanquam „ impias Massiliensium, aut Pelagii reliquias ". Verba sunt ex *Imagine I. Sæculi* Lib. IV. c. 4. deprompta. Sed intercessit Sixti V. Summi Pontificis auctoritas, qui sibi hujusce causæ cognitionem addixit. Hac occasione Lovaniensis Academia prolixiorem suæ Censuræ *justificationem* adornavit, & Apostolicæ Sedis Nuncio exhibuit, qui utrique parti silentio imposito dissidium illud suffocare conatus est (*a*).

4. Sed res nondum erant in Belgio omnino tranquil-

(*a*) Auctor censuræ Lovaniensis fuit celebris ille Henricus Gravius, cujus meritis Card. Baronius hoc Epitaphium posuit: *Henrico Gravio, eximiæ probitatis, spectatæque eruditionis viro, quem post quatuor lustrorum in florentissima Lovaniensi Academia S. Theologiæ publicam professionem Sixtus V. Pontifex Max. insignis erudi-*

quillæ, cum novum, majoremque discordiarum fomitem suppeditavit Ludovici Molinæ liber, qui an. 1588. in Lusitania cum hoc titulo prodiit: ,, Liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præ- ,, scientia, providentia, prædestinatione, & repro- ,, batione concordia ". In eo enim Lessii, & Hamelii doctrina de gratia, & prædestinatione a duabus Academiis, ut dictum est, censoria virga jam notata latius exponebatur, majorique ardore defendebatur.

5. Molinæ conatibus inter primos sese opposuit Dominicus Bannez ex Prædicatorum Instituto, qui paulo ante an. 1581. primis quasi velitationibus Prudentii de Monte-Major acriter restiterat, eo successu, ut novam doctrinam a sacro Hispaniæ Inquisitionis tribunali damnari obtinuerit. Vid. Jac. Hyac. Serry in *Hist. de auxil.* Lib. I. cap. 1., & Lib. V. Sect. 3. cap. 1. Turbæ propter Molinæ *Concordiam* excitatæ brevi ex Lusitania, & Hispania in alias Europæ provincias se dilatarunt, & ubique fere.

. . . . discordia tetra
Belli ferratas postes, portasque refregit.
Hor. Lib. I. Sat. IV. 60.

Præcipue autem Dominicanos inter, & Jesuitas controversiæ fervor exarsit. Nam quæ primo ut causa privata inter privatas personas agitari cæperat, dissentientibus a Molina non paucis, nec infirmi subsellii Concellitis suis, postea universalis facta est, cum tota Societas Moliniani systematis patrocinium suscepit. Vid. Serry Lib. I. *Hist. de auxil.* cap. 17. seq.

6. Crescente in dies dissensionum flamma Clemens VIII. rei gravitate commotus, indicto utrique parti silentio, causam ad se advocavit, eamque coram Censoribus a se constitutis summo studio agitari præcepit. Id cæptum est an. 1696.; sed infinitis propemodum tergiversationibus tamdiu res protracta fuit, ut laudatus Clemens VIII. an. 1605. tandem morte præventus præmeditatum jam solemne & decretorium judicium de ea ferre non potuerit. Clementi successit Leo XI., qui sexto & vigesimo Pontificatus die sublatus celeberrimam quæstionem definire non potuit, quemadmodum sese juramenti religione obstrinxerat.

7. Non multo post ad summum Pontificatum evectus est Paulus V., qui sine mora controversiæ hujus dirimendæ curam suscepit. Post septies iteratum ejus examen causa tandem videbatur definitioni matura. Concors semper fuerat, & constans Censorum omnium, uno duntaxat excepto, judicium. Molinæ doctrinam 20. propositionibus comprehensam, S. Augustino e diametro adversari, esseque condemnatione dignam. Jam Pontificia Constitutio exarata erat, in qua orthodoxæ doctrinæ circa gratiam, & prædestinationem copiosa explanatione præmissa, contraria Molinæ dogmata proscribebantur (Prostat apud Serry in Append. ad *Hist. de auxil.* pag. 155.). Nihil aliud deerat, nisi ut secundum juris formulas prodiret *conceptum, exaratumque peremptorium* decretum (Fogginius in Præf. ad *Opera selecta S. Augustini* Romæ 1754.). Sed Paulus V. certis de causis solemnem ejusdem publicationem in tempus magis opportunum censuit differendam. Interea tamen serio injunxit, ut hujus argumenti tractatione nulla pars alteri notam aliquam, vel censuram auderet inurere. Quænam autem fuerint dilati hujus solemnis judicii causæ, nostrum non est curiosius indagare, sed supremis Sedis Apostolicæ jussibus, ut par est, demisse obedire.

8. Sæpius Dominicani pro ultimo, & decretorio hujus causæ judicio Apostolicæ Sedi humiliter supplicarunt, nempe an. 1612. supplici libello nomine comitiorum generalium Paulo V. exhibito, an. 1622. Gregorio XV., an. 1627. Urbano VIII. an. 1681. Innocent. XI.; ac demum an. 1725. Benedicto XIII. Sed quid postea obstiterit, ne exoptatum, & sæpius expetitum Pontificium Oraculum hactenus prodiret, nihil attinet, divinando inquirere.

9. Dominicani interim sibi non defuerunt, & Ss. Augustini, & Thomæ doctrinam in iis Congregationibus feliciter defensam, strenue tueri semper perrexerunt, quorum exemplum & nos sequentes præcipuas de gratia efficaci, & sufficiente quæstiones, ea, qua decet animi constantia, & moderatione pertractare aggredimur, ut simul, & pro virili nostras Thomisticas sententias defendamus, & ab omni interim nedum censura, sed etiam verborum acrimonia contra adversarios abstineamus. Sed quoniam propositum est, Ss. præcipue Augustini, & Thomæ vestigiis, tanquam Ariadnes filo, ad intricatissimum hunc labyrinthum secure percurrendum inhærere, ideo prius quanta sit utriusque in hac materia auctoritas, paucis exponendum est.

CA-

tionis ergo Romam evocavit, Gregorius XVI. in Pontificiam Aulam excepit; sed amplioribus honoribus dignum Christus in Cœlum evexit die 11. April. an. 1591. ætat. suæ 55. Legitur hoc Epitaphium in T. I. *Ep. & Op.* Baronii edit. a Raymundo Alberico Congr. Oratorii Romæ 1759. p. 221. Duacenam autem Censuram elucubravit Guill. Estius, quo ea ætate non præstantior alter. Ac demum *Justificationem* nomine totius Academiæ exaravit memoratus mox Henricus Gravius una cum Lenseo. Ulterius in Academia Lovaniensi fuit Lectio publica adversus Lessii doctrinam instituta. Utriusque Academiæ censura fuit sæpius accusata, sed strenue semper vindicata, & Sedi Apostolicæ probata, ut copiose demonstratum est a P. Jac. Hyacintho Serry Lib. I. *Hist. de Auxil.* c. 6. & seq.

CAPUT I.

Ostenditur, a Ss. Augustino, & Thoma minime esse recedendum, si puram ab omni errore doctrinam de gratia Dei assequi volumus.

10. Qui novas de gratia opiniones in Scholas invehere conati sunt, ab Augustini auctoritate convellenda fere omnes initium sumpserunt (*a*). Id tamen non permisit Romanorum Pontificum vigilantia, immo totius Ecclesiæ reverentia erga S. Doctorem. Id quod sequentibus assertionibus facile exponemus.

PROPOSITIO I.

Ubi agitur de divinæ gratiæ mysterio explicando maximi facienda est, & ceteris præponenda S. Augustini auctoritas.

11. Prob. Clemens VIII. in celeberrimis Congregationibus *de divinis auxiliis* sancte decrevit, ut tota controversia de gratia, quæ tunc magno contentionis æstu fervebat, ad normam doctrinæ S. Augustini, tanquam ad lydium lapidem exigeretur, idque tribus de causis. „ Prima est, *inquit* (apud Serry *Hist. de auxil.* Lib. III. cap. „ 8.), quod si teste B. Prospero (fere initio Li„ bri *advers. Collatorem*) 20. annorum spatio a„ cies Ecclesiæ ita dimicavit contra Pelagianos, „ ut tandem Augustino Duce vicerit, oportet, in „ causa simili eumdem Ducem agnoscamus, & se„ quamur. Secunda est, quod idem Sanctus ni„ hil prætermisisse videtur eorum, quæ ad præ„ sentes controversias pertinent . . . . Tertia tandem „ ratio est; quod cum multi Pontifices, præde„ cessores nostri, doctrinæ S. Augustini de gra„ tia tam acres fuerint assertores, ac vindices, „ ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia re„ linqui voluerint, æquum non est, ut patiar, „ illam hac quasi hæreditate privari „. Hæc sapientissimus Pontifex, cujus exemplum ejus successor Paulus V. imitatus, eadem religione Augustinum totius controversiæ illius judicem esse voluit. Verum operæ pretium est has tres rationes supremi Pontificis oraculo breviter indicatas, aliquanto copiosius exponere.

12. Dicitur primo. Ecclesiæ aciem, Augustino duce, pugnasse contra Pelagianos, & triumphasse, quo nihil verius; statim enim ac superba hæc hæresis in Africa erupit, tota illa florentissima Ecclesia oculos ad Augustinum convertit. Ipse inter primos eam sermonibus, epistolis, libris, ac disputationibus confutavit, in eaque condemnanda primas in Synodis ad id coactis ille partes habuit. Unde S. Prosper canebat in *Carmine De Ingratis:*

. . . . *Sanctum*
Concilium, cui Deus Aurelius, Ingeniumque
Augustinus erat.

13. Cum postea in Adrumetino Monasterio contentiones, & turbæ de gratia ortæ essent, non ad alium, quam ad Augustinum pro iis sedandis confugitur. Nec solum domi, sed etiam foris pugnabat S. Doctor; tantamque sibi doctrinæ famam ubique comparavit, ut referente Orosio in *Apologia* cap. 3., cum Pelagius in Synodo Jerosolymitana interrogatus, an Sanct. Augustino adhæreret, audacter respondisset: *Et quis est mihi Augustinus?* omnes Patres ejus insolentiam stomachati exclamarint: „ eum blasphemantem in Episcopum, „ ex cujus ore Dominus universæ Africæ unitatis „ indulserit veritatem, non solum a conventu il„ lo, verum ab omni Ecclesiæ pellendum ".

14. S. autem Hieronymus, qui tanquam Ecclesiæ oraculum merito tunc habebatur, statim ac primos S. Augustini libros pro gratiæ defensione inspexit, a certamine, quod jam cum Pelagianis inierat; pedem retraxit. *Supersedendum*, inquit Dialog. III. adv. Pelag., *huic operi censeo, ne dicatur mihi illud Horatii:* „ In sylvam ne ligna „ feras; aut enim eadem diceremus ex superfluo, „ aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo in„ genio præoccupata sunt meliora ".

15. Cum eadem pestis in Gallias penetrasset, Prosper, & Hilarius, egregium gratiæ defensorum par, non alium, quam Augustinum, quamdiu vixit, consulendum putarunt. *Omnium nostrum fatigatio*, ajebat Prosper epist. ad Augustinum n. 9., *in tuæ charitatis, & scientiæ vigore respirat.* Et nemo plane tunc temporis cum Pelagiana hæresi manus conserere audebat, nisi suam prius doctri-

(*a*) Lessius, & Hamelius videntes suas novas opiniones vix ac ne vix quidem posse cum Augustini dogmatibus conciliari, primam quasi aleam jacere visi sunt, dicentes: *Quod si contraria sententia esset D. Augustini, non admodum referret.* Apertius Molina confessus est, se ab Augustino dissentire, & quidem iis verbis, quæ sapientissimo Card. Baronio, aliisque piis, & doctis hominibus stomachum moverunt. Præiverat istis nonnulli alii, qui, ut se opponerent novis hæresibus Calvini, & Lutheri, qui S. Augustinum totum in ære suo inani triumpho jactabant, minus honorifice de tanto Ecclesiæ Patre sentire, & loqui ausi sunt. Conferatur Richardus Simonius in libro, cui titulus: *Lettres choisies* Tom. I. Lett. 16. edit. Amstel. 1630. His ut se opponerent duæ celebres Academiæ Lovaniensis, & Salmanticensis, solemnis juramenti religione S. Augustini doctrinæ se adstrinxerunt. Clemens etiam VIII. Augustini auctoritatem ita restituit, ut vel ipsi Molinæ asseclæ ejusdem S. Doctoris discipuli videri postea voluerint, paucis tamen exceptis, qui potissimum post exorta Janseniana dissidia, vel aperte, & palam, vel saltem clanculum, & per cuniculos summam S. Doctoris, & quasi dictatoriam potestatem in his quæstionibus elevare infeliciter conati sunt; de quibus consuli possunt Norisius in *Vindiciis Augustinianis*, & Serry in *Augustino vindicato*, nec non in lepida *Epistola Joannis Launoii ex Elysio* &c.

ctrinam ab Augustino probari curaret, ut ex pluribus ejus epistolis patet. Vid. epist. 191. 193., & 194. *nov. edit.:* quasi nemo contra Pelagianos, nisi sub Augustini vexillis, dimicare se feliciter posse, speraret.

16. Quid plura? Ipsi Summi Pontifices, & Synodi œcumenicæ Augustinum tamquam totius Ecclesiæ militiæ ducem in hoc maximo bello agnoverunt. Bonifacius Papa, *cum esset doctissimus*, inquit S. Prosper *advers. Collatorem* cap. 31., *adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini responsa poscebat;* & Hormisdas a Possessore Episcopo consultus respondit (in Append. ad X. Tom. Operum S. Augustini).,, de arbitrio libero, & ,, gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica se- ,, quatur, & asseveret Ecclesia, in variis libris B. ,, Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prospe- ,, rum posse cognosci " (*a*). Præsules autem Africani in Sardinia exulantes hoc Hormisdæ celeberrimo laudato testimonio ita suos hortabantur: *Præ omnibus studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis fratribus* (Semipelagianis errantibus) *legendos ingerere.* Synodus demum Arausicana II., quæ utpote a Rom. Pontifice confirmata, fuit toto orbe recepta, atque œcumenici Concilii vim, auctoritatemque habet, suos Canones, quibus omnes Pelagianæ contagionis reliquiæ penitus extirpatæ sunt, non aliis, quam Augustini verbis expressit. Cujus Synodi exemplum etiam Concilium Tridentinum secutum est; ut proinde non exaggerate, sed vere fuerit a Suarezio pronunciatum Proleg. VI. *de Grat.* c. I. n. 6.: ,, jure merito Au- ,, gustinum dici os, & linguam Ecclesiæ, cum ,, per eum Ecclesia, & Summi Pontifices locuti ,, sint ". Sancte igitur Clemens VIII. jussit, ut Augustinum ducem in his quæstionibus sequeremur; quandoquidem non solum in Africa, sed & in toto Occidente, immo & in Oriente, & a privatis hominibus, & ab Episcopis, & ab ipsis Pontificibus, ac Synodis etiam œcumenicis, tanquam totius belli Dux, & Antesignanus est habitus.

17. Secundo laudatus Clemens VIII. Augustinum hujus controversiæ arbitrum esse voluit, *quia nihil prætermisisse videtur eorum, quæ ad præsentes controversias pertinent.* Quod quidem ex mox dictis consequenter fluit. Neque enim ut os Ecclesiæ habitus fuisset Augustinus, nisi omnibus iis tam multi, & gravibus difficultatibus, quæ longo 20. annorum spatio a Pelagianis, ac Semipelagianis, doctis, acutisque hominibus excitatæ sunt, integre, & cumulate satisfecisset. Pedem a pugna non retraxisset Hieronymus, si ipsum in eadem alterius ope indigere vidisset; neque vere fuisse ab Hormisda dictum: ,, Quid Romana, hoc est Ca- ,, tholica sequatur, & asseveret Ecclesia in variis ,, libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & ,, Prosperum, posse cognosci "; si aliquid esset a S. Doctore prætermissum.

18. Accedit constans & perpetua Ecclesiæ consuetudo, quæ quotiescumque aliqua excitata est de his rebus controversia, semper voluit, ut honorarius arbiter sederet Augustinus. Ita gestum fuit a Romanis Pontificibus Cœlestino, & Hormisda, ad sedandas in Gallia turbas non multo post ejus mortem exortas; quorum prior corripiendos esse jussit, qui de Augustino obloqui audebant (in epist. ad Episcopos Galliæ), alter Faustum damnavit, Augustini autem doctrinam, ut doctrinam Ecclesiæ Rom. collaudavit (in epist. ad Possessorem). Ita Sæc. VI. a Felice IV., & a Synodo Arausicana II., ad exterminandas Semipelagianorum reliquias. Ita Sæc. IX. occasione Monachi Gotteschalci in Conciliis Valentino, Lugdunensi, ac Tullensi (Vid. sup. Diss. III. n. 40.). Ita demum in Conc. Tridentino Sæc. XVI.; quod Petavio teste (*De Opificio sex dierum* Lib. IV. cap. 5. n. 8.) post Canonicas scripturas *ab Augustino, tanquam a fonte, & sentiendi de libero arbitrio formam, & loquendi regulam accepit* (*b*). Hinc factum est (concludo verbis ab Ecclesia probatis Lect. VI. in Octava Sanct. Augustini Brev. Ord. Prædicatorum) ,, ut quoties ortæ de auxiliis controversiæ ,, sunt, Pontifices Maximi, Augustini sententiarum ,, rationem imprimis habendam putaverint... & ,, Romanorum Pontificum testimonia tam multa ,, tamque præclara sunt, ut satis indicent, Ro- ,, manæ, atque adeo Catholicæ Ecclesiæ de au- ,, xiliis divinis, prædestinationeque decreta Augu- ,, stinum & comprehendisse animo, & accurate, ,, vere, ac strenue contra hostes defendisse ". Vid. Bossuet *Defense de la Tradition, & des saints Peres* Lib. V. c. 14. & seq.

19. Tertio inquit Summus Pontifex Clemens, Augustini doctrinam de gratia *fuisse quasi hæreditario jure in Ecclesia relictam, &c.* Porro nullus esset dicendi finis, si omnia, quibus S. Doctor a Romanis Pontificibus celebratus fuit, præconia percensere numerando vellem. Etenim post Innocentium I., quo maxime probante Augustinus cum Pelagianis decertare incepit, & cum quo, ut ipse testatur epist. CLXXXVI. ad Paul., familiare literarium commercium habuit, omnes qui deinceps consecuti sunt Apostolicæ Sedis Præsules, quotiescumque actum est de gratia Christi explicanda, aut ita quasi ex tripode pronunciavit: *Quamvis nemo melius de gratia, & contra Pelagium Augustino scripserit, non scripsit tamen omnia, quippe haud necessaria, Calvino necdum exorto. Aliis nunc armis opus est, alio hoste, belloque instantibus.*

(*a*) Frustra est Cochlæus, cui hanc epistolam Hormisdæ abjudicare placuit. Vid. Norisius Lib. II. *Hist. Pel.* cap. 19., & Bellarminus de *Script. Eccles.* in Jo. Maxentio &c.

(*b*) Petavio tamen non consentit Cœlestinus Sfondrati, qui in *Nodo Prædest. dissoluto* P. I. §. 2. n. 16.

aut vindicanda, Augustini doctrinam veluti in oculis semper habuerunt.

20. Bonifacius Papa, *cum esset doctissimus, tamen adversus libros Pelagianorum B. Augustini responsa poscebat* (*a*).

21. S. Cœlestinus eos, qui de Augustino humanis rebus jam exempto minus honorifice sentiebant, & loquebantur, corripiendos, & compescendos esse præcepit in epist. ad Episcopos Galliæ, *eumque tantæ scientiæ fuisse* dicit, *ut inter Magistros optimos a suis semper Decessoribus haberetur*.

22. Felix IV. ad Pelagianorum reliquias ex Gallia extirpandas 25. capitula ex Augustini libris totidem plane verbis excerpta, ad Cæsarium Arelatensem misit, ex quibus postea Canones Synodi II. Arausicanæ confecti sunt (*b*).

23. Joannes II. in epist. ad quosdam Senatores: *S. Augustini doctrinam*, inquit, *secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur ac servat Ecclesia*.

24. Eademque verba postea usurpavit, & Apostolica auctoritate confirmavit Innocentius XII. in Brevi ad Lovanienses 1694. *Elogium* (inquit apposite Christianus Lupus Tomo I. scholiorum in Conc. pag. 696.) *aureis litteris in omnis chola, & Ecclesia scribendum*.

25. Alexander VII. Lovanienses Doctores commendat in Brevi 7. August. 1660., quod *præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ac impense revereri velint*.

26. Alios supra 30. prætereo Romanos Pontifices, qui præcipue in controversiis de gratia Augustini doctrinam singularibus laudibus exornarunt. Unde patet, merito, & sine ulla exaggeratione fuisse a Petavio scriptum in Lib. IX. *Theolog. dogm.* de c. 6.: „ Augustini sententiam de gratia quotquot deinde consecuti Patres, ac Doctores, tum vero Ecclesiæ Romanæ Præsides, Præsulumque Conventus aliorum, ratam, & catholicam esse judicarunt; ut satis magnum putarunt veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, & decretum esse constaret " (*c*).

27. Longum nimis esset, & a nostro instituto alienum, Scriptores alios, Academias, & Religiosas Familias commemorare, a quibus doctrina S. Augustini meritis laudibus exornata, atque adoptata fuit; & brevitatis studio rem concludo verbis S. Prudentii, quibus Hincmarum ita alloquebatur epist. ad Hincmar. & Pardulum: „ Hoc primum, præcipueque moneo, & postulo, doctrinam beatissimi P. Augustini, omnium absque ulla dubietate undequaque doctissimi, sanctarum scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe cum nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit) vestri Pontificatus tempore commento quolibet impugnare non permittatis: quando cœlesti gratiæ munere donata existit, ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit, cum eam & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas auctoritate concordissima approbarint, ac roborarint, adeo ut nullus ei singulariter, verum universitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat inniti ".

28. Quibus omnibus addere non piget recentioris, sed docti hominis auctoritatem, Francisci a Puteo in vita S. Gregorii M. Clementi XIII. dicata pag. 12., qui postquam observavit, a S. Gregorio M. fuisse lectionem operum S. Augustini Innocentio Africæ Præfecto his verbis magnopere commendatam: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini Patriotæ vestri opuscula legite* (*ep. XXXVII.*), hæc apposite subdit: „ Si nostra etiam ætate viri Ecclesiasticæ militiæ adscripti tam præclara monita, & exempla S. Gregorii sectarentur, sepositisque dissipatis ac lutulentis cisternis, ex limpidis, ac puris S. Augustini fontibus biberent, profundiore doctrina, sanioríque Theologia imbuti, & sibi ipsis, & Ecclesiæ magis prodessent ".

29. Obj. primo. S. Cœlestinus I., magnus alioquin Augustini cultor, & encomiastes, liberum unicuique permittit, ab ipsius sententia in iis recedere, quæ nondum sunt ab Apostolica Sede definita. Ita enim habet in fine capitulorum, quæ suæ epistolæ ad Episcopos Galliæ adtexuit: „ Profundiores vero, difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac „ di-

(*a*) S. Prudentius Tricassinus Episcopus in epist. ad Hincmarum, & Pardulum: *Si eam doctrinam* (S. Augustini) inquit, *adversam fidei orthodoxæ in quopiam conspiceret, nequaquam eam Rom. Ecclesiæ Antistes Vener. Innocentius cum totius Orbis Episcopis suscepisset; neque Bonifacius ejusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset, aut responsionem ejus quatuor libris editam probabiliter, & honorabiliter suscepisset*.

(*b*) Sapientissimus Cardinalis Bellarminus Lib. II. *de gratia, & libero arbitrio* cap 11., *post illa Cœlestini tempora*, inquit, *cum nondum illa factio Gallorum quiesceret, S. Leo Pontifex* (verius Felix IV.) *misit ad Concilium Arausicanum certa capitula de gratia, & libero arbitrio, ex libris S. Augustini verbatim decerpta, quæ voluit ab Episcopis illis recipi, atque subscribi, ut etiam factum est. Porro in illis capitulis continentur omnia fundamenta sententiæ de prædestinatione gratuita, ut non possit ullus prædestinationem negare, nisi velit illis Capitulis contraire*.

(*c*) Quis non miretur, virum doctissimum post tam egregium Augustinianæ doctrinæ elogium, eamdem postea data opera deseruisse, immo omni, quo poterat, argumentorum genere Lib. X. *Theolog. Dogm. de Deo* impugnasse?

,, dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis ,, sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt &c. " Porro quænam sint illæ *occurrentes quæstiones*, non est difficile divinare; scilicet Baronio teste ad an. 431. n. 185., illæ ipsæ sunt, quæ de Prædestinatione Sanctorum inter Catholicas Scholas innoxie agitantur.

30. Resp., Cujuscumque sint ea verba (non enim id liquido apud Criticos constat (*a*)*,) certum est, nomine *profundiorum*, *difficiliorumque quæstionum*, non eas venire, quæ de gratia per se efficaci, ac prædestinatione gratuita Thomistas inter & Molinistas jamdiu agitantur. Nam istæ spectant ad ipsum cardinem principis illius controversiæ, quæ inter Augustinum, immo inter Ecclesiam, & Pelagianos, ac Semipelagianos erat; nemo enim ignorat, id potissimum controverti, an explosa gratia per se, & ab intrinseco efficaci, solaque admissa versatili, aut congrua, aliquid Dei operi, ac dignationi subtrahatur. Affirmant, ac multis argumentis id demonstrant Thomistæ, negant Molinistæ. Quid aptius ad controversiam finiendam, quam si arbiter honorarius sedeat Augustinus, magnus ille gratiæ Doctor, cujus doctrinam Romana, hoc est Catholica sequitur, ac servat Ecclesia?

31. *Profundiores igitur*, *difficilioresque incurrentium quæstionum partes*, quas auctor Capitulorum nec contemnendas, neque necessario adstruendas judicat, aliæ quædam erant ad præcipuum scopum non pertinentes: fortasse quomodo traducatur peccatum originale? quæ sit natura concupiscentiæ? vel aliæ id genus; locus enim iste, fatentibus eruditis admodum obscurus est, neque quid sibi velit auctor illorum Capitulorum facile est divinare (*b*). Hoc unum tamen constat, profundiores illas quæstiones ad gratiam Dei non pertinuisse, ut ex ipsis verbis manifeste apparet. Quamobrem neque Semipelagiani, nec alius quisquam in antiquis de gratia disputationibus ea clausula ad Augustini auctoritatem elevandam unquam abusus est; primusque, quod sciam, id tentavit Jacobus Arminius, Semipelagianismi in Batavia restaurator, (ut conjectatur P. Macedo in *Scrinio*), cujus exemplum fuisse a viris Catholicis imitatum, permoleste accidit.

32. Quod si Baronio visum est, quæstiones illas occurrentes eas ipsas esse, quæ de prædestinatione Sanctorum agitantur, ab Ecclesia nondum definitas, id non multum nostra refert; nam aliunde certum est, numquam gravissimum hunc Scriptorem existimasse, liberum cuique esse in iis ab Augustini sententia recedere; immo id sine magno erroris periculo nequaquam fieri posse putavit. *Videant quæso*, inquit ad an. 490. n. 36., *quanto periculo quidam ex recentioribus*, *dum in Novatores insurgunt*, *ut eos confutent*, *a S. Augustini sententia de prædestinatione recedunt*. *Hoc periculum*, subdit Bossuetus (*Defense de la Tradition*, *&* *des saints Peres* Lib. IV. c. 19.) *non aliud est*, *nisi præcipitandi in Semipelagianam hæresim*, *quemadmodum omnibus fere contigit*, *qui ab Augustini sententia recedere præsumpserunt*. Et alterius idem Baronius in epist. ad Petrum de Villars Archiepisc. Viennensem (T. II. *Epist. &* *Opusc.* edit. Romæ 1759. pag. 121.) laudans Clementis VIII. decretum, ut ab Augustini doctrina non recedatur: ,, Scit plane, *inquit*, tot ,, Sanctos Pontifices .... hoc professos suis scriptis esse, atque testatos, Romanam Ecclesiam ,, in iis, quæ spectant ad gratiam, & liberum arbitrium, sequi semper consuevisse S. Augustinum ".

33. Inst. Innocentius XII. in suo Brevi Lovaniensibus inscripto 6. Feb. 1694. declarat, *profundiores*, *difficilioresque quæstiones* a Collectore Capitulorum minime definitas, eas ipsas esse, quæ de gratia, & prædestinatione nunc agitantur in scholis. Nam Academiæ Lovaniensi postulanti, ut aliquid de iis pronunciaret, ita respondet: ,, Ut S. ,, Cœlestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit, profundiores, difficilioresque partes in materia divinæ gratiæ quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non ,, audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: nec arbitramur opportunum, ut ,, in præsens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ a Prædecessoribus nostris ,, Clemente VIII., & Paulo V. instituta fuit: cum ,, ad confitendam Dei gratiam, cujus operi, ac ,, dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis ,, sufficere credamus, quidquid Apostolicæ Sedis ,, scripta docuerant &c. " Istæ igitur opiniones in an-

(*a*) De decem Capitulis Epistolæ Cœlestini adnexis magna dissensio est inter eruditos. Fuerunt olim a Dionysio Exiguo S. Cœlestini epistolæ adjuncta, & a Petro Diacono epist. ad Fulgentium, tum a Petro Damiani in Lib. de *Incarnatione*, *&* *Gratia* cap. 8. tamquam pars Epistolæ S. Cœlestini laudata. Sed ea Cœlestino abjudicat bona & melior Criticorum pars, ut Baronius ad ann. 431., Norisius in *Vind. August.* cap. 7., Suarez Proleg. VI. *de Grat.* cap. 1. num. 21., Sirmondus de *Hist. Prædest.*, Gherardus Vossius Lib. I. *Hist. Pel.* c. 3., Philippus Labbeus, Dupinius, alii. Omnium probabilior videtur opinio Quesnelli, qui in notis criticis ad opera S. Leonis putavit; laudata capitula fuisse a S. Leone, dum Diaconi munere apud Cœlestinum fungeretur, compendiose collecta, & S. Prospero tradita, ut his Ecclesiæ Rom. monumentis Semipelagianos tumultuantes in Galliis compesceret. Addit Serry Lib. IV. *Hist. de Auxiliis* cap. 5., in codicibus Mss. non paucis, quibusdam etiam cusis totam illam clausulam: *Profundiores vero &c.* desiderari.

(*b*) Fortasse digitus intendebatur ad verba S. Augustini in L. *de dono perseverantiæ* c. 12., ubi n. 26. ita habet. *Quæstiones operosissimas incidentes enucleate solvere nolui*, *ne nimium longum opus esset*, *ubi me adversus tam perversos testimoniorum divinorum non adjuvabat auctoritas*.

ancipiti opinandi libertate relictæ sunt; adeoque opus in iis non est, ad Augustini auctoritatem confugere.

34. Resp. Innocentium XII. ea verba, quæ Cœlestini esse putavit, usurpasse in sensu accommodatitio, ut declararet, nolle se eas controversias definire, de quibus suspendendum esse judicium censuerat Paulus V.; non quia ea verba eamdem omnino causam, sed quia similem spectabant. Nec novum, nec insolens est, ut verba tum Scripturæ, tum SS. PP. ad causas similes, quamvis non easdem, sensu accommodo adhibeantur.

35. Ceterum tantum abest, ut hoc loco voluerit Sanctissimus Pontifex Augustini auctoritatem in his quæstionibus decurtare, quin potius in illo eodem Brevi ipsam magnificentissime prædicavit, Ita enim illud absolvit, Lovanienses Doctores alloquens: „ Profitentes, sicut asseritis, doctrinam „ præclarissimorum Doctorum Augustini, & Thomæ; quorum ille tantæ scientiæ fuit, ut inter „ Magistros optimos, etiam a nostris Prædecessoribus haberetur, & cujus doctrinam secundum „ eorumdem Prædecessorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia; alter vero mira eruditione eamdem Dei Ecclesiam clarificat, & „ sancta operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ duces secuta fuerit, secure „ pugnabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam, & ædificationem ". Quid, amabo, in commendationem nostræ Scholæ Principum, Augustini, & Thomæ dici potest illustrius? Vide Norisium in *Vindiciis Augustinianis* c. 8., & Serry Lib. IV. *Hist. de Auxil.* c. 5.

36. Ob. Secundo. Negari non potest, Sancti Augustini libros obscurissimos esse, ut sæpe Delio natatore indigeant; sive quod ipse de industria sensus suos occuluerit; sive quod minime felix fuerit in sua mente explicanda. Hujus obscuritatis argumentum est satis clarum, tum difficultas, quam viri docti experiuntur in ejus mentem assequenda: tum lites, quæ hac de re inter Theologos vigent immortales; quælibet enim Schola Augustini totum in ære suo jactat.

37. Resp., Obscuritatem, si quæ est in Augustini libris, a rei, quam tractavit, magnitudine, sublimitate, & difficultate oriri; unde S. Doctor epist. CCIV. ad Valentinum, alias XLVI. hanc quæstionem de Gratia *difficillimam*, *& paucis intelligibilem* vocat; & alibi de *Gratia Christi* cap. 46. *quæstionem ad discernendum difficilem:* minime vero tribuendam esse ei, quem clarissimum Ecclesiæ lumen oracula Apostolica appellarunt. Nam, quo pollebat ingenii acumine, & infinita sacræ eruditionis copia, de re omnium obscurissima, quantum fieri potest, & dilucide, & luculenter disseruit. Anne Prosper, Hilarius, Fulgentius, Gregorius, Bernardus, & quotquot consecuti sunt Ecclesiæ Patres, eum ut Magistrum selegissent, si tanta obscuritate laboraret? Anne Romani Pontifices, & integræ Synodi non aliis, quam ipsius verbis dogmata fidei expressissent, itaut fuerit os, *& lingua Ecclesiæ* merito nuncupatus, si veluti totidem Thebanæ Sphinghis oraculum ea invenissent? Omnes istos cæcutiisse dicendum est, si hominem sibi pro duce elegissent, qui non minus, quam Heraclitus ille Ephesius σκοτεινὸς *tenebrosus* appellari posset.

38. Theologorum vero discordiæ de mente Augustini non ipsius obscuritati, sed quorumdam litigantium arti tribuendæ sunt; qua fit, ut S. Doctor volens nolens per vim, & per machinas ad contrarias partes trahatur. Non ita agit Molina, qui sibi Augustinum nulla ratione favere & aperte vidit, & ingenue confessus fuit.

39. Ceterum si hoc argumentum valet, vide quo serpat: primo & Sanctos Patres alios, Prosperum, Fulgentium, Gregorium M., Bernardum, Angelicum, eodem obscuritatis vitio ubivis laborare dicendum erit; quandoquidem & ipsi a diversarum sectarum, vel Scholarum hominibus ad diversas partes trahuntur. Tum postea obscurum esse dicemus S. Paulum, de cujus mente, non minus quam de Augustini sententia disputatur; ac denique vel ipsas Pontificum, & Conciliorum dogmaticas definitiones obscuritatis accusabimus, cum etiam de genuino earumdem sensu in hac materia lites vigeant immortales.

40. Inst. S. Doctor Lib. I. *Retract.* cap. 25. se imparem fuisse fatetur explanationi epistolæ S. Pauli ad Romanos ac proinde manum ab ea se retraxisse dicit, *ipsius operis magnitudine ac labore deterritum;* atqui tamen in ea epistola totum gratiæ mysterium præcipue continetur. Cap. etiam 18. inquit: *In Scripturis exponendis tyrocinium meum sub tantæ sarcinæ mole succubuit:* obscuritas ergo, quæ in hoc Sancto Doctore invenitur, ipsius imbecillitati tribuenda est.

41. Resp. Id contigisse S. Augustino ante Pelagianæ hæreseos epocham, cum adhuc junior esset, neque mysteria gratiæ profundius edoctus; quapropter quædam tunc minus accurate dicta in laud. *Retract.* loco clarius explicavit. Ceterum quamquam aliis curis distentus opus intermissum explanationis epistolæ ad Romanos nunquam absolvit, ita tamen Ecclesiæ doctrinam, totamque gratiæ œconomiam potissimum ex Apostolo Paulo exposuit, ut Beda, Florus, Victor Tripolitanus, aliique potuerint integros, & omnibus numeris absolutos Commentarios ex Augustini fontibus derivare. Sed operæ pretium est audire Martini V. Summi Pontificis oraculum in *Serm. Transl. Corporis S. Monicæ*. „ Quicumque, *ait*, de Christo, & de religione aliquid saperent, omnibus „ in ore erat Augustinus, ut nihil pene ex sacris „ litteris possit, nisi eo duce intelligi, nihil nisi „ eo interprete explicari ".

42. Obj. tertio. S. Augustinus ipse non semel hunc statuit Canonem: „ ut quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum, & laudatorum „ hominum veluti scripturas canonicas non ha-

„ bea-

„ beamus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum, *addit*, in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum ". Ita in epist. CXLVIII. alias CXI. Vid. etiam epist. LXXXI., alias XIX. Immo in hac ipsa materia de gratia: *Neminem velim*, inquit *de Dono persev.* cap. 19., *sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit.*

43. Resp. hunc Augustini canonem tam verum esse, quam quod maxime, uti aliquem SS. Patrum quidpiam humani passum esse, & cespitasse constiterit; non autem contra, quando eorum doctrina communi Ecclesiæ suffragio, ut veritati omnino consona probata est, immo tanquam regula, & norma in iis ipsis quæstionibus proposita. Jam vero dicant, si audent adversarii, Augustinum de gratia disputantem a vero exorbitasse; si audent inquam, cum Deus eum elegerit hæresis Pelagianæ oppugnatorem, & debellatorem; cum ejus doctrinam omnes catholici orbis Præsules, Præsulumque Conventus suam fecerint: cum demum veluti communibus suffragiis Doctor gratiæ habitus sit. Videant, utrum possit S. Augustinus erroris suspicione infamari, quin infamia in totam Ecclesiam dimanet.

44. Obj. ult. Hihil solemnius Bajanis, & Jansenistis, quam Augustini auctoritatem supra omnes extollere, primumque ei locum post Scriptores Canonicos concedere. Quare ad compescendam eorum audaciam Alexander VIII. hanc propositionem sacro obelo confixit: „ Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam ".. Calvini etiam; atque Lutheri illa vox erat: *Augustinus totus est meus*.

45. Resp. eos plane ridiculos esse, qui quidquid a Bajo, vel Jansenio dictum fuit, veluti mali corvi malum ovum indiscriminatim, & sine ullo delectu execrantur. Numquam tam verus fuit Jansenius, aut Bajus, quam cum Augustini potissimum auctoritati, post sacras litteras, & Ecclesiæ oracula, in controversia de gratia adhærendum esse contendunt. Quod si postea ejus patrocinio incaute ipsi, & alii abusi sunt ad suos errores confirmandos, id eis vitio verti debet, non minus ac iis, qui sacris Scripturis eadem perversitate abutuntur: & horum audaciam dumtaxat Alexander VIII. compescere voluit. Itaque ad S. Pontificis mentem abusus resecentur, sed S. Augustini auctoritas suo loco consistat. Apposite ad rem nostram inquit Facundus Hermianensis in Libro contra Mocianum: „ Quid in hoc miremur? Neque enim melius potuit loqui Augustinus, quam Prophetæ, quam Evangelistæ, quam Apostoli, quorum verbis similiter male intellectis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores ".

PROPOSITIO II.

S. Augustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos pro Christi Gratia decertans a veteri Ecclesiæ traditione nunquam recessit (a).

46. Prob. Nulla esse potest major Religioni pestis, quam novitas; quamobrem ipsas *profanas vocum novitates* vitandas esse Apostolus olim Timotheum monebat I. ad Tim. VI. 20. Sed ab hoc tam pernicioso vitio quamlongissime semper abfuit S. Augustinus, potissimum vero in diuturnis illis, quas cum Pelagianis habuit, concertationibus. Et quidem ipse S. Doctor ab hac sibi impacta calumnia se pluries liberavit, Sanctorum Ambrosii, Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, aliorumque suffragiis in medium adductis (Confer Lib. *de dono persev.*, Lib. II. *Operis imperfecti* cap. 57. &c.) tum præcipue consideratis publicis Ecclesiæ precibus, quibus communis Christianorum fides continetur.

47. Secundo. Tantum abest, ut aliqua novitatis

(a) Hæc propositio est contra nonnullos recentiores, qui antiquam Semipelagianorum crambem recoquentes, Augustinum novitatis accusare non verentur, quasi veteri via relicta, novam in materia gratiæ semitam calcaverit. Ita Jac. Arminius, Hugo Grotius, & ex Remonstrantium grege plerique alii, quibus accedere visus est Richardus Simonius, vir quidem Catholicus, sed in Semipelagianismum nimis propensus. Omnes autem modestiæ cancellos prætergressus est Joannes Launojus in suo opere posthumo a Clemente XI. natalitiis tenebris damnato, cui titulus est: *Veritable Tradition de l' Eglise sur la prédestination, & la Grace;* si tamen hoc impudentissimum opus Launoji fœtus fuit, de quo nonnulli dubitarunt, suspicantes aliquem alium sub Launoji larva latere. Hinc ansam sumpserunt nonnulli Heterodoxi, Ecclesiam variationis in dogmatibus fidei accusandi; quasi Augustini vestigia sequentes ab antiqua priorum sæculorum traditione recesserint. Ita Jac. Basnagius in *Hist. Eccl.* Lib. XXIV. cap. 4. & Jo. Clericus auctor libri, cui titulus: *Sentimens de quelques Théologiens de Hollande sur l' Histoire Critique du Vieux Testament*. Quibus incaute pollicem pressit inter alios quidam Molinista, scriptor operis gallici, cujus hæc inscriptio est: *Le Molinisme sentiment théologique le plus ancien, le plus sur, & le plus raisonnable* p. 108. De quibus omnibus illud repeti potest, quod S. Prosper contra Collatorem cap. 21. dicebat: *Præcipuum in doctrina ecclesiastica virum rabido ore discerpunt, credūntque, se omnia auctoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint... Nec enim possunt alia dicere, quam quæ damnatorum querelis, & procacissimi Juliani sunt vulgata conviciis &c.*

tis suspicione apud Catholicos unquam laboraverit S. Pater, quin potius teste S. Hieronymo ab omnibus habitus fuit, veluti antiquæ restaurator, & defensor fidei. *Macte virtute*, inquiebat Augustinum alloquens epist. ad Ctesiphontem, *in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt, & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.*

48. Tertio S. Cælestinus cum audisset, Semipelagianos in Gallia Augustini jam defuncti manibus procaciter insultare, ejusdem vindicias suscepit; & scribens ad Episcopos Galliæ: *Desinat*, inquit, *novitas incessere vetustatem:* quibus verbis Augustini doctrinam *antiquam* Ecclesiæ doctrinam appellat, contrariam vero *novitatem*.

49. Quarto. Gemina fere habet Gelasius in epist. ad Episcopos per Picenum, in qua graviter corripiendum esse jubet quemdam miserabilem senem, nomine Senecam, Pelagianæ hæreseos restauratorem, quod *beatæ memoriæ Hieronymum, & Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum lacerare contenderet*.

50. Plura alia hujusmodi testimonia afferri possent; sed omnium instar sunt verba S. Fulgentii Lib. II. *De veritate Prædest., & Gratiæ* cap. 18. ubi de Augustini doctrina circa gratiam ita concludit. „ Hæc itaque catholicorum Patrum A- „ postolicis institutionibus tradita permanet in Ec- „ clesiis sine aliqua dubitatione doctrina, quam „ Græci, Latinique Pontifices Sancti Spiritus in- „ fusione firmati, uno, atque indissociabili sem- „ per tenere consensu.

51. Obj. primo. Novam fuisse S. Augustini doctrinam, satis manifeste indicant turbæ illæ, quæ statim ac illa apparuit, in toto ferme orbe catholico excitatæ sunt. Nam in Africa turbati sunt Monachi Adrumetini, & Vitalis Carthaginensis, in Gallia Massilienses, Lirinenses, & plures alii, in Italia Presbyteri quidam Genuenses (*a*).

52. Resp. has turbas non Augustini doctrinæ tribuendas esse, quod aliqui parum modeste fecerunt; sed vel pravæ aliorum intelligentiæ, vel nonnullorum in erroribus contumaciæ. Et si ita ratiocinari liceret, omni plane Ecclesiæ dogmata in Conciliis definita possent novitatis insimulari, quia eorum occasione semper maximæ in Ecclesia turbæ ab hæreticis excitatæ fuere; & errantes perperpetuo conati sunt, non minus quam Semipelagiani, *obstinationem suam vetustate defendere*, ut ait S. Prosper in epist. ad S. Augustinum num. 3. Sed operæ pretium est singula breviter expendere.

53. Et primo turbas aliquas fuisse in Monasterio Adrumetino excitatas ex lectione celebris epistolæ Sancti Augustini ad Sixtum, minime inficior, sed, ut refert Valentinus Cœnobiarcha epist. CCXVI. ad August., quo nemo melius totius rei gestæ causam noscere potuit, nonnisi quidam Monachi, *imperiti, ignari, curiosi, non intelligentes, per rusticitatem suam* contra Augustinum commoti sunt (his eos titulis Valentinus compellat). Non diu tamen hæ turbæ durarunt, sed ex lucubratis a Sancto Augustino duobus libris *de Gratia, & libero arbitrio, & de Correptione, & Gratia*, res ad pristinam tranquillitatem redierunt. De his turbis vid. supra Dist. III. c. 1. Vitalem pariter Carthaginensem S. Doctor ab errore Pelagiano, in quem incaute delapsus fuerat, feliciter ad sanitatem reduxit, data ad eum epist. CCXVII., alias CXII., in qua 12. sententiis totam de gratia doctrinam breviter complexus est.

54. Majores quidem, & diuturniores fuere Gallorum motus, Massiliæ præsertim excitati, ubi nec pauci, nec solo capite censi, Augustini dogmata, veluti antiquæ SS. PP. Fidei contraria, palam aversabantur. Sed quinam in hac controversia fallerentur, tandem rerum monstravit eventus. Nam S. Cœlestinus eos, ut *Novatores*, corripiendos esse mandavit, Augustinum vero, ut veteris doctrinæ assertorem defendendum: *Desinat novitas incessere vetustatem*. Et iterum: *Augustinum sanctæ recordationis virum ... numquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit ... Bene de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus*. Vid. S. Prosper *Contra Collatorem* cap. 21. Gelasius etiam Papa Cassiani, Fausti, & Gennadii opera Apostolico stigmate inussit (*b*). Et tandem peremptorium hisce dissidiis finem attulit Synodus Arausicana II., editis 25. canonibus, quibus propriis ipsius verbis Augustini doctrina consecrata est, & Semipelagianorum error damnatus.

55. Demum Genuenses Presbyteri Camillus, & Theodorus, non tam turbati videntur fuisse ex Augustini doctrina, quasi in contrario versarentur errore, quam excitati desiderio magis in Augustiniana schola proficiendi, quapropter nonnullas difficultates Prospero exposuerunt, ut iis explanatis tenacius Augustino adhærerent.

56. Obj. secundo. Sanct. Prosper, quamquam ju-

(*a*) Ad has turbas digitum intendebat Molina cum in *Concordia* qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro ult. ita scripsit: Augustini doctrina *plurimos ex Fidelibus, præsertim ex iis, qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam*. Latius hanc criminationem prosecutus est Launojus in libro supra memorato.

(*b*) Quis æquo animo ferat hæc Joann. Mariana verba, qui Lib. III. *De morte, & immortalitate* cap. 6. *Video*, inquit, *quæ a Cassiano dicta sunt omnia de gratia, & libero arbitrio, a viris eruditis nostra ætate defendi quasi pietati consona, neque deflexa a fidei regula sancta*. Non ita censuit S. Gelasius Papa.

juratus Augustini discipulus, non potuit tamen non fateri, illius doctrinam esse novam. Ita enim Magistrum allóquitur in sua epist. ad Augustinum n. 8.: ,, Illud enim qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres; quod retractatis priorum hac de re opinionibus, pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt &c. ": nedum ergo nova, sed priorum sententiis opposita erat Sancti Augustini doctrina.

57. Confirm. Sanctus Augustinus Prospero respondens *de Prædest. Sanctorum* cap. 4. videtur minime inficiari, doctrinam suam esse novam; immo sibi a Deo revelatam, inquit enim: *Quam mihi Deus in hac quæstione solvenda .... revelavit;* & rursus cap. 14. *Quid opus est, ut eorum scrutemur Opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? &c.*

58. Resp. ibi S. Prosperum non suam opinionem, sed Massiliensium objectiones exponere, quibus diluendis Augustini opem exposcit; & mirum est, potuisse viris etiam doctis, & gravibus hoc loco fucum fieri (*a*), cum luce meridiana clarius appareat tum ex contextu, tum ex aliis S. Prosperi operibus, nonnisi ex Semipelagianorum mente ea verba esse prolata. Quomodo enim Prosper Augustino novitatem exprobrasset, cum totus semper fuerit, ut hanc novitatis calumniam a Magistro suo depelleret?

59. Ad confirmationem, clarum est, S. Augustinum primo loco, nomine revelationis nihil aliud intelligere, quam rectam Scripturarum interpretationem; inquit enim, se *Apostolico testimonio fuisse convictum, cum de hac re aliter saperet, quam ipsi Deus in hac quæstione solvenda revelavit*, hoc est manifestavit.

60. In alio vero loco hoc solum vult, quæstionem illam, de qua cum Pelagianis agebat, non fuisse a veteribus fuse ac data opera agitatam. Ceterum suam sententiam esse ipsis omnino conformem sexcentis in locis demonstravit, tum adductis eorum testimoniis, tum examinatis communibus Ecclesiæ precibus. Hinc fidenter aliquando dicebat Lib. II. *Operis imperfecti* cap. 37. *Si in Concilio .... sederent Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Jo. Constantinopolitanus, ut alios taceam ... ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant;* & alibi Lib. VI. cap. 21. *Meus præceptor est Cyprianus ... meus est præceptor Ambrosius &c.*

61. Inst. S. Augustinus græce non callebat; contra autem ejus adversarii, Julianus præcipue, erant græcæ linguæ peritissimi; cum vero tunc temporis Ecclesia Græca magna doctrinæ laude floreret, facile potuit Augustinus antiquam semitam ignorare, quam ejus adversarii videbant.

62. Resp. S. Augustinum græcum idioma calluisse, quantum satis erat ad veteres Patres intelligendos; unde sæpe Gregorium, Basilium, Chrysostomum, aliosque laudabat. Immo tantum in ea quoque parte valebat, ut potuerit aliquando Julianum pinguis erroris redarguere, & ad silentium cogere. Cum enim Julianus vel inscite, vel malitiose voce latina *plures* a S. Paulo adhibita Rom. V. 15. uteretur, quæ æquivoca est ad significandos vel multos *absolute*, vel majorem numerum *comparative*, S. Augustinus ad græcos fontes recurrens, *non pronunciat plures*, inquit, *sed multos. Græce locutus est*, πολλοὺς *dixit non* πλείους: *lege, & tace*. Nec semel id fecit Augustinus, sed multoties, ut ostendit Bossuetus *Defense de la Tradition*. Lib. VII. c. 5. Quamquam si etiam S. Doctor Græcos Patres non vidisset, ex communibus tamen Ecclesiæ precibus de antiqua Traditione certus esset (*b*).

63. Obj. ult. Augustinum novam semitam calcasse in mysterio Gratiæ explicando, visum est pluribus viris Catholicis, qui propterea sibi religioni minime duxerunt ab eo recedere. Inter illos recensentur Claudius Sanctesius, Ambrosius Catharinus, Petrus Auratus, Albertus Pighius (*c*), Stapletonius & Card. Sadoletus.

64. Resp. hos, & paucos quosdam Augustini minus æquos æstimatores male apud ceteros, hac potissimum de causa semper audivisse. Iis opponimus spissam veluti nubem aliorum, qui maximi semper, ut decet, Augustini doctrinam fecerunt. Opponimus Pontifices numero plus quam 30., qui S. Doctorem supra ceteros omnes Sanctos Patres, sive latinos, sive græcos extulerunt, & præconiis exornarunt. Opponimus Concilia, præcipue Arausicanum, & Tridentinum, quæ sua decreta contra Pelagianos, & Prædestinatianos ipsis Augustini verbis proposuerunt. Opponimus uno verbo totam Ecclesiam, cujus *os, & lingua* meri-

(*a*) Hallucinatus est in hac re Tournelius. *De Prædestinatione*, & ante eum Joann. Martinez de Ripalda Tomo III. *De ente supernaturali* Disput. 23., num 84. Contra hunc postremum prodiit liber, cui titulus: *Vulpes captæ per Theologos S. Facultatis Academiæ Lovaniensis*. Decreto Sacr. Congreg. die 23. Aprilis 1654. prohibitus, in quo tam crassus error ei inurbanius exprobratur.

(*b*) Bossuetus *dans l' Instr. sur la version du N. T. de Trevoux* Tom. II. Opp. p. 473. edit. Paris. 1743. ostendit, etiam sine profunda linguarum Orientalium cognitione posse antiquam Ecclesiæ doctrinam, & traditionem perfecte cognosci, additque hanc linguarum scientiam homines plerumque reddere magis vanos, quam sapientes, & prudentes: *qui rend ordinairement les hommes vains plutot, que sages, & judicieux*.

(*c*) Academia Lovaniensis in sua *Censura* an. 1587. Albertum Pighium vocat *fautorem, & socium Semipelagianorum*.

rito fuit S. Augustinus appellatus sup. n. 16., quæ omnia vel ignorasse, vel nihili fecisse Augustini detractores, mirandum, ac dolendum est.

PROPOSITIO III.

Sanctus Augustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos de gratia disputans, excessus insimulari non potest (*a*).

65. Prob. primo. S. Augustini doctrina de gratia fuit a Summis Pontificibus, a Conciliis, a tota Ecclesia unanimi calculo semper recepta, & probata. *Noverint*, inquiebat Sanct. Prosper ep. ad Ruffinum cap. 3. de Semipelagianis loquens, *qui occultis susurrationibus* (ut etiam nostro ævo quidam solent) August. „ obloquebantur, noverint Romanam, Africanamque Ecclesiam, & per „ omnes mundi partes universos promissionis filios „ cum doctrina hujus viri, sicut in tota fide, ita „ in gratiæ confessione congruere ". Ulterius, ut vidimus supra n. 16. S. Pontifex Horsmidas quid *de libero arbitrio*, non minus quam *de Gratia*, *Romana*, *idest Catholica sequatur Ecclesia*, *ex libris Sancti Augustini cognosci posse*, dicebat; & Ecclesia ipsa Synodi Arausicanæ decreta de gratia, & libero arbitrio ipsissimis Augustini verbis expressa probavit; Synodus autem Tridentina, ut recte Petavius observat *de opere sex dierum* Lib. IV. c. 5. n. 9. post Canonicas Scripturas, *ab Augustino*, *tamquam a fonte & sentiendi de libero arbitrio formam*, *& loquendi regulam accepit*. At vero neque Augustini doctrinam omnino adoptasset, multoque minus ejusdem verbis ad fidei dogmata condenda usa fuisset Ecclesia, si aliquid minus accuratum, aut disputationis fervore, per auxesim & emphasim prolatum invenisset.

66. Præterea cum hunc ipsum excessum Semipelagiani Augustino exprobrarent, S. Cœlestinus Roman. Pontif. eos corripiendos esse præcepit; auctor vero Capitulorum ejusdem Cœlestini epistolæ adnexorum productis Ecclesiæ Romanæ, & Africanæ authenticis documentis hanc objectionem omnino exsufflavit; & dissipavit. Ita enim exorditur: *Quia nonnulli*, *qui catholico nomine gloriantur ... piissimis disputatoribus obviare præsumunt .. & Magistris nostris* (Augustino, ejusque discipulis) *tanquam necessarium modum excesserint*, *obloquuntur &c.* Et postea quid in hac materia credendum ab omnibus sit, decem capitulis exponit, quæ nonnisi Augustini doctrinam ab Ecclesia adoptatam, ac propriis ejusdem verbis expressam comprehendunt. Non igitur licet, iterum S. Doctorem excessus accusare, postquam jam ab initio reprehensi, & refutati sunt, qui id primo tentarunt.

67. Accedit, quod Augustinus ipse hanc sibi a Juliano impactam calumniam erudite pro more suo, & invicte excussit, ut videre est in Lib. II. *de nuptiis*, *& concupisc.* cap. 3. At vero ea erat humilitate Augustinus, ut quando in nonnullis aliis materiis se minus accurate locutum fuisse deprehendit, spongiam adhibere non erubuerit, ut patet ex duobus ipsius libris *Retractationum*, in quibus plurima quidem inveniuntur, aut retractata, aut clarius explicata, quæ contra Manichæos ante Pelagianæ hæresis ortum ipsi minus caute ex calamo exciderant, nihil autem prorsus ex iis, quæ contra Pelagianos tam multa pro gratiæ defensione scripsit, si duo levissima excipias, & quæ ad rem nostram non faciunt; scilicet librum, quem Sixto Pontifici adscripserat, Pelagii fidem secutus, Sexto Philosopho tribuendum esse cognovit; & nomen aliquod tamquam certum posuit, cum esset incertum Lib. II. *Retractationum* c. 42. & c. 63.

68. Demum diligentiæ & accurationis Sanct. Augustini testes non paucos, eosque gravissimos afferre possumus. Agatho R. P. eum vocat *Doctorem præstantissimum*, *& veritatis prudentissimum prædicatorem* in epist., quæ extat Act. 4. Synodi VI. Julianus Pomerius ipsum laudat tamquam *in revincendis hæreticis ciscumspectum* Lib. III. *de vita contemplat.* cap. 14. Cassiodorus Sæc. VI. scriptor „ Augustinus, inquit Præf. Comment. „ in Ps., litterarum omnium magister egregius, „ *& quod in ubertate rerum est*, *cautissimus* „ *disputator*. Decurrit quippe tanquam fons purissimus, nulla fæce pollutus, sed in integrita„ te fidei perseverans, nescit hæreticis dare, un„ de se possint aliqua colluctatione defendere. *To„ tus Catholicus*, *totus orthodoxus invenitur* ". S. Remigius Augustinum locutum fuisse dicit *juxta Scripturæ veritatem*, *& præcedentium Patrum venerandam auctoritatem* (*de tribus epist.* cap. 4.)

&

(*a*) Hæc propositio est contra plures recentiores, qui Augustini auctoritate pressi, ejusdem verba, utpote per excessum prolata, emollienda esse dicunt, quæ via commodissima est Molinistis, ut Augustinum suæ Scholæ concilient. P. Annatus Lib. VIII. sui *Augustini* cap. 2. ipsum *excessisse dicit lineas necessariæ veritatis*, *ut sit nimia quædam severitas*, *& iniqua vexatio*, *quæ medium illud*, *in quo veritas sedet*, *transgredi jubet*, *si præeat Augustinus*. P. autem Adamus in suo *Calvino destructo* hunc capiti 7. præfigit titulum: *S. Augustinum permisisse se nimium abripi æstu disputationis contra Pelagianos*, *& longius quam volebat*, *prætergressum esse*; alibi enim ipsum vocare ausus est: *L' Africain echauffé*, *le Docteur bouillant*. Fuit autem castigatus quondam libello, cui titulus: *Defense de S. Augustin contre les erreurs*, *les calomnies*, *& les invectives scandaleuses &c.* Idem crimen Augustino impingunt Hugo Grotius *Hist. Belg.* Lib. XIII. p. 551. Desid. Erasmus Præf. in S. Hilarium, & alibi (quamquam in Præf. ad Libros *De Civitat. Dei* melius de S. Augustino sentiens, quæ prius male de ipso scripserat, corrigere visus est), Jo. Martinonus in *Anti-Jansenio* Sect. 6. n. 64., Stephanus De Camps, aliique.

& Lupus Servatus Quæst. II. n. 52. Sanct. Doctoris librum *de dono perseverantiæ*, quem moderni critici præ ceteris excessus accusare solent, *exactissimum* appellat. Confer Natalem Alexandrum Sæc. V. cap. 4. art. 3. §. 11.

69. Obj. primo. Non est insolens, ut SS. Patres, etiam cautiores, æstu disputationis abrepti, ita unum errorem impugnaverint, ut in alium oppositum deflectere visi sint. Ita accidisse etiam S. Augustino testes sunt omni exceptione majores SS. Thomas, & Bonaventura, quorum alter Quæst. V. de malo art. 2. explicans aliquod testimonium S. Fulgentii in libro *de Fide ad Petrum* (quem librum esse Augustini Angelicus Doctor putabat) dicit, nomen *supplicii* ab Augustino adhibitum ad explicandam pœnam parvulorum sine Baptismo decedentium, *esse accipiendum large*, ut ponatur species pro genere. S. autem Bonaventura illud ipsum testimonium expendens, & similiter putans esse S. Augustini, *plus dixit*, inquit, *minus volens intelligi*, in Lib. II. *Sent.* Dist. 33. qu. 2. art. 2. ergo &c.

70. Resp. Quamquam concedatur, aliquos ex SS. Patribus æstu disputationis abreptos, ita unum errorem confutasse, ut in alterum oppositum declinare viderentur, quando hic secundus nondum erat exortus, non tamen quando veritatem catholicam a duabus sibi contrariis hæresibus oppugnatam defendebant. Unde sequitur, id minime contigisse S. Augustino, quando disputavit cum Pelagianis: tunc enim adhuc supererant Manichæi, contra quos liberum arbitrium defendere cogebatur, quo fiebat, ut quasi inter saxum, & sacrum positus cautissime incedere deberet, ne scilicet, si plusquam par est, gratiæ tribueret, læsis arbitrii viribus, triumpharent Manichæi, & contra victoriam canerent Pelagiani, si viribus liberi arbitrii nimium concederetur.

71. Hoc vidit S. Augustinus ipse, ac propterea unumquemque monitum voluit Lib. IV. ad Bonifacium cap. 3., *ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita se sejungat a Pelagianis, ne se conjungat Manichæis*. Hinc Sanct. Thomas, utpote in operibus S. Augustini diligentissime versatus, observavit in Præf. ad Opusc. contra Græcos, aliqua S. Augustino minus accurate excidisse, dum contra Manichæos disputaret, *quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani*; quia scilicet, quando Augustinus in initio Manichæos exagitabat, nondum Pelagiana hæresis eruperat. Sed postea nihil addit Angelicus, quo vel leviter indigitetur, simile quid ipsi accidisse, cum adversus Pelagianos disputaret (*a*), quia videlicet tunc intra duas contrarias hæreses positus, quasi intra oppositos scopulos, *cautissimus disputator* incedere debebat.

72. Quod vero adversarii addunt ex SS. Thoma, & Bonaventura, ad hanc de gratia materiam non spectat, sed ad pœnam parvulorum, in qua si etiam Augustinus excessisset, non posset inde colligi, excessisse quoque, dum agebat de gratia, propter discrimen jam allatum; quia ita cum Pelagianis de peccato originali, ejusque pœna disputabat, ut ex altera adversarios nullos haberet. Ulterius adhuc sub judice lis est, an sententia SS. Augustini, Fulgentii, aliorumque plurimorum tum veterum Patrum, tum recentiorum Theologorum de sensibili pœna ignis infantibus sine Baptismo decedentibus inflicta, excessus, & erroris accusari possit, an potius contra, ut omnino vera, & Scripturis, ac Conciliis maxime consentanea haberi debeat. Vide nostrum Tom. IV. Sect. III. Diss. III. cap. 8. Tandem modo certum omnibus est, librum *de fide ad Petrum* non Augustini esse, sed Fulgentii, ac propterea excessus, seu potius exaggerationis nota, quam allato illius libri testimonio SS. Thomas, & Bonaventura inurunt, non in Augustinum cadit, sed in Fulgentium.

73. Inst. Non pauci, nec infimi subsellii Theologi Augustinum excessus accusant. Cajetanus in I. Part. S. Thomæ qu. 70. art. 3. *Quando contra Averroem*, inquit, *erat sermo, fas erat declinare, ut Augustinus contra Pelagianos facit*. Sixtus Senensis in Præf. Lib. V. *Biblioth. Sanctæ* Augustinum ait, *minus interdum tribuere, quam par sit, liberæ hominis voluntati*. Genebrardus etiam alicubi testatur, ipsum fuisse *interdum iniquiorem libero arbitrio*. Idem non pauci alii.

74. Resp. Istos omnes minus considerate ita de maximo Ecclesiæ Doctore scripsisse, quibus satis est Sanct. Hormisdam Pontif. opponere, qui in epist. ad Possessorem aperte declarat: „ de arbitrio „ libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est „ Catholica, sequatur, & servet Ecclesia, ex va-„ riis

(*a*) Falluntur oppido Constantinus Roncaglia animadvers. in Nat. Alexandrum Sæc. V. cap. 4. art. 3. §. 11. & P. Claudius la Croix *Theol. Moral.* Tom. I. n. 212. dum testimonium S. Thomæ proferunt, quasi ita prosequatur: *E contra dum oppugnat Pelagianos, videtur libertatem evertere*; cum nihil tale habeat Angelicus Doctor. Immo expresse observat, S. Patres cautius fuisse locutos, postquam hæreses exortæ fuerunt, & singillatim exemplum affert S. Augustini, qui exorta hæresi Pelagiana cautius de liberi arbitrii viribus locutus est: inquit enim in proœmio Opusc. I. contr. errores Græcorum: *Errores circa Fidem exorti occasionem dederunt SS. Ecclesiæ Doctoribus, ut ea, quæ sunt fidei, majori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos, sicut patet quod S. Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinæ essentiæ, sicut Doctores sequentes; & simile de aliis contingit erroribus, quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse apparet: nam in suis libris, quos post exortam hæresim Pelagianorum edidit, cautius locutus est de potestate arbitrii, quam in libris, quos edidit ante prædictæ hæresis ortum.*

„ riis libris Beati Augustini, & maxime ad Pro-„ sperum, & Hilarium abunde posse cognosci ". Quod si recentiorum Theologorum auctoritate pugnandum esset, paucis Augustini detractoribus integram plane aliorum phalangem opponere possemus, qui ipsum pro meritis laudibus usque ad sidera extulerunt. Vid. Witasse Tomo I. qu. 12. art. 1. Sect. 2. prob. 5.

75. Obj. secundo. Augustinus contra Pelagianos de gratia disputans, ab iis opinionibus recessit, quibus antea ipse adhærebat; atqui id tribui non potest, nisi disputationis fervori, quo abreptus longius ferebatur, quam deceret, aut vellet. Vel fortasse etiam id egit, ut ita facilius errantes Pelagianos ad veritatem reduceret, sicuti qui incurvatum ramum ad rectam lineam redigere vult, in oppositam partem inflectere solet. Hinc Critici non pauci putant Augustini doctrinam, & mentem multo rectius colligi ex iis libris, quos ante exortam Pelagianorum hæresim pacato animo conscripsit, quam ex aliis subsequentibus, quos in contentionis æstu exaravit. Ita Grotius *Histor. Belg.* Lib. XVII. Richard. Simonius *Hist. Critiq. des comment. &c.*

76. Resp., Augustinum palinodia nonnunquam recantata suas opiniones mutasse, sed proficiendo, erroribus nempe depositis, in quos humana infirmitate aliquando & ipse lapsus est, quod multis exemplis ex duobus *Retractationum* libris ostendi posset. Sed quantum, ad rem nostram attinet, acute pro more suo observavit Bossuetus *Def. de la Trad.* Lib. VI. cap. 10. & seq., quatuor veluti status S. Augustini distinguendos esse.

77. Primus est statim post ejus conversionem, in quo difficili hac quæstione ne quidem examinata, communibus Ecclesiæ precibus sufficienter edoctus, recte, saneque de gratiæ necessitate, gratuitate, & efficacia sentiebat, quo patet vel ex illis solis verbis, quæ in *Soliloquiis* non multo post conversionem suam elucubratis habet Lib. I. cap. n. 2.: *Præstat mihi primum, ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum, quem exaudias; postremo ut liberes*, quibus nihil luculentius pro gratiæ commendatione desiderari potest.

78. Alter Augustini status fuit, cum expositionem Epistolæ ad Romanos auspicatus, re non mature discussa, in errorem incidit, putans fidem, qua cetera impetrantur, non esse donum Dei, quia ut ipse fatetur *de prædest. Sanctorum* cap. 3., *nondum diligentius quæsierat, nec adhuc invenerat, qualis sit electio gratiæ*.

79. Non diu tamen in hoc erroris statu moratus est, sed sui Episcopatus initio, occasione aliquarum quæstionum sibi a Simpliciano Mediolan. Antistite propositarum, re maturius perpensa, ad veram, & Catholicam de gratia sententiam pervenit, & hic tertius fuit Augustini status ante hæresis Pelagianæ epocham.

80. Quartus demum ille est, in quo S. Doctor Pelagiana hæresi exorta majorem huic quæstioni operam dedit, tantumque Deo miserante profecit, ut unanimi omnium suffragio fuerit Antesignanus catholicæ militiæ constitutus, *quo duce*, ut inquit S. Prosper init. *Lib. advers. Collatorem*, *viginti annorum spatio Catholicæ acies dimicavit, & vicit*. Hinc tantum abest, ut ex his mutationibus Augustinus possit excessus accusari in postremis libris ab eo elucubratis, ut potius veram, & accuratam ipsius doctrinam nonnisi ex illis haurire debeamus. Nam de se ipso non minus ingenue, quam humiliter dicebat *de dono persev.* cap. 21.: *Proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, tamen a perfectione cœpisse*.

81. Ceterum S. Augustinus, ut hanc a se suspicionem alicujus novitatis, vel saltem excessus amoveret, c. 12. *de dono persev.* totus est, ut pluribus recensitis suis operibus, antequam Pelagiana hæresis appareret, elucubratis, ostendat se eamdem prorsus de gratia sententiam tenuisse, quamquam non eadem ubique perspicuitate ipsam explicaverit. Rami autem curvi exemplum non multum valere existimo; nam homines errantes facilius ab errore revocamus, si vera sententia, quoad fieri potest, emolliatur, quam si per excessum exaggerando multo ipsis durior commonstretur.

82. Hanc S. Augustini defensionem pro nostro instituto satis longam, sed pro rei dignitate, ac pro nostra erga tantum Doctorem pietate omnino brevem, verbis S. Prosperi concludo. Et primo contra eos, qui Augustini doctrinam carpere audent, dicere me posse confido (*Adv. Collatorem* cap. ult.): „ Sufficienter, ut arbitror, demonstra-„ tum est, reprehensores S. Augustini & vana ob-„ jicere, & recta impugnare, & prava defende-„ re; peremptorumque armis intestinum bellum „ moventes, dictis divinis, atque humanis consti-„ tutionibus rebellare. Quorum tamen, dum ad-„ huc non sunt a fraterna societate divisi, tole-„ randa magis est intentio, quam desperanda con-„ versio ". Post autem ad unumquemque Auditorum meorum conversus, cum eodem S. Prospero epist. ad Ruffinum in fine, ita peroro: „ Tu au-„ tem, dilectissime frater, si vere de his quæstio-„ nibus (*de gratia*) instrui desideras, sicut de-„ siderare te convenit, ipsis B. Augustini dispu-„ tationibus cognoscendis impende curam, ut in „ confitenda Dei gratia defæcatissimam, ac salu-„ berrimam evangelicæ, apostolicæque doctrinæ „ intelligentiam consequaris (*a*). "

PRO-

(*a*) Qui plura desiderat, adeat Card. Henricum Noris in *Vindiciis Augustinianis*, Jac. Hyac. Serry in *August. Vindicato*. Jac. Benignum Bossuet *Defense de la tradition, & des SS. Peres*, Carol. Moreau *Defense de S. Augustin., & des Augustiniens*, Librum inscriptum *Refutation des Critiques de M. Bayle sur S.*

PROPOSITIO IV.

Ab Augustino non est sejungendus fidelis ejus discipulus S. Thomas Aquinas; adeoque hujus etiam in quæstionibus de gratia permagni facienda est auctoritas.

83. **P**rob. hæc propositio ex Brevi, quod Alexander VII. per Christianum Lupum ad Theologicam Facultatem Lovaniensem eo tempore transmisit, quo disputationes de gratia magno animorum æstu fervebant. Ibi enim S. Thomam cum Augustino conjungens: „ De reliquo, *inquit*, non dubitamus, quin vos ... præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata semper, ut asseritis, ac impense revereri velitis. Quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingenia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent ". Similiter etiam Innocentius XII. in altero Brevi ad eosdem Lovanienses utrumque Doctorem suis præconiis conjungit. *Profitentes*, inquit, *sicut asseritis, doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini, & Thomæ &c.* Vid. sup. num. 35. Iisque antiquior Urbanus V. in ep. ad Tholosanos Prædicatores. 1310., eo nomine potissimum S. Thomam Aquinatem commendat, quod B. Augustini vestigia secutus fuerit, unde maxime patet, non esse S. Thomam ab Augustino ullatenus sejungendum.

84. Sed præterire non possum aurea illa verba, quibus non ante multos annos Bened. XIII. ita suos Dominicanos alloquitur in Brevi an. 1724. „ Magno animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac de prædestinatione ad gloriam absque ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino, & Thoma se hausisse Schola vestra commendabili studio gloriatur ". Quod suum *Breve*, ut vocat, una cum aliis omnibus suorum Prædecessorum Constitutionibus in laudem, & commendationem doctrinæ Sancti Thomæ editis, iterum confirmavit in alia solemni sua Constitutione *Pretiosus* anno 1727.

85. Frustra autem sunt, qui hujus Pontificii oraculi vim elevare nituntur, eo quod Benedictus XIII. in Dominicanorum Familia educatus, & Thomisticæ doctrinæ lacte quasi enutritus fuerit. Si enim semel auctoritatem Summorum Pontificum eludere incipiamus sub studii partium prætextu, nullum erit tam solemne ab illis pronunciatum decretum, quod simili cavillatione non possit labefactari. Et ulterius Clemens XII., in quem nulla similis suspicio cadere potest, in sua Constit. *Verbo Dei* ann. 1733. & in litteris *Apostolicæ Providentiæ* eodem anno laudes a Benedicto XIII. aliisque multis Pontificibus, quos recenset, Sancto Thomæ tributas, iterum confirmavit.

86. Nimis vero excresceret oratio, si omnia, quibus a Romanis Pontificibus fuit Sanct. Thomas exornatus, elogia recensere vellem. Unum tamen recentissimum sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. præterire nolo, quo nihil illustrius desiderari potest. Nam in Oratione habita in generalibus Ordinis nostri Comitiis, quibus ann. 1756. ipse præfuit: „ Hoc profitemur, *inquit*, nullo unquam tempore evenire potuisse, ut e memoria nostra dilaberetur Theologorum Princeps, Scholarum Angelus, Ecclesiæ Doctor, præclarum Ordinis vestri Sidus, S. Thomas Aquinas, cujus doctrinæ complures Romani Pontifices prædecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum etiam nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus, atque perspeximus, admirabundi semper, atque lubentes eidem adhæsimus, atque subscripsimus, candide profitentes, si quid boni in eisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Præceptori totum esse adscribendum ". Vid. P. Touron Lib. V. *De la vie de S. Thomas d'Aquin*.

87. Addi possunt hæc Suarezii verba (Prolog. VI. *de Gratia* cap. 6.) „ Div. Thomas, sicut in explicandis fidei mysteriis Scholasticis Theologis antefertur, & primis Ecclesiæ Patribus comparatur, ita in illustrandis difficillimis de gratia, & libero arbitrio controversiis ipsi Augustino supparem reputamus ". Etiam in ipsius officio in Brev. FF. Prædicat. habetur hæc Antiphona: *Collaudetur Christus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Ecclesiæ mundum replet doctrina gratiæ.*

88. Obj. primo. Sanctus Thomas citat verba Pelagii, tamquam verba Sancti Hieronymi in *Expositione Symboli ad Damasum* in II. Dist. 28. quæst. 1. art. 3., & alibi. Etiam studiosissimus erat Cassiani *Collationum* (ut patet ex Lect. Breviarii prima die infra ejus octavam.), in quibus tamen contineri Semipelagianum virus, nemo ignorat.

89. Resp. ad primum, levem hunc esse in arte critica lapsum, cujus subsidio temporibus S. Thomæ nondum veri & genuini libri a supposititiis accurate distincti erant. Ceterum propositio ibidem a S. Thoma laudata hæc est: *Qui Deum dicit præcipere impossibilia, anathema sit;* quæ secundum obvium, & externum sensum nihil mali continet, immo ut plane catholica fuit in Concilio Trident. consecrata; quisquis postea fuerit inter-

Augustin, & alium, qui nuper prodivit cum hoc titulo: *L'autorité de S. Augustin, & de S. Thomas dans l'Église Catholique établie par la Tradition du temoignage perpetuellement rendu à leur doctrine.*

ternus Pelagii sensus, quem homo versipellis non semper patefaciebat; unde etiam S. Augustinus multo labore venenum in ejus libris latens se detexisse fatetur *De Gratia Christi*. Vid. Diss. I. num. 42. *Collationibus* autem Cassiani utique delectabatur Angelicus, propter multa, & illustria, quæ in iis reperiuntur, virtutum exempla; propter quæ etiam apud omnes fere pietatis cultores magno semper in pretio habitæ sunt. Sed Sanct. Doctor, qua pollebat in rebus theologicis peritia, novit aurum a falsæ doctrinæ scoria separare. Ita etiam Cassiodorus Cassiani lectionem commendans, monebat suos Monachos, ut eum de libero arbitrio *excedentem sub cautela legere deberent* (*Inst.* cap. 29.).

90. Obj. secundo S. Thomas circa gratiam primi hominis est Augustino omnino contrarius.

91. Resp. S. Thomam nullatenus deserere in hac quæstione S. Augustinum, sed ipsum congruenter ad alia ejusdem testimonia, & principia explicare. *Et nisi*, inquit Estius in Lib. I. *Sent.* Dist. 41. §. 14. a *Sancto Thoma insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus*, *difficillimum erit*, *ac ne possibile quidem*, *Augustinum sibi ipsi conciliare*. Sixtus Senensis Lib. IV. *Biblioth. Sanct.* p. 483. inquit, S. Thomam *ita mentem S. Augustini*, *& omnes reconditos sensus introspexisse*, *exhausisseque*, *ut juxta Pithagoræ μετεμψύχωσιν communi doctissimorum omnium adagio jactatum sit*, *Augustini animam migrasse in Thomam*.

COROLLARIUM.

92. Si in hac controversia de gratia permagni facienda est auctoritas Ss. Augustini, & Thomæ, probanda etiam erit doctrina de gratia per se, & ab intrinseco efficaci, quam duæ celeberrimæ Scholæ Augustiniana, & Thomistica omni conatu propugnant. Id patet primo, quia Pontifices supra laudati Alexander VII. & Innocentius XII. haud obscure Lovanienses commendarunt, quod doctrinam Ss. Augustini, & Thomæ sectarentur (*Sup.* n. 24. & 25.); atqui illi fuerunt semper gratiæ per se, & ab intrinseco efficaci strenui & invicti defensores. Clarius autem, & ita ut nihil magis desiderari possit, id expressit Benedictus XIII. in suo Brevi *Ad demissas preces* (Sup. n. 84.). Præterea suprema Congregatio Cardinalium fidei Quæsitorum, præside Innocentio XII., proscribenda decrevit nonnulla Opuscula Adriani Van Wyck, quia censurabat *Communem Ss. Patrum*, *& Theologorum sententiam de gratuita prædestinatione*, *& gratia per se efficaci* (sunt ipsissima verba Censorii decreti): & cum Adrianus fasces submittere detrectaret, oblato etiam supplici & apologetico libello, iterum damnatus fuit, & ad obedientiam coactus. Vid. P. Jac. Hyac. Serry *Hist. de Aux.* Lib. I. cap. 15., & Index Lib. prohibit. voce *Wyck*.

93. Sed nec prætereunda est insignis illa Thomisticæ Scholæ commendatio Clementis XII. Pontif. Max., qui singularibus privilegiis eos exornatos voluit, qui apud FF. Prædicatores Theologiæ operam navarent, idque, ut ipse dicit, ad amplificandum sub tanto Magistro (D. Thoma Aquinate) „ probæ, incorruptæque doctrinæ studium „ inter juvenes divino famulatui per sacratiores „ disciplinas additos *Const.* Verbo Dei 28. *Augusti* 1733."; quamquam enim hæc doctrinæ Thomisticæ commendatio generalis est; cum tamen nemo ignoret, sententias de gratia efficaci &c. esse unum ex peculiaribus ejusdem Scholæ characteribus; hinc merito inferri potest, etiam peculiari titulo hasce ipsas sententias fuisse a supremo Pontificis Oraculo commendatas.

94. Unum duntaxat est, quod Æmuli Thomisticæ Scholæ insusurrare solent, ejusdem videlicet decreta de gratiæ efficacia, &c. a vera, & germana sanctissimi atque Angelici Præceptoris mente procul abesse. Veruntamen quam falsa sit hujusmodi accusatio, luculenter inferius me demonstraturum esse confido. Interim tamen observo, parum verisimile videri, voluisse Pontifices singulares illas laudes, quibus S. Thomam exornarunt, etiam ad Thomisticam Scholam extendere, si ulla suspicio esset, eam a sui Præceptoris mente in re tanti momenti aberrare. Immo non dubito, nostram Scholam fuisse & elogiis, & privilegiis ea potissimum de causa distinctam, quod a vestigiis sui Magistri, sicut in aliis, ita in hoc doctrinæ capite, ne transversum quidem unguem ullo unquam tempore recesserit.

95. Demum liceat mihi in rem meam aliquem canonem usurpare, quem alia occasione Grotius proponit *de Verit. Relig. Christ.* Lib. II. §. 17.; ut illam nempe tanquam germanam alicujus Magistri doctrinam habeamus, quam unanimiter ejusdem Discipuli ipsi attribuunt; „ Sicut, *inquit*, „ Platoni, Xenophonti, aliisque Socraticis credimus „ de dogmatibus Socraticis; & Stoicorum Scholæ „ de iis, quæ Zeno tradidit". Cur ergo pari ratione non etiam Thomistis habenda fides erit, cum longa quingentorum annorum serie germanam S. Thomæ doctrinam a Patribus veluti per manus ad filios, & nepotes derivatam se tradere profitentur? Sed id postea clarissima in luce ponetur.

CAPUT II.

De variis Scholarum opinionibus circa Gratiam efficacem.

96. Haud tantas puto fluctuum agitationes habere Euripum, quantas perturbationes, & quantos æstus isthæc de gratiæ efficacia quæstio excitavit. Certe nusquam in Scholis majori animo, aut contentione certatum est: in hoc quippe summa illa & capitalis, quæ a duobus circiter sæculis exorta est Thomistas inter & Molinianos, controversia consistit, quam tamen nos declinata omni rixandi

di libiline, sobrie, temperanterque tractabimus.

97. Constans & vetus Thomistarum opinio fuit, omnem causam secundam ita a Deo in omni sua operatione *essentialiter* dependere, ut nec minimum quid boni agat, sive in naturali, sive in supernaturali ordine, quin ab ipso determinetur, moveatur, atque actioni applicetur. „ Deus, *inquit S. Thomas* (quæst. 5. *de potentia* art. 7.) est causa actionis cujuslibet, inquantum dat virtutem agendi, & inquantum conservat eam, & inquantum applicat actioni, & inquantum ejus virtute omnis alia virtus operatur ". Hinc physicam præmotionem ad omne opus necessariam esse, communiter duce Angelico statuunt (Vid. Massouliè *D. Thomas sui interpres de divina motione*).

98. Sed quantum ad opera salutaria & pia ordinis supernaturalis motionem pariter *physicam* (hoc est non metaphoricam, neque moralem, seu objectivam, sed veram, & propriam) necessariam esse docent, quæ tamen altioris est ordinis, quamque gratiam nominant *ab intrinseco*, *natura sua*, *& per se efficacem*. Hæc a Sancto Augustino definitur Lib. IV. ad Bonif. cap. 5. num. 11. *Inspiratio dilectionis*, *ut cognita sancto amore faciamus*; ab Angelico autem Quæst. XXIV. *de veritate* art. 14. „ Misericordia Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem ".

99. In eo, qui nunc est, naturæ lapsæ statu hujus gratiæ necessitatem duplici ex capite repetunt, nempe & titulo dependentiæ a Deo, ut causa secundæ primæ subordinetur, nedum in potentia, sed etiam in actu operandi; & insuper propter multiplex vulnus nobis per peccatum primi parentis inflictum. Præter hanc gratiam per se, & ab intrinseco efficacem aliam agnoscunt Thomistæ, quam *sufficientem* appellant, quæque ex vi sua actum pium, & salutarem, ad quem datur, efficere potis est, sed malitia, & perversitate voluntatis humanæ impeditur, & extinguitur, ac proinde eo effectu caret, quem habere posset.

100. Porro in his duobus veluti cardinibus mira est omnium Thomistarum, & perfecta consensio; sed in modo exponendo, quo gratia vel efficax sit, vel tantum sufficiens, aliqua est inter ipsos dissentio; verum ut demonstrat Massouliè (T. II. Diss. III. quæst. 6. art. 6.), hæc potius in verbis, quam in rebus, sita esse videtur. Ego vero post doctissimum Thomam de Lemo, qui in celeberrimis Congregationibus *de Divinis auxiliis* pro defensione Thomisticæ sententiæ strenue, feliciterque pugnavit, ita rem totam explico.

101. *Primo*. Nomine gratiæ efficacis intelligitur illud auxilium, quo Deus non solum veras tribuit animæ vires bene operandi, sed etiam voluntatem determinat, ut actu bonum velit, & operetur. *Secundo*. Hoc auxilium Dei proprie non est qualitas; nam S. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 2. loquens de gratia, „ qua anima hominis movetur a Deo, ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum; & hoc modo, *inquit*, ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ; actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur in tertio Physic. (*a*) ". Est ergo gratia efficax motio quædam virtuosa, in ordine supernaturali, cujus duplex est munus; alterum illustrandi intellectum, ne erret in proponendo falsum, & apparens bonum pro vero; alterum, illudque præcipuum, voluntatem determinandi, ut Deo vocanti consentiat: ac propterea S. Thomas mox laudatus, ne alterutrum munus excluderet, dixit gratiam esse *motum animæ*.

102. Hæc motio virtuosa, qua Deus hominis voluntatem ad bene operandum determinat, haud recte ab aliquibus ponitur in motibus ejusdem voluntatis indeliberatis, qui a gratia *excitante* proveniunt (*b*). Sed constituenda est in gratia, quæ dicitur *adjuvans*, & qua Deus voluntatem inclinat, & determinat ad consentiendum indeliberatæ motioni a gratia excitante productæ, ita ut primo concipiamus, per gratiam excitantem intellectum illustrari, & applicari ad bonum supernaturale cognoscendum, & voluntatem excitari, ac moveri ad illud appetendum; qui motus sunt indeliberati: potest autem voluntatem libere moveri, inclinari, & determinari ad consensum, quo libere velit illud bonum, & operetur; determinari, inquam, non *metaphorice*, aut *moraliter* tantum, sed *physice*, hoc est efficienter, vere, & proprie; & hoc munus est gratiæ adjuvantis, & cooperantis, quæ proprie est gratia prædeterminans, seu, ut vocari solet, *suapte natura efficax*. Non tamen hæc ita accipienda sunt, quasi gratia excitans sit a gratia adjuvante reipsa, seu natura sua distincta: sed ipsa gratia excitans a Deo immissa ex efficaci voluntate convertendi peccatorem, veluti suum consummans opus, fit gratia adjuvans, cooperans, ac prædeterminans.

103. Neque illud prætereundum est, quod sæpius S. Thomas inculcat, eam esse hujus gratiæ præ-

(*a*) Quando ab aliquibus Thomistis gratia actualis appellatur *qualitas*, id intelligendum est minus proprie; ut cum Antoninus Reginaldus *de mente Concil. Trid.* P. I. cap. 42. inquit: *Actualis gratia est qualitas transiens, sive motio, & per modum motionis recepta in homine*.

(*b*) Hanc sententiam, quæ fuit Jo. Gonzalez de Albeda I. P. Diss. 58. Sect. 3., & Curielis in Tract. *de gratia actuali* dubit. 2. §. 6., fuse pro more suo, & nervose oppugnat Thomas de Lemos in *Panoplia Gratia* Tom. IV. P. I. Tract. 8. cap. 4., & seq. Eamdem restituere conatus est Nicolaus Petit-Pied, quem non ita pridem confutatum habemus in opere, cui titulus: *Lettres d'un Théologien à l'editeur des Oeuvres de M. Petit-Pied*. Tom. I. Lettr. 2. & 3.

prædeterminantis vim, & efficaciam, ut non solum attingat substantiam actus, sed etiam omnem ejus modum: quamobrem non solum Deus ea gratia facit, ut voluntas consentiat, sed etiam ut consentiat libere; cum ea sit voluntatis natura, ut libere in suos actus erumpat.

104. Hunc adoptamus communem apud Thomistas modum explicandi intrinsecam gratiæ efficaciam; verum eorum agendi rationem non probat P. Antonius Massouliè in Diss. III. *de Divina gratia* qu. 5. *qui uni tantum explicandi modo veluti polypi saxo adhærent, & quod est pejus, ceteros, qui vel tantillum ab ea, quam calcant, semita deflectunt, veluti transfugas haberi volunt, iisque bellum indicunt.*

105. Operæ igitur pretium est, eum divinæ gratiæ efficaciam explicandi modum paucis declarare, quem P. Jo. Gonzalez de Albeda affert in suis *Commentariis* in I. P. S. Thomæ editis Compluti an. 1621. Hic modus, si laudatum mox P. Massouliè audiamus in art. 1., ea solum ratione a communi S. Thomæ Discipulorum sententia distinguitur, quod cum isti de efficaci Dei gratia, ut præcise efficax est, sermonem habeant, ille omnem actualem gratiam adæquate sumptam, tum efficacem, tum sufficientem, comprehendat; & tunc gratia dicitur efficax, quando ejus vis & motio quibusdam veluti gradibus superat malitiam, & resistentiam voluntatis: quando autem non superat, est solum sufficiens, & inefficax, quia effectum, quem habere posset, non habet ex resistentia, & malitia voluntatis. Sic ex. causa ea gratia, quæ in Corozaitis, & Bethzaiditis fuit inefficax, propter majorem eorum resistentiam, fuisset efficax in Tyriis, & Sidoniis; *quorum oculi*, ut S. Augustinus ait, *non erant sic excæcati*, *nec cor sic induratum*.

106. Quidquid sit de hujus systematis veritate, recte observat P. Massouliè in fine art. 4., non posse illud usurpari, nisi sumendo divinum auxilium *adæquate*, prout comprehendit sufficiens, & efficax. Addiderim ego, etiam cavendum esse, cum dicitur, *gratiam esse efficacem*, *quando gradibus major est*, *quam resistentia voluntatis opposita*, ne id eo sensu intelligatur, quasi homo minorem resistentiam opponendo, gratiam videatur pro sua libertate reddere efficacem (qui certe sensus a reprobata a nobis Molinæ sententia non differret); sed semper ab absoluta, & gratuita Dei voluntate repetendam esse gratiæ efficaciam, quia ab absoluta, & efficaci Dei voluntate provenit, quod gratia sit gradibus major, quam resistentia; ex quo enim Deus vult efficaciter peccatorem convertere, etiam talem dat illi gratiam; quæ illius malitiam vincat, majorem daturus, si resistentia esset major. Quemadmodum qui corpus grave suo loco dimovere vult, tantum illi imprimit motum, quantum ad ejus resistentiam vincendam sufficit; majorem sine dubio impressurus, si majori gravitate, aut alio impedimento resisteret. Hinc apparet, culpandos quidem esse peccatores, qui divinæ gratiæ sua perversitate resistunt, non autem gloriari posse justos, in quibus ideo gratia victrix est, quia Deus gratuita sua bonitate eam voluit esse opposita resistentia fortiorem.

107. Et quamquam videri possit in hoc systemate, gratiam non ex natura sua, sed potius ex graduum superioritate esse efficacem, luculenter tamen apparet, totam gratiæ efficaciam esse non ab hominis, sed a Dei voluntate repetendam, in quo summa est differentia Thomisticæ Scholæ a Moliniana. Immo sæpius monet sapientissimus Lemos, ad omnes cavillationes vitandas, satius esse gratiam efficacem nominare *auxilium ex Deo ipso efficax*, *quam auxilium natura sua efficax* (*a*).

108. Ab hoc modo explicandi gratiæ efficaciam in statu naturæ lapsæ minime abhorrent Augustinianæ Scholæ Theologi; sed in eo solum dissentiunt, quod ad gratiæ essentiam definiendam, loco præmotionis physicæ Thomistarum, adhibent cum Jansenio nomen *delectationis cœlestis;* infinitis tamen parasangis utrique a damnata ab Ecclesia ejusdem hæresi distant in eo, quod quacumque absoluta necessitate procul ablegata, sub gratia relative superiori, ac victrice, sartam tectamque servari arbitrii libertatem, adeoque & dissentiendi potentiam confitentur.

109. Intrinsecam gratiæ efficaciam primus, ni fallor, aperto marte Molina impugnavit, ratus eam minime posse cum hominis libertate componi, novumque in Scholas systema invexit, cujus præcipuum fundamentum est, gratiam omnem esse versatilem, atque a nostræ voluntatis nutu pendulam (*b*). Si voluntas gratiæ consentit, est efficax; si contra dissentit, inefficax, & ita quidem, ut

(*a*) Vid. Lib. IV. P. II. Tract. II. cap. 9. num. 3. & Tract. IV. cap. 13. Sed si quis pleniorem hujus systematis notitiam desideret, laudatam Quæst. VI. P. Massouliè integram evolvat. Extat etiam referente P. Jacobo Echard Tom. II. *Script. Ordin. Præd.* pag. 827. ejusdem P. Anton. Massouliè Mss. in nostro Tolosano Cœnobio, in quo Gonzalez sententiam iterum illustrabat, *& quo sensu sine dissensionis periculo usurpari possit, ostendebat.*

(*b*) Video, aliquos quasi nobis subirasci, quod gratiam Molinianam passim vocemus *versatilem*, *& a nostræ voluntatis nutu pendulam*. At vero non aliam ipsius notionem Molina ipse, ejusque asseclæ nobis suppeditant. Molina enim in sua *Concordia* Disp. 40. in qu. 14. art. 13. totus est, ut ostendat, *a nostra libertate pendere, ut auxilia prævenientis, atque adjuvantis gratiæ efficacia, aut inefficacia ad conversionem, seu justificationem sint.* Lessius autem *De gratia* cap. 10. n. 9. *Recte dicit Molina*, inquit, *quod gratia sit efficax, vel inefficax, pendere a libero arbitrio, adeo ut in potestate liberi arbitrii sit, gratiam, quæ secundum se est sufficiens, reddere efficacem, vel inefficacem in actu se-*

ut totum, quantum est gratiam inter efficacem, & sufficientem discrimen, unice sit a nostræ voluntatis consensu, vel dissensu repetendum. Hinc cohærenter ita scribit (in *Concordia* qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 10.): „ Quod e duobus, qui æ„ quali motu gratiæ præveniuntur, ac moventur, „ unus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat „ actum, & convertatur; alter vero non ", *certe solum provenit ab innata, & propria, & intrinseca libertate utriusque, bonis, & malis, reprobis, & prædestinatis communi.* „ Gratia nam„ que præveniens ex parte sua æqualiter utrum„ que movet, naturæque necessitate ex parte sua „ agit: ex eo autem, quod unus eorum libere „ adhibere vult influxum illum *sui arbitrii pro„ prium*, alter non, unus eorum convertitur, al„ ter non item (*a*) ". Hæc satis Molinæ mentem declarant, ut pluribus minime opus sit.

110. Hæc Molinæ sententia falsa vel ipsis ejus discipulis visa est, ea potissimum de causa, quod tota bonorum, malorumque discretio a solo voluntatis nutu suspenderetur; unde etiam in celeberrimis Congregationibus Romæ habitis acriter exagitata est, Censorum judicio sæpius condemnata, & nisi causæ aliquæ intercessissent, Apostolicæ Sedis oraculo fuisset toto orbe proscripta. Quapropter rigido Molinismo fere communiter exploso, Congruistarum systema, Suarezio potissimum obstetricante, suffectum est (*b*). Sed cum hoc systemate ea incommoda, quæ ex Moliniana sententia in omnium oculos incurrebant, potius tegantur, quam reipsa tollantur, dici vix potest, quanto verborum circuitu, quantisque prænotandis distinctionibus ea ita a quibusdam circumvalletur, ut nonnisi ægerrime ad ipsius medullam perveniri possit. Ego Suarezium secutus, Congruistarum facile principem (unde & *Suareziani* dici solent) quampaucissimis potero, totum Systema complectar.

111. Itaque P. Suarez (Lib. V. *de auxiliis* cap. 25. num. 4.) explicaturus, in quo sita sit gratiæ efficacia: *Vocatio efficax*, inquit, *illa est, quæ ... includit quamdam congruitatem respectu personæ, cui datur, ut sit illa ita proportionata, & accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore, & occasione infallibiliter effectum habeat, & per hoc habet illa vocatio, quod congrua, & efficax sit.*

112. Quæ verba, si de congruitate intrinseca gratiæ intelligerentur, quatenus Deus hominem efficaciter convertere volens, talem ei gratiam largitur, quæ ita sit ejus statui proportionata, ut illius voluntatem ad consensum determinet, gratiam per se, & ab intrinseco efficacem designarent. Sed ab hoc sensu Suarezius quam longissime abest; & præterquam quod sæpius fatetur, hanc congruitatem esse gratiæ extrinsecam, non autem intrinsecam, etiam ulterius docet; *quocumque auxilio excitante dato, oportere inquirere, per quid fiat efficax;* & non alia ratione fieri efficax respondet, nisi per consensum voluntatis prævisum. Propterea etiam infallibilem gratiæ efficacis effectum non repetit *ex vi ipsius entitatis*, sed ex scientia media, *qua Deus ab omni voluntate creata, & creabili præscit, quid sit factura in omni tempore, & occasione, si hoc vel illo modo excitetur;* seu, ut aliis ipsius verbis utamur, infallibilitas gratiæ efficacis in hoc systemate *absolute pendet ex libero usu voluntatis, cujus prævisio supponitur in mente Dei per scientiam conditionatam* (*c*).

113. Ex his patet satis aperte, in eo Suarezium Molinæ consentire, quod totam gratiæ efficaciam a consensu voluntatis repetat, quamquam hujusmodi consensus infallibiliter non connectatur cum gratia, nisi hæc detur in circumstantiis congruis, & opportunis; seu, ut alii loqui amant, nisi quando gratia est indoli, genio & temperamento hominis

cundo. Annon merito talis gratia dicitur *versatilis*, *ac libero arbitrio subdita*, quæ ab eodem libero arbitrio pendet, ut fiat efficax, vel inefficax? Nec alia est Suarezii sententia, etsi diversis verbis expressa; nam in P. II. *De Gratia* cap. 53. *Dicimus*, inquit, *vocationem congruam per se spectatam, & secundum suam absolutam entitatem, non habere intrinsece, ac determinate actualem efficaciam, sed potius de se esse indifferentem, ut congrua, vel incongrua sit.* En gratiam indifferentem, & versatilem, quæ postea non efficitur congrua, & efficax, nisi ex præviso voluntatis consensu. Et infinitus essem, si omnia huc spectantia afferre vellem.

(*a*) Notatu etiam digna sunt, quæ habet ibidem membro seq., scilicet *sacratissimis* Christi, ejusque Matris *animabus non solum excellentiora dona Deum conferre decrevisse, sed etiam easdem prævidisse, melius, quam ceteras pro sua innata libertate usuras suo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius, quam ceteras, electas fuisse.*

(*b*) Videri potest hac in re Decretum Claudii Aquaviva apud Hyac. Serry Lib. IV. *Hist. de Divinis auxiliis* cap. 31. Aliqui tamen Molinæ placitis sine ullo temperamento constanter adhæserunt, ut Harduinus, qui in epist. ad Rom. *Digress. de Præd. hom.* p. 460. „ Stat, inquit, & pulsat Deus, expectatque, ut ad„ mittatur. Hæc gratia sufficiens est, quæ *solo* acce„ dente consensu voluntatis est efficax ": & Cœlest. Sfondratus in Nodo *prædestinationis dissoluto* p. 136. hæc habet. „ Quod Nabuchodonosor, non Pharao pa„ nitentem Deum agnoverit, id juxta Augustinum Li„ bro *De prædestinatione & gratia*, non ad Dei præ„ scientiam referendum est, non ad disparem causam, „ non ad conditionem, & dignitatem inæqualem, non „ ad defectum externæ vocationis, *sed ad solum, me„ rumque arbitrium* ". Obiter etiam notare liceat, inscite prorsus ab aliquibus librum *De Prædestinatione, & gratia* S. Augustino tributum fuisse. *Valde miror*, inquit Petavius Lib. IX. *De Prædest.* cap. 14. n. 15. de hoc libro, *ab ullo, qui quidem legerit, pro Augustiniano referri.*

(*c*) Unde Lib. V. *De Gratia* P. II. cap. 52. una cum magistro suo Molina docet, quod *stante toto auxilio prævenienti in duobus æquali, stat, unum operari, & non alium.* Sed de systemate Congruistarum dignus est, qui legatur Boursier in egregio opere *de l'action de Dieu sur les Creatures* Tom. VI. Sect. VII. cap. 1. art. 2. edit. in 8.

mis accommodata. Unde etiam cum Molina docet, fieri posse, ut eadem omnino gratia sit efficax in uno, qui majora habet impedimenta, minusque est dispositus, & in altero, in quo minora sunt impedimenta, non sit efficax. In eo insuper Molinæ Suarezius adhæret, ut doceat Deum non prævidere homines gratiæ consensuros, vel dissensuros, nisi beneficio *scientiæ mediæ*. Ad summum igitur Suarezius in eo a Molina diversus abit, quod per gratiam hanc congruam majus aliquod beneficium a Deo concedi videatur: quemadmodum (ipsius exemplum est Lib. V. cap. 52. num. 3): ,, Contritio data homini in medio vitæ, a qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitæ, & cum qua salvatur, non reputatur æqualе beneficium, sed hoc posterius multo majus, etiamsi fortasse contritio ipsa nec in intensione, nec in duratione, nec in auxiliis ad eam necessariis sit major, immo etiam sit minor ".

114. Alphonsus Moynius ex oppositis Thomistarum, Molinistarumque systematibus novam sententiam sibi cudit, statuens cum primis ad difficiliora pietatis opera gratiam per se, & ab intrinseco efficacem esse necessariam; cum Molinistis vero ad orationem, atque etiam ad fidem, solam gratiam versatilem, cujus efficacia a nostræ voluntatis consensu dependeat (*a*).

115. Ab hoc systemate abhorrere non videtur Tournelius dum (Tom. IV. *De gratia* P. II. q. 7. art. 4. concl. 5.) statuit, *admittendam esse gratiam sufficientem, quæ ita immediate sufficiat, seu ad facilia quædam implenda, seu ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut aliquando suum producat effectum*. Porro Tournelius evincere conatur, hanc suam sententiam pluribus recentiorum Theologorum probari, ut ita incautis facilius imponat.

116. P. Ludovicus Thomassinus Congregat. Oratorii Præsbyter mediam quamdam viam Thomistas inter, ac Molinistas & ipse quæsivit, ab utrisque recedens. Itaque ablegata tum prædeterminatione physica Thomistarum, tum scientia media Molinistarum, statuit gratiæ efficaciam in multitudine, congruitate, veritate, consonantia, & conspiratione plurium auxiliorum Dei, cum internorum, tum externorum, quibus Deus cum foris, tum intus ita voluntatem obsidet, pulsat, ac concutit, ut quamvis singula possit sua pervicacia eludere, ac superare, omnia tamen non possit. Nam si prima cadant inutilia, alia præsto sunt, donec voluntas tandem fatigata cedit, bonoque consentit. Quod exemplo aquæ illustratur, quæ quamvis mollis, & fluida, sæpius tamen iteratis suis ictibus durissima saxa excavat; unde illud Senecæ Lib. IV. *Nat. Quæst.* cap. 3. affert distichon.

Quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Non aliam vero gratiæ vim, aut motionem tribuit Thomassinus, nisi moralem, in quo maxime ejus systema nostro opponitur (*b*).

117. Demum commemorari breviter meretur nova illa, & paradoxa opinio, quam Joseph a Vita Dominicam Instituti alumnus, sed Thomisticæ Scholæ desertor, sæculo elapso invehere conatus est, lateque explicuit in Tract. *De proprio, & per se principio, unde provenit peccatum &c.* (Panormi 1665. in fol.) ubi Molinistarum, juxta ac Thomistarum systemata rejicit, & contendit, Deum non movere causas secundas ad actus suos *immediate, sed mediate* tantum, movendo causas superiores, quarum motus postea in aliis recipitur intermediis, usque ad ultimam, a qua operatio prodit, & a qua influxus causæ primæ per se indifferens determinatur; eo fere modo, quo in machinis quibusdam una rota alteram movet, usque ad ultimam, ex qua prodit effectus. Hoc systema nedum fuit a Thomistica Schola execrationi habitum, sed nec extra illam ullum, quod sciam, sectatorem invenit (*c*). Hæc postrema Moynii, Thomassini, & Josephi a Vita systemata peculiarem confutationem non exposcunt, satis enim refutata erunt ex iis, quæ contra Molinam, & Suarezium dicturi sumus. Sit itaque

CAPUT III.

Refutatur systema Molinæ, & Congruistarum de gratiæ efficacia.

PROPOSITIO I.

Gratiæ efficacia non est repetenda a consensu voluntatis humanæ.

118. Prob. 1. ex sacris paginis, in quibus minus sæpe, quam luculenter, & expresse docemur, nihil nos habere boni, quod a Deo non promanet, nihil in quo gloriari possimus I. Cor. IV. 7. ,, Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si au-

(*a*) Hoc mixtum Moynii systema acriter impugnavit, ac funditus subvertit Ant. Arnaldus in P. IV. *Apologiæ pro Sanctis Patribus*.

(*b*) Hanc sententiam ante Thomassinum præformasse videtur Jo. Mariana Lib. III. *de morte, & immortalitate* cap. 8. ubi dicit: *Qui omnibus machinis, quas Deus paravit, junctis prædestinatus resistere non posse, & vocibus omnibus surdus aures præbere, singulis potest repugnare, libereque consentit*.

(*c*) Illud fusius exponit P. Antoninus Massoulié in II. Tomo *De div. motione* Dissert. III. Quæst. V. art. 1. Confer P. Hyac. Serry in Hist. de *Div. auxil.* Lib. V. Sect. 3. cap. 11., ubi affert sententiam, qua Jo. Thomas de Roccaberti Magister Ordinis librum, & opinionem Josephi a Vita proscripsit. Vid. etiam P. Jac. Echard in *Script. Ord. Præd.* T. II. pag. 673.

„ autem accepisti, quod gloriaris, quasi non acceperis? & *Ephes. II.* 8. Gratia estis salvati per „ fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum „ est: non ex operibus, ut ne quis glorietur". Ad quæ S. Pauli verba respiciens Concilium Tridentinum sic loquitur (Sess. XIV. cap. 8.): *Non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est* (*a*).

119. At vero si gratia a consensu nostro totam suam efficaciam desumeret, profecto homo justus sese a peccatore discerneret, aliquid haberet non acceptum a Deo, & posset in se ipso non insipienter gloriari. Etenim in hoc systemate eadem est gratia, sive in eo, qui convertitur, sive in illo, qui pertinax in malo induratur, immo in isto major quandoque, quam in illo (*b*); in utroque sufficiens, indifferens, flexibilis, & a voluntatis nutu suspensa. Quod ergo unus ea bene utatur præ altero, non gratiæ adscribi debet, quæ eadem est in utroque, & indifferens: siquidem ut recte S. Augustinus ait (*de Præd. Sanctorum* cap. 5.): *numquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Restat ergo, ut tota unius ab altero discretio sit ab arbitrio repetenda; ut proinde justus possit præ peccatore gloriari, quod seipsum discreverit, & aliquid habeat a Deo minime sibi datum, scilicet bonum gratiæ usum. Quemadmodum miles, quanquam sine armis repugnare non potest, quod tamen armis strenue utatur, sibi ipsi debet, & nulli alteri; quia arma potentiam quidem pugnandi præbent, sed non ipsum actum, aut bonum usum. Hæ consecutiones adeo recte fluunt ex Moliniano systemate, ut ipse Molina eas omnino negare non potuerit (*c*).

120. Prob. secundo exponendo nonnulla absurda, quæ ex Molinæ sententia dimanant, & quæ proinde eamdem falsam esse, & absurdam ostendunt. *Primo* enim, si gratia nostræ voluntatis consensum expectat, ut fiat efficax, inutiles esse videntur tot, & tam sæpe repetitæ Ecclesiæ preces, quibus Deum rogamus, ut nostras voluntates ad bonum convertat, atque in bono stabiliat. Quid enim, amabo, tanto fervore a Deo petimus? An gratiam sufficientem? Atqui ista ex Molinistarum sententia omnibus semper adest ut nullus sit tam impius & sceleratus, cui gratia sufficiens denegetur. An gratiam efficacem? Sed hæc a nostri arbitrii consensu dependet. An ipsum consensum, & bonum gratiæ usum, seu nostri arbitrii cooperationem? Sed hæc cooperatio unice a nobis proficiscitur, nullatenus a gratia: *Solum provenit ab innata, & propria, & intrinseca libertate* (Molina cit. n. 109.). Nihil ergo est, quod a Deo petamus; siquidem, ut inquit S. Augustinus (*de nat. & grat.* cap. 18.), *nihil stultius, quam orare, ut facias, quod habes in tua potestate*.

121. Eadem ratione probari potest, non majores esse Deo gratias agendas ab eo, qui tentationi fortiter resistit, quam ab eo, qui eidem tentationi infeliciter succubuit; si quæ enim in his duobus est diversitas, ut certe est magna, hæc tota non a gratia, quæ fuit in utroque æqualis, sed a libero uniuscujusque arbitrio repeti debet. Ad rem nostram S. Augustinus: *De dono persev.* cap. 2. *Irrisoria petitio est*, inquit, *cum a Deo petitur, quod scitur, ipsum non dare .... sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit*.

122. Ulterius in Molinæ systemate non est ab inscrutabilibus Dei judiciis repetendum, cur unus credat, alter non; hic a justitia decidat, alter in eadem perseveret; hoc enim totum ab uniuscujusque voluntate *solum* pendet. At vero S. Augustinus, post S. Paulum, & post totam plane Ecclesiam, semper hoc pertinere putavit ad inscrutabilia judicia Dei. *Ex duobus*, inquit S. Doctor *De dono perseverantiæ* cap. 9. *ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocatur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei* (*d*).

123. Accedit, quod in Moliniano systemate nulla

(*a*) Etiam Concilium Arausicanum II. can. 16. *Nemo*, inquit, *ex eo, quod videtur habere, glorietur tanquam non acceperit ..... Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut vere non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo*. Vid. quoque S. Thomas in ep. 1. ad Corinth. IV. lect. 2., ubi inquit, ita nos gloriari debere in Domino, ut omnia illi adscribamus: *Sic autem gloriari non est superbire, sed humiliari sub Deo*.

(*b*) Molina in *Concordia* q. 14. art. 13. disp. 12. *Fieri potest*, inquit, *ut duorum, qui æquali auxilio interius a Deo vocantur, unus pro libertate sui arbitrii convertatur, & alter in infidelitate permaneat ... Immo fieri potest, ut aliquis præventus, & vocatus longe majori auxilio pro sua libertate non convertatur*. Eamdem sententiam contra Vasquezium magna contentione defendit Suarez Lib. V. *De Auxiliis* cap. 62. Cœlest. Sfondratus in *Nodo Prædest. dissoluto* sæpius asserit, plura Judæ, quam Petro, aut Zachæo, fuisse gratiæ dona collata.

(*c*) Vid. supra num. 109., & loco mox citato, ubi addit: *Esto justus de ejusmodi actibus ea ex parte, qua libere quidem, sed partialiter, partialitate causæ, & non effectus, ab ipso emanarent, gloriatur .... sane non esset insipiens*. Supra observatum est Dissert. II. n. 165., ex hoc dicendi modo sequi, nostram cooperationem non esse gratiæ effectum, adeoque nos habere aliquid non acceptum a Deo.

(*d*) Lessius de *Prædest.* Sect. IV. n. 46. „ *Adverte*, „ *inquit*, non esse inscrutabile Dei judicium, quod ex „ duobus vocatis alter sequatur, alter non sequatur; „ aut quod ex duobus justis alter perseveret, alter non „ perseveret, ut quidam volunt, hujus discriminis causam tanquam in primam originem referentes in di„ scretionem illam, qua Deus ex se hunc elegit ad „ gloriam, illum non elegit ".

la est difficultas, ut gratiæ efficacia cum humana libertate componatur, contra ac visum est Sancto Augustino, qui in Libro *De Gratia Christi* cap. 47. *Ista quæstio*, inquit, *ita est ad discernendum difficilis*, &c. sup. num. 67. pag. 153. Quanquam, ut verum dicam, non multum laborandum esse videtur, ut Molinam a S. Doctore vehementer discrepare ostendamus, cum id ipse non semel confessus sit (Vid. in *Concordia* quæst. 23. art. 4. & 5. membr. ult.). Bellarminus autem Molinæ opinionem nedum Augustino, sed etiam Scripturis repugnare aperte scribit (*a*).

124. Ex capite etiam novitatis condemnari solet Molinianum systema; ut enim Tertullianus recte præscribit (*De præscript. hæret.* cap. 31.), *id est verum, quod prius traditum, id falsum, quod posterius immissum*. Novum autem esse hoc Molinæ systema de gratiæ efficacia, clarum fit tum ex ipsius Molinæ, & plurium ejusdem asseclarum confessione (*b*), tum ex turbis, quæ eo prodeunte exortæ sunt; fere enim ubique Theologi, Scholæ, atque Academiæ contra ipsum insurrexerunt.

125. Nec illud demum prætereundum videtur, fuisse hanc Molinianam opinionem a Romanis Censoribus toties damnatione dignam judicatam quoties discussa fuit, jamque exaratum fuisse Pontificium oraculum, quo toto orbe exploderetur, ut superius exposuimus (num. 7.).

126. Plura alia hujus generis objici solent Molinianæ opinioni, quæ referre non vacat. Academia certe Lovaniensis non dubitavit ita de illa pronunciare (in fine suæ *Censuræ*): „ Sententia hæc „ divinam bonitatem obscurat, justitiam enervat, „ Scripturis illudit, Patrum testimonia in sensus „ alienos detorquet, humanæ rationis corruptioni „ applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi necessitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in salutis „ negotio, quod præcipuum est, homini donat, „ quod minus Deo; gratiam Dei libero arbitrio „ subjicit, ac ejus pedissequam facit; in summa „ a Pelagio non satis procul abscedit. Lutheri vero, Calvini, & reliquorum nostræ tempestatis „ hæreticorum sententiam, dum ab ea videri vult „ quamlongissime recedere, potentiusque debellare, magis etiam imprudens stabilit, atque confirmat. Nam si non possumus, vel (ut ad mitigandam invidiam dicitur) difficile est ab eorum sensis, & argumentis B. Augustini doctrinam vindicare, quis non videat; quanti jam „ ponderis, & auctoritatis accessione Hæreticorum „ sententia roboretur ". Hujus celebris Censuræ auctor fuit non minus pius, quam doctus doctor. Gravius, de quo vide dicta superius in not. ad n. 3.

PROPOSITIO II.

Efficacia gratiæ repeti non debet ex attemperatione auxiliorum cum voluntate humana, quæ subsit scientiæ mediæ.

127. Prob. primo. Nam in hoc Congruistarum systemate, non minus quam juxta purum, & rigidum Molinismum, efficacia gratiæ a consensu voluntatis repetitur (*c*); & tota discrepantia, quæ inter utrumque systema invenitur, unice spectat gratuitam Dei bonitatem, qua vult gratiam in circumstantiis congruis donare, potiusquam in circumstantiis incongruis; non autem spectat gratiæ efficaciam, quæ semper ab humanæ voluntatis consensu repetitur: ergo omnia fere argumenta, quæ Molinianum systema evertunt, evertunt quoque systema Congruistarum. Ant. ostenditur. Docent enim Congruistæ, Deum scientia sua media prius explorare, quid humana voluntas factura sit, si in certis circumstantiis cum certis gratiæ donis constituatur; videre Deum, modo eam esse vocationi pro sua libertate consensuram, modo restituram; quos peculiari prædilectionis prærogativa convertere vult, in iis circumstantiis vocare, in quibus eos per scientiam mediam consensuros prævidit. Jam vero in toto hoc systemate relucet quidem gratuita quædam Dei misericordia erga electos; non autem apparet, quomodo totum, quantum in actione est boni, debeat gratiæ Dei adscribi. Nam ho-

(*a*) „ *Prima opinio*, inquit Lib. I. *De grat. & lib. arb.* cap. 12., est eorum, qui gratiam efficacem constituunt in assensu, & cooperatione humana, ita ut „ ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat „ esse efficacem, quæ alioquin ex se non esset, nisi „ sufficiens. Hæc opinio aliena est omnino a sententia „ B. Augustini, & quantum ego existimo a sententia „ etiam Scripturarum divinarum ".

(*b*) Molina in Concordia c. 23. art. 4. & 5. membr. ult. „ Hæc nostra ratio, *inquit*, conciliandi libertatem „ arbitrii cum divina prædestinatione, a nemine, quem „ viderim, hucusque tradita est. *Et Disput.* 53. *p.* 252. „ A triginta annis in privatis, & publicis disputationibus; a viginti vero in suis ad I. P. Commentariis „ eam cœpisse dicit ". At vero tota hæc ipsius ratio libertatem nostram conservandi, gratiæ versatili, atque a nutu nostri liberi arbitrii pendenti, tanquam primario lapidi innititur. Idem fere asserunt Fonseca, Vasquez, Herice, Granado, Fuligatus, Bellarminus, & Typhanius apud Witassium Tom. I. qu. 12. art. 1. Sect. 6.

(*c*) Hinc *Congruismum a Molinismo* nonnisi verbis differre non pauci animadverterunt, & ii quidem minime adversariis suspecti, utpote a Thomistarum placitis alieni: ut Martinonus in *Anti-Jansenio* Disp. XXVI. Sect. 3. n. 25., Tannerus Disp. VI. *De gratia* q. 2. dub. 2., Collet Quæst. V. Concl. 2. prob. 4., & Tournelius Q. II. art. 4. Concl. 4. *saltem si dicatur gratia congrua, & efficax, quando voluntas consentit &c.*, quæ sententia est Suarezii. Vid. sup. num. 12.

homo tandem est, qui gratiam illam congruam sua libertate reddidit efficacem, cum potuerit pro sua eadem libertate eam reddere inefficacem; consensum a seipso habet, non a gratia, sibique ipsi debet, quod eamdem reddiderit suo nutu efficacem.

128. Res fiet exemplo illustrior. Si quis arma militi ex occasione suppeditet, qua eum prævidet pro Rege, & Patria strenue pugnaturum, certe majus beneficium est, quam si eidem arma præberentur, quando timide, & ignave ea abjecturus prænoscitur. Veruntamen cum arma in quacumque circumstantia sint ex se indifferentia, nec bonum sui usum ex seipsis præbeant, semper ille, qui strenue iis usum est ad pugnandum, præ altero gloriari poterit, qui eadem ignavus abjecit. Jam vero *gratia est armatura Dei, ut possimus stare adversus insidias Diaboli* (Eph. VI. 11.). Si hæc est in manu nostra instar gladii versatilis ita ut a nobis duntaxat bonus illius usus dependeat, verum non erit, quod Apostolus dicit: *Quid habes, quod non accepisti &c.*

129. Nec etiam Deus ad Congruistarum mentem rogandus erit, ut nobis sua gratia præsto sit, sed potius, ut opportunas circumstantias seligat, in quibus gratiam largiatur, quod tamen a communibus Ecclesiæ precibus alienum est. Immo cum in adversariorum (quin etiam plurium Thomistarum) sententia Deus omnibus, & semper, & ubique suam gratiam liberalissime distribuat, non video quomodo rogandus sit, ut eam in circumstantiis congruis largiatur; si enim eam semper confert, neque in circumstantiis congruis, deerit.

130. Quod si dicant, non eam gratiam esse congruam, quæ in circumstantiis congruis donatur (cum in omnibus circumstantiis unicuique præsto sit), sed quæ genio, indoli, temperamento hominis sit accommodata; si quidem id intelligant de congruitate quadam intrinseca, qua gratia sese naturæ hominum accomodans, suaviter simul, & efficaciter ipsum motum, inclinationem, & consensum voluntatis vere efficiat, & operetur, parva erit inter nos verborum, non rerum magna dissensio. Sed adversarii nihil magis refugiunt, quam asserere, consensum nostræ voluntatis effici a gratia, verentes, ne si id semel concedant, humanum arbitrium funditus evertatur: unde etiam gratiam congruam neque *intensione*, *neque claritate*, *aut distinctione*, *neque alia simili proprietate absoluta*; *immo neque carentia alicujus impedimenti* a gratia incongrua distingui putant, *sed solum ex habitudine ad effectum infallibiliter futurum in divina præscientia*, *quæ dari potest sine ulla prævia inæqualitate* (Suarez lib. V. *De auxiliis* cap. 52. num. 25.).

131. Sed & illud Congruistarum systemati opponi merito potest, quod eo posito nihil facilius sit, quam gratiæ efficaciam cum humana libertate componere. Quis enim aliquod libertatis præjudicium timeat ex ea gratia, quæ tota voluntatis nutui subdita est, nec alia ratione prævidetur efficax, nisi quia voluntas prævidetur eidem consensura? Si autem res ita se habet, Congruistarum systema ab Augustino, aliisque veteribus quamlongissime distat, a quibus teste Molina in (*Concordia* qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.), *unum e difficillimis fuit semper judicatum*, *veram invenire rationem*, *& modum .... super cohærentia libertatis arbitrii cum gratia divina* (Vid. sup. num. 123.).

132. Quamquam S. Augustinum non minus Congruistis, quam Molinistis adversari, facile colligitur, tum quia Sanct. Doctor intrinsecam gratiæ efficaciam ubique statuit, & talem, quæ ipsum bonum voluntatis consensum operetur, ut demonstraturi sumus paullo inferius, tum etiam quia & circumstantias congruas esse gratiæ efficacis effectus censet; tum demum quia ab earumdem congruitate gratiæ efficaciam minime pendere liquido tradit Hom. XXII. inter 50. Tom. V. dicens: „ Adulter non fuisti in illa vita tua præterita .... „ hoc tibi dicit Deus: tunc regebam te mihi, serVabam te mihi. Ut adulterium committeres, „ suasor defuit; ut deesset, ego feci. Adfuit suasor, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui: agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, „ & quod non admisisti “. Quibus verbis Sanct. Doctor declarat, primo, circumstantiarum congruitatem fuisse opus gratiæ; secundo etiam positis circumstantiis incongruis gratiam fuisse efficacem.

133. Magistro consentit de more S. Prosper dicens (*Carm. de Ingratis* Vers. 883. & seq.).

An vero omnipotens hominem cum gratia salvat
Ipse suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis.

134. Etiam experientia systemati Congruistarum contraria est: videmus enim in iisdem omnino circumstantiis effectus sibi ipsis oppositos; ex duobus latronibus in cruce cum Christo pendentibus unus convertitur, & salvus fit, alter induratur, & perit. Videmus aliquos in circumstantiis omnino incongruis efficaci gratia converti, ut Paulum (*a*), alios contra in congruissimis propria voluntate perdi, ut Judæi. Dignus est, qui audiatur insignis quondam Soc. Jesu Theologus Card. Toletus, qui illa verba Pauli ad Gal. I. 15. *Cum autem placuit ei, qui me .... vocavit per gratiam suam*, ita explicat (Adnot. XXXIV. in c. V. Lucæ): „ Non dicit Paulus, quando novit me obediturum, „ sed quando illi placuit .... Non expectat Deus, „ sem-

(*a*) De quo inquit S. Thomas 1. 2. qu. 112. art. 2. ad 2. *Cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo audiendo, addiscendo, & veniendo, & ideo subito est gratiam consecutus.*

„ semper arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat, ipsi dat velle, & perficere, & qui etiam rebelles convertit, & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: & si ante vocasset, utique respondisset, & obtemperasset... Existimo tunc vocasse discipulos multos, & præsertim Matthæum, quando plus erant impeditis, magisque detinebantur, ut venirent... sic Paulum vocavit... dum opus fervebat, minusque ad observandum paratus erat “.

155. Demum, ut plura alia omittam, ne longus sim, haud decere videtur summum, absolutumque Dei in creaturas dominium, ut si peccatorem ad se trahere gratia sua voluerit, debeat prius explorare, quibus modis, aut in quibus circumstantiis id queat obtinere, quasi instar sagacis consiliarii, qui molles aditus, qui congrua tempora expiscetur, & captet (*a*). Itane vere supremus rerum omnium Creator, & Dominus, qui, ut Augustinus ait (*de Corrept. & grat.* cap. 14.), *habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem?* Sed quid, si aliquis ita pervicax esset, ut tali loco, vel tempore, vel quocumque demum auxilio flecti nollet? Anne Deus hunc minime trahere ad se posset? Quid, si aliquis nollet toto vitæ suæ tempore? Vinceretur ne vitio humano Deus? Non me latet, id a nonnullis adversariis concedi (*b*); sed contra S. Augustinus, id sine impietate dici non posse clamat. *Quis tam impie desipiat*, inquit in *Enchirido* cap. 98. Tomo VI., *ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?*

136. Primo, & potissimo argumento desumpto ex verbis Apostoli: *Quid habes &c.* reponere solent communiter, tum Moliniani, tum Congruistæ, nihil boni habere hominem non acceptum a Deo, quia ipse consensus vocationi congruæ non est sine gratia Dei, *per quam idonei efficimur;* unde Apostolus dicebat (1. *Cor.* XV. 10.): *Non ego, sed gratia Dei mecum;* & S. August. de Pelagianis loquens. *Si merita nostra*, inquit *de grat. & lib. arbitr.* cap. 6., *sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia.* At vero tam Molinistæ, quam Congruistæ merita hominum dona Dei esse fatentur; adeoque &c. Id etiam innuere videtur Sanct. Prosper in responsione ad VI. *Object. Gallor.* inquiens: „ Ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii, numquam remoto adjutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest “. Et ante utrumque S. Ambrosius Lib. II. in Lucam de gratia inquit; *Quæ studiis cooperatur humanis.*

137. Verum his, aliisque similibus evasionibus eludi quidem videtur difficultas, sed tolli omnino non potest. Gratia enim, neque ut præveniens, neque ut concomitans, ad Molinistarum, ac Congruistarum mentem est causa consensus nostræ voluntatis: ergo voluntas vocationi consentiens semper gloriari poterit, se aliquid habere, quod non acceperit a Deo. Antec. ostenditur. Nam gratia præveniens in utroque systemate, ut vidimus, non fit efficax nisi ex consensu accedente; eumdem expectat, non efficit: ergo consensus &c. Multo minus gratia ut cooperans est causa ejusdem consensus, quia hæc in Molinæ sententia eadem est ac gratia præveniens (*c*), & non dicitur cooperans, nisi quia supponit jam voluntatem determinatam ad bonum, & cum ea ad illud perficiendum concurrit; est sicut ensis in manu militis, quocum pugnat, sed ita tamen ut illius bonum usum miles sibi unice vindicet. Sic autem S. Augustinus Pelagianos urgebat, ut faterentur, *Spiritum Sanctum non solum adjutorem, sed etiam largitorem esse boni operis*. Vid. Lib. III. *contra duas epist. Pelagianorum* cap. 4. numer. 15.

138. Sed paucis adversarios volo. Vel fatentur, talem esse gratiæ efficacis vim, ut ipsam nostræ voluntatis inclinationem ad bonum in nobis efficiat; & tunc dextras cum iis facile jungemus, de aliis minoribus quæstionibus parum solliciti, ubi quod præcipuum est, concorditer teneamus; vel contendunt gratiam per se versatilem, & indifferen-

(*a*) Alii aptiore similitudine utuntur, Deum comparantes in Suarezii systemate Principi, qui supremam suam potestatem in manibus sui Ministri posuerit, facit tamen quod vult, Ministri voluntatem sua sagacitate explorando, & inflectendo. Deus est Princeps, Minister est liberum arbitrium &c.

(*b*) Id docuit P. de Rhodes Disp. V. *de Deo* quæst. XI. de Præd. Sect. 4. §. 3. Celebris etiam est thesis non ita pridem a P. Carolo Arboleda in Gregoriana Quiti Universitate die 1. Junii 1742. propugnata sub auspiciis Academiæ scientiarum Parisinæ his verbis expressa: *Possibilis est creatura adeo rebellis, quæ prævideatur a Deo omnibus auxiliis dissensura* (Vid. *Journal du Voyage fait par ordre du Roi à l' Equateur.* A Paris 1752. p. 56.) & auctor 338. postquam idipsum docuisset, ad minuendam hujus opinionis absurditatem addit, *Deum non fuisse creaturum hunc hominem: unde potestatem habet, quemlibet hominem creatum convertendi, quod est de fide.* Tournelius autem in Tom. I. suarum *Prælect.* Quæst. XVI. art. 6. id saltem *moraliter* impossibile esse contendit, quamvis absolute non sit impossibile.

(*c*) Molina in *Concordia* qu. 14. art. 13. disp. 30. *Falsum*, inquit, *omnino videtur, & discrepans a dictis Patrum, & Concilii Trident. asserere, gratiam coadjuvantem distinctam esse a gratia præveniente, ac excitante &c.* Suarez autem Lib. III. *Opusculor. de auxiliis divinæ gratiæ* cap. 5. distinguit quidem gratiam adjuvantem, seu cooperantem ab excitante, & operante, sed illa voluntatem nulla ratione moveri fatetur, ita ut nomine gratiæ cooperantis indicetur *simultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eumdem actum, vel actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur, ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, sed solum simul operentur.*

rentem a voluntatis consensu fieri efficacem, & tunc videant, quomodo ipsi Apostolo Paulo consentiant, dicenti: *Quod habes &c.* Rursus cum homo bonum vult, vel determinatur ad id volendum a gratia, & nostra sententia est; vel ipse determinat gratiam, & tunc certe habet hanc determinationem a se, & non a gratia. Quid si dicant hanc determinationem esse quidem a voluntate, sed non sine gratia, rursus sciscitabor, de qua gratia loquantur? An de ipsa eadem gratia, quæ vocat, & cui voluntas consentit, an de alia? Si de prima, fucum faciunt in verbis; nam etiam miles non bene utitur gladio sine ipso gladio, nec tamen dicimus, bonum illum usum esse a gladio. Sin de gratia cooperante; rursus eadem difficultas redibit usque in infinitum, an scilicet illa gratia determinata fuerit a voluntate, an potius voluntatem vi sua flexerit?

139. Quod vero additum fuit ex S. Augustino, nihil ad rem nostram facit; nam hoc ipsum continet quæstionis cardinem nos inter, & adversarios; an scilicet seposita gratia per se, & ab intrinseco efficaci, solaque admissa versatili, vere dici possit, merita nostra esse dona Dei, an vero illud consequatur absurdum, saltem primam voluntatis determinationem, quæ boni operis initium est, esse in nobis ex nobis ipsis sine gratia.

140. Demum Ss. Prosper, & Augustinus nihil aliud iis verbis significare voluerunt, quam non eam esse gratiæ indolem, ut liberum evertat arbitrium, quod Semipelagiani perperam doctrinæ Augustinianæ objiciebant. Est ergo sub gratia industria arbitrii, quæ tamen tota est ejusdem gratiæ effectus: quoniam, ut ipse Prosper inquit *contra Collatorem* cap. 18., *Opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ*.

141. Obj. primo. S. Augustinus Lib. I. ad *Simplic.* quæst. 3. num. 13. Tomo VI. gratiam congruam apertissime docet; inquiens: „ An forte illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem .... ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ea capienda reperiuntur idonei? .... Si vellet etiam ipsorum (nempe reproborum) misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, & moverentur, & intelligerent, & sequerentur ..... Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat... Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est "? Multa alia eo loco habet Sanct. Doctor, quibus gratia congrua mirifice stabilitur.

142. Resp. primo, veram, & germanam Sancti Augustini mentem in his controversiis non ex Libris *ad Simplicianum*, aut aliis operibus, quæ ante ortam hæresim Pelagianam conscripsit, esse desumendam; sed ex aliis, in quibus occasione novæ hæreseos coactus est profundius, enucleatius, & magis adæquate hanc difficillimam materiam pertractare. Propterea *de dono perseverantiæ* c. 21. postquam dixisset, se etiam in libris ad *Simplicianum:* satis docuisse, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & initium fidei esse donum Dei, ac *consequenter*, quamvis non *expresse* perseverantiam nonnisi a Deo donari, subdit: *proficienter me existimo*, *Deo miserante*, *scripsisse*, *non tamen a perfectione cœpisse*. Hæc responsio adeo solida est, & sanioris criticæ regulis adeo conformis, ut vel ipsis doctioribus inter nostros adversarios probetur, ut Bellarmino, & Garnerio (*a*).

143. Resp. secundo, S. Augustinum in ipsis libris ad *Simplicianum* non ponere gratiæ efficaciam in sola extrinseca congruitate circumstantiarum, quæ certe non satis est ad voluntatem efficaciter movendam, sed etiam, immo potissimum in congruitate intrinseca, qua ita se voluntati gratia accommodat, ut vi sua innata consensum, & determinationem eliciat; unde ibidem concludit: „ Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitatis serventia, ille (*Deus*) tribuit, ille largitur ". Quod minus proprie dictum esset a S. Augustino, si putasset nos a Deo vocari vocatione tali, quæ nostræ voluntatis nutum, seu consensum, & determinationem ad bonum non largiretur, sed dumtaxat expectaret (*b*).

144. Et quamquam negari non potest, Sanct. Do-

(*a*) Verba Bellarmini hæc sunt Lib. II. *De Gratia & lib. arbit.* cap. 15. *S. Augustinus cum scripsit libros ad Simplic. adhuc juvenis erat, neque multa invenerat in hac difficillima quæstione, quæ postea majori diligentia investigavit, & reperit.* Garnerius autem Diss. VI. in Marium Mercat. cap. 2. dicit, *tanti viri sententiam non ex quibuscumque operibus æqualiter, verum ex postremis potissimum intelligendam .... quamvis enim Augustinus assecutus sit aliquando tantum divinorum gratiæ mysteriorum intelligentiam, quantam forte nemo alius præter Apostolos; non tamen constitit statim in summo, sed per gradus nitendo, difficultatum tenebras, prout divina lux se se infundebat, obstantes perrupit.* Si hæc domestica testimonia adversarii perpenderent, non tam sæpe nos ad libros ad *Simplicianum* provocarent.

(*b*) Congruitas, quam gratiæ tribuit Suarezius, est mere intrinseca. Id clare fatetur pluribus in locis; ut in Lib. V. *De Gratia*. Vid. sup. n. 111. & seq.

Doctorem in posterioribus suis libris contra Pelagianos, & Semipelagianos majori perspicuitate, atque energia intrinsecam gratiæ congruitatem, & efficaciam exposuisse, eam tamen neque negavit, neque ignoravit in libris *ad Simplicianum*. Nam in ea ipsa quæst. paulo superius dixerat num. 12. „ Illa verba si diligenter attendas: *igitur non est* „ *volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est* „ *Dei*, non hoc Apostolus tantum dixisse videbi- „ tur, quod adjutorio Dei ad id, quod volumus, „ perveniamus; sed etiam ex illa intentione, qua „ & alio loco dicit: *Deus est*, *qui operatur in* „ *vobis & operari pro bona voluntate*; ubi satis „ ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in no- „ bis operante Deo fieri. Nam si propterea solum „ dictum est: *Non est volentis &c.*, quia volun- „ tas hominis sola non sufficit, ut juste, recteque „ vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei; po- „ test & hoc modo dici: *Igitur non miserentis est* „ *Dei*, *sed volentis est hominis*; quia misericor- „ dia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ „ voluntatis addatur. At illud manifestum est, „ frustra non velle, nisi Deus misereatur. Illud „ autem nescio, quomodo dicatur: frustra Deum „ misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus mi- „ seretur, etiam volumus; ad eamdem quippe mi- „ sericordiam pertinet, ut velimus. *Deus enim* „ *est qui operatur in nobis velle*, *& operari pro* „ *bona voluntate*. Nam si quæramus, utrum do- „ num Dei sit voluntas bona, mirum si negare „ quisquam audeat ". Quod idem repetit S. Doctor in *Enchiridio* cap. 32. Tomo VI.

145. Inst. primo contra primam resp. Sanct. Doctor in Lib. *de dono perseverantiæ*, quem extremo vitæ suæ tempore elucubravit, eamdem doctrinam ingeminat, dicens cap. 14.: „ Ex quo ap- „ paret, habere quosdam in ipso ingenio divinum „ naturaliter intelligendi munus, quo moveantur „ ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant „ verba, vel signa conspiciant.

146. Resp. Sanct. Augustinum hic loqui non de interna vocatione efficaci, sed tantum de vocatione exteriori, cui percipiendæ unus potest esse aptior, quam alter ex naturalibus dispositionibus; quæ tamen vocatio exterior non sufficit; & plusquam certum est, ex Augustini, immo totius Ecclesiæ doctrina, præter istam dispositionem naturalem, & exteriorem vocationem requiri internam efficacissimam gratiam, qua Deus *bonas in nobis voluntates operetur per inspirationem luminosissimæ*, *& flagrantissimæ charitatis*. Et quamquam Augustinus laudato loco id non expressit, debet tamen omnino intelligi; alias sequeretur, homines ad fidem converti posse ex sola naturali intellectus perspicacia, additis externis verbis vel signis; quod nedum a constanti Augustini doctrina, sed etiam ab Ecclesiæ decretis abhorret. Quis enim fidelium dubitet, minime sufficere externa visa, aut verba quomodocumque congrua, nisi Deus interiori gratiæ suæ vi voluntatem flexerit? Unde illud S. Augustini Lib. XV. *de Civ. Dei* cap. 6. Tom. VII. *Nisi Deus interiore gratia mentem regat*, *atque agat*, *nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis*. Omnis, inquam, sive congrua illa sit, sive incongrua.

147. Inst. secundo. S. Augustinus sæpissime docet, Dei esse vocare, nostrum consentire vocationi. Nam Lib. I. *ad Simplicianum* qu. 2. „ Ut ve- „ limus, *inquit*, & suum esse voluit, & nostrum: „ suum vocando, nostrum consentiendo; *tum Lib.* „ De spiritu, & littera c. 34. Visorum suasioni- „ bus agit Deus, ut velimus, & credamus, sive „ extrinsecus per evangelicas exhortationes .... si- „ ve intrinsecus .... sed consentire, vel dissentire „ propriæ voluntatis est. *Denique Lib. XII.* De „ Civit. Dei c. 6. Si duo, *inquit*, eadem tenta- „ tione tententur, & unus ei cedat, atque consen- „ tiat, alter idem, qui fuerat, perseveret, quid „ aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum no- „ luisse a castitate deficere? Unde nisi a propria „ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corpo- „ ris, & animi affectio "? Et antea in eodem opere Lib. V. c. 9. *Omnium naturarum*, inquit, *creator est* (Deus) ... *non voluntatum* (a).

148. Resp. his omnibus in locis, aliisque similibus, quæ afferri possent, dumtaxat causam proximam, & immediatam nostri consensus indigitari, quæ est libera nostra voluntas; ideo enim consentimus, quia libere volumus, atque id negare esset hæresim Manichæorum instaurare: sed alia est tamen, Augustino ipso docente quamsæpissime, altior causa, ob quam vocationi Dei consentimus, nempe gratia ab intrinseco efficax, quæ voluntatem nostram præparat, & consensum determinat. Nam in ipsissimo loco Lib. I. ad Simpl. n. 10. S. Augustinus ita profunde observavit: „ Si Jacob id „ credidit, quia voluit, non ei Deus donavit fidem, „ sed eam sibi ipse volendo præstitit, & habuit „ aliquid, quod non accepit. *Et insuper in Lib.* „ de dono persever. c. 13. Nos volumus, *inquit*, sed

(a) Nemo certe putabit: hæc S. Augustini verba eo Semipelagianorum sensu esse prolata, quo, exponente S. Prospero in epist. ad S. Augustinum, *consequens putabant*; *ut qui prævaricator ideo dicitur non obedisse*, *quia noluit*, *fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus esse*, *quia voluit*; aut quo auctor Pelagiani operis *de Prædestinatione*, *& gratia*, olim S. Doctori attributi (Prostat in Append. Tom. X. Operum S. Augustini) cap. 15. facta comparatione Nabuchodonosor cum Pharaone ita dicebat: *Quantum ad naturam ambo homines erant*; *quantum ad dignitatem*, *ambo reges*: *quantum ad causam*, *ambo captivum populum possidentes*, *quantum ad pœnam*, *ambo flagellis admoniti*. *Quid ergo fines eorum fecit esse diversos*, *nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit*, *alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnabit arbitrio?*

„ sed Deus operatur in nobis & velle: Nos operamur, sed Deus operatur in nobis & operari pro „ bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, „ & dicere, ut sit humilis, & submissa confessio, „ & detur totum Deo. *Et alibi* (de gratia, & lib. „ arbitr. *cap.* 21.) Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, „ ut per eos agat, quod agere ipse voluerit. *Et* „ *iterum* (*ibidem c.* 16.): certum est nos velle, „ cum volumus, sed ille facit, ut velimus ": & plane integri libri Sancti Doctoris nobis exscribendi essent, si omnia huc spectantia in medium afferre vellemus.

149. Quando igitur a propria uniuscujusque voluntate repetit, quod unus tentationi cedat, alter resistat, non est eodem modo id de utroque accipiendum, sed quod unus cedat, unica & totalis causa est voluntas mala: quod autem alter tentationi resistat, & bonum agat, præter propriam ipsius voluntatem, quæ causa est propinqua, & immediata, alia est causa altior, nempe efficax Dei gratia. Audiatur iterum S. Doctor *de dono pers.* cap. 8. *Voluntate sua cadit*, *qui cadit*, *&* *voluntate Dei stat*, *qui stat*. Et de prædest. SS. c. 6. „ Multi audiunt verbum veritatis, sed alii „ credunt, alii contradicunt. Nolunt ergo isti credere, volunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis „ hoc neget? Sed, cum aliis præpararetur, aliis „ non præpararetur voluntas a Domino, discernendum est, quid veniat de misericordia ejus, „ quid de judicio ". Et S. Prosper in resp. ad cap. XIV. object. Vincentianarum pro certo ponit, &, *ab illo*, nempe Deo, *esse*, *quod statur*, *&* *non ab illo esse*, *quod ruitur*, & in ep. ad Ruffinum cap. 6. *Qui credunt*, *Dei aguntur spiritu*; *qui non credunt*, *libero evertuntur arbitrio*. Postremum testimonium ex Lib. V. *de Civit. Dei* facile explicatur, attentis iis, quæ Sanct. Doctor immediate subdit: *malæ quippe voluntates ab illo non sunt*. Sed bonas voluntates a Deo esse, ubique prædicat.

150. Hæc eadem responsio adaptari potest similibus locutionibus Concilii Coloniensis in *Enchir. de Sacram. Pœnit.*, & nonnullorum Patrum, præsertim Chrysostomi, qui alicubi dicit, „ Unde i- „ gitur alii quidem vasa sunt iræ, alii vero misericordiæ? Ex propria voluntate ".

151. Inst. tertio. Sanct. Augustinus non alia de causa nostrum consensum gratiæ tribuit, nisi quia Deus vocatione sua nostram bonam voluntatem præcedit. „ Quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene velimus *Lib. I. ad* Simplic. *qu.* 2. *n.* 12. *Et Lib.* „ *LXXXIII.* Quæstionum *quæst.* 68. *Tom. VI.* „ Quoniam, *inquit*, nec velle quisquam potest, „ nisi admonitus, & vocatus, efficitur, ut ipsum „ velle Deus operetur in nobis ".

152. Resp. id intelligi a Sancto Augustino de vocatione per se efficaci, quæ agat in cordibus nostris etiam ipsum voluntatis motum. Suam mentem clarius expressit in operibus postea contra Pelagianos majori studio, ac diligentia elucubratis, ut superius declaravimus n. 146.

153. Inst. quarto. S. Doctor Lib. *de Spirit. & litt.* c. 33. „ Liberum arbitrium, *ait*, naturaliter „ attributum a creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest; & ideo nec istam „ voluntatem, quæ credidit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem „ vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit": censet ergo, liberum arbitrium suis viribus a Deo vocanti consentire; & nihilominus illius consensum esse Deo adscribendum.

154. Resp. Considerato toto contextu, verosimilius videri, hoc dictum esse ad mentem Pelagii, qui contendebat, non alia ratione nostrum consensum vocationi divinæ esse Deo adscribendum, nisi quia de libero arbitrio procedit, quod a Deo in creatione accepimus, adeoque iis verbis Pelagii objectionem, non vero doctrinam S. Augustini contineri. Quod si quis acrius contendat, id a S. Patre in propria sententia dictum fuisse, intelligendum erit sensu congruenti notis illis, & communissimis ipsius principiis de libero arbitrio, efficaci Dei gratia præparato, & moto.

155. Inst. quinto (cum Bellarm. Lib. VI. *de grat. & lib. arb.* c. 12.) Sanct. Augustinus Tract. XXVI. in Jo. explicans modum, quo Pater trahit homines ad Christum, inquit: „ Ramum viridem ostendit „ ovi, & trahit illam, nuces puero demonstrantur, & trahitur... si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est: Trahit sua „ quemque voluptas: non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem "? Hujusmodi exempla ab Augustino adhibita nonnisi motionem moralem indicant, in suasionibus, hortationibus, visis, aliisque similibus modis sitam. Etiam S. Prosper Lib. *contra Collatorem* cap. 7. n. 18. explicans ea verba Christi Jo. VI. 44. *Nemo potest venire ad me*, *nisi Pater*, *qui misit me*, *traxerit eum*; inquit: „ Trahit ad Deum contemplatio elementorum, omniumque, quæ in eis sunt, ordinatissima pulchritudo.... Trahunt rerum gestarum relatores; „ animum audientis inflammant narrantes laudes „ Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ „ facit. Trahit timor... trahit lætitia... trahit desiderium... trahunt delectationes... & quis perspicere, aut enarrare possit, per quos effectus „ visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ „ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ „ fastidiebat, esuriat &c. "?

156. Resp. S. Augustinum uti quidem his exemplis ad explicandos eos miros, & ineffabiles modos, quibus Deus agit in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum: non tamen in istis visis,

sis, suasionibus, hortationibus, promissis, minis &c. veram gratiæ efficaciam constituere; nam alibi (in Ps. XXXIV.) dicit, animam hominis esse in manu Dei, *sicut frameam* in manu bellatoris; alibi ipsam agi a divina gratia *indeclinabiliter*, *&* *insuperabiliter* (*de Corrept. & grat.* cap. 12.) &c. Vide infra n. 174.

157. Idemque dicendum ad verba S. Prosperi, qui eo loco Collatorem impugnat, contendentem, portionem justificatorum ,, solius voluntatis suæ ,, motibus ad Christum venire; *portionem autem* ,, reluctantem trahi, atque invitam compelli; cum ,, Deus sit, qui operatur omnia in omnibus". Nec de mente hujus fidelissimi S. Augustini discipuli ullum potest superesse dubium.

158. Obj. 2.° S. Hieronymus ad cap. XLIX. Isaiæ scribit: *Deum potentiam suam nostro arbitrio derelinquere;* quibus significatur, gratiam esse versatilem, nostræque voluntatis nutibus subditam.

159. Resp. id intelligendum esse in aliquo sensu accommodo, scilicet ad libertatem nostram explicandam, quam sartam, tectamque gratia Dei conservat. Ceterum Innocent. XI. (ann. 1679.) has duas propositiones Apostolico stigmate confixit: ,, Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea ,, utamur, sicuti alteri aliquis donat villam, vel ,, librum; & Deus subjicit nobis suam omnipo- ,, tentiam".

160. Obj. tertio. Sanct. Jo. Chrysostomus Hom. XXXI. in Matth. scribit, Matthæum tunc fuisse a Deo vocatum, quando Christus vidit, eum non repudiaturum vocationem. Idem habet in Comment. sup. cap. IX. epist. ad Rom., & idem de vocatis ad vineam Hom. in Matth. LX.

161. Resp. His, aliisque SS. Patrum similibus testimoniis illa celebris adaptanda est regula, quam tradit S. Augustinus (in Libro *de dono persev.* cap. 19.) inquiens: ,, Quid ergo nos prohibet, quando ,, apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei ,, præscientiam, & agitur de vocatione electorum, ,, eamdem prædestinationem intelligere"? Christus itaque vocavit Matthæum ad Apostolatum, & operarios in vineam suam, quando vidit eos esse consensuros ea præscientia, qua, ut idem Augustinus loquitur (*de Præd. Sanctorum* c. 14.) *præscivit*, *quæ fuerat ipse facturus:* nempe præscientia innixa decreto. Card. Toletus (Adnot. LIV. in c. V. S. Lucæ) hunc Chrysostomi locum expendens, hæc habet: ,, Potest Chrysostomus intelligi ,, sic: tunc vocasse discipulos, quando sciebat, ,, illos obtemperaturos, nimirum per ipsius gra- ,, tiam: sciebat enim quando ipse operaturus erat ,, in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vo- ,, cavit: nisi sic intelligas, *doctrinam non probo* ,, (Vid. sup. n. 154.)". Ita loquebantur communiter Theologi etiam Soc. Jesu, antequam novum Molinæ systema prodiret.

162. Obj. quarto Sanct. Thomas (Lect. VI. in cap. VIII. ep. ad Rom.) de vocatione electorum loquens: *Hæc vocatio*, inquit, *est efficax in prædestinatis*, *quia hujusmodi vocationi assentiuntur:* ergo gratiæ efficacia &c.

163. Resp. Sanct. Thomam loqui in sensu *illativo*, non in sensu *causali;* videlicet quotiescumque electi assentiuntur vocationi, inferimus, eam fuisse efficacem, eo modo quo aliquis dicere posset: nunc pluit, quia vestes madidæ sunt. Ceterum gratiæ efficaciam intrinsecam a Sancto Thoma agnitam, & prædicatam fuisse, luculenter ostendetur inferius.

164. Inst. primo. Sanct. Thomas Quæst. VI. *de veritate* art. 3. *in eo*, inquit: ,, quem Deus præ- ,, destinat, tot alia adminicula præparat, quod vel ,, non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut ,, exhortationes, & suffragia orationum, donum ,, gratiæ, & alia hujusmodi, quibus Deus admi- ,, niculatur homini ad salutem": censet igitur Angelicus, gratiam efficacem sitam esse in auxiliis congruis.

165. Resp., inter ista adminicula a S. Thoma enumerata esse donum gratiæ; gratiæ inquam, non versatilis, sed talis: *qua Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis*, ut ipse loquitur quæst. VI. *de malo* art. un. ad 3., & 1. P. Quæst. 103. art. 5. ad 2. ,, Quæ- ,, dam, *ait*, secundum suam naturam sunt per se ,, agentia, tamquam habentia dominium sui actus; ,, & ista gubernantur a Deo, non solum per hoc, ,, quod moventur ab ipso Deo interius operante, ,, sed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad ,, bonum, & retrahuntur a malo per præcepta, ,, & prohibitiones, præmia, & pœnas".

166. Inst. secundo. Perpetua Sancti Thomæ doctrina est, *voluntatem determinare seipsam*, *&* *esse suorum actuum dominam*, & nullibi voluntatem a Deo *præmoveri*, aut *prædeterminari* asserit; non ergo &c.

167. Resp. nihil facilius expediri posse hoc argumento, in quo adversariorum nonnulli maximam vim reponunt. Docet Angelicus, voluntatem movere seipsam, suorumque actuum esse dominam in ordine causæ secundæ, quæ non excludit determinationem, & applicationem a causa prima descendentem. S. Doctor non alio eget interprete, quam se ipso. Nam I. P. quæst. 83. art. 1. ad 3. ,, Liberum arbitrium, *inquit*, est causa sui mo- ,, tus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum ,, movet ad agendum. Non tamen hoc est de ne- ,, cessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, ,, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod ali- ,, quid sit causa alterius, requiritur, quod sit pri- ,, ma causa ejus. Deus igitur est prima causa mo- ,, vens & naturales causas, & voluntarias &c. *Et in* ,, *Lib. I. Contra Gentiles* c. 68. Dominium, *inquit*, ,, quod habet voluntas supra suos actus, per quod ,, in ejus potestate est velle, vel non velle, exclu- ,, dit determinationem virtutis ad unum, & vio- ,, lentiam causæ exterius agentis, non autem ex- ,, cludit influentiam superioris causæ, a qua est ,, ei esse, & operari &c.".

168.

168. Nimia autem confidentia asseritur, nullibi a Sanct. Thoma nomen *præmotionis*, aut *prædeterminationis* usurpari, quod falsum esse jam sæpius a Thomistis ostensum fuit (Vid. P. Massouliè in. T. I. *de Div. motione* Dissert. I. quæst. 2. art. 3.). Sed, si etiam S. Doctor non usurpasset hoc nomen, annon sufficit, ut rem ipsam aliis verbis luculenter docuerit? Ut plura loca omittam, quid clarius iis verbis, quæ habet in Quæst. III. *de potentia* art. 5. ubi inquit: „ Deus est causa a- „ ctionis cujuslibet, inquantum dat virtutem agen- „ di, & inquantum conservat eam, & inquantum „ applicat actioni, & inquantum ejus virtute o- „ mnis alia virtus agit ": quos quatuor causandi modos copiose in corpore articuli demonstravit. Totus ille articulus legi meretur. Sed in cap. seq. Angelici nostri Præceptoris doctrina uberius exponetur.

CAPUT IV.

Ostenditur, gratiam esse vi, & natura sua efficacem (a).

169. Prob. 1. ex sacris litteris, quæ docent, Deum facere, ut nos faciamus: Ez. XXXVI. 26. *Dabo vobis cor novum... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Docent præterea Deum operari in nobis & ipsum primum voluntatis motum. Philipp. II. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*; & Hæbr. XIII. 20. „ Deus „ autem pacis ... aptet vos in omni bono, ut fa- „ ciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod „ placeat coram se per Jesum Christum ". Docent insuper, filios Dei agi ipso spiritu Dei: Rom. VIII. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*: Et Deum inclinare corda nostra: Psalm. CXVIII. 36. *Inclina cor meum in testimonia tua*. Prov. XXI. 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, similitudine deprompta ex olitoribus, qui irriguas aquas divertunt, quocumque volunt. Homines denique a Deo trahi: Jo. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (Græce ἑλκύσῃ ab ἑλκύω *traho*); super quæ verba exclamavit Augustinus: *Magna gratiæ commendatio; nemo venit, nisi tractus*. Tract. XXVI. in Jo. Tom. III.

170. Porro hujusmodi phrases esse intelligendas de vera, propria, ac *physica* motione, non autem de motione minus propria, *morali*, & *metaphorica*, facile ostenditur; *primo*, quia nulla ratio est, cur motio divina tam sæpe, & tam energice in divinis eloquiis repetita in sensu minus proprio intelligatur: *secundo*, quia in laud. locis certe significatur ea nostræ voluntatis motio, quæ a solo Deo proficiscitur: hujusmodi autem non est nisi motio *physica*, quia *moraliter* nostra voluntas etiam ab Angelo, Dæmone, vel homine moveri potest. Audiatur Angelicus Quæst. III. *de malo* art. 3. ubi postquam constituit, solam causam perficientem vere, & proprie causam dici, ita subdit: „ Relinquitur ergo, quod causa perficiens, „ & propria voluntarii actus sit solum id, quod „ operatur interius. Hoc autem nihil aliud esse „ potest, quam ipsa voluntas, sicut causa secun- „ da, & Deus, sicut causa prima ". *Et ulte-* „ *rius*: Sic ergo motus voluntatis directe proce- „ dit a voluntate, & a Deo qui est voluntatis „ causa, qui solus in voluntate operatur, & vo- „ luntatem inclinare potest in quodcumque volue- „ rit ". (Vid. etiam 1. 2. quæst. 9. art. 6., quæst. item 80. art. 1. & alibi). Ubi cum eodem prorsus modo doceat Angelicus, voluntatem se ipsam movere, & moveri a Deo, sequitur, ut quemadmodum se movet *physice*, etiam *physice* moveatur a Deo. Et præterea si de morali tantum motione sermo esset, non posset hæc dici solius Dei propria. Laudata igitur divinorum eloquiorum loca de *physica* motione sunt intelligenda.

171. Sed & illud accedit, eo sensu accipi in sacris litteris Dei motionem, ut inde tam ipsæ, quam SS. Patres earumdem interpretes, recte colligant, quantum in nobis est boni, totum esse Deo sine ulla exceptione tribuendum. *Quid habes, quod non accepisti?* inquit Paulus epist. 1. ad Corinth. IV. 7. Concinunt autem S. Patres, ut Chrysostomus, inquiens (Serm. II. in epist. ad Coloss.): *In negotio salutis totum est donum Dei;* Basilius autem (Hom. XXII. *De Humil.* Lib. VI.) *Nihil*, inquit, *tibi relictum, o homo, de quo gloriari possis*; & ante hos Cyprianus (Lib. *Testimoniorum* ad Quirinum. cap. 4.): *In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil est*. Taceo de S. Augustino, cujus testimonia infinita afferri possent. At vero seposita physica, & proprie dicta motione, non video quomodo possit totum opus bonum omni ex parte Deo tribui, ut supra declaratum est (n. 119.): nonnisi ergo de physica motione, seu gratia ex se efficaci laudata Scripturarum testimonia intelligenda sunt, qua Deus nostras voluntates ad bonum vere inclinat, applicat, & determinat.

172. Ac demum si, ut arbitrantur adversarii, Deus nonnisi moraliter voluntatem ad bonum moveret, sequeretur, opus bonum partim gratiæ tribuendum esse, & partim libero arbitrio quam fuisse Molinæ sententiam supra observavimus (Diss. II.

(a) Servamus communem loquendi modum, quamquam si accuratius loqui vellemus, potius dicendum esset, gratiam *in se* habere efficaciam, quam *a se*: cum enim gratia sit virtuosa illa motio, qua Deus agit in hominum voluntates, eas inclinando, & determinando ad bonum, suam efficaciam a Dei intentione mutuatur, non autem o natura sua habet. Confer. Pater Lemosium in. *Panoplia gratiæ* Tom. IV. Lib. IV. Part. II. Tract. 2. num. 111. & Pater Alvarez Lib. IX. *de Div. grat. auxiliis* Disp. 90., & quæ supra diximus n. 77.

II. cap. 6. quæres 2.). Ibidem autem ostendimus, hanc ipsam sententiam S. Aug., S. Thomæ, immo ipsis Conciliis e diametro opponi. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt*, inquit S. Bernardus *de Gratia*, *&* *libero arbitrio* cap. 14.

173. Alterum locupletissimum intrinsecæ efficaciæ gratiæ argumentum nobis suppeditant communes Ecclesiæ preces, quo argumento non semel S. Aug. contra Pelagianos, ac Semipelagianos feliciter usus est (Vid. *de dono perseverantiæ* c. 7. *de prædestinatione Sanctorum* cap. 14. &c.) Porro nervorum plenæ sunt illæ precandi formulæ, quibus Ecclesia a Deo postulat gratiæ auxilium, ut cum ita Deum precatur (in Vig. Pentec.): *Concede nobis, & nostræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Omnium nostrum corda ad te converte* (Dom. XXIV. post Pentec.); & ita similiter quamsæpissime. Sed ea verba animadversione digna sunt, quibus semel, & iterum (Sab. post Dom. IV. Quadrag., & Dom. IV. post Pentec.) sic Deum orat: *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*; quam phrasim mutuata est Ecclesia ex parabola Christi Domini Lucæ XIV., ubi Deus sub figura Patrisfamilias homines ad cœnam intrare compulit (quanquam aliquid aliud in ea parabola significetur) (*a*), eamdemque vocem postea usurpavit etiam Catechismus Romanus (*b*). Non video autem, quomodo istæ precandi formulæ possint gratiæ versatili, aut motioni morali accommodari, nisi verborum significatione totaliter immutata (*c*).

174. Tertium argumentum desumitur ex S. Augustino, quem potissimum ut magistrum, & ducem, post Scripturarum, & Ecclesiæ oracula sequendum esse, supra satis ostendimus (c. 1.). Jam vero magnus hic gratiæ Doctor, assertor, ac vindex, ejusdem gratiæ efficaciam ubique, ac constanter ab omnipotentissima Dei voluntate repetit: „ Deus, *inquit* (de Gratia Christi c. 24.) interna, „ atque occulta, mirabili, atque ineffabili pote„ state operatur in cordibus hominum, non solum „ veras revelationes; sed etiam bonas voluntates. „ *Et de correptione, & gratia cap.* 12. Subven„ tum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, „ ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabi„ liter (*d*) ageretur. *Ibidem cap.* 14. Cui volenti „ salvum facere, nullum hominis resistit arbi„ trium .... Non est dubitandum voluntati Dei .... „ humanas voluntates non posse resistere, quomi„ nus faciat ipse, quod vult: quandoquidem et„ iam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, „ cum vult, facit ... sine dubio habens humano„ rum cordium, quo placeret, inclinandorum o„ mnipotentissimam potestatem: *ac demum con-* „ *clu-*

(*a*) S. August. epist. ad Vitalem olim CVII., nunc „ autem CCXVII. cap. 7. „ Numquid, *inquit*, ubi au„ dieris Sacerdotem Dei ad ejus altare populum hor„ tantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce o„ rantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire „ compellat, non respondebis: Amen "?

(*b*) De primo Symboli art. n. 22. hæc habet: „ Non „ solum autem Deus universa quæ sunt, providentia „ sua tuetur, atque administrat, verum etiam quæ mo„ ventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, „ atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum „ secundarum efficentiam non impediat, præveniat ta„ men, cum ejus occultissima vis ad singula perti„ neat &c." Quanta vero sit hujus Catechismi auctoritas, declaravit non ita pridem Clemens XIII. R. P. in Encyclicis litteris ad Patriarchas, Primates &c. 14. Junii 1761. dicens, in eo contineri doctrinam, *quæ communis est in Ecclesia, & procul abest ab omni periculo erroris*. Vid. etiam Præf. præmissa eidem Catechismo an. 1760. Celsissimo Principe Christophoro Com. Migazzio Archiepiscopo Vindobonensi, nunc S. R. E. Cardinali mandante, in usum Cleri sui recuso.

(c) Præclara sunt, quæ in hanc rem scribebat olim S. Aug. ad Vitalem epist. CCXVII. cap. 2. „ Non fal„ limus homines, nam Deum fallere non valemus. „ Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, „ si nos ipsos, non illum credimus facere, quod ora„ mus ... labia dolosa, si in hominum quibuscumque „ sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint. „ Absit, ut quod facere Deum rogamus oribus, & vo„ cibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris; „ & quod est gravius ad alios etiam decipiendos, hoc „ non taceamus disputationibus nostris: & cum, volu„ mus apud homines defendere liberum arbitrium, a„ pud Deum perdamus orationis auxilium ".

(*d*) Alii cum Jo. Amerbachio, & Desiderio Erasmo legunt *inseparabiliter*; & extat hac de re dissertatio Andreæ Monvallonii Avenione impressa ann. 1761. Editores tamen Lovanienses, & doctissimi Patres Maurini in melioris notæ codicibus invenerunt *insuperabiliter*. Sed quidquid sit, hæc variatio nullius momenti est, nec vim nostri argumenti vel minimum labefactat. Neque illam labefactat duplex illa hujus vocis interpretatio, quam affert Tournelius T. I. *De Deo* qu. XVI. art. V. p. m. 399., scilicet *to insuperabiliter* cadere aut in perseverantiam usque in finem, quæ ut ipse S. Augustinus ait, *contumaciter amitti non potest*, aut in voluntatem ipsam, quæ beneficio gratiæ stat inconcussa adversus omnes tentationes, *si tamen*, subdit Tournelius, *gratiæ firmiter adhærere, ac divinis mandatis obtemperare voluerit*. At vero quantum prima interpretatio sit a mente S. Doctoris aliena, vel ex hoc uno liquet, quod de illa perseverantia loquatur, quam non habuit Adam; sed perseverantiam usque ad finem certe habuit Adam, qui Dei misericordia salvus factus est: ergo &c. Altera etiam interpretatio textui repugnat, in quo S. Pater comparationem instituit inter adjutoria utriusque status innocentis, & lapsi; & primi status adjutorium vocat *sine quo* Adam perseverare non poterat; alterum *quo* homines in justitia perseverant, & *quo* in ipsis Deus operatur velle; & postea addit, hoc adjutorio *indeclinabiliter, & insuperabiliter agi voluntatem*, ut scilicet firma, & inconcussa maneat in bono. Illa autem conditio a Tournelio apposita, *si voluntas gratiæ firmiter adhærere voluerit*, quid aliud significat, nisi voluntatem nativis suis viribus gratiæ adhærere? quod certe videtur Semipelagianum sensum redolere.

„ *cludit:* Intus egit, corda tenuit, movit, eosque „ voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus „ est, traxit... magis habet in potestate voluntates „ hominum, quam ipsi suas ". Infinitus essem, si cetera huc spectantia afferrem, cum plane omnia ejus scripta contra Pelagianos hujusmodi locutionibus plena sint.

175. Ulterius qualem gratiæ efficaciam prædicaret Augustinus, potest ex Pelagianorum, & Semipelagianorum objectionibus luculentissime erui. Nihil enim frequentius apud istos, quam de S. Augustino conqueri, quod talem inveheret gratiam, *quæ libertatem destruat* (Cœlestius in ep. ad Ctesiphontem), *& sine voluntate nostra sanctitatem perficiat* (ap. S. Aug. *de gratia Christi* c. 7.); *& quæ ita velle, & operari operetur in nobis, ut nos non agamus* (*de corrept. & gratia* c. 2.); *quæ invitos cogat ad bonum, imponat necessitatem volendi bonum, & libertatem hominis necessitate subvertat* (Lib. I. *operis imperf.*); *quæ homines fatali necessitate bonos faciat* (Lib. IV. ad Bonif. c. 4.); *ac demum quæ causa sit, ut nihil studii ab humana voluntate expectetur* (Lib. IV. *contra Julianum* c. 8.); atqui omnem prorsus verisimilitudinem superat, Pelagianos, & Semipelagianos, homines acutissimos, ita delirasse, ut hæc, & similia objicerent contra gratiam versatilem, & quæ moraliter tantum nostram voluntatem ad consensum alliceret, non vero physice, & reipsa eam determinaret, quis enim unquam adeo stupidus fuit, vel cavillosus, ut Molinianos, vel Suarezianos violatæ nostræ libertatis accusaret (*a*).

176. Sed fingamus, Augustini adversarios ita fuisse vel stupidos, vel cavillosos, ut hæc omnia sine ulla prorsus veri specie ejus doctrinæ objicerent. Annon potuisset S. Doctor unico flatu ridiculas has objectiones dissipare? Quid facilius, quam ostendere, ne minimum quidem esse nostræ libertati verendum, cum gratia sit nostris voluntatibus subdita? Quid etiam magis in promptu, quam similitudine uti sagacis consiliarii, qui suasionibus, consiliis, aliisque modis flectere animum Principis novit, ejusdem libertate illæsa? Anne ita respondit Augustinus? Plane nihil minus. Sed postquam per 20., & amplius annos huic controversiæ enodandæ insudasset, nullam aliam humanæ libertatis cum Dei gratia conciliandæ viam invenit, quam ad omnipotentissimam Dei potestatem confugiendi, qui sicut potuit voluntates nostras condere, ita & mutare potest; & sicut nobis libertatem dedit, ita etiam ejusdem exercitium donat; & tandem fateri coactus est, tantum adhuc superesse difficultatis, ut quando asseritur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, & vicissim liberum arbitrium tolli, quando Dei gratia defenditur. Hoc argumentum, tametsi extrinsecum, invictissime probat, Augustini doctrinam fuisse a gratia versatili alienissimam.

177. Porro S. Doctorem gratiæ Augustinum magno consensu secuti sunt, quotquot deinceps extiterunt germani divinæ gratiæ assertores, ac vindices, ex quorum tamen choro nonnisi paucos seligam, cum omnes huc advocare, res esset longissima. S. Prosperi testimonium insigne superius allatum est n. 155.; cui plura ejusdem Sancti addi possent, ut illud in eodem Carmine *De ingratis*:

. . . . . . Deus ergo sepultos
Suscitat, & solvit peccati compede vinctos.
Ille obduratis dat cordibus intellectum;
Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
Quo redametur amans.

Et in epist. ad Ruffinum *Quis ambigat*, inquit: „ Tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis „ obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obediendique generavit? .... Ex invito „ volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, „ ubi premebatur, ibi discat, ubi ignorabat, ibi „ fidat, ubi diffidebat, inde velit, unde nolebat ".

178. S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, qui pro altero Augustino est habitus, in Libro *De veritate prædestinationis, & gratiæ* cap. 15. *Ista Gratia*, inquit, *ut eligatur, ipsa prius eligit, neque suscipitur, atque eligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur.*

179. Petrus Diaconus in Libro „ De Incarnatione, & gratia cap. 6. Frustra, *inquit*, garriunt, qui dicunt: meum est velle credere, Dei „ tamen gratiæ est adjuvare: cum etiam ipsum „ credere, quod est consensum præbere veritati, „ nobis a Deo dari testetur Apostolus ".

180. Denique, ne infinitus sim, S. Bernardus sanctorum Patrum ultimus, & S. Augustini studiosissimus, gratiæ ingenitam efficaciam sæpius commen-

(*a*) Suarez Lib. III. *Opusc. de Div. aux.* c. 5. num. 10. postquam definivisset causam moralem eam esse, quæ „ consilio, precibus, aut alio simili modo movet „ causam liberam ad operandum, *ita subdit:* Auxilia „ ergo excitantia maxime habent vim causæ moralis... „ & declaratur a simili: nam homo inducens alterum ad „ malum, vel dæmon tentans ad peccandum, est causa moralis peccati, quia ad illud excitat, & movet: „ sic ergo Deus, multoque magis, & perfectius est „ causa moralis boni actus supernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, nostramque præparat voluntatem. Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est: nam per hanc „ gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum „ proponitur, honestius, & amore dignius appareat, „ & quod timendum, horribilius, quod odio habendum, „ turpius, & sic de ceteris. Hoc autem fit, vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo disponendo & inclinando affectum, ex quo judicium practicum intellectus plurimum pendet ". Est ne difficile cum hac motione nostram libertatem componere?

mendat, præcipue autem in aureo Libro *De gratia & lib. arb.* Tomo II.; ubi postquam dixisset, totum hominis meritum situm esse in consensu, quem gratiæ præstat, ita subdit (cap. ult.): „ Non quidem, quod vel ipse consensus, in quo „ omne meritum consistit, ab ipso (*homine solo*) „ sit, cum nec cogitare (quod minus est, quam „ consentire) aliquid a nobis, quasi ex nobis sufficientes simus ... Si ergo Deus tria hæc, hoc „ est bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit; siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit &c. "; & plura ibidem habet, præsertim in fine capitis, quibus intrinseca gratiæ efficacia mirifice confirmatur.

181. Multo clarius hac in parte locutus est S. Thomas, fidelissimus Augustini discipulus, & primo quidem gratiam actualem definit *misericordiam Dei, per quam motum voluntatis operatur* Quæst. XXXIV. *de verit.* art. 14. (quæ sola definitio sufficeret ad gratiæ efficaciam demonstrandam): tum sæpius docet, solum Deum posse immutare hominis voluntatem. „ Voluntas, *inquit I. Part. quæst.* „ 111. *art.* 2., potest immutari dupliciter. Uno „ modo ab interiori, & sic, cum motus voluntatis non sit aliud, quam inclinatio voluntatis in „ rem volitam, solius Dei est immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis „ inclinationis ". Et iterum: *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, Angelus autem & homo per modum suadentis.* Quæ doctrina falsa esset, si motio gratiæ tantum *moralis*, & non *physica*, & *propria* esset; quia & Angelus, & homo possunt nos non solum exterius, sed etiam interius hortando, rogando, terrendo, & persuadendo *moraliter* permovere (Vid. etiam 1. 2. quæst. 9. art. 6.; tum quæst. 80. art. 1., ac quæst. 3. *de malo* art. 3.).

182. Ulterius S. Thomas, non minus quam Augustinus, efficaciam divinæ motionis semper repetit a Dei omnipotentia, nullibi a præscientia. *Cum voluntas divina*, inquit I. P. quæst. 19. art. 8., *sit efficacissima; non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.* Et 1. 2. quæst. 10. art. 4. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, non est tamen impossibile simpliciter;* tum Quæst. VI. *de malo* art. un. ad 3. *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest.* Ac demum, ne omnia persequar, Quæst. XXII. *De verit.* art. 8. „ Omnis actio voluntatis, „ *inquit*, inquantum est actio, non solum est a „ voluntate, ut immediate agente, sed etiam a „ Deo, ut primo agente, qui vehementius imprimit; unde sicut voluntas potest immutare actum „ suum in aliud, ita & multo amplius Deus &c. ".

Solvuntur objectiones.

183. Primum, & potissimum adversariorum argumentum desumitur ex iis verbis Matth. XI. 29., quibus Christus Judæorum obstinationem redarguens, inquit: „ Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in „ cinere & cilicio pœnitentiam egissent ". Unde sic colligunt: Si gratia ad operandum bonum esset vi, & natura sua efficax, non potuisset Christus Judæos præ Tyriis, & Sydoniis juste reprehendere; facile enim iis fuisset Christo objurganti respondere: *& nos pœnitentiam ageremus, si gratiam illam per se efficacem nobis donares, quam Tyriis, & Sydoniis largiturus eras.* Contra vero justissima est Christi increpatio, si gratiæ efficacia nonnisi a voluntatis consensu pendeat; tunc enim tota ratio, cur Judæi pœnitentiam non egerint, quam Tyrii, & Sydonii acturi erant, ex voluntate repetitur.

184. Resp. primo. Si quid in hoc argumento difficultatis est, etiam premere adversarios gratiæ congruæ defensores. Si enim admittant, ut admittere se profitentur (ex Decr. Claudii Aquaviva 14. Dec. 1613.), *semper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia contineri*, potuissent æque in eorum sententia, ac in nostra Judæi Christo objurganti respondere: „ Si majus illud beneficium, quod „ simul cum signis, & virtutibus largiturus eras „ Tyriis, ac Sydoniis, nobis quoque contulisses, „ nos non minus ac illi pœnitentiam egissemus ".

195. Resp. secundo (cum P. Lemos Tomo I. Tract. V. cap. 29.) juste fuisse a Christo Domino Corozaitas, & Bethsaiditas in comparatione Tyriorum, & Sydoniorum increpatos quia majore sua obduratione, malitia, & ingratitudine se magis indignos reddiderunt ea gratia, quæ erat ad conversionem necessaria. *Non erant*, inquit S. Augustinus cap. 14. *de dono Persev.*, *sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum.* Immo ipse Christus hanc eamdem rationem suæ increpationis reddit, immediate subdens: *Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis*; non alia certe de causa, nisi propter minorem cordis indurationem. Propterea Christi objurgatio hunc ferme sensum habet: *Vos Judæi in vera Religione nati, & alti, pejores estis Gentilibus, majoremque gratiæ obicem, quam illi, opponitis* (a).

186.

(a) Putant aliqui, figurate, & per hyperbolem illam locutionem Christi accipiendam esse; ut cum dicitur, corda peccatorum esse *saxis duriora;* aut *si hæc apud Turcas, & Barbaros prædicarentur, majorem, quam a-*

186. Instabis primo. Respondere poterant Corozaitæ, & Bethsaiditæ, hanc majorem ipsorum obdurationem ex defectu gratiæ efficacis ortam fuisse; quæ si Tyriis, & Sydoniis defuisset, non minor fuisset ipsorum obduratio, quam Judæorum.

187. Resp. primo, causam obdurationis esse a voluntatis perversitate, non autem a gratiæ defectu repetendam. Verum quidem est, gratia efficaci aut impediri, aut tolli cordis duritiem; hæc enim gratia, ut Augustinus docet, *a nullo duro corde respuitur; ideo quippe datur, ut duritiam cordis auferat*. Sed perperam quis inde inferat, ex gratiæ carentia, tanquam ex causa efficiente, cordis obdurationem oriri. Quemadmodum manus lapidem sustentans vera causa est, cur non cadat, non tamen dici potest, manus subtractionem etiam causam esse efficientem, cur lapis decidat; vera enim causa, cur lapis decidat, est innata ejus gravitas. Frustra igitur reposuissent Judæi, ideo se esse magis obduratos, quam Tyrios, & Sydonios ex gratiæ defectu.

188. Ulterius nec omnino verum est, quod additur, Tyrios, & Sydonios, si gratia eis defuisset, non minus obcæcatos, & induratos futuros, quam Judæos. Consentiunt enim Theologi, etiam sine gratia posse, sin minus omnia, & difficiliora, saltem aliqua, & faciliora præcepta quantum ad substantiam observari. Quod qui fecerit, non ille quidem omni obstaculo carebit (ad hoc enim omnino gratia Dei necessaria est), sed tamen minus erit in malis obduratus. Itaque etiam posito eodem gratiæ defectu, potuerunt Tyrii, & Sydonii esse minus obdurati, quam Judæi in eorum comparatione objurgati.

189. Inst. secundo. Non ideo fuerunt Judæi a Christo objurgati in comparatione Tyriorum, & Sydoniorum, quod majora impedimenta gratiæ posuerint; sed ideo solum, quod visis signis, & virtutibus suis, pœnitentiam non egerint, quam in cinere, & cilicio alii egissent; sed si ad agendam pœnitentiam necessaria esset gratia per se, & ab intrinseco efficax, fuisset hujusmodi objurgatio injusta; ergo &c.

190. Resp., de utroque fuisse Judæos a Christo objurgatos, & ipsam objurgationem de impœnitentia ex eo oriri, quod majoribus obstaculis oppositis magis indignos gratiæ conversionis se reddidissent, quam Tyrii, & Sydonii; quod luculenter postea declaravit Christus ipse subdens: *Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis*.

191. Inst. tertio. Gratis, & absurde fingitur, Deum voluisse Tyriis, & Sydoniis gratiam efficacem, quam negabat Judæis, ideo donare, quia minora impedimenta posuerant. Auxilium enim gratiæ efficax nec a Deo hominibus datur propter ipsorum merita, nec denegatur propter demerita; sed unice a beneplacito divinæ voluntatis suspenditur.

192. Resp., gratis a nobis non fingi, quod Christus ipse æterna veritas ore suo aperte testatus est, videlicet Tyrios, & Sydonios in cinere, & cilicio pœnitentiam fuisse acturos visis Christi miraculis, quod utique sine interno auxilio efficaci non erant facturi. Quod autem subditur: gratiæ efficacis largitionem a solo beneplacito divinæ voluntatis suspendi; certissimum utique est; verumtamen quid impedit, quominus Deus pro sua voluntate aliquando eam velit magis indignis ex justitia denegare, minus autem indignis pro sua misericordia largiri? Quod reipsa fuisse eum facturum cum Tyriis, & Sidoniis, in hypotesi, quod signa, & virtutes Jesus Christi vidissent, allata ipsius verba luculenter ostendunt.

193. Neque vero aliquis molestius urgeat, fictitium esse illud decretum conditionatum, quod in Deo ponimus, dandi Tyriis gratiam efficacem, si apud eos facta fuissent Christi miracula; cum plusquam certum sit, noluisse Deum apud eos Christi miracula fieri, aut eas impias gentes ad ejusdem Christi fidem converti. Non inquam; nam de decretis subjective absolutis, & objective conditionatis dictum est satis suo loco in Tract. *de Deo* Dissert. IV. c. XI. Tom. II.) unde S. Augustinus *De dono persever.* cap. 9. *Numquid*, ait, *possumus dicere, etiam Tyrios, & Sydonios, talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum de eis ipse Dominus attestetur, quod acturi erant magnæ humilitatis pœnitentiam?* Ulterius annon adversarii ad conversionem necessariam esse fatentur gratiam congruam, quæ in ratione beneficii diversa est, & major, quam gratia non congrua? Deus igitur vel in ipsa eorum sententia decrevisse dicendus est, se Tyriis, & Sydoniis gratiam congruam largiturum, si Christus apud eos sua miracula patrasset.

194. Obj. secundo. Gratiæ per se, & ab intrinseco efficacis nomen nullibi in sacris litteris, aut in SS. Patribus invenitur; primusque ejus inventor Calvinus creditur (Lib. II. *Instit.* cap. 3. num. 11.). Reipsa multi ex recentioribus Calvinis in dogmate gratiæ efficacis se nullatenus a Thomistis dissentire gloriantur.

195.

pud Christianos, fructum reportarent; aut similia, quæ communiter dici solent per exaggerationem; quam opinionem ut minime improbabilem exponit, & vindicat P. Antoninus Massoulié T. II. Dissert. III. *de Div. Gratia* Quæst. II. art. 26. Ceterum communiter interpretes nobilissimi hunc locum eadem prorsus ac nos ratione exponunt. S. Hieronymus in Comment. „ Præferuntur eis, *inquit*, Tyrus, & Sydon urbes idololatriæ, & vitiis deditæ. Præferuntur autem ideo, quod „ Tyrus, & Sydon naturalem tantum legem calcaverint, istæ vero post transgressionem naturalis legis, „ & scriptæ, etiam signa, quæ apud eas facta sunt, „ parvi duxerunt ". Tom. VII. Confer Guill. Estium, Calmet, aliosque Commentatores.

195. Resp., parum interesse, gratiæ per se efficacis nomen in Ecclesiasticis documentis non inveniri, dummodo res ipsa per nomen significata existat, ut demonstravimus. Et si hoc argumentum semel obtineat, facile quisque videbit, quo serpat; ad convellenda scilicet non pauca nostræ Religionis dogmata. Immo & *scientia media*, & *gratia congrua* potiori jure eliminabuntur, cum earum nec nomen, nec vestigium ullum, nedum in Ecclesiasticis monumentis, sed neque in vetustis scriptoribus reperiatur, ut Molina ipse gloriabatur (Vid. sup. not. ad num. 109.). Porro idem est, ut puto, dicere, gratiam per se, & ab intrinseco esse efficacem, ac dicere, gratiam solam operari nostram conversionem. Hoc aut sæpissime affirmat Sanct. Augustinus, ut cum dicit (*de grat. & lib. arb.* cap. 5.), *ut Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola;* cui subscribit de more S. Prosper (*Carm. de Ingratis*) dicens:

Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit.

Quæ quidem non eo sensu dicta sunt, quasi nostra voluntas ad opus bonum non concurrat, sed quia ipse nostræ voluntatis consensus Dei gratiæ efficacis est effectus, & donum (*a*).

196. Quod additum est de hujus vocis auctore, parum nos movet, etiamsi verum esset, quod adversarii fortasse nimis confidenter objiciunt; illudque usurpare possumus, quod alia occasione Tertullianus ajebat (adversus Praxeam cap. 5.): „ non „ ideo non utitur & veritas vocabulo isto, & re, „ ac sensu ejus, quia & hæresis potius ex veri„ tate accepit, quod ad mendacium suum strue„ ret ".

197. Quod demum de recentioribus Calvinistis ad invidiam nobis conflandam ab aliquibus objici solet, facillimam habet solutionem. Vel enim recentiores Calvinistæ, desertis Magistri sui vexillis, ad Thomistica castra transierunt, quod verum esse multis documentis superius observavimus (Diss. III. n. 48.); & tunc gratulandum, quod etiam hujusmodi homines hac in parte ad Ecclesiæ doctrinam accesserint; utinam & in aliis accedant! Vel non; & tunc sub vestimentis ovium lupinam rabiem tegunt. Hoc idem, ni fallor, reponerent Molinistæ, si ipsis objiceremus, Remonstrantium quamplurimos gloriari se cum Molinistis sentire, quos tamen Semipelagiano luto hærere, jam demonstravimus (Diss. I. num. 102.).

198. Obj. tertio. Nonnulli Patres, præsertim Græci, efficaciam gratiæ nonnisi a nostræ voluntatis consensu repetunt. S. Cyrillus (in fine Lib. IV. *contra Julianum*) „ Si, inquit, ineffabili qua„ dam virtute, & efficacia usus (*Deus*) mutasset „ singulorum mentem ad bene agendum, & indi„ disset postea bonum, a quo ægerrime discedere „ possent, & non sponte, ultra non esset fructus „ mentis. *S. Joan. Chrysostomus* (*Hom. XI. in* „ *Joan.*). Anima, *inquit*, sui juris vim in se „ habet operandi, nec ulla in re Deo, nisi velit, „ obtemperat ". Et plures aliæ similes locutiones afferri possunt.

199. Resp. primo cum S. Augustino, non esse nimirum ad vivum resecandas quasdam formulas, quibus veteres Ecclesiæ Patres quandoque usi sunt ad libertatem arbitrii contra Simonianos, Marcionitas, Manichæos, aliasque hujusmodi pestes asserendam. „ Quid igitur opus est, *inquiebat* de „ prædestinat. Sanctorum c. 14., ut eorum scru„ temur opuscula, qui priusquam ista hæresis ori„ retur, non habuerunt necessitatem, in hac dif„ ficili ad solvendum quæstione versari; quod pro„ culdubio facerent, si respondere talibus coge„ rentur "? Addo etiam secundum observationem Petavii (Lib. IX. *Theol. dog. de Deo* cap. 6. n. 1.), latinos Patres in hac materia esse præferendos græcis, quia hæresis Pelagiana latinam Ecclesiam exercuit, ad orientalem non penetravit: inter Latinos autem omnium maxime audiendum esse Augustinum, ejusque discipulos, qui ob diurnas, acerrimasque cum pelagianis contentiones materiam hanc profundissime examinarunt, quod non fecerunt alii. Ac demum, quæ esset totius Ecclesiæ orientalis fides, ex præclara illa S. Basilii oratione colligi potest, quæ in universo pene Oriente in Altaris sacrificio recitari solebat: „ Dona, „ Domine, virtutem, ac tutamentum: malos, quæ„ sumus, bonos facito, bonos in bonitate conser„ va; omnia enim potes, & non est, qui contra„ dicat tibi: cum enim volueris, salvas, & nul„ lus resistit voluntati tuæ (*b*).

200. Resp. 2., quæ ex Cyrillo, & Chrysostomo allata sunt, eo tendere, ut nos doceant, eam non esse gratiæ naturam, ut nos cogat invitos, vel liberum a nobis tollat arbitrium, de quo vindicando maxime solliciti erant; non autem ut aliquid subtraheretur vi & efficaciæ gratiæ, quæ operatur in nobis etiam ipsum velle, & operari.

201. Dices. Etiam illi Patres, qui post exortam,

(*a*) Huc etiam spectat istud celebre Apostoli Pauli dictum Rom. IX. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* quod S. Augustinus hoc mirabili commentario illustrat *in Enchiridio* cap. 32: *Quomodo ergo non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Domino præparatur? ... ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

(*b*) Sed de consensu Patrum Græcorum cum Latinis in hac re, præter S. Augustinum in libris *adversus Julianum*, dignus est, qui legatur Bossuetus L. X. *de la Tradit. des SS. Peres* c. 12., seq., & P. Hiac. Serry in suo *Augustino vindicato &c.*

tam hæresim Pelagianam in Ecclesia floruerunt, easdem dicendi formulas usurparunt. Nam Sanct. Prosper, seu quilibet alius auctor *Librorum de vocatione gentium* Lib. II. c. 26. hæc habet; „ Gratia Dei in omni justificatione principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est incitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi &c." Quæ omnia nonnisi motionem moralem explicant.

202. Resp. Auctorem hunc, qui diversus est a Sancto Prospero (*a*), nihil aliud velle, nisi varios enumerare modos, quibus gratia Dei fortiter simul, ac suaviter nos ad bonum impellit; ceterum ejusdem intrinsecam efficaciam satis declarat, cum ibidem subdit: „ Ipsa gratia hoc omni genere medendi, atque auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, primam sibi, receptricem, & famulam donorum suorum præparat voluntatem. *Et c.* 27. In cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent, hoc effecit, ut vellent": quæ iis gemina sunt, quæ habet S. Augustin. Lib. XV. *de Civit. Dei* cap. 6. Tom. VII. *Spiritus Sanctus operatur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus; alioquin si Deus ... non interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini prædicatio veritatis:* omnis, inquam, quacumque addita motione morali.

203. Obj. 4. S. Joann. Damascenus (Lib. II. *de fide Orthodoxa* c. 30.) expresse negat ea, quæ sunt in nobis, esse a Deo prædeterminata; & S. Anselmus (*de Concordia præscientiæ, & gratiæ* c. 1.) „ Sola voluntas, *inquit*, determinat sibi quid sentiat, nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur electio sola voluntatis". Idem plures alii Patres sæpius asserunt.

204. Resp. S. Thomas I. P. qu. 23. art. 1. ad 1., & Lib. III. *contra gentes* cap. 90. „ Damascenum nominare *prædeterminationem* impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum; quod patet ex eo quod subdit: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem". Idemque dici debet de S. Anselmo, qui fideliter Sancti Augustini vestigia pressit, itaut divinam præmotionem nedum ad bonum, sed etiam ad malum (quantum ad entitatem) luculenter ibidem tradat. *Ipsum quoque velle*, inquit, *facit Deus, quod aliquando justum est, aliquando injustum.*

205. Obj. quinto. Sanct. Thomas 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3. „ Deus, *inquit*, movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verum bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam". Non ergo agnovit necessitatem præmotionis physicæ, seu gratiæ per se efficacis ad omnia, & singula opera bona.

206. Resp., sensum Angelici hunc esse, ut Deus voluntatem ad bonum in communi moveat *necessario;* ad bonum autem particulare voluntas & moveatur a Deo, & se ipsam *libere* moveat; ad opera demum supernaturalia *specialiter* moveatur a Deo per gratiam sanantem, & determinantem. Ceterum ibidem S. Præceptor docet, voluntatem neque ab Angelo, neque ab ullo alio exteriori principio, sed a solo Deo moveri posse; quæ doctrina, ut supra observavimus, physicam Dei motionem clare patefacit. Vid. sup. n. 181.

207. Inst. Sanct. Doctor in Lib. II. *Sent.* Dist. XXV. art. 1., ad 3. inquit: „ In libero arbitrio hoc modo agit (*Deus*), ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti. *Iterum Dist. XXVIII. qu.* 1. *art.* 1. Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret. *Et rursus Dist. XXXIX. q.* 1. *art.* 1. Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate".

208. Resp. Rejecta eorum opinione, qui censent, S. Doctori in Comment. ad libros *Sententiarum* aliquid de subtili Semipelagiano pulvere adhæsisse (*b*) (quamvis negari non possit, eum tum in *Summa Theologica*, tum *in Commentariis ad epist. Pauli* multo accuratius de hac materia fuisse locutum), dico, in his, aliisque geminis locis solum asseri, voluntatem movere seipsam per exclusionem absolutæ necessitatis, non autem per exclusionem *divinæ motionis per se efficacis*. Non alio indiget interprete Sanct. Thomas, quam seipso; nam in Summa I. P. qu. 83. art. 1. ad 3. ita suam mentem sole clarius exponit: „ Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est, sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias &c.. *& alibi* (*Quæst. III.* de po- „ ten-

(*a*) De auctore ejus operis legi poterunt, quæ Patres Benedictini adnotarunt in Admonitione præmissa ejusdem editioni.

(*b*) Vide, quæ diximus ad n. 116. Diss. II.

„ tentia *art.* 7. *ad* 13.) Voluntas dicitur habere „ dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ; sed quia causa prima non ita agit „ in voluntate, ut eam de necessitate ad unum „ determinet, sicut determinat naturam: & ideo „ determinatio actus relinquitur in potestate rationis". Et semper sibi constans Angelicus docet, vel in ipso statu innocentiæ fuisse Dei motionem necessariam; unde infert potiori jure esse in hoc statu infirmitatis admittendam: „ Mens hominis „ etiam sani, *inquit*, 1. 2. *qu.* 109. *art.* 2. *ad* 1., „ non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo: & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod „ impeditur a bono per corruptionem naturæ".

209. Inst. Idem Angelicus I. P. qu. 83. art. 3. docet, *proprium liberi arbitrii esse electionem, qua possumus unum recipere alio recusato;* at vero, ut iterum S. Doctor observat 1. 2. qu. 13. art. 1. *in his, quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet:* gratia ergo nos *physice* non determinat.

210. Resp. His, & aliis id genus testimoniis, quæ sine fine coarcevari possunt, quid aliud efficitur, quam voluntatem nostram sub ipsa determinatione gratiæ efficacis manere liberam, retinere potestatem eligendi, & etiam determinare se ipsam? Quod nemo negat, nisi hæreticus. Simul tamen etiam fatendum est, voluntatem nostram a Deo dependere in ipso libertatis exercitio, quod exercitium cum sit aliquod bonum, non potest illud a seipsa habere, sed debet esse a Deo donatum. Angelicus autem, cum a voluntate excludit determinationem ad unum, de determinatione loquitur, quæ est *per modum naturæ*, cujusmodi est in brutis, de quibus agit in loco laud. ex prima secundæ; ubi etiam expresse dicit: *quæ sunt penitus determinata ad unum*, quam vocem *pœnitus* aut omittunt, aut non satis considerant adversarii. (Lud. Csapodi *de gratia* pag. 193. eamdem vocem omisit).

211. Obj. ultimo plura absurda, quæ ex gratia per se, & ab intrinseco efficaci consequi videntur; consequitur enim *primo*, inutiles esse cohortationes, correptiones, consilia, præcepta, & quæcumque alia incitamenta ad bonum amplectendum, & malum declinandum. Si enim adsit gratia efficax, etiam sine istis homo bene operabitur. Si autem gratia desit, istis omnibus positis, nullus effectus habetur. *Secundo*, removeri industriam, tollique fervorem; vel enim homo gratiam efficacem habet, & tunc infallibiliter bonum operabitur; vel non habet, & sine dubio non operabitur. *Tertio*, Deum προσωποληψίας *acceptionis personarum* accusari posse; cum aliquibus tantum pro voluntatis suæ beneplacito gratiam per se efficacem largiatur: cum tamen Apostolus dicat Rom. II. 11: *Non est acceptio personarum apud Deum. Quarto*, in disperationem agi eos, qui gratia efficaci destituuntur. *Demum*, fatalem induci necessitatem.

212. Resp. hæc ipsissima incommoda fuisse olim S. Augustino a Semipelagianis objecta; unde novum nobis suppeditatur motivum credendi, nostram sententiam ne latum quidem unguem ab Augustini mente distare, cum iisdem incommodis premi videatur. Asserebant quippe Semipelagiani, ut Ss. Prosper, & Hilarius in suis epistolis referunt, posita S. Augustini doctrina, „ inutilem esse ex„ hortandi consuetudinem (*Hilar. n.* 5.), lapsis „ curam resurgendi adimi, & sanctis occasionem „ teporis afferri .... removeri industriam, tollique „ virtutes (*Prosper. n.* 3.), quandam denique di„ sperationem hominibus exhiberi". (*Hilarius n.* 6.).

213. Jam vero quid Augustinus responderit, videamus. Ad primum dicit, præcepta, admonitiones &c. frustra non esse, quia bonum opus non solum Dei donum est, sed etiam nostræ liberæ voluntatis effectum. „ Ideo, *inquit* de prædestin. „ Sanct. *cap.* 11., hæc & nobis præcipiuntur, & „ dona Dei esse monstrantur, ut intelligamus, quod „ & nos facimus, & Deus facit, ut illa faciamus". Magnas itaque utilitates habent præcepta, cohortationes, consilia, minæ, promissa, &c. quia Deus istis etiam adminiculis utitur, ut homines fortiter simul, ac suaviter ad se trahat. Addi potest cum S. Thoma Qu. XXIV. *de verit.* art. 14. ad 2.: „ re„ cte hominem corripi, quia præcepta non im„ plet, quia ex ejus negligentia est, quod gratiam „ non habet, per quam potest servare mandata, „ quantum ad modum, cum possit nihilominus per „ liberum arbitrium ea servare, quantum ad sub„ stantiam".

214. Ad secundum. Posita gratiæ efficacis necessitate, non removetur industria, nec tollitur virtus, sed potius tota nostrarum actionum laus Deo tribuitur, quia *ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitatis ferventia, ille tribuit, ille largitur*, ut inquit S. Augustinus, Lib. I. ad *Simpl.* quæst. 2.: *ut sit humilis nostra confessio, & detur totum Deo*. Idem *de dono perseverentiæ* cap. 13.

215. Ad tertium. Sexcentis in locis S. Augustinus hanc objectionem diluit, ostendens, acceptionem personarum non habere locum in iis, quæ ex gratuita Dei bonitate dependent; unde inquiebat Sanct. Doctor epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum cap. 2.: „ Quod autem personarum accepto„ rem Deum se credere existimant .... parum at„ tendunt, quod debita reddatur pœna damnato, „ indebita gratia liberato: ut nec ille se indignum „ queratur, nec dignum se iste glorietur ... ut li„ beratus de non liberato discat, quod etiam sibi „ supplicium conveniret, nisi gratia subveniret". Vid. etiam S. Th. 1. 2. quæst. 98. art. 4. ad 2.

216. Ad quartum ita S. Augustinus respondet *de præd. SS.* cap. 11. „ Miror homines infirmi„ tati suæ se malle committere, quam firmitati „ promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, „ de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane „ ti-

„ tibi voluntas de te ipso certa est, nec times: „ Qui videtur stare, videat, ne cadat? Cum igi„ tur utraque incerta sit, cur non homo firmio„ ri, quam infirmiori fidem suam, spem, cha„ ritatemque committit"?

217. Postremum longiorem postulat explanationem, adeoque sequenti capite illud uberius tractare constituimus.

CAPUT V.

Respondetur argumentis, quibus probare adversarii conantur, gratiam Dei per se efficacem libertati nostræ obesse.

218. Et quidem gaudemus, causam nos habere communem cum Sancto Augustino, cujus olim adversarii Semipelagiani referente Sancto Prospero in epist. ad Ruffinum: „ Scripta, quibus error „ Pelagianorum impugnatur, infamabant, dicen„ tes, eum liberum arbitrium penitus summove„ re". Etiam S. Thomas Lib. III. *contra Gentes* cap. 89. postquam multa attulisset ex sacris litteris, ut evinceret, solum Deum posse efficaciter movere voluntatem: „ Quidam, *inquit*, non in„ telligentes, qualiter motum voluntatis Deus in „ nobis causare possit, absque præjudicio liber„ tatis voluntatis, conati sunt has auctoritates ma„ le exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus „ causat in nobis velle, & perficere, inquantum „ dat nobis virtutem volendi; non autem sic, quod „ faciat nos velle hoc, vel illud". Immo ab Ethnicis quoque motam fuisse eamdem difficultatem habemus ex Minutio Felice *in Octavio;* cum enim nostri ipsis fati absurditatem objicerent, respondebant: „ Culpam, vel innocentiam fato tri„ bui, etiam vestra consensio est: nam quidquid „ agimus, ut alii fato, ita vos Deo addicitis".

219. Præmittimus ulterius, minime a nobis hoc loco expectandum esse, ut perspicue, nitide, & veluti ad oculum ostendamus, quomodo Deus in nobis nostræ voluntatis consensum efficaciter operetur, & nihilominus nostræ libertatis jura nec tantillum lædat. Hanc gloriam facillime conciliandi gratiam efficacem cum nostra libertate libenter aliis concedimus. Nos vero cum ducibus, & magistris nostris Augustino, & Thoma fatemur ingenue, id esse difficile, immo inter mysteria, & arcana numerari (*a*). Deum physice nostras voluntates ad bonum permovere, luculentissimis adeo argumentis demonstratur, ut putem, nihil esse post fidei dogmata in Theologia magis certum; simul tamen sartam, tectamque libertatem nostram servari, fides plane nos docet. Habemus, ut alia occasione dicebat Bossuetus, duas unius catenæ extremitates, manuque firmas tenemus; sed annulos intermedios, quibus colligantur, non videmus. Neque id novum est, aut insolens, cum in omnibus fere Religionis nostræ mysteriis accidat. Quin & bene multa sunt in rerum natura, quæ inter se cohærere certe scimus; sed modus, quo inter se cohærent, nos latet; immo plerumque ea sibi repugnare videntur. Hoc præmisso, quod nunquam ab oculis excidere debet, difficillimo operi manum admoveo.

220. Obj. primo. Libertas nostra sita est in indifferentia voluntatis ad opposita, per quam, ut dicitur Ecclesiastici XV. 18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi;* sed hanc tollit gratia per se, & ab intrinseco efficax: ergo &c.

221. Resp., duplicem esse indifferentiam, alteram *suspensionis, & otii, vel æquilibrii*, alteram *potestatis, & dominii*. Prima est, qua voluntas nihil agit, quasi statera in æquilibrio posita; & hanc certe tollit gratia per se, & ab intrinseco efficax. Sed hæc ad libertatis essentiam minime pertinet, quod est per se manifestum; alias homo se ipsum arbitratu suo determinans suæ libertatis jacturam faceret, & Deus libertatis esset expers, cum nunquam otiari queat. Unde Angelicus objecta Eccles. verba sic explicat (1. 2. q. 109. art. 8. ad 2.): *Quodcumque vult homo, dabitur ei; sed hoc, quod bonum velit, habet ex auxilio gratiæ*. Hinc ergo cum Sancto Thoma libertatem melius definiri arbitror *potestatem* ad opposita, aut *vim electivam*, quam *indifferentiam*, ne scilicet æquivocatione, quæ huic voci subest, aliqui abutantur. Sed alia est indifferentia (si ita loqui placet) *potestatis, & dominii*, quando scilicet ita voluntas determinatur ad unum ut tamen adhuc potestatem ad oppositum retineat. Hanc vero potestatem ad oppositum non aufert gratia efficax; quia Deus sua omnipotentissima potestate eodem prorsus modo nostram voluntatem determinat, quo ipsa se determinaret, si esset prima causa ab alia independens. *Deus*, inquit Angelicus I. P. q. 83. art. 1. ad 3. „ est prima causa movens & natura„ les causas, & voluntarias, & sicuti naturalibus „ causis, movendo eas, non aufert, quin actiones „ earum sint naturales; ita movendo causas vo„ luntarias non aufert, quin actiones earum sint „ voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: opera„ tur enim in unoquoque secundum ejus proprie„ tatem (*Vid. etiam* 1. 2. *q.* 10. *art.* 4.); *& Quodlib. I. art.* 7. *ad* 2. Deus movet omnia secundum „ modum eorum; & ideo divina motio a quibus„ dam participatur cum necessitate, a natura au„ tem

(*a*) S. Augustinus Lib. 22. *De peccat. mer. & remiss.* cap. 13. *Ipsa etiam ratio*, inquit, *quæ de iis rebus a talibus, quales sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ videamur*. Recole superius dicta num. 176.

,, tem rationali cum libertate, propter hoc, quod ,, virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo ,, sic Deus movet mentem humanam ad bonum, ,, quod tamen potest huic motioni resistere".

222. Hujus sui asserti rationem jam reddiderat Angelicus I. P. qu. 19. art. 8., ubi probat, Dei voluntatem rebus volitis nullam imponere necessitatem, propter summam ejusdem voluntatis divinæ efficaciam. ,, Cum enim, *inquit*, aliqua cau- ,, sa efficax fuerit ad agendum, effectus consequi- ,, tur causam, non tantum secundum id, quod fit, ,, sed etiam secundum modum fiendi, & essendi". Ex quo principio ita postea concludit: ,, Cum i- ,, gitur voluntas divina sit efficacissima, non so- ,, lum sequitur, ut fiant ea, quæ Deus vult fie- ,, ri, sed quod eo modo fiant, quo Deus vult fieri".

223. Et sane si voluntas in sententia adversariorum potest se ipsam immutare, & determinare ad bonum, quin de libero arbitrio vel minimum amittat, non video, cur Deus in nobis idipsum præstare salva libertate non possit? Anne plus homo in se ipsum valet, quam Deus? At vero Augustinus clamat: ,, Deum magis habere in sua po- ,, testate voluntates hominum, quam ipsi suas (de ,, Corr., & gratia *cap.* 14.), *&* *S. Thomas* (*Qu.* ,, *XXII.* de veritate *art.* 8. Potest Deus, *inquit*, ,, immutare voluntatem ex hoc, quod ipse opera- ,, tur in voluntate, sicut in natura .... unde sicut ,, voluntas potest immutare actum suum in aliud, ,, ita, & multo amplius Deus". Hæc aliquanto fusius dicta sunt, quia cardinem totius rei continent.

224. Quod vero nonnulli id a Deo fieri posse negant, quia repugnat, inquiunt, voluntatem physice a gratia determinari, & seipsam libere determinare; id inquam omnino falsum est. Non repugnat, immo in omnibus causis subordinatis semper contingit, ut idem effectus a duabus causis oriatur. Voluntas igitur, quæ est quidem causa libera, sed causa secunda subordinata primæ causæ liberæ, nempe Deo, in ipso suæ libertatis exercitio indiget moveri a Deo; idemque liberæ voluntatis motus & a Deo est, ut causa prima, & a voluntate, ut a causa secunda primæ subordinata. *Voluntas*, inquit S. Thom. Quæst. VI. *de malo* art. 4., *ipsa est*, *quæ operatur*, *sed mota a Deo* (*a*).

225. Sane id neque repugnans, neque impossibile visum est duobus principibus Scholæ Augustinianæ, & Thomisticæ, & tot aliis gravissimis viris, Bossueto imprimis, qui (in *Tractatu de lib. arb.*) nullam aliam esse putavit commodiorem viam conciliandi simul efficaciam divinæ gratiæ, & libertatem creatam, quam physicam præmotionem. Illud S. Augustini posse usurpari reor (in *Enchiridio* c. 96. T. VI.): ,, Hoc nisi credamus (esse ,, possibile), periclitatur ipsum confessionis no- ,, stræ initium, qua nos in Deum Patrem omni- ,, potentem credere confitemur".

226. Inst. primo. Ita gratia efficax voluntatem ad unum applicat, ut non amplius possit oppositum agere: ergo tollit etiam indifferentiam *potestatis*, *&* *dominii*.

227. Resp. dist., ut non possit in *sensu composito*, conc.; in *sensu diviso*, nego. Hæc distinctio aliquanto subtilior est, sed perspicua, ni fallor, redletur, facta comparatione voluntatis determinatæ a Deo cum voluntate se ipsam determinante ad mentem adversariorum. Jam vero fingamus, voluntatem se ipsam propriis viribus efficaciter determinare ad amorem, certe in *sensu composito* cum illa *efficaci* determinatione fieri non potest, quin amet, alias esset efficaciter determinata ad amorem, ut supponitur, & non esset, quia illa determinatio, quæ non habet effectum, *efficax* dici non potest: libera nihilominus dicetur voluntas sic determinata, quia potest non amare in *sensu diviso*, *&* *absolute*. Eodem plane modo cum efficaci gratia in *sensu composito* non potest esse actus contrarius; alias sequeretur, eamdem gratiam non esse efficacem: potest tamen esse *in sensu diviso*, *&* *absolute*, quod ad libertatem sufficit. Hujus rei ratio est semper eadem, quia *sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multo amplius Deus*. Vid. sup. n. 223.

228. Inst. 2. (cum Suarezio Lib. V. *de Grat.* cap. 58.). Etiam Calvinus hanc distinctionem *sensus compositi*, *&* *divisi* usurpavit, cum tamen certum sit, in ejus sententia nullam reliquam esse libertatem: ergo hæc potentia in *sensu diviso*, quæ dicitur in voluntate remanere sub gratia prædeterminante, non sufficit ad salvandam libertatem.

229. Resp. tantum nos a Calvino in hac re distare, quantum distat veritas ab errore. Calvinus putavit, nedum componi non posse simul cum præmotione ad amorem actum odii, quod nos dicimus, sed nec potentiam ad odium, quod nos negamus: potentiam vero in *sensu diviso* in eo esse dicebat, ut actus odii tunc tantum esset possibilis, cum præmotio, quæ actum amoris operabatur, es-

(*a*) Et I. P. q. 105. art. 4. ad 2., cum sibi objecisset: *Deus non potest facere, quod contradictoria sint simul vera; hoc autem sequeretur, si voluntatem moveret; nam voluntatem moveri est ex se moveri, & non ab alio; ergo &c.*, ita respondet: *Moveri voluntarie est moveri ex se, id est a principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco. Et sic moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab altero.* Etiam III. P. qu. 18. art. 1. ad 1. hac ipsa ratione libertatem voluntatis humanæ Christi cum motione divinæ voluntatis conciliat, inquiens: *Quidquid fuit in humana natura Christi, movebatur nutu voluntatis divinæ: non tamen sequitur, quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ, quia etiam aliorum sanctorum piæ voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere. Licet enim voluntas non possit interius moveri ab aliqua creatura, interius tamen movetur a Deo, ut in prima parte dictum est.*

esset sublata. Existimabat enim humanam voluntatem, voluti inanimem stipitem, modo a Deo, modo a concupiscentia necessario agi. Thomistæ contra docent, arbitrium vi activa pollere, qua seipsum flectat in alterutrum oppositorum; ac propterea quemadmodum in homine seipsum determinante sub ipsa determinatione perseverat potentia ad oppositum in *sensu diviso*, ita dicunt perseverare eodem modo sub gratia. „Quamvis, *inquit*, „S. Thomas (Qu. XXIII. *de verit.* art. 3. ad 3.), „non esse effectus divinæ voluntatis, non possit „simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina „voluntate; non enim sunt ista incompossibilia: „*Deus vult istum salvari, & iste potest damnari*; sed ista sunt incompossibilia: *Deus vult istum salvari, & iste damnatur*". Quorum ratio hæc est, quod in *sensu composito* confertur modus cum modo opposito; contra autem in *sensu diviso* confertur modus cum subjecto, cui modus iste non opponitur (*a*).

230. Inst. tertio. Hæc potentia *in sensu diviso* vel est potentia ad repellendam a se gratiam efficacem, vel ad ponendum actum odii ex.gr. non obstante gratia efficaci ad amorem: neutrum autem dici potest. Non primum, quemadmodum enim non potest advocari gratia efficax, si a Deo non donetur, ita nec repelli, cum adest. Non etiam secundum; cum enim gratia efficax sit infallibiliter connexa cum actu, ad quem datur, tam est impossibile non ponere hunc actum, quam est impossibile a se repellere gratiam efficacem ad illum: ergo &c.

231. Confirm. Ideo in homine determinante seipsum est potentia ad actum oppositum, quia potest suam determinationem utut efficacissimam abjicere, & voluntatem mutare; sed id non potest homo sub gratia efficaci; tum quia hæc est infallibiliter connexa cum determinatione voluntatis; tum etiam quia ad mutandam voluntatem requiritur alia gratia efficax, & præmotio physica; ergo &c.

232. Resp. ad primum; potentiam in *sensu diviso* esse potentiam, tum ad repellendam a se gratiam efficacem, non quidem consideratam ex parte Dei eam infundentis, sed ex parte effectus in nobis producti, & rursus non ut *reduplicative* efficax est, sed *absolute*; tum ad ponendum actum oppositum, *absolute* pariter, & in se spectatum. Utrumque explico. Dei quidem operatio suo effectu frustrari non potest; ut enim inquit S. Thomas 1. 2. Quæst. 10. art. 2. ad 3., *impossibile est, ut Deus moveat voluntatem, & voluntas non moveatur*. Hæc tamen motio Dei animæ nostræ impressa absolute potest ab homine frustrari, & prorsus extingui. Extingui inquam potest, & frustrari, non prout *reduplicative* est efficax; hoc enim est contradictorium, sed *absolute*, & in sensu diviso. Hoc præclare explicat Sanct. Thomas Qu. XXIV. *de verit.* art. 8. ad 6. inquiens: „Ejus, „quod recipitur in alio, potest considerari & esse, & ratio: secundum quidem esse suum est „in eo, in quo recipitur per modum recipientis; sed tamen ipsum recipiens trahitur ad suam „rationem..... Ita & gratia secundum esse suum „est in libero arbitrio per modum ejus, sicut accidens in subjecto: sed tamen ad rationem suæ „immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum Deo conjungens." En quomodo gratia Dei utut efficacissima, prout recipitur in libero arbitrio, est sicut accidens in subjecto, quod proinde *absolute* rejici potest; simul tamen propter suam efficaciam immutabilem liberum arbitrium ad se trahit, ipsum ad consensum determinans.

233. Est etiam in nobis sub ipsa gratia efficaci potestas ad actum oppositum, non quidem ut conjungendum cum gratia, quatenus efficax est; quod, ut dixi, repugnat; sed in se, & absolute spectatum; quemadmodum, ut semper utamur eodem exemplo, si voluntas seipsam determinaret ad amorem suis viribus, & sine subordinatione ad causam primam, haberet quidem potestatem ad actum oppositum odii, sed non ut conjungendum cum actu amoris, vel cum efficaci determinatione ad eumdem amoris actum. Quorum ratio hæc est, quia gratia efficax nunquam ita voluntatem determinat ad unum, ut illud proponat tamquam undequaque, & infinite bonum, quod proinde totam voluntatis capacitatem expleat (*b*).

234.

(*a*) Aliqui post Capreolum minus quidem latine, sed vocabulo admodum idoneo dicunt, hominem posse resistere gratiæ *simultate potentiæ*, non *potentia simultatis*, alii *potentia antecedente*, non *consequente*, aut *possibilitatis*, non futuritionis; vel *capacitatis*, non *positionis*; aut demum in *actu primo*, non in *actu secundo*. Hæc omnia in idem recidunt. Nos tamen eo libentius *sensu composito*, & *diviso* usi sumus, quod S. Thomas hæc ipsa verba usurpet; ut dum Qu. VI. *de verit.* art. 4. ad 8. „*Hæc propositio*, inquit, *Deus potest* „*non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum* „*non prædestinare*, in *sensu composito* est falsa, in „*diviso* vera". Et ad Lib. V. Boetii *De consol. Philosophiæ*. „Cum dicitur, inquit, *quidquid* (a Deo) „*prævisum est, necessario evenit*, verum est in *sensu* „*composito* .... tamen in *sensu diviso* falsum est ...." Ceterum facile esset demostrare etiam ante S. Thomam fuisse hanc distinctionem usurpatam ab Hugone de S. Victore, a Magistro sententiarum, & aliis. Consule Alvarezium Disp. CXIV. *De div. auxiliis*.

(*b*) S. Thomas Quæst. VI. *de malo* art. un. ad 7. hoc ipsum ita declarat. *Activum*, inquit, *non ex necessitate movet, nisi quando superat virtutem passivi. Cum autem voluntas se habeat in potentia respectu boni universalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate ipsum movens, nisi id, quod est secundum omnem considerationem bonum; & hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle &c.* Totus ille articulus esset afferendus, ut plenam & accuratam libertatis nostræ notionem haberemus. Ipsum repetit pluribus aliis in locis, præsertim I. P. Quæst. 82. art. 2. ubi data opera

234. Ad Confirm. resp. cum distinctione. Vel enim loquimur præcise de potentia resistendi gratiæ in se spectatæ: & tunc certum est, humanam voluntatem posse cuicumque gratiæ absolute resistere; cum enim gratia vim illam activam, qua homo potest ferri ad opposita, non destruat, manifestum est etiam sub gratia remanere in libero arbitrio potentiam agendi oppositum (*a*).

235. Vel loquimur de potentia faciendi alium actum bonum diversum; & tunc certum esse debet etiam adversariis nostris, nihil posse nos sine gratia præveniente, & excitante, non tantum in genere ad bonum, sed *determinate* ad talem actum bonum; neque enim putandum est, gratiam esse ad instar pecuniæ, cujus usus ita in manu nostra est, ut ea ad quodlibet pro arbitrio utamur; sed ut supra ex definitione Ecclesiæ ostendimus (Dissert. II. cap. 6.) *gratia ad singulos actus necessaria est*. Quemadmodum ergo necessitas istius gratiæ prævenientis ad actum diversum non officit, quin homo possit libere suam determinationem mutare, ita nec officiet necessitas gratiæ prævenientis, excitantis, & prædeterminantis; cujus ratio est, quia libertas nostra non est prima & independens, sed secunda, & subordinata, læsa insuper, & vulnerata peccato primi parentis; unde Christus Dominus dicebat (Joann. VIII. 36.): *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis:* & S. Augustinus in epist. CLVII., alias LXXXIX. c. 3. *Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia*. Immo vel ethnicus Seneca *de vita beata* cap. 15. inquiebat: *Deo parere, libertas est*.

236. Inst. quarto. S. Thomas I. P. qu. 14. art. 18. ad 3. explicans distinctionem *sensus compositi, & divisi*, quam ille nominat *secundum rem*, & *secundum dictum*, sibi objicit, hanc distinctionem non habere locum in formis inseparabilibus a subjecto, ut si dicam: *Corvum nigrum possibile est esse album;* hæc enim propositio in utroque *sensu composito, & diviso* est falsa. Cui difficultati ita respondet Angelicus: „Hæc instantia locum haberet, si hoc ... importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem"; atqui gratia per se efficax est dispositio subjecto inhærens; ergo in ea non habet locum hæc distinctio *sensus compositi, & divisi*, adeoque sub gratia efficaci, & prædeterminante illæsa non manet libertas.

237. Resp., cum Massouliè Tomo I. *de Div. motione* Dist. I. quæst. 8. art. 4. Sanct. Thomam esse intelligendum de dispositione, quæ *permanenter, & necessario* subjecto inhæreat. Id constat exemplo nigredinis corvi, quod ibidem affert; ita enim corvus niger est, ut ad designandam rem impossibilem olim proverbii loco fuerit: *Corvo quoque rarior albo* (Juvenalis in Sat. VII. 202.). Ceterum minime excludit Angelicus dispositionem transeuntem; nam ibidem docet, quod in hac propositione: *Album potest esse nigrum* locum habet distinctio *sensus compositi, & divisi;* albedo autem subjecto inhæret. Multo igitur magis hæc distinctio locum habet in divina motione, quæ a natura rationali participatur cum *libertate*, ut supra n. 221. cum Sancto Thoma dictum est.

238. Inst. quinto. S. Thomas in Lib. IV. *Sent.* Dist. XLIX. quæst. 1. art. 3. in solut. 2. ad 1. inquit: „Potentia rationalis se habet ad opposita in „his... quæ per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab „alio determinata; & ideo voluntas non potest in „oppositum ejus, ad quod ex divina impressione „determinatur".

239. Resp. Ex dictis superius (n. 204. seq.), facilis est hujus objectionis solutio; nimirum alio modo determinatur voluntas a Deo ad bonum in communi, de qua in loco laud. agit S. Doctor, alio modo ad bona particularia. Prima determinatio est necessaria, & excludit nostram electionem, altera nullam infert necessitatem, & in nobis electionem reliquit. Et quamquam generaliter loquitur Angelicus de determinatione facta *ex divina impressione*, ex contextu tamen apparet, id non esse intelligendum de omni determinatione, aut divina impressione, sed solum de ea, qua determinamur *ad ultimum finem*, scilicet beatitudinem, de qua ibi agit.

240. Inst. sexto. Posita Dei gratia efficaci ad amorem, odium nullatenus est possibile. Etenim possibili posito in actu nullum sequitur inconveniens; atqui si odium poneretur in actu, maximum sequeretur inconveniens, scilicet frustratio gratiæ efficacis; ergo posita gratia efficaci ad unum actum, actus alius non est possibilis; adeoque libertas tollitur.

241. Resp. possibili posito in actu eo modo quo est possibile, nullum sequi inconveniens; secus vero si ponatur alio modo, in quo non est possibile. Odium, ut jam diximus, est possibile solum *absolute*, & *in sensu diviso*, non vero ut conjungendum cum amore, vel cum efficaci motione ad illum (*b*). Et sane si quidquam roboris haberet hoc argumentum, etiam posset in adversariorum hy-

voluntatis libertatem tuetur ac vindicat; non tamen ut libertatem primam, & independentem, sed ut Deo primo agenti subordinatam.

(*a*) Id insinuat S. Doctor laud. Quæst. VI. *de malo* ad 3. inquiens: *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas*.

(*b*) Sanct. Thomas 1. 2. qu. 10. art. 4. eamdem sibi opponit difficultatem inquiens n. 3. *Possibile est, quo posito non sequitur impossibile; sequitur autem impossibile, si ponatur; quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax; non ergo est possibile &c.* quam difficultatem ita expedit ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpli-*

hypothesi probari, odium non esse amplius possibile, posita efficaci voluntatis determinatione ad amorem. Vide supra n. 227.

242. Ex his patet, quid reponi debeat, cum dicunt: „ Si poneretur odium cum efficaci gratia „ ad amorem, actu frustraretur efficax gratia Dei; „ ergo si posset poni, posset etiam frustrari; nam „ ab actu ad potentiam valet consequentia".

243. Nempe tota difficultas in æquivocatione consistit. In antecedenti enim fit *sensus compositus*, qui est impossibilis; & est idem ac dicere; *si per impossibile actu conjungeretur odium cum efficaci gratia ad amorem, aliud etiam impossibile consequeretur, scilicet gratiæ efficacis frustratio:* nam posito uno impossibili, nil mirum, si aliud consequatur: in consequenti autem fit *sensus divisus*, idest *si posset poni absolute, & in se odium, posset etiam frustrari præmotio ad amorem*. Axioma autem illud *ab actu ad potentiam &c.* utique in scholis obtinet, quotiescumque non mutatur appellatio, ut in præsentiarum contingit; in antecedenti enim fit *sensus compositus*, in consequenti autem *sensus divisus*. Et id semper caute animadvertendum est; ut enim observavit Angelicus Lib. I. *Contra Gentiles* c. 67. *in his, & in omnibus similibus, quæ Dei scientiam* (idem est de gratia, & prædestinatione) *circa contingentia oppugnantes argumentantur, secundum compositionem, & divisionem falluntur*.

244. Inst. septimo. Frustranea est illa potentia in *sensu diviso*, qua nemo unquam usus est, nemo unquam utetur.

245. Resp. nego ant. Quamvis enim nemo unquam usus sit potentia ad actum odii, manente gratia efficaci ad amorem, non tamen est frustranea illa potentia, quia potest absolute reduci ad actum, & reipsa reducitur, tametsi non in *sensu composito* &c. Quemadmodum non dicent adversarii, frustraneam esse potentiam ad actum oppositum in eo, qui seipsum primo, & independenter determinavit; quamquam fieri non potest, ut hæc potentia in *sensu composito* reducatur ad actum, nisi velimus fingere, determinationem ad unum fuisse simul efficacem, & inefficacem. Addo, multas in nobis esse veras potentias, quæ tamen numquam prodierunt, vel prodibunt in actum. Negabuntne adversarii, esse in omnibus prædestinatis veram potentiam, ut damnentur, & vicissim in reprobis, ut salventur? & tamen &c. Vid. sup. Diss. IV. n. 28. (*a*).

246. Obj. secundo. Conc. Trident. Sess. VI. Can. 4. ita definivit: „ Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil „ cooperari ... neque posse dissentire, si velit, sed „ veluti inanime quoddam nihil omnino agere, „ mereque passive se habere, anathema sit"; atqui in nostra sententia liberum arbitrium non potest gratiæ efficaci dissentire: ergo &c.

247. Resp. eadem semper chorda oberrare adversarios, putantes, gratia efficaci ita voluntatem moveri, ut nihil ipsa agat, vel resistere aliquo sensu non possit; quod utrumque falsum est; neque enim repugnat, voluntatem nostram efficaci Dei gratia moveri, & simul seipsam movere. *Moveri ex se*, inquit S. Thomas respondens simili argumento I. P. quæst. 105. art. 4. ad 2. *non repugnat ei, quod movetur ab altero* (*b*). Et simul cohæret summa, & intrinseca gratiæ efficacia cum nostra dissentiendi potestate. Ceterum in omnibus suis definitionibus Concilium Trid. errores Novatorum condemnare studuit, diligentissime simul cavens, ne Scholarum controversias ullo modo attingeret, quod sæpissime fuit a Cardinali Pallavicino notatum (*c*).

248. Dices. Mens Concilii fuit definire, voluntatem posse in *sensu composito* dissentire Dei motioni; quemadmodum nemo latini sermonis gnarus, audiens dici, avem volare posse, non statim intelligit, fieri posse, ut nunc actu avis volet; ita cum dicitur, liberum arbitrium posse Dei motioni resistere, sensus sit, id actu contingere posse; adeoque &c.

249. Resp. retorquendo argumentum. Quemadmodum enim cum dico: *Avis in ramo quiescens volare potest*, id non intelligitur in *sensu composito*, quasi simul in ramo quiescere, & volare possit, sed in *sensu diviso*, nempe quod avis in ramo quiescens veram habeat potentiam ad volandum, divisim tamen a quiete; ita non alio modo intelligitur, hominem motum, & excitatum a Deo dissentire posse in *sensu diviso*, & non *in sensu composito*. Et ut acute observat P. Antoninus Reginaldus (*de mente Conc. Trid.* c. 56.), cum Concilium definierit, liberum arbitrium non solum motum, & excitatum, sed plane cooperans, & assentiens illi motioni, atque excitationi, posse dissen-

citer; unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur. Vid. T. II. Diss. IV. n. 47.

(*a*) Cardinalis Pallavicinis in *Hist. Conc. Trid.* Lib. XIV. c. 9. n. 3. illam regulam: *Frustraneam esse potentiam, quæ non reducitur ad actum*, locum habere dicit in causis *naturalibus*, non autem in *Civilibus*. Addamus nos, multo minus in *moralibus*.

(*b*) Hoc ipsum pluribus in locis repetit Angelicus, ut 1. 2. qu. 9. art. 4. ad 1., ubi ait: *De ratione voluntatis est, quod principium ejus sit intra; sed non oportet, quod hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio &c.* art. autem 6. ostendit, voluntatem a Deo solo moveri, sicut ab exteriori principio.

(*c*) Ex qua Cardinalis Pallavicini observatione, etiamsi alia argumenta deessent, abunde refutaretur paradoxum illud Liberii Gratiani (seu Livinii Meyer) *De mente Conc. Trid. circa gratiam* Diss. I. c. 5. scribentis, *vel nihil Calvinianæ doctrinæ damnatum a Concilio, vel gratiæ a se ipsa efficacis dogma reprobatum*. Vid. Opus Antonini Reginaldi, cui titulus: *De Mente Concilii Trid. circa gratiam seipsa efficacem*.

sentire, sane ridiculum & contradictorium videtur asserere, liberum arbitrium posse dissentire in *sensu composito*, quasi posset componere cooperationem, & consensum cum dissensu. Restat ergo, ut dicamus, hanc potentiam dissentiendi non esse nisi in *sensu diviso*; quatenus simul cum cooperatione, & consensu conjungitur potentia ad dissentiendum, non autem actualis dissensus, quod contradictionem involvit.

250. Neque aliquis urgeat, mentem Patrum Tridentinorum in hac definitione fuisse, posse nos gratiæ efficaci in *sensu composito* dissentire, quia si in *sensu diviso* tantum hanc potentiam intellexissent, dicere oportebat, posse nos resistere gratiæ quando gratia non amplius adest. Non inquam: etenim hæc objectio oritur ex mala *sensu divisi* intelligentia: quasi vero cum Calvino doceamus, tunc solum esse potentiam resistendi divinæ vocationi, quando gratia efficax adjuvans abest; cum potius constanter doceamus, simul cum gratia efficaci, immo cum ipso consensu manere potentiam ad dissensum: sicuti cum sessione manet potentia ambulandi; & quamvis sessio, & ambulatio simul componi nequeant, possunt tamen componi sessio, & potentia ambulandi, eodemque modo etsi componi non possunt gratia efficax ad consentiendum, & actualis dissensus, bene tamen cohærent gratia efficax ad consentiendum, & dissentiendi potentia, ut supra explicatum est num. 227. & seq.

251. Obj. 3. Omnis suppositio antecedens, connexa infallibiliter *cum actu*, quem ponere, vel non ponere in nostra non est potestate, libertatem lædit, & evertit; atqui hujusmodi est gratia efficax: ergo &c.

252. Resp. dist. maj. Omnis suppositio &c., quæ a primo libertatis fonte proveniat, & potis sit nedum substantiam, verum etiam modum liberum actus causare, *nego*, alias, *conc.* Hoc ipsissimum argumentum sibi opponit Angelicus (I. P. q. 19. art. 8. n. 3.) his verbis: „ Omnis causa, quæ „ non potest impediri, ex necessitate suum effe„ ctum producit .... sed voluntas Dei non potest „ impediri .... ergo voluntas Dei imponit rebus „ volitis necessitatem ": cui difficultati, quæ ab adversariorum objectione nullatenus reipsa discrepat, ita S. Doctor respondet: „ Ex hoc ipso, quod „ nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod „ non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed „ quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic „ fieri vult ". Nempe cum gratia Dei infinita polleat efficacia, nedum facit, ut bonum faciamus, sed ut libere illud faciamus, eodemque modo nostram voluntatem immutat, quo seipsam suis viribus mutaret; quod S. Thomas loco laud. fusius explicat. „ Cum enim, *inquit* (*in corp. art.*) a„ liqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus „ consequitur causam, non tantum secundum id, „ quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, „ vel essendi, ... cum igitur voluntas divina sit „ efficacissima, non solum sequitur, quod fiant „ ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, „ quo Deus ea fieri vult ". Talis itaque suppositio antecedens, cujusmodi est gratia efficax, libertati non officit. Hinc merito damnata dicitur a Sixto IV. in Petro Rivio hæc propositio: *Quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, est inimpedibile:* cum nec diffitentibus nostris adversariis, *in aliquo sensu falsa esse possit, & digna censura.* (Vid. Card. de Lugo *de Myst. Incarnationis* Disput. XXVI. Sect. 6. (*a*).

253. Inst. primo. Libertas definitur *Facultas, qua positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest voluntas agere, vel non agere:* atqui gratia efficax est unum ex prærequisitis ad agendum; nec tamen ea posita potest voluntas non agere; ergo talis est suppositio, quæ libertatem evertit.

254. Resp., hanc definitionem libertatis intelligi debere de iis prærequisitis, quæ se tenent ex parte potentiæ adhuc indeterminatæ, non autem de omnibus prærequisitis, comprehendendo simul etiam efficacem voluntatis determinationem. Et quemadmodum nec adversarii ipsi, ut puto, contendent, posse cum efficaci determinatione voluntatis componi non actum: ita multo minus cum gratia Dei efficaci, *reduplicative* ut tali, componi potest non actus.

255. Inst. secundo. Saltem gratia efficax data ad unum actum est impedimentum, ne actus oppositus ponatur; quemadmodum catenæ impedimento sunt, ne homo ambulet. Et etiamsi homo a Deo vinciretur eo plane modo, quo ipse posset se vincire, vere tamen potentiam ambulandi amitteret.

256. Respond., eodem modo etiam determinatio-

(*a*) Si istius Historiæ veritatem data opera vindicare vellemus, nimis longe a nostro instituto aberraret oratio. Hinc provinciam, præter nonnullos alios, suscepit Jac. Hyac. Serry Lib. I. *Hist. de Auxiliis* cap. 14. Nos positivis argumentis utimur, testimoniis nempe virorum omni fide dignorum, Sylvii in Opusc. *De primo Motore*, Balduini Rithovii in *Declamat. adv. Jo. Dekerium*; ac denique totius Universitatis Lovaniensis adv. Lessium & Hamelium. Hujus controversiæ mentionem facit etiam Ruardus Tapperus in resp. ad epistol. Petri Soto in fine Opp. Antonini Reginaldi pag. 20. Consuli demum possunt *Fasti Academici* Studii Generalis Lovaniensis auctore Andrea pag. 239. & seq. edit. Lovan. 1650. Adversarii nonnisi argumenta negativa reponunt: quæ quam levis sint ponderis in similibus controversiis, nemo ignorat. Addo, eam propositionem generaliter sumptam falsam esse, & censura dignam: ut enim alia omittam, annon prædestinatio ad gloriam gratuita (cujusmodi a pluribus inter adversarios admittitur) inimpedibilis est? Annon ex ea per necessariam consecutionem sequitur salus hominis prædestinati? Et tamen certum de fide est, electos liberrime salutem consequi. Sed hæc pro nostro instituto plusquam satis.

tionem voluntatis propriis viribus, & *independenter* elicitam, esse impedimentum alterius determinationis oppositæ; quis enim non videat, voluntatem eo ipso instanti, quo determinata est ad amorem, impediri, ne actum odii eliciat, nec posse potentia consequente elicere actum odii, nisi determinatione ad amorem seposita? Nec tamen adversarii timebunt, hoc impedimento libertatis jura lædi, vel tolli. Idem dicatur de gratia efficaci, quæ, ut declaratum est jam sæpe, simili modo voluntatem determinat, ac ipsa determinaret seipsam. „ Deus, *inquit Angelicus* (in II. Dist. „ XXV. q. 1. art. 2. ad 1.), operatur in voluntate, & in libero arbitrio secundum ejus exigentiam, unde etiamsi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatur, voluntarie velit ".

257. Neque dicatur, determinationem propriæ voluntatis ad unum esse impedimentum ab ipsius voluntatis electione proveniens, secus ac sit determinatio per gratiam efficacem facta. Non enim id obest; Deus namque, qui *magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas* (S. Augustinus *de Correptione & gratia* cap. 14.), eodem prorsus modo in nobis agit, ac nos ipsi, & facit, non solum ut eligamus, sed etiam, ut libere eligamus, Sane Angelicus ad conciliandam nostram libertatem cum divina motione, non alium unquam vidit, vel insinuavit modum, quam confugere ad divinam omnipotentiam, quæ certe potest id in nobis efficere, quod nos ipsi possumus, adeoque & nostram voluntatem libere immutare, non minus quam si seipsam sola immutaret; imo & *multo amplius*, ut cum S. Thoma diximus supra n. 223.

258. Ex his patet, quam ineptum sit exemplum catenarum, quæ potentiam ligant, & tollunt; contra enim gratia efficax nostram boni operandi potestatem inertem, & otiosam excitat, applicat, & determinat ad bonum operandum; & solutis culpæ vinculis nos asserit in libertatem filiorum Dei. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Jo. VIII. 36.

259. Ulterius in homine compedibus ligato non solum non est potentia ad ambulandum in *sensu composito*, sed neque in *sensu diviso*; simul autem cum gratia determinante ad bonum, manet in voluntate potentia ad malum oppositum, ut jam sæpius nonnullis exemplis declaratum est. Qui autem subdunt, in homine vincto catenis, nullam reliquam futuram potentiam ad ambulandum, etiamsi a Deo ita vinciretur, quemadmodum vinciret seipsum, non vident, id posse contra ipsos retorqueri; vel enim homo se ligaret vinculis arbitratu suo solubilibus; & tunc si eodem modo ligaretur a Deo, posset arbitratu suo vincula solvere; alias a Deo esset diverso modo ligatus: vel se conjiceret in vincula indissolubilia, & tunc quemadmodum sibi tolleret libertatem, ita eidem tolleretur a Deo. Ostensum est autem, Deum voluntatem movere necessario, sed libere, quemadmodum voluntas seipsam libere movet.

260. Inst. ult. Hoc Thomistarum systema Thebanæ Sphingis oraculis obscurius videtur. Quis enim intelligat, Deum physice nos ad agendum movere, & plane impellere, & simul nos esse nostrorum actuum dominos, & liberrime agere? Contra vero facillime quisque etiam rudis intelliget posita Dei vocatione indifferenti, & motione præcise morali, cujus tota vis sita est in illustrationibus, exhortationibus, terroribus, præmiis &c. intactam libertatem servari? Cum itaque utrumque hoc systema in scholis Catholicis doceatur, & liberum nobis sit, alterutrum pro arbitrio amplecti, quis erit ita lucis & perspicuitatis osor; ut tenebras obscurissimas seligat?

261. Resp., in mysteriis fidei explicandis, non quæ magis perspicua, sed quæ veriora, & Scripturæ, Traditionique magis consonant, systemata esse amplectenda. Non inficior, facillime in Molinistarum systemate explicari libertatem arbitrii, sed libertatem independentem, quæ gratiæ jura infringit, elationemque in nobis fovet; non autem eam libertatem, quæ Deo supremo Domino subjecta totum illi in acceptis referat: *ut sit humilis & submissa nostra confessio, & detur totum Deo, & qui gloriatur, in Domino glorietur*. Concludam verbis S. Augustini qui tanquam Ecclesiæ oraculum in hac præcipue controversia semper habitus est. Epist. CCXVII. alias CVII. ad Vitalem c. 3. „ Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum a malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum ". Amplectamur doctrinam ejusdem S. Patris, qua & *Dei gratia non negatur .... & liberum ita defenditur, ut humilitate solidetur, non elatione præcipitetur arbitrium; & qui gloriatur, non in homine, vel quolibet alio, vel seipso, sed in Domino glorietur*.

262. Sed & illud coronidis loco addere juvat, Thomistico systemate, veluti radicem duplicis pestiferæ hæresis, Pelagianæ, & Prædestinatianæ, funditus convelli. Utraque, enim, quamquam e diametro sibi opposita, huic tamen principio veluti communi fundamento innitebatur: *Gratia efficax, quæ voluntatem vi sua inclinat ac determinat, inimica est libertatis*. Ex eo autem ita inferebat Pelagianus: *est in nobis libertas: ergo rejicienda est gratia efficax*. Contra vero Prædestinatianus: *est gratia efficax: ergo nulla superest libertas*. Quid Thomistæ ad hæc? Vestigia Augustini, & Thomæ prementes, negant fatale illud principium *Gratia efficax &c.* ostenduntque, gratiæ efficaciam in hoc ipso sitam esse, ut voluntatem moveat, inclinet, & determinet non solum

lum quantum ad substantiam, verum etiam quantum ad modum liberum actus, & ita radice evulsa, duæ immanes hæreses funditus corruunt (*a*).

CAPUT VI.

Ostenditur, gratiam sufficientem non continere totum id, quod ex parte Dei ad bene operandum requiritur.

263. Pro gratia sufficienti contra Jansenianos vindicanda Thomistæ simul & Molinistæ unanimiter pugnant: magna tamen inter eos a duobus sæculis controversia viget, quid proprie hujus gratiæ nomine veniat. Molinistæ illud grammaticaliter usurpant, & gratiam *sufficientem* dicunt, cui nihil præterea ex parte Dei ad actum reipsa ponendum adjicitur, ut proinde omnis gratia sit in se duntaxat sufficiens, nec aliud inter gratiam inefficacem discrimen ponunt, nisi quod isti consensus voluntatis accedat, alteri desit (*b*).

264. Thomistæ vero eam esse gratiam *sufficientem* dicunt, quæ veram bene operandi potentiam voluntati confert, ab actu tamen sejunctam; gratiam autem *efficacem*, quæ ipsam voluntatis determinationem, seu consensum operatur in nobis. Hinc fit, ut in gratia sufficienti totum id contineatur, quod ad potentiam bene operandi exigitur; non autem id totum, quod ulterius requiritur ad actum, ad quem necessaria est gratia per se, & ingenita sua vi efficax. Certum est enim, in omni causa agente aliquid plus ad actum, quam ad potentiam esse necessarium; atque in hoc veluti doctrinæ trunco omnes mire consentiunt, quamvis in minutioribus quibusdam controversiis, non eodem modo sentire, vel saltem loqui videantur (*c*).

PROPOSITIO.

Auxilium sufficiens, & inefficax confert quidem nobis bene operandi potentiam; sed ut voluntas nostra ad bene operandum reipsa determinetur, requiritur gratia efficax.

265. Prob. primo ex iis omnibus, quæ contra Molinistarum, & Suarezianorum systemata superius attulimus. Si enim gratia sufficienti posita nihil aliud desideraretur ad actum, quam nostræ voluntatis consensus, sequeretur primo, hominem gratiæ consentientem gloriari posse, se aliquid habere a Deo minime acceptum, scilicet suam voluntatis determinationem, qua gratiam mere sufficientem reddidit efficacem: secundo cum hæc gratia sufficiens justis nunquam desit (Vid. supra Diss. IV. cap. 2.) immo in adversariorum & aliorum plurium sententia neque desit peccatoribus, homines nihil a Deo petere deberent; nihil enim aliud ad opus bonum desideratur, quam voluntatis consensus quo gratia reddatur efficax; irrisoria itaque erit nostra petitio &c.: tertio irrisoria quoque erit gratiarum actio (Vid. supra num. 118. sequ.)

265. Prob. ulterius ex S. Augustino, qui Lib. *de corrept.*, & *grat.* c. 12. „ Ipsa adjutoria, *inquit*, distinguenda sunt: aliud est adjutorium, „ sine quo aliquid non fit, & aliud est adjuto-„ rium,

(*a*) Pro auditorum commoditate multa, quæ fuerant in II. Tomo *de Deo* Dissert. IV. cap. 3., & Dissert. V. cap. 5. jam tradita, hic repetere opus fuit; quæ autem minus necessaria visa sunt, ibidem recolenda reliquimus.

(*b*) Id sine ulla tergiversatione docet Molina pluribus in locis suæ *Concordiæ*; & videri potest Quæst. 14. art. 13. disp. 40., ubi omne auxilium gratiæ vocat *sufficiens*; illudque postea dividi docet in *efficax*, & *inefficax*, ut primum illud sit, *cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur*: inefficax autem, *cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur*, ut tota diversitas a solo nostræ voluntatis consensu vel dissensu repeti debeat. Equidem scio, Suarezianos ex decreto P. Claudii Aquaviva anno 1613. *docere, inter eam gratiam, quæ reipsa effectum habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam gratiam cooperantem habentis, effectum sortiatur, altera non item: sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit; atque eo modo, & tempore confert, quo videt infallibiliter effectum habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia contineri &c.* Veruntamen facile nobis esset ostendere, etiam gratiæ congruæ defensores in distinctione auxilii sufficientis in *efficax*, & *inefficax* a puro, putoque Molinismo non recedere, quod plurimis eorum allatis testimoniis P. Thomas de Lemos demonstravit in *Panoplia gratiæ* T. IV. Lib. IV. P. II. cap. 1. & seq.

(c) Potissima dissensio in eo videtur esse, quod quidam gratiam sufficientem ab efficaci toto genere distinguant, ita ut sufficiens nunquam possit fieri efficax; alii vero utramque gradibus tantum differre dicant: quæ etiam est recentium Augustinianorum sententia. Verum, observante doctissimo P. Antonino Massoulié, non est difficile utramque sententiam conciliare, ut dicamus, gratiam sufficientem *reduplicative* sumtam, prout inefficax est, ab efficaci omnino distingui; quamvis eadem gratia in se ipsa considerata possit aliquando esse efficax. P. Th. de Lemos putavit, gratiam sufficientem ab efficaci non distingui *realiter*, sed *formaliter* tantum, ut scilicet gratia excitans, præcise ut excitans, appelletur sufficiens; gratia autem eadem, ut *adjuvans*, & *cooperans*, fit efficax. Vid. T. IV. Lib. IV. P. II. Tract. III. cap. 7. n. 113. P. Antoninus Reginaldus *De mente Concilii Trident.* P. I. cap. 47. discrimen inter gratiam efficacem, & sufficientem in hoc constituit, quod *gratia sufficiens ex parte intellectus importat sanctam cogitationem, & ex parte voluntatis infert imperfectam quamdam boni cupiditatem; gratia vero efficax infert perfectam voluntatem &c.*

,, rium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non ,, possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit: ,, ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non ,, fit, non quo fit, ut vivamus ". Non poterat aptius ad rem nostram S. Doctor essentiam gratiæ sufficientis declarare. Nam eodem modo dicitur gratia sufficiens ad operandum bonum, quo alimentum ad vivendum, at vero ad vivendum necessaria est determinatio voluntatis, ut alimento utamur: ergo eadem ratione gratia sufficiens potentiam bene operandi confert; sed præterea necessaria est voluntatis determinatio, ut hanc potentiam reducamus ad actum, & bene operemur; hanc autem determinationem nobis non confert, nisi gratia efficax, quæ, sublata voluntatis indifferentia, vel victa opposita concupiscentia, voluntatem in bonum inclinat, flectit, atque determinat, unde idem S. Augustinus: *Hæc imperat Deus*, inquit Lib. III. *Operis imperf.* c. 116. *quæ fieri possunt. Sed ipse dedit, ut faciant eis, qui facere possunt, & faciunt.*

267. Augustino de more consentit Angelicus, qui de gratia S. Paulo collata loquens Lect. II. in cap. III. Ephes.: ,, Hujusmodi auxilium, *inquit*, ,, duplex fuit; unum quidem ipsa facultas exequendi; aliud ipsa operatio, sive actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem, ,, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & ,, aptus ad operandum; sed ipsam operationem ,, confert, inquantum operatur in nobis interius ,, movendo, & instigando ad bonum ". Nihil disertius, ut puto, dici potest ad distinguendum effectum gratiæ sufficientis, qui est potentiam, & virtutem ad bene operandum conferre, ab effectu gratiæ efficacis, qui est hanc potentiam reducere ad actum per voluntatis determinationem.

268. Neque vero mirabile videatur, gratiam vere dici, & esse sufficientem, & tamen aliquid aliud ad actu operandum desiderari. Non inquam: nam hanc eamdem difficultatem olim sibi objecerat S. Thomas 3. p. q. 61. art. 1. ubi cum ostendisset, Sacramenta esse necessaria ad salutem, objicit sibi (num. 3.): *Posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum* (en ipsissimum adversariorum principium); *sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis .... non ergo requiruntur Sacramenta*. Cui difficultati ita respondet: ,, Passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis; nec propter hoc ,, sequitur, quod Sacramenta non sint necessaria ,, ad humanam salutem; quia operantur in virtute passionis Christi; & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta &c." Eodem prorsus modo res se habet de gratia sufficiente. Hæc potentiam confert bene, & salutariter operandi, adeoque in suo genere sufficiens est, nihilque illi deest; verum ut hæc potentia reducatur ad actum, aliquid aliud requiritur (nam potentia, nisi determinet, nunquam erumpet in actum). Hoc autem non est nisi determinatio voluntatis; sed cum determinatio voluntatis nonnisi per gratiam ab intrinseco efficacem habeatur, ut supra copiose probavimus, manifestum fit, ad actum præter gratiam sufficientem, etiam efficacem requiri, adeoque &c. Hinc intelligitur illud S. Thomæ effatum: *Ipsum bonum usum gratiæ esse a Deo*. Conf. ejusdem S. Thomæ Lect. III. supra Cap. IX. epist. ad Rom.

269. Objiciunt primo simul Molinistæ, & Jansenii partiarii (Montaltius epist. II. ad Prov. & Wendrockius in not.): Vel ipsa nominis etymologia satis per se loquitur, illud esse sufficiens, præter quod nihil aliud desideratur. ,, Mulieres omnes, hoc est totius orbis dimidia pars, aulici, ac militares viri, magistratus, ac tota turba forensis; mercatores, opifices, plebeji, ad ,, extremum, præter Dominicanos, universi homines id demum sufficiens appellant, in quo insunt omnia necessaria ad agendum ". Res etiam exemplo illustrari potest. Si ex duodecim suffragiis ad canonicam electionem necessariis aliquis nonnisi decem haberet, anne dici posset, eum sufficientia suffragia ad electionem habere? ergo similiter &c.

270. R. Quæstionem hanc esse de nomine, & plane grammaticalem, in qua non est operæ pretium oleum, & operam perdere. Non defuerunt, Lemosio teste (in *Panopl. grat.* T. IV. Lib. IV. P. II. Tract. III. cap. 2.), aliqui D. Thomæ discipuli, qui minus congrue gratiam, de qua agimus, *sufficientem* appellari arbitrati sunt. Sed quidquid est, in recto, sanoque sensu hæc gratia dicitur in suo genere, *sufficiens*, scilicet in genere potentiæ, quam completam, & expeditam ad pie, & salutariter operandum facit: quanquam sufficiens non dicitur respectu actus, ad quem producendum determinatio voluntatis requiritur, quæ sine gratia efficaci non habetur.

281. Frustra vero ad mulieres, aulicos, militares, aliudque profanum vulgus provocamur, cum res nobis sit cum Theologis, qui sæpissime spreta Grammaticorum ferula, aliam nec incongruam verbis significationem adaptare coacti sunt, ut in præsentiarum contingit. Sic oculus sanus potentia sufficiens dicitur ad videndum, cum tamen ad hoc lucis præsentia, ejusdemque aperitio requiratur; & ut sexcenta alia omittam: Passio Christi ut mox declaratum fuit cum S. Thoma (num. 268.), sufficiens dicitur ad salutem, quamvis ulterius ejusdem applicatio per Sacramenta necessaria sit. Gratia enim habitualis tribuit justo potentiam bene, & meritorie operandi, cum qua tamen sola nemo justus bene operatur. Veruntamen concludo, cum S. August. Lib. 1. *cont. Cresconium* cap. 14.; *cum res ipsa intelligitur, minus laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit*. Et iterum Lib. I. *Retractationum* cap. 15. *De verbis, cum*

res

res constet, controversia facienda non est (a).

272. Ad paritatem vero, aliaque id genus exempla dico, non in omnibus rebus distingui sufficientiam ab efficacia, vel potentiam ab actu, sicut aliud exemplum affert S. August. *De correptione, & gratia* c. 12. beatitudinis, *quæ si data fuerit homini, continuo fit beatus*. Sed præsto sunt innumera alia exempla veræ, & completæ potentiæ, solitariæ tamen, & quæ nunquam ad actum perveniet, nisi aliquid aliud superaddatur, quod eam determinet.

273. Inst. primo. S. Augustinus negat, in oculo quantumvis sano veram esse potentiam videndi, nisi extrinsecum ei lucis adjutorium præbeatur. *Sufficit*, inquit, *De gestis Pelagii* cap. 3. *sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras: ad videndum vero lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur*. Et in Libro *De natura & gratia* c. 26. *Sicut oculus corporis*, inquit, *etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*. Ergo similiter si præter gratiam sufficientem aliquid aliud ad operandum requiritur, illa veram non confert bene agendi potentiam.

274. Resp. S. Augustinum loqui de potentia conjuncta cum actu, seu consequenti, quæ ab eodem S. Doctore appellatur (*de nat. & grat.* cap. 42. n. 49.) *possibilitas ipsa simul cum effectu*: quæ utique nulla est in oculo luce destituto: non autem de potentia antecedenti, solitarie sumpta, quam certe nemo negaverit esse in oculo sano, etiam cum actu non videt; nisi velimus iis Mægaricis consentire, quos Aristoteles reprehendit (Lib. IX. Metaph. c. 4.), quod stulte putarunt, *tunc solum posse, cum agas, cum vero non agas, non posse*. Ceterum ipse S. Augustinus *de gratia Christi* c. 14. Pelagium oppugnans, gratiam sufficientem, quæ potentiam confert, ita a gratia *voluntatis, & actionis* perspicue distinguebat: *Non est autem consequens, ut qui potest venire* (utique per gratiam sufficientem) *etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit*, nempe per gratiam *voluntatis, & actionis*, quæ est efficax; unde subdit: „ Sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit; ubi jam & possibilitatis „ profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est ".

275. Inst. secundo. Sufficiens, definiente Sancto Thoma 2. 2. qu. 188. art. 8. est, *cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti*: nec alio unquam sensu fuisse hanc vocem *sufficiens* a Sancto Thoma usurpatam, innumeris ejusdem testimoniis allatis ostendi potest. Vid. Ant. *Arnaldi vindiciæ &c.* sect. 4. art. 4. (b).

276. Resp. Id, cui aliquid deest, non esse quidem in omni genere sufficiens, posse tamen sufficiens esse in genere potentiæ absolutæ, & indeterminatæ; & ita gratia *sufficiens* dicitur, quia illi nihil deest, respectu potentiæ ad bene operandum, quam reipsa confert in suo genere completam, tametsi adhuc indeterminatam. Hæc determinatio ad actum requiritur; cumque nihil in nobis sit boni, quod a Deo non promanet, hinc alia gratia necessaria dicitur ad actum, quæ nempe hanc determinationem in nobis efficiat, & hæc est gratia efficax. Neque vero insolens est apud Sanct. Thomam, ut aliquid vere sufficiens in genere potentiæ dicatur, præter quod aliquid aliud ad actum requiritur; ut cum docet Qu. XXVII. *De verit.* art. 5. hominem per gratiam habitualem *sufficienter* ordinari ad vitam æternam, & nihilominus certum est ex eodem (ibid. ad 3.), *quod quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, semper tamen indiget divina operatione &c.* (Vid. sup. Diss. IV. n. 6. 9. & 17.).

277. Inst. tertio. Gratia, nedum debet esse sufficiens respectu potentiæ, verum etiam respectu actus; datur enim, non solum ut homo possit agere, sed ut reipsa agat; ergo &c.

278. Resp. Gratiam quidem nobis conferri, ut salutariter agamus, non seclusa tamen, sed posita voluntatis determinatione, quæ, ut sæpius dictum est, sine gratia efficaci non habetur.

279. Inst. quarto. Gratia efficax non est in nostra potestate: ergo si præter gratiam sufficientem, hæc etiam ad operandum requiritur, non poterit homini vitio verti, si gratia sufficienti instructus bonum non agat; quod tamen falsum est, & absurdum.

280. Resp. Gratiam efficacem non esse in nostra potestate hoc sensu, quasi illam nostris viribus mereri, aut impetrare valeamus; esse tamen aliquo alio sensu in nostra potestate, quatenus Deus illam nobis conferre paratus est, nisi nos nostra culpa, & improbitate, Dei beneficentiæ obstaculum ponamus. Deus enim, ut inquit Concilium Trident. (Sess. VI. cap. 13.) *nisi ipsi illius gratiæ*

(a) Arnaldus ipse in Dissert. *de Gratia efficaci* P. III. art. 10. postquam nomen gratiæ sufficientis multis de causis improbavit, hæc subdit: *Verum, ut meo quidem judicio providentius fuisset illud nomen neutiquam initio in Scholas catholicas admittere, sic jam receptum per vim abigere, & præfractius de voce contendere durius, & ab Ecclesiæ pace alienius videri potest*. De hoc nomine vid. Thomas de Lemos in *Panoplia Gratiæ* Tom. IV. Lib. IV. P. II. cap. 2.

(b) Sic (ut aliquod ponamus exemplum) 3. P. qu. 7. art. 10. ad 1. dicit, B. Mariam Verginem habuisse gratiam *sufficientem* ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet mater Unigeniti ejus. Idemque asserit de S. Stephano, qui dictus est *plenus gratia*, quia habebat gratiam *sufficientem* ad hoc, quod esset idoneus Minister, & testis Dei. Quo certe in loco nomine gratiæ *sufficientis* S. Doctor eam gratiam intelligit, cui nihil prorsus deest. Adhuc clarius 1. P. quæst. 106. art. 2. *Nihil*, inquit, *sufficienter movet voluntatem, nisi bonum universale, quod est Deus*.

tiæ defuerimus, *sicut cœpit opus bonum*, *ita perficiet operans velle*, *& perficere*. Immo si magis accurate loqui volumus, illi ipsi imperfecti motus, qui a gratia sufficienti in nobis excitantur, ideo inefficaces sunt, nec voluntatem omnino flectunt, & determinant, quia hæc sua malitia iis resistit. Sed id uberius explicandum est in impii justificatione, quod facillime poterit etiam ad bona justorum opera referri (*a*).

281. Quanquam Deus unico instanti tantam potest impio infundere gratiam, ut extemplo ejus voluntas mutetur, & convertatur, quemadmodum in pio latrone, in Paulo, aliisque paucis factum esse novimus; consuevit tamen perinde agere in ordine gratiæ, ac in ordine naturæ, ut nempe forma non introducatur, nisi præcedentibus quibusdam dispositionibus. Hujusmodi dispositiones ad justificationem in homine impio fieri solent per quamdam gratiarum seriem, quibus sensim, ac sensim ejus cor a terrenis cupiditatibus liberatur, quod plerumque non sine magna effectuum, & passionum lucta contingit: quod & quotidiano rerum usu edocemur, & mirabiliter descriptum legimus a Sancto Augustino in suis *Confessionibus* (præcipue lib. VIII. (*b*). Nempe continuis istis gratiæ accessionibus fit, quemadmodum S. Augustinus ait *De gratia*, *& libero arbitrio* cap. 15. „ ut ipsa bo„ na voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, „ & tam magna fiat, ut possit implere divina man„ data, qua voluerit, cum valde, perfecteque vo„ luerit ". Quod si bonas illas motiones, tamquam dispositiones a gratia excitatas, homo sua perversitate retundat, atque extinguat, sibi ipsi imputare tunc debet, quod Deus ab ulterioribus, & efficacibus gratiis infundendis se juste contineat.

282. Instant hic acrius Adversarii. Non ponere obstaculum gratiæ, seu bene uti gratia sufficienti, eique consentire, ad Thomistarum mentem, est effectus gratiæ efficacis; ergo ludunt, illuduntque Thomistæ, dum dicunt, Deum paratum esse ad gratiam efficacem largiendam, nisi voluntas gratiæ sufficienti sua perversitate resistat.

283. R. Dist. ant. Ita ut obicis positio repetenda sit ex defectu gratiæ efficacis, tamquam ex causa, *nego:* repetenda sit ex libera nostræ voluntatis malitia, quæ bonum velle potest, & non vult, atque antecedentis gratiæ effectum extinguit, *conc.* Magna est in hoc argumento æquivocatio, quæ si tollatur, omnis evanescet difficultas. Nam alia est causa, cur ponatur obstaculum gratiæ, alia cur non ponatur. Prima est sola humana voluntas; *perditio tua Israel*, nec ullo modo id a defectu gratiæ Dei est repetendum: quamobrem referente S. Augustino *De gestis Pelagii* cap. 14. Pelagius in Concilio Diospolitano coactus est hanc propositionem Cœlestii ejurare: *si gratia Dei est*, *quando vincimus peccata*, *ergo ipse est in culpa*, *quando a peccato vincimur*. Causa vero, cur Dei vocationi consentiamus, est gratia Dei: *tantummodo in me auxilium tuum* (Oseæ XIII. 9.). Quamvis ergo ad Thomistarum mentem bonus gratiæ usus, seu consensus vocationi sit gratiæ efficacis effectus, non tamen contra dissensus, seu positio impedimenti ex defectu gratiæ efficacis, sed ex humanæ voluntatis malitia repeti debet (*c*).

284. Inst. sexto. Commune Philosophorum proloquium est: *ubi affirmatio est causa affirmationis*, *etiam negationem esse causam negationis*; quia contrariorum eadem est ratio: ergo si gratia efficax est causa, cur vocationi consentiamus, ejusdem defectus erit causa, cur non consentiamus; adeoque &c.

285. Resp. Hoc Philosophorum effatum habere locum, ubi eadem est causa contrariorum, non autem ubi est diversa, ut hic contingit. Quamobrem nec locum haberet in gravi decidente; & inepte quis ita colligeret: causa, cur lapis deorsum non ruat, est manus subtractio; unde S. Thomas 1. 2. qu. 112. art. 3. ad 2. „ Defectus gratiæ, *in*„ *quit*, prima causa est ex nobis, sed collationis „ gra-

(*a*) S. Thomas 1. 2. qu. 113. art. 10. *Justificatio impii*, inquit, *quandoque est miraculosa*, *& quandoque non: est enim iste communis*, *& consuetus cursus justificationis ut Deo movente interius animam*, *homo convertatur ad Deum*, *primo quidem conversione imperfecta*, *ut postmodum ad perfectam deveniat; quia charitas inchoata meretur augeri*, *ut aucta mereatur perfici*, *sicut Augustinus dicit*. *Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet*, *ut statim quamdam justitiæ perfectionem assequatur; sicut fuit in conversione Pauli*, *adhibita etiam exterius miraculosa prostratione*, *& ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter*.

(*b*) Sed de his legi meretur Ludov. Jac. de Rastignac Archiep. Turonensis in Instruct. Pastor. de *Justitia Christiana*, jam pluries, italica quoque, ac germanica lingua edita part. 2. tum alii, qui hanc materiam illustrarunt etiam in libris asceticis. Ceterum Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* T. IV. Lib. IV. P. II. Tract. III. cap. 4. explicans communem illam S. Augustini doctrinam; *quod homo cum auxilio sufficienti bene operaretur*, *si vellet*, observat, absolute non esse concedendam illam quorumdam propositionem: *si hoc bene uteretur auxilio sufficienti*, *ipsi daretur efficax:* quia facile potest in falsum sensum detorqueri; ut scilicet putemus, hominem suis viribus bene uti auxilio sufficienti, aut saltem ei non resistere, & ita efficax impetrare, qui sensus est falsissimus.

(*c*) Hanc materiam accurate, copioseque tractavit Didacus Alvarez Lib. IX. *de auxiliis* Disput. CI. ubi quærit, *utrum hæc causalis sit vera: Quia homo non adjuvatur a Deo*, *ideo non convertitur?* Et Disp. CII. *Utrum hæc causalis sit vera: Quia homo excitatus a Deo non vult uti gratia sufficiente*, *ideo non adjuvatur a Deo*, *nec convertitur?* Sed præstabit consulere accuratissimum Lemosium, qui in *Panoplia gratiæ* Tom. IV. Lib. IV. P. II. Tract. III. cap. 4. plures expendit sensus hujus propositionis: *Homo bene operaretur auxilio sufficienti*, *si vellet;* veramque ipsius intelligentiam a falsis discriminat.

„ gratiæ prima causa est a Deo, secundum illud „ Oseæ XIII. perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum".

286. Inst. septimo. Prius, saltem natura, & ratione intelligitur gratiæ efficacis denegatio, quam voluntatis resistentia; nam si Deus gratiam efficacem tribueret, nulla foret in voluntate durities; ergo dici non potest, ideo Deum gratiam efficacem denegare, quia gratiam sufficientem nostra perversitate extinguimus.

287. Resp. Vel loquimur de prima gratia, cujus motus voluntas extinxit, & tunc certe illa non fuit efficax, quia voluntas sua malitia ejus impedivit effectum, saltem loquendo de causa proxima, & immediata ipsius inefficaciæ. Vel loquimur de aliis gratiis subsequentibus, & uberioribus, quas Deus juxta consuetas suæ Providentiæ leges voluntati contulisset, nisi ipsa sua pervicacia se illis indignam fecisset, & istarum denegatio pariter voluntatis perversitate posterior est. Aliquo tamen sensu etiam dici potest, denegationem gratiæ efficacis præcedere hominis resistentiam, quatenus Deus voluntate efficaci non vult nostram resistentiam vincere, aut impedire. Hinc autem cum Augustino exclamandum est, inscrutabilia esse judicia Dei, cur aliquibus peccatoribus gratia efficax denegetur: esse autem inscrutabiliora, cur denegetur justis (Vid. sup. Dissert. V. n. 122.). Estius (Lib. I. Sent. Dist. 41. §. 18.) denegationem gratiæ efficacis a sola Dei voluntate repetere non dubitavit (*a*).

288. Huc etiam facit doctrina S. Thomæ dicentis 1. 2. qu. 79. art. 1.: „ Contingit, quod Deus „ aliquibus non præbet auxilium ad evitandum „ peccata, quod si præberet, non peccarent; sed „ hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ, & justitiæ, cum ipse sit sapientia, & justitia: unde non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causæ peccati; sicut gubernator non „ dicitur causa subversionis navis ex hoc, quod „ non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare. Et „ iterum 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. Ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, „ & similiter ad credendum articulos fidei. Sed „ tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, „ misericorditer datur, quibus autem non datur, „ ex justitia non datur in pœnam præcedentis, „ aut saltem originalis peccati". En igitur, quomodo nostræ voluntatis pravitas Dei misericordiam, & bonitatem *quodammodo* impediat, ne uberiora gratiæ suæ auxilia nobis conferat.

289. Obj. secundo. Ea gratia non est vere sufficiens, cum qua homo non potest actum bonum conjungere, id autem habetur in Thomistarum systemate, in quo homo gratia sufficienti ad aliquem actum bonum instructus, puta ad eleemosynam erogandam, eodem tempore habet præmotionem physicam ad actum oppositum, qua præmotione necesse est gratiæ sufficientis motum elidi.

290. R. Etiam admissa præmotione physica ad actum peccati (*b*), esse in voluntate veram potentiam ad bonum, quam gratia sufficiens donat; neque pugnat, voluntatem eodem tempore duabus contrariis viribus inclinari ad bonum, & ad malum, ad unum efficaciter, inefficaciter autem ad aliud; immo tot hujus rei testes sunt, quot homines, qui carnis concupiscentiam adversus spiritum, & utriusque luctam quotidie experiuntur (*c*). Gratia itaque, ut sistamus in exemplo allato, suis impulsibus hominem ad eleemosynam sollicitat, veramque illi ad hunc pietatis actum potentiam confert; sed homo sua perversitate hujusmodi motibus resistit, meretur que suis pravis dispositionibus, ut Deus, qui causis agentibus se se accommodat, præmotionem ad actum contrarium illi conferat. Quæ præmotio, ut supra ostensum est (cap. 5.) infallibiliter quidem actum infert, non tamen necessario.

291. Object. ult. Hæc gratia sufficiens, quæ nunquam cum actu conjungitur, nedum inutilis est, sed plane noxia, peccatis cumulandis, æternæque damnationi accersendæ duntaxat inserviens.

292. Resp. ex minus recta gratiæ sufficientis intelligentia hæc dici; quanquam enim gratia sufficiens, prout sufficiens tantum est, nunquam actum

(*a*) *Quod autem*, inquit, *Deus permittat, hominem, vel Angelum cadere in peccatum, quos Deum deserit, videlicet non præbendo auxilium efficax, ne cadant, hoc non habet causam in ipsis. Sic docet, & rem istam explicat Bartholomæus Medina super* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10. *ad* 3. cui sententiæ etiam Tiphanius subscribit in Lib. *De Ordine* cap. 52.

(*b*) Quanquam omnes ad unum Thomistæ gratiam per se, & ab intrinseco efficacem, seu physicam præmotionem ad actus bonos admittunt, observante tamen Alvarezio Lib. III. *De auxiliis* Disput. XXIV. non desunt aliqui, qui nullam ad actus malos præmotionem agnoscunt. Nam ut P. de Lemos in Congregatione die 10. Jan. 1606. coram Paulo V. demonstravit, doctrina theologica de gratia efficaci, vel sufficiente, a quæstione philosophica de præmotione ad actus naturales, vel ad actus peccaminosos minime pendet, quia respectu actuum supernaturalium est ratio peculiaris, ducta, tum ex eorumdem elevatione supra vires naturæ, tum ex vulnere nobis per peccatum originale inflicto, quo a Deo aversi facti sumus. Vid. Serry *Hist. de aux.* Lib. V. sect. 3. cap. 9.

(*c*) Digna lectu sunt, quæ plurima in hac re S. Augustinus habet in suis Confessionibus. *Suspirabam*, inquit Lib. VIII. cap. 5., *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem .... nondum erat idonea superare priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, alia carnalis, ista spiritualis confligebant inter se &c.*

ctum producat; eadem tamen gratia, accedente voluntatis determinatione, actum pium, ac salutarem tandem elicit (Vid. supra Diss. IV. n. 27.).

293. Coroll. I. Ex hactenus disputatis facile colligitur, peculiari confutatione non indigere novum Tournelii (Quæst. VII. *de grat.* art. 4.), aliorumque paucorum systema, qui post Alphonsum Moynium distinxerunt inter gratiam orationis, & gratiam actionis; primam duntaxat sufficientem appellarunt sensu Molinistico, ita ut ab humanæ voluntatis consensu efficax redderetur: gratiam vero actionis saltem ad difficiliora opera esse ex se efficacem posuerunt. Peculiari inquam confutatione hoc systema non indiget, cum luculenter ostensum sit, nullam gratiam posse a solo nostræ voluntatis consensu reddi efficacem, quin multa, & intolerabilia consequantur absurda. Et mirum est, hoc systema placuisse Tournelio, postquam Molinæ, Congruistarum, & Thomistarum sententiam sibi minime placere declaraverat.

294. S. Augustinus hanc novam quorundam sententiam sæpius in Pelagianis, ac Semipelagianis confutavit. Insignis est locus in Libro *De dono pers.* c. 23., ubi inquit: ,, Attendant ergo, quomodo fallantur, qui putant esse a nobis, non ,, dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus ... ,, Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris ,, esse, ut oremus, hoc est petamus, quæramus, ,, atque pulsemus. *Accepimus enim spiritum a-* ,, *doptionis filiorum, in quo clamamus: Abba,* ,, *Pater.* Quod vidit beatus Ambrosius: ait enim: ,, *Et orare Deum gratiæ spiritualis est, sicut* ,, *scriptum est: nemo dicit: Dominus Jesus, ni-* ,, *si in Spiritu Sancto*". Hinc etiam Ecclesia ita Deum orat: *Pateant aures misericordiæ tuæ Domine, precibus supplicantium, & ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare:* ut plane intelligamus, eodem modo orationem esse Dei donum, quo cetera alia bona, quæ in nobis sunt.

295. Coroll. II. Est etiam ex dictis colligendum: Gratiam sufficientem Thomisticam toto cœlo distare a gratia parva Jansenii. Id primum constat ex iis, quæ Jansenius ipse scribit Lib. III. *De Gratia Christi Salvatoris* cap. 3. inquiens: ,, Istud ,, gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum ,, unquam opus factum est, aut fiet unquam, si ,, est verum, distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare ,, gratiæ, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens, ideoque ,, lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis ,, excogitatum". Id autem Jansenius non asserit de sua gratia parva, quam propterea fatetur a gratia nostra *sufficiente* omnino esse diversam. Ulterius Thomistas tacite sugillans, illis *longe aptius* ratiocinari ait gratiæ congruæ defensores, qui *efficacem, & sufficientem gratiam ab eventu nuncupari docent:* unde manifestum facit, se magis a Thomistarum, quam a Molinistarum placitis abhorrere. Tertio in c. 1. ,, Vocamus, *in-* ,, *quit*, illam sufficientem gratiam, seu præter ,, quod nihil aliud sufficiens adjutorium, ex parte Dei per modum principii necessarium est, ,, ut homo velit, aut operetur"; quod nostræ sententiæ e diametro opponitur. Et licet postea subdat: ,, Quod si accipiatur auxilium sufficiens, ,, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, ,, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de facto operetur, de hujusmodi sufficienti gratia non ,, est hic nostra controversia; *contendit tamen*, ,, *tale auxilium* non esse veram Christi gratiam". Hæc abunde sufficiunt, ut appareat, quantum nostra sententia tum a falsis Molinistarum principiis, tum a damnata Jansenii hæresi procul absit. Nos enim una cum Lemosio, aliisque fere omnibus S. Thomæ discipulis, & Scholæ nostræ Doctoribus hoc auxilium vocamus *sufficiens, quia homo per illud redditur sufficienter potens ad operandum si voluerit, etiamsi, ut de facto operetur, alio indigeat.* Consul. Lemosius T. IV. *Panopliæ gratiæ* Lib. IV. P. II. Tract. III. cap. 2.

CAPUT VII.

De Gratiæ sufficientis distributione.

296. Perdifficilem ingredimur quæstionem, utpote quæ proxime pertinet ad illam profundissimam divinorum judiciorum abyssum, a qua variæ gratiarum divisiones, ac distributiones oriuntur. Ex iis tamen quæ nobis Deo revelare placuit, & quæ a S. Patribus, potissimum vero a duobus Theologiæ summis Principibus Augustino, & Thoma in hac materia tradita fuerunt, curabimus distinguere, quæ certa apud omnes esse debent, & quæ sin minus undequaque certa, saltem probabiliora visa sunt diligentissimo eorum discipulo Thomæ Lemosio, qui hac de re accurate, copioseque disputavit in Tomo IV. *Panopliæ Gratiæ* Tract. III. cap. 8. & seq.

297. Primo itaque damnanda ab omnibus est crudelis illa, Deoque injuriosa, Calvini sententia, quæ omnibus reprobis a Deo denegari dicit auxilia sufficientia ad salutem. Hoc erat unum ex consectariis alterius Calvini erroris, nullam dari gratiam Dei, nisi efficacem Lib. III. *Instit.* c. 22. §. 10., & c. 24. §. 15., & 16., cum autem certum sit, reprobis non adesse ad perseverandum, usque in finem gratiam efficacem, hinc consequebatur, iis omnem gratiam deesse. In quem errorem impegit etiam Jansenius Yprensis, cum & ipse veram gratiam sufficientem ab efficaci distinctam minime admiserit: unde illa proscripta ejusdem propositio: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

298. Secundo. Eadem de causa erravit Jansenius, cum *aliqua Dei præcepta justis conantibus, & volentibus impossibilia esse dixit, atque ipsis deesse gratiam, qua possibilia fiant;* quia nem-

nempe non aliam veram Christi gratiam agnoscebat, quam efficacem, quam aliquando vel ipsis justis deesse, tristis experientia docet. Utraque Jansenii sententia Apostolico fulmine ab Innocent. X. proscripta fuit, atque a nobis refutata Diss. IV. cap. 1., & 2.

299. Tertio. Ubi agitur de Infidelibus cum positivis, tum negativis, atque etiam de fidelibus nonnullis peccatoribus in malo obfirmatis & obcæcatis, divisæ sunt Theologorum opiniones. Molinistæ enim nulla facta hominum, saltem adultorum, distinctione, omnibus semper, & ubique præsto esse docent aliqua divinæ gratiæ auxilia, quibus possent, *si vellent*, ad Deum converti, & salutem æternam consequi. *Si vellent* inquam; docent enim, auxilia sufficientia non reddi efficacia, nisi per nostræ voluntatis consensum, ut superius declaratum fuit. Atque hanc universalem, & liberalissimam gratiarum largitionem adeo certam esse contendunt, ut ea sublata, Christum Dominum posse dici omnium hominum Redemptorem inficientur (*a*).

300. Thomistæ aliqui huic Molinistarum sententiæ eatenus subscribunt, ut dicant, aliqua gratiæ vel proxime, vel remote sufficientis auxilia omnibus indiscriminatim *conferri*, quibus vera potentia, saltem remota conversionis ad Deum, & salutis æternæ continetur. In eo tamen a Molinistarum doctrina longe recedunt; ut negent, hæc sufficientia auxilia reddi efficacia per solum voluntatis consensum; sed ad id necessariam esse fateantur illam gratiam per se, & ab intrinseco efficacem, quæ voluntatem inclinet, atque determinet, ac potentiam bene operandi reducat ad actum (*b*).

301. Alii tamen insignes nostræ Scholæ Theologi affirmare non dubitant, pro omnibus quidem a Christo Domino humani generis Redemptore instituta fuisse nostræ salutis remedia, atque auxilia sufficientia pro omnibus parata; immo & omnibus *oblata*, non tamen reipsa omnibus *collata*, neque ab omnibus *interius recepta*. Et si credimus Antonino Massouliè Diss. I. *de div. motione* qu. 8. art. 9.: „ Communis sententia est inter S. Thomæ discipulos .... a Deo denegari obduratis, & excæcatis ac infidelibus, qui nihil unquam de fide audierunt, etiam sufficientia auxilia, quibus converti aut credere possint (*c*) ". Quid nobis in tota hac controversia certum, & quid probabilius videatur, sequentibus propositionibus declarabimus.

302.

(*a*) Facile esset plurima Molinæ, ejusdemque discipulorum testimonia allegare. Sed satis esse poterit celebris illa Thesis VII. a duabus Universitatibus, Lovaniensi, & Duacena, censura notata: „ Deus dare „ voluit Christum in redemptionem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus præparavit sufficientia remedia per Christum; *quia eatenus est Christus omnium Redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia*, quibus resurgant a peccatis. „ Si enim aliquibus non darentur sufficientia, verus „ non esset eorum Redemptor; quia nec Redemptor „ esset quoad sufficientiam, nec quoad efficaciam ". Item Thesis XIV. *Indurati, & excæcati habent sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur ... Omnes infideles semper, & ubique habent sufficiens auxilium ad salutem ex parte Dei*.

(*b*) Ita censent doctissimi Salmanticenses Tract. XIV. quæ q. 3. Disp. 6. *de gratia efficac.* dub. 3., & pro eadem sententia citant bene multos Thomistas; quibus addi possunt Eminent. Card. Vinc. Lud. Gotti Tom. III. in I. P. *de Div. volunt.* qu. 2. dub. 3. & Car. Ren. Billuart Tom. III. in I. Part. Diss. VII. art. 8.

Hic vero paucis exponendum est systema illud gratiæ universalis, quod Petrus Nicolius invehere frustra tentavit. Quamquam enim hic celebris Scriptor gratiam per se, & ab intrinseco efficacem, prædestinationemque gratuitam contra Molinianos mordicus defenderet, quia tamen certissimum est, Deum velle omnium hominum salutem, & pro omnibus mortuum esse Christum, contendebat, omnibus nationibus, singulisque hominibus reipsa *conferri* nescio quam generalem gratiam, quæ neminem quidem salvat, salutem tamen omnibus possibilem reddit. Exposuerat primo Nicolius hoc suum gratiæ generalis systema in *Instr. theol.*, & *moralibus in Symbolum* T. I. P. II. Sect. 6. c. 4.: post autem latius illud explicavit Lib. inscripto *Systeme sur la grace*. Sed illud acriter confutarunt Arnaldus, Duguetius, P. Hilarion, Boursier, aliique: quorum scripta critica quatuor volum. in 12. collecta a Duguetio fuere.

Multæ antea jam fuerant de hac gratiæ universali distributione inter pseudo-reformatos excitatæ controversiæ. Nam cum Moses Amyraldus, Jo. Cameronis Discipulus an. 1634. edito Lib. *de prædest.* &c. contra Calvini doctrinam defenderet, omnibus sine exceptione gratiam Redemptoris omnium Jesu Christi præsto esse, magnæ inter Calvinianos turbæ motæ sunt, ut parum abfuerit, quin ipse Amyraldus hæreticus a Ministerio excluderetur. Sed postquam pro sua defensione contra Frider. Spanhemium evulgavit. *Specimen animadversionum in Exercitationes* (Frider. Spanhemii) *de gratia universali*, multos invenit suffragatores, ut Mestrezatium, Blondellum, Dallæum &c. A quibus conflata fuit *Universalistarum* secta inter Calvinistas haud exigua.

(*c*) Ita sapientissimus Magister Lemos, quem nobis post S. Augustinum, & Thomam, ut ducem in salebrosis hujusmodi quæstionibus proposuimus, in *Panoplia Gratiæ* Tom. IV. P. II. Tract. III., qui etiam pro hac sententia allegat Jo. Driedonem, Ruardum Tapperum, & Roffensem; quibus addendus Vinc. Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Lib. VIII. Diss. 2. c. 2. cum non paucis aliis, quos citat, & sequitur Jo. Bapt. Gonet in *Clypeo Theol.* Thomist. Tom. II. Disp. V. *de reprobat.* art. 4. Observat autem P. Anton. Massouliè in suo egregio opere *D. Thomas sui interpres de divina motione* Romæ anno 1693. sub auspiciis Innocentii XII., & cum peculiari Congr. S. O. licentia evulgato Tom. II. Diss. IV. q. 3. art. 2., de hac re liberum esse in Scholis Catholicis disputare. Agens enim de prima Jansenii propositione damnata: *Aliqua Dei præcepta* &c. „ Compertissimum est, inquit, minime „ ad errorem Jansenii pertinere, si quis obduratis, & „ excæcatis denegari a Deo gratiam contenderet, qui „ præcepta impleant. Cum enim in eodem Jansenii loco universalissima hæc propositio referatur: *Infide-*

502. Prius tamen notandum est, hic agi de gratia sufficienti vere, & proprie sumpta; *nam si sermo sit*, inquit Lemosius, *de auxiliis divinæ gratiæ extrinsecis, indubitatum debet esse, quod Deus omnibus in universum hominibus, nullo dempto, illa tribuat.* Hujusmodi sunt lex naturalis omnium cordibus a Deo auctore naturæ insculpta; notio Dei remuneratoris, qualis in omnibus pene etiam barbaris nationibus invenitur; aliqua virtutum semina, quæ post fatale vitium naturæ in homine remanserunt; & alia id genus, quibus homines ad quædam bona excitantur, & a quibusdam malis retrahuntur; quæ licet sint dona Dei, cum vera tamen gratia sufficienti, de qua modo loquimur, confundi non debent, illi enim quodammodo extrinseca sunt.

PROPOSITIO I.

Posset Deus absque ulla injustitiæ, aut crudelitatis nota omnibus hominibus non justificatis nullum prorsus divinæ gratiæ auxilium conferre.

503. Hæc propositio, inquit Cardin. Rob. Bellarminus Lib. II. *de gratia, & lib. arb.* c. 4., *certissima est apud eos, qui ex divinis litteris peccatum originale noverunt.* Nam cum per peccatum primi hominis nascamur omnes *filii iræ*, ut inquit Apostolus ad Eph. II. 3., nihil aliud nobis debetur, quam pœna. Unde Sap. VII. 12. dicitur: „ Quis stabit contra judicium tuum? Aut „ quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum „ hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint „ nationes, quas tu fecisti "? Et Apostolus Paulus ad Rom. IX., ostendit, uni divinæ misericordiæ esse adscribendum, quod Deus ex corrupta humani generis massa aliquos seligat, ut sint vasa in honorem, qui propterea etiam vocantur *vasa misericordiæ*.

504. S. Augustinus totus est in hac veritate contra Pelagianos asserenda, ut integri pene ejus essent exscribendi libri. Sufficiant ea verba in Lib. *de dono persev.* cap. 8.: „ Non itaque simus in„ grati, quod secundum placitum voluntatis suæ, „ in laudem gloriæ gratiæ suæ, tam multos li„ berat misericors Deus de tam debita perditione, „ ut si inde neminem liberaret, non esset inju„ stus ". *Et de corrept. & grat.* c. 11. loquens de adjutorio *sine quo* seu gratia sufficiente: „ Si „ autem, *inquit*, hoc adjutorium vel Angelo, vel „ homini, cum primum facti sunt, defuisset..... „ non utique sua culpa cecidissent; adjutorium „ quippe defuisset, sine quo manere non possent. „ Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam „ pœna peccati est; quibus autem datur, secun„ dum gratiam datur, non secundum debitum ". Hanc laud. Cardin. Bellarmini sententiam ambabus ulnis amplectitur Thomas Lemosius pag. 63. sequ. Clara sunt etiam verba Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 106. art. 3. ad 1. inquientis: „ Humanum „ genus propter peccatum primi parentis meruit „ privari auxilio gratiæ "; & ideo *quibuscumque non datur, hoc est ex justitia, quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia*, ut Augustinus dicit in Lib. *de perfectione justitiæ*. Hinc autem manifeste consequitur, multo potiore jure posse Deum sine ulla injustitiæ, vel crudelitatis nota aliquibus non justificatis ipsum auxilium sufficiens non suppeditare.

PROPOSITIO II.

Auxilium divinæ gratiæ non æqualiter omnibus hominibus est.

505. Hæc iterum propositio est Ven. Card. Bellarmini Lib. sup. cit. capit. 2., ubi ait: „ illam „ in divinis litteris ita luculenter haberi, ut mi„ rum videri possit, ab ullo unquam fuisse ne„ gatam. Urget S. Augustinus illud Sap. IV. 11. „ *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum il„ lius, aut ne fictio deciperet animam illius.* „ Certe enim non omnibus hoc præstat Deus, ut „ eos rapiat, antequam in peccata labantur. Ur„ get etiam illud Matth. XI. *Si in Tyro, & Si„ done hæc facta fuissent, in cinere, & cilicio „ pœnitentiam egissent.* Ubi videmus, Deum mi„ rabili, sed justo, & sibi soli noto judicio, non „ solum non æqualiter omnibus gratiæ auxilia sub„ ministrare, sed etiam iis, quos credituros præ„ videbat, si miracula Christi vidissent, ea mira„ cula non ostendisse, & eadem illis ostendisse, „ quos prævidebat, quibuscumque visis miraculis „ minime credituros ".

506. Huc pertinere etiam dicit Eminentissimus Purpuratus alia Scripturæ loca; ut illud Matth. XIII. 11.: *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum*: Rom. IX. 18.: *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat:* & cap. XII. 3.: *Unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei:* 2. ad Thess. III. 2.: *Non omnium est fides*. Et Philipp. I. 29.: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.*

507. Denique ita prosequitur doctissimus ille Scriptor. „ Si gratia æqualiter omnibus adest, „ quomodo Deus in præteritis generationibus per„ misit omnes ingredi vias suas, nunc autem an„ nunciat, ut pœnitentiam agant, ut legimus Act. „ XIV.,

„ *libus, excæcatis, obduratis, justisque etiam interdum* „ *deesse gratiam, qua præcepta possibilia fiant*, ultimam de justis partem SS. Pontifex duntaxat proscri„ psit, alteram vero intactam reliquit ". Quod sufficere arbitror, ad invidiosam Jansenismi notam ab hac sententia, quam adoptamus, amovendam.

„ XIV., & XVII.? Cur Paulus illo ipso tempore, „ quo spirabat minas, & cædes in Discipulos Domini, divino miraculo, Christo ipsum vocante, „ convertitur, cum tam multos minus fortasse malos in delictis suis Deus jacere permittat? Cur „ ex parvulis morientibus, interdum filius optimi „ viri sine baptismo decedit, & perit; filius adulteri, vel incestuosi baptismo abluitur, & regno „ potitur æterno? Cur demum inscrutabilia esse „ dicit Apostolus judicia Dei, & investigabiles vias „ ejus in electione, & reprobatione mortalium, „ *si gratia omnibus adest*, & ex arbitrio hominum pendet, ut eam capiant, vel abjiciant"? Postrema hæc verba probe notanda sunt ab iis, qui credunt, gratias sufficientes omnibus a Deo liberalissime concedi, & ab omnium arbitrio pendere, ut eas capiant, vel abjiciant pro solo voluntatis nutu & arbitratu.

508. Admodum facile esset, hanc veritatem aliis argumentis confirmare, præcipue autem testimoniis S. Augustini, sed opus non est. Sufficiant verba, quæ habet Lib. II. *De pecc. meritis & remiss.* cap. 5.: „ Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet (*Deus*), illum autem non tantum; istum illo, illum isto modo, penes ipsum „ est, & æquitatis tam secrete ratio, & excellentia potestatis ".

509. Neque vero huic veritati adversantur illi Patres, qui gratiam Christi comparant soli, omnia æqualiter, quantum in ipso est, illuminanti. (Ita Dionysius, vulgo Areopagita *De div. nomin.* c. 4. initio); vel qui Dei gratiam omnibus æqualiter distribui, expresse asserunt; ut S. Cyprianus ep. LIX. ad Fidum, inquiens: „ Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consummationem æqualitate librata præbeat Patrem ".

510. Respondeo enim, hujusmodi similitudinem solis veram, & accuratam esse, si de *præparatione*, & *oblatione* beneficiorum Dei accipiatur, non autem si extendatur etiam ad ipsam eorumdem beneficiorum collationem. Certe pro omnibus mortuus est Christus, pro omnibus sufficiens redemptionis nostræ pretium Patri obtulit, pro omnibus Sacramenta, quæ sunt salutis nostræ media, instituit, Evangelium suum toto mundo prædicari voluit; non tamen voluit hæc beneficia omnibus æqualiter reipsa conferri, ut per se manifestum est: eademque ratione pro judiciorum suorum profunditate noluit, interius divinæ suæ gratiæ lumen omnibus æqualiter affulgere. Ceterum Sanct. Augustinus, Lib. II. *De peccator. meritis, & remissione* cap. 5. recte observat discrimen inter lucem corpoream solis, & lucem divinæ gratiæ; quod lux divinæ gratiæ aperit ipsos nostræ mentis oculos, ut videant; id autem oculis corporis lux solaris non præstat, sed oculos tantummodo apertos illuminat. Et cap. 26. „ Sicut, *inquit*, sol iste a „ cæcis non videtur, quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic lumen æternum, quod etiam in tenebris lucet, a stultitiæ tenebris non comprehenditur ".

511. Sanct. autem Cyprianus in laud. epist. refellit opinionem Fidi, qui volebat, infantes ante octavum a nativitate diem non esse baptizandos; hunc autem errorem explodens recte dicit, Deum nec personam, nec ætatem respicere, sed quantum ad hoc se omnibus *æqualitate librata Patrem præbere*.

PROPOSITIO III.

Deus pro sua bonitate omnibus sufficientia auxilia offert.

512. Non minus doctus, quam pius Vinc. Contensonius hanc propositionem probat ex eo potissimum, quod Deus sincere velit omnium salutem, & pro omnibus Christus mortuus sit; ex quo sequitur, quod omnes ad se vocet, & Sacramenta pro omnibus instituerit, & omnibus etiam media ad salutem sufficientia offerat. Unde S. Thomas in Lib. III. *Cont. Gen.* c. 159. „ Deus, *inquit*, „ quantum in se est, paratus est omnibus gratiam „ dare: *vult enim omnes salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*, ut dicitur 1. ad Timoth. II. 4. Sed illi soli gratia privantur, qui „ se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut „ sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit &c. " Et in lib. I. *Sent. Distinct.* 46. quæst. 1. art. 1. loquens de voluntate Dei antecedente salvandi omnes homines: *Ipsius effectus*, inquit, *est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita &c.* Et S. Bonaventura in eumdem Lib. I. *Sentent.* dist. 46. qu. 1. *Antecedenter*, inquit, *connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ*. Vide, quæ diximus Tom. II. Diss. V. num. 42.

513. Sunt etiam valde multa divina eloquia, quibus summa & infinita Dei erga homines bonitas magnifice prædicatur. Sap. XI. 24. „ Misereris omnium .... Diligis omnia, quæ sunt, „ nihil odisti eorum, quæ fecisti: *& c. XII.* 1. „ O quam bonus, & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, „ partibus (κατ' ὀλίγον *sensim*) corripis, & de „ quibus peccant, admones, & alloqueris ut relicta malitia, credant in te Domine ". Et innumera hujusmodi in sacris litteris utriusque Testamenti reperiuntur; quibus concinunt S. Patres, quorum illa vox est, *Deum esse de suo bonum, de nostro justum*.

514. Sapienter autem Card. Bellarminus supra laud. c. 3. observat: „ his locis Scripturarum solum significari, Deum non impedire quemquam „ a salute: imo remedia, & auxilia pro omnibus „ in communi instituisse, prædicationem Evan-

„ ge-

„ gelii, & Sacramenta voluisse omnibus esse com„ munia &c. ". Et quia Faustus abutebatur iis verbis, quæ sæpius apud Patres leguntur, Deum velle omnes homines salvare, *si ipsi velint*, respondet ibidem Bellarminus pag. 236. addendum esse, *neminem velle, nisi Deus eum præveniens faciat eum velle. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Philipp. II.

PROPOSITIO IV.

Gratia sufficiens non ita offertur omnibus hominibus, ut Deus illorum consensum aut desiderium expectet.

315. Hæc propositio fuit contra Semipelagianos tanquam dogma fidei stabilita in Synodo Arausicana II. Canon. 3. his verbis: „ Si quis per „ invocationem, gratiam dicit posse conferri, non „ autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a no„ bis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo „ idem dicenti: *Inventus sum a non quærenti„ bus me: palam apparui iis, qui me non in„ terrogabant*: Et Can. 4.: Si quis, ut a pecca„ to purgemur, voluntatem nostram Deum expe„ ctare contendit, non autem, ut etiam purgari „ velimus, per S. Spiritus infusionem, & opera„ tionem fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui San„ cto per Salomonem dicenti: *Præparatur volun„ tas a Domino*, & Apostolo salubriter prædi„ canti: *Deus est, qui operatur in nobis velle, „ & perficere pro bona voluntate* ". Atque ad hanc propositionem plene probandam ea recolenda sunt, quæ superius Dissert. II. cap. 5. *de Gratiæ gratuitate* late disputavimus (*a*).

316. Objiciebat Faustus Semipelagianus verba illa Joann. I. 12. „ Quotquot autem receperunt „ eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; *tum „ illa Lucæ XI. 9. seq.* Petite, & dabitur vobis; „ quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vo„ bis... Pater vester de cælo dabit spiritum bo„ num petentibus se ".

317. Verumtamen hæc, aliaque hujus generis non pauca, non esse intelligenda in sensu Pelagianorum, jam supra ostensum est cum Sancto Augustino, imo cum tota Ecclesia Catholica, quæ semper professa est, & constanter profitetur, neminem, nisi gratia præventum, posse recipere Jesum Christum per fidem salutarem, dicente ipso Christo apud eumdem Joann. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. De Oratione autem aperte testatur Apostolus, nos nihil posse a Deo salutariter petere, nisi excitatos, & adjutos gratia Spiritus Sancti: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis*, Rom. VIII. 26.

PROPOSITIO V.

Deus reipsa non confert omnibus omnino hominibus reprobis aliqua auxilia interioris gratiæ sufficientis.

318. Hæc propositio, quæ nobis probabilior videtur, probatur *primo* argumentis generalibus; *deinde* exemplo infantium, quibus baptismus administrari non potest; *tertio* exemplo infidelium, qui *negativi* dicuntur; *postremo* exemplo eorum peccatorum, qui in malo obdurati, & obcæcati sunt.

319. Quantum ad primam probationem præsto sunt plura loca S. Augustini, cujus quanta sit in hac materia de gratia auctoritas, superius cap. 1. seq. ostensum est. Jam vero hic summus gratiæ Doctor hoc ponit inter statum naturæ innocentis & statum naturæ lapsæ discrimen *De corrept. & grat.* cap. 11., quod auxilium *sine quo*, seu sufficiens: „ vel Angelo, vel homini, cum primum „ facti sunt, defuisset.... non utique sua culpa „ cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine „ quo manere non possent. Nunc autem quibus „ deest tale adjutorium, jam pœna peccati est ". Non dubitavit ergo magnus Augustinus, in statu naturæ lapsæ aliquibus adjutorium *sine quo*, nempe sufficiens, in pœnam peccati originalis deesse.

320. In celebri autem Epistola CCXVII. alias CVII. ad Vitalem, inter dogmata Ecclesiæ capitalia, quæ utpote ad fidem veram & catholicam pertinentia, & firmissime credenda proponit, hæc re-

(*a*) Semipelagianorum errorem nobis exponit, S. Prosper, cum in epist. ad S. Augustinum, tum in *Carmine de Ingratis*, ubi cap. 10. inquit de gratia.

.... Formam hanc adscribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahit ulli,
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.

Eruditi autem mirari satis non possunt, Jo. Martinez de Ripalda in Lib. II. *adv. Bajum, & Bajanos* Disp. 23. Sect. 8. Tom. III. Operum p. 530. hæc verba pro sententia ejusdem S. Prosperi accepisse; ita enim inquit: „ Indubitatum est, constantem fuisse Prosperi „ mentem in asserenda gratia auxiliante Dei pure suf„ ficienti, quippe omnibus etiam non cooperantibus „ communi. Quod rursus pulchre cecinit Lib. de *In„ gratis* c. 10. disserens de gratia, *quam Ecclesia Ca„ tholica profitetur: Ut cunctos vocet illa quidem &c.* „ Audis, gratiam Dei cunctos vocare; nullum præter„ ire, nulli subtrahi, & in omnium arbitrio ejus o„ bedientiam constitui, *ideoque* inobedientiam ad cul„ pam deputari? ". Quantum vero S. Prosper ab hac Semipelagianorum opinione alienus esset, vide infra n. 326.

recenset: „ Scimus, gratiam Dei nec parvulis, „ nec majoribus secundum merita nostra dari .... „ Scimus, non omnibus hominibus dari .... Scimus, eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus, eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari ". Itane vero *cautissimus disputator* S. Augustinus nomine Ecclesiæ Catholicæ locutus esset, si credidisset, aliquod gratiæ interioris genus esse, quod nemini prorsus denegaretur? Potuissetne tam sæpe in suis Libris repetere gratiam Dei ex misericordia aliquibus concedi, aliis vero ex justitia negari, si suspicatus unquam fuisset, omnibus omnino sine ulla exceptione copiose distribui? Annon facile potuisset Pelagianorum, ac Semipelagianorum querelas compescere, qui de Augustinianæ doctrinæ severitate ac duritia conquerebantur, dicendo, hanc Christi gratiam, cujus necessitatem prædicabat, omnibus præsto esse, ut proinde quisque sibi imputare deberet, quod ea ad bene operandum non uteretur?

321. Frustra autem respondent gratiæ universalis patroni, Augustinum locutum fuisse de gratia illa efficaci, de qua potissima erat illi cum Pelagianis, ac Semipelagianis concertatio, vel de gratia habituali; utramque autem jure meritoque omnibus communem esse negasse, non autem de gratia sufficiente, quæ potentiam bene operandi confert, ab actu tamen disjunctam.

322. Frustra inquam; cum enim S. Pater tam sæpe in suis operibus inculcet, *naturam esse communem, non gratiam* (Serm. XXVI. cap. 4. num. 4. Tom. IV., & alibi): rursus cum hoc axioma *Gratiam non omnibus dari, & quibus negatur, ex justitia denegari*, ut certissimum catholicæ religionis dogma credi voluerit, certe debuisset ad omnem æquivocationem tollendam distinguere, de qua gratia loqueretur, ac luculenter indicare, hæc sua principia non esse generaliter, & de omni gratia accipienda, sed solum de gratia efficaci, aut habituali, quæ omnibus communis non est. Imo cum ipsa experientia adeo luculenter constet, gratiam efficacem, quæ potentiam bene operandi conjunctam effectui præstat, & gratiam habitualem, quæ nos sanctificat, non omnibus præsto esse, operæ dispendium erat, id tam sæpe, ac tam energice insinuare; cum posset adversarios suos ad quotidianam experientiam provocare. Bene vero oportebat operose demonstrare, cujuscumque generis gratiam aliquibus ex divina justitia denegari, ut inde inferret, gratiam quamcumque esse mere gratuitam, ac solius divinæ misericordiæ donum, ut neque ea adjuti inflarentur, & superbirent, neque ea deserti immerito conquererentur.

323. Præterea omnem plane de mente Augustini in hac parte dubitandi rationem illa verba excludunt, quæ habet *De dono persev.* c. 9. inquiens: „ Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste „ ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem „ aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei ". Illi qui ita vocantur, ut vocantem sequantur, certe habent gratiam efficacem: illi vero, qui ita vocantur, ut vocantem non sequantur, utique vocantur per gratiam sufficientem, non per efficacem: ergo illi, qui non vocantur, utraque gratia omnino carent.

324. Ac demum, ut innumera alia loca hujus Sancti Patris præteream, satis sit fundamentale illius principium ex S. Paulo desumptum, quo de hæresi Pelagiana triumphavit, gratiam esse gratuitam, adeoque sine ulla injustitiæ nota aliquibus non concedi: „ Dando enim, inquit *De dono persev.* c. 12., quibusdam quod non merentur, pro„ fecto gratuitam, & per hoc veram suam gra„ tiam esse voluit (*Deus*): non omnibus dando, „ quid omnes mereantur, ostendit ". Quod Augustini ratiocinium esset illusorium, si gratia omnibus daretur. Vel ergo gratia sufficiens non est vera Dei gratia, vel non omnibus communiter datur; ut quid homines peccatores mereantur, fiat manifestum.

325. Dico *homines peccatores*; alia enim est ratio de justis, quibus cum Deus pro sua misericordia largitus sit gratiam habitualem, qua efficiuntur amici, & filii Dei, eis etiam quodammodo debetur gratia sufficiens; neque enim Deus eos deserit, nisi ab eis deseratur. Vide, quæ dicta sunt Dissert. IV. cap. 2.

326. Magistrum, & Doctorem gratiæ secuti sunt fideles ejus discipuli, præsertim S. Prosper, Fulgentius, & Thomas (*a*). Primus enim ita Semipelagianum hominem fidenter provocans canebat in Carm. *De Ingratis* c. 11.

...... *Dic, unde probas, quod gratia Christi*
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur:
Præterea, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit?

327. S. autem Fulgentius Lib. I. *de verit. præd. & gratiæ* c. 15. principii loco statuit, *gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari, gratui-*

(*a*) Nota est sincera illa confessio P. Gabr. Vasquez Disp. XCVII. in I. P. S. Thomæ cap. 2. Augustinum suæ sententiæ de generali gratiæ distributione esse contrarium: c. 3. autem hæc habet: *Fateor sane, suspecta mihi esse testimonia Prosperi, & Fulgentii, quod diligentissimi, & exactissimi Augustini discipuli sint... Verum enim vero cum de Dei misericordia multa, magnaque præsumere debeamus, tamque egregia, & præclara Scriptura prædicet, atque ex sola Dei voluntate pendeat tale auxilium alicui denegare, nisi nobis de hac voluntate constet, id nullo modo affirmare debemus ... atque ab Augustino, & aliis, qui id docuerunt, petere possumus; undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti?* Quasi vero tales, tantique Doctores non ex Sacris Litteris, sed ex suo tantum cerebro hanc doctrinam hauserint.

tuitum quippe donum Dei est gratia. Hoc autem principium manifeste probat, non solum gratiam efficacem, sed etiam sufficientem non omnibus *generaliter* dari, quia & ipsa gratuitum Dei donum est. Et c. 22. expendens Christi verba Matth. XI. 25. „ Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus &c. Quomodo, *inquit*, gratia asseritur omnibus data, quæ a sapientibus, & prudentibus teste ipso donante monstratur abscondita? *Et antea* c. 20. Non omnibus, *inquit*, istam gratiam dari, & quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quisquis pie quærit, eloquiorum sanctorum attestatione cognoscit ".

528. Denique S. Thomas non uno in loco id apertissime docet. Nam 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. loquens de auxilio gratiæ ad credendum necessario: „ quod quidem auxilium, *inquit*, quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit Lib. de correptione, & gratia ". Quo in loco non tantum suam, sed etiam Magistri sui Augustini nobis doctrinam exponit. Præterea quæst. XXIV. *de liber. arbitr.* art. 15. eodem principio S. Augustini utens, quod natura sit omnibus communis, non gratia: „ Si gratia, *inquit*, omnibus datur, non videtur aliud esse, quam aliquod naturale donum; nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali ". Ubi quamvis sermo sit non de gratia actuali, sed de habituali, principium tamen generale, *quod in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali*, manifeste probat, neque gratiam actualem omnibus hominibus *communiter* dari.

529. Prob. *secundo* nostra propositio exemplo parvulorum, qui absque ulla sua culpa baptismo minime regenerati, propter solum originis peccatum infeliciter pereunt. His enim nullum suppetere a Deo salutis auxilium, nimis manifestum est, cum eis desit baptismatis gratia, quæ unicum est pro eis salutis auxilium (*a*).

530. Hoc potissimum parvulorum exemplo utebatur magnus Augustinus pluribus in locis, ut ostenderet, gratiæ collationem a solo Dei voluntatis arbitrio pendere, qui illam, cui vult, misericorditer largitur, & cui vult, ex justitia non tribuit. „ Quid dicam, *ait S. Doctor* de dono persev. c. 12., quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptismatis succurri possit, expirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur ". Quorum gemina habet in epist. CCXVII., alias CVII. ad Vitalem, & alibi.

531. Et quamquam inficias non iverim, ex parentum culpa id persæpe contingere, ut apud Hebræos, Gentiles, Mahumedanos, aliasque nationes, in quibus Religionis nostræ Sacramenta aut ignorantur, aut impie contemnuntur, S. tamen Augustinus alia exempla affert parvulorum, in quibus administratio, vel subtractio hujus Sacramenti, non a parentum voluntate, sed a sola divinorum judiciorum imperscrutabili profunditate repetenda omnino est. *Aliquando*, inquit Lib. VI. contra Julianum c. 14., *adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ: & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiæ suæ*. Et in ep. CXCIV. ad Sixtum c. 7. „ Quid dicam, *inquit*, de inopinatis, innumerabilibusque mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cum e contrario sacrilegorum, & inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine Sacramento regenerationis emigrent?... Quæ tandem hic merita præcesserunt? Si eorundem cogitaveris parvulorum, nulla sunt propria: utriusque est illa massa communis. Si parentem attenderis, bona sunt illa, quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt; mala vero illa, quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad Sacramenta Ecclesiæ pervenerunt ". Quibus verbis S. Doctor eorum prœoccupavit responsionem, qui dixerunt, in ipsorum parentibus gratia iisdem parvulis fuisse collatas, quibus si parentes bene uterentur, & filiis prodesse possent (*b*).

532. Magistro suo utroque pollice subscribit S. Pro-

(*a*) Laudatus mox Vasquezius, quamquam pro ea sententia, quæ vult, largam auxiliorum supernaturalium copiam omnibus adultis cujuscumque sint generis præsto esse, strenue pugnet; nullum tamen miseris illis infantibus auxilium a Deo tribui, nimia evidentia victus concedit Diss. XCVI. in I. P. Sancti Thomæ. Imo longius procedens, pro iis mortuum fuisse Jesum Christum inficiatur. Sed quod magis mirere, Cardin. Cœlestinus Sfondratus, qui etiam scelestissimis, atque in malo obfirmatis peccatoribus *abundantissimas gratias* a divina bonitate jugiter infundi docuit, his tamen infantibus *gratiam sufficientem, qua vitam æternam consequi possint*, non exhiberi fatetur in *Nodo prædestinationis dissoluto* P. I. §. 2. n. 16. quamvis ibidem conetur ostendere, iisdem aliud *beneficium longe præstantius, quodque infinitis partibus ipsam gratiam sufficientem antecellat*, fuisse concessum; quia *prius e medio tolluntur, quam peccatis se obstringant*.

(*b*) Aliqui putarunt, hujusmodi pueris adhuc in utero materno degentibus posse baptismum ministrari, aqua per siphunculum in uterum matris immissa. Sed præterquamquod valde id dubium est, ne dicam omnino falsum, in iis pueris locum non habet, ad quos nullo modo aqua pertingere potest, ut eos abluat. *Certum est*, inquit Benedictus XIV. *De Synodo Diœcesana* Lib. VII. c. 5. *infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non posse: nec eis quidquam prodesse, quod nonnulli hæretici olim sunt arbitrati, si ejus loco matris uterus abluatur ... At quæstio est, an reserato materni uteri o-*

Prosper ita de infantibus canens in Carmine *de ingratis* vers. 625. seq.

Et tamen ex illis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis;
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum;

Cum videas multos sanctis genitoribus ortos
Nullo salvari studio potuisse suorum;
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem vitæ cælesti truderet aulæ.

333. Neque juvat confugere, ut aliqui faciunt, ad ordinem causarum, quem Deus impedire non vult, unde consequi putant, illorum infantium mortem, & damnationem solummodo esse a Deo permissam, non autem absolute volitam.

334. Non inquam id juvat; ut enim alibi (Tom. II. n. 52. seq.) advertimus, Deus cum absolute, & positive velit, & ordinet hunc rerum naturalium cursum, etiam positive vult saltem indirecte illorum infantium præmaturam mortem. Aliquando etiam *directe*, & *expresse* eam voluit; ut cum omnes primogenitos Ægyptiorum una nocte trucidari jussit, & cum ab Israelitis matres cum filiis in utero delitescentibus Deo mandante occisæ fuerunt. Hæc enim, & similes infantium strages non certe solummodo a Deo permissæ secundum naturæ ordinem, sed positive volitæ, supra, aut præter naturæ ordinem fuere; unde magis apparet veritas illius Augustiniani dicti *Deo nolente* (*a*).

335. Dices. Auctor Libror. *De vocatione Gentium* (qui olim Sanct. Prosper putabatur) Lib. II. cap. 23. „Non irreligiose, *inquit*, arbitror credi, „neque inconvenienter intelligi, quod isti pauco„rum dierum homines ad illam pertineant gratiæ „partem, quæ semper universis est impensa na„tionibus, qua utique si bene uterentur eorum „parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur": igitur neque infantibus saltem *mediate* desunt auxilia sufficientia.

336. Resp. *Homines paucorum dierum* proprie non esse infantes, adhuc in utero matris delitescentes, sed in lucem jam editos; neque enim communi usu solemus, dies, menses, & annos numerare, nisi postquam homo e sinu matris prodierit. Ex toto etiam illius capitis contextu facile apparet, sermonem esse de pueris jam natis. At vero ex parentum negligentia, vel infidelitate multi illorum baptismo privantur, quem Deus pro omnibus instituit. Res contra se habet in pueris adhuc in utero matris inclusis, aut etiam in illis, quibus, *festinantibus, & paratis Ministris, Deo nolente*, non confertur baptismus.

337. Prob. *tertio* nostra propositio exemplo Infidelium, quorum plurimis deesse auxilia sufficientia ad fidem, certissimum videtur; nempe iis omnibus, quibus Evangelium Deo nolente prædicatum non est. *Quomodo ergo*, inquit Paulus ad Rom. X. 14., *invocabunt, in quem non crediderunt? At quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Nemo ignorat, multas præteritis sæculis fuisse populosissimas nationes, & nonnullas adhuc esse, in quibus Evangelium Jesu Christi prædicatum non fuit. S. Paulus & Silas Act. XVI. 6. *vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia;* & cum tentassent ire in Bithyniam, *non permisit eos Spiritus Jesu*. Istis ergo infidelibus, quibus Deus noluit suum Evangelium prædicari, nullum prorsus auxilium præsto fuit ad finem. Et cum sine fide impossibile sit placere Deo, atque æternam salutem adipisci, istis infidelibus desunt omnia auxilia ad eamdem salutem consequendam. Unde idem Apostolus ita Ephesios cap. II. 12. seq. alloquebatur: *Eratis illo in tempore sine Christo ... & sine Deo in hoc mundo*. Et cap. V. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ;* nullo scilicet divinæ lucis radio illustrati (*b*).

338. Id confirmatur ex doctrina S. Thomæ, qui 2. 2. q. 2. art. 5. cum statuisset, hominem teneri ad credendum articulos fidei, sibi objicit, neminem teneri ad id, quod non est in ejus potestate; credere autem aliquid explicite non esse semper in hominis potestate; ita vero respondet ad 1. „Si „in

stio, *quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, saltem per siphunculum tingi potest. Mirum est, quantum in hac quæstione varient Doctores.* Eos autem pro utraque sententia longo ordine eruditissimus Pontifex enumerat; quibus addi potest cl. Jo. Bapt. Scarella *De baptismo infantium in utero* Utini 1769. S. Pius V. jussit a Commentariis Card. Cajetani eradi eam sententiam, quæ dicebat, infantibus in utero matris periclitantibus, benedictionem ejusdem uteri ad originale peccatum delendum *forsitan* prodesse.

(*a*) Vid. Card. Bellarminus Lib. II. *De gratia, & lib. arb.* cap. 12., ubi hanc responsionem dicit, *non esse dignam Christianis, qui providentiam Dei erga homines ex sacris litteris, & ecclesiastica traditione didicerunt*. Quod cum breviter ostendisset, ita concludit: *Quod igitur parvulorum alius baptizetur, alius sine baptismi gratia rapiatur, proxima causa referri poterit in causas naturales, ut parentum diligentiam, corporis complexionem, aliaque id genus: primaria tamen causa non alia esse potest, nisi divina voluntas.* Eadem habet Vasquez in I. Part. Sancti Thomæ Disput. XCVI. cap. 2. *non dubitans, eos falli, qui hanc seriem causarum divinæ permissioni, non voluntati, & ordinationi adscribunt.*

(*b*) Non negatur quidem, posse Deum etiam sine externa prædicatione hom[illegible]are ad fidem; sed S. Augustinus *de dono pers.* cap. 19. [illegible] observ[illegible], *paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Deum, vel per Angelos cælorum doctrinam salutis accipiant.*

„ in potestate hominis esse dicatur aliquid exclu- „ so auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, „ ad quæ non potest sine gratia reparante; sicut „ ad diligendum Deum, & proximum, & simi- „ liter ad credendum articulo fidei. Sed tamen „ hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem „ auxilium *quibuscumque datur*, *misericorditer* „ *datur*, *quibus autem non datur*, *ex justitia* „ *non datur*, *in pœnam præcedentis*, *aut sal-* „ *tem originalis peccati*, sicut dicit Augustinus, „ *De Corrept. & grat.*". Censet ergo Angelicus una cum Magistro suo Augustino, aliquibus infidelibus nullum dari auxilium ad credendum in pœnam præcedentis peccati, aut saltem originalis.

539. Ulterius est firmissima ejusdem Angelici doctrina, ab omnibus Theologis recepta; infidelitatem pure negativam, cujusmodi est in iis, qui nihil audierunt de fide, non esse peccatum. „ Si „ autem (infidelitas) inquit 2. 2. qu. 10. art. 1. „ accipiatur secundum negationem puram, sicut „ in illis, qui nihil audierunt de fide, non ha- „ bet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia „ talis ignorantia divinorum ex peccato primi pa- „ rentis consecuta est. Qui autem sic sunt infi- „ deles, damnantur quidem propter alia peccata, „ quæ sine fide remitti non possunt, non autem „ damnantur propter infidelitatis peccatum". Quamobrem inter Baji propositiones hæc etiam num. 68. merito proscripta fuit: *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Jam vero si isti infideles negativi aliquod haberent auxilium ad credendum, cui perversitate suæ voluntatis resisterent, nullo modo posset eorum infidelitas a culpa excusari, utpote quæ a resistentia huic divino auxilio esset exorta, adeoque saltem in causa esset voluntaria, & libera, ac proinde culpabilis (*a*).

540. Huic invictæ rationi magnum pondus addit auctoritas S. Prosperi, & Africanorum Præsulum in Sardinia propter fidem exulantium. Horum primus in resp. ad cap. 16. Gallorum: „ Scimus quidem, *inquit*, in omnes fines terræ E- „ vangelium destinatum, sed non putamus jam o- „ mnibus terræ finibus prædicatum, nec possu- „ mus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi „ matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio". Præsules autem Africani in sua celebri Synodali epistola *De gratia*, inquiunt: „ non digne sentit, „ quisquis eam putat omnibus hominibus dari; „ cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc „ gentes nonnullæ reperiantur, ad quas fidei præ- „ dicatio non pervenit: beatus autem Apostolus „ dicit: *Quomodo invocabunt, in quem non cre-* „ *diderunt? Aut quomodo credent ei, quem non* „ *audierunt? Quomodo autem audient sine præ-* „ *dicante?* Non itaque gratia omnibus datur: quan- „ doquidem ipsius gratiæ participes esse non pos- „ sunt, qui fideles non sunt, nec possunt crede- „ re, ad quos invenitur ipse fidei auditus mini- „ me pervenisse". Etiam S. Augustinus in epist. CXCIX. cap. 12. testatur, fuisse suo tempore *in Africa barbaras innumerabiles gentes*, quibus nondum erat prædicatum Evangelium, & quibus proinde non videtur, ullum fuisse gratiæ adjutorium ad credendum a Deo concessum.

541. Prob. *quarto* propositio ex quibusdam peccatoribus ita obfirmatis in malo, ut nullos videantur habere conscientiæ remorsus, nullasque internas gratiæ inspirationes, & motiones ad bonum, ut plane a Deo deserti sint. Hoc Deus ipse prædixit ore Isaiæ cap. V., ubi postquam sub figura vineæ, quæ loco uvarum fecit labruscas, exposuit infandam quorumdam hominum beneficiis receptis ingratitudinem, ita concludit: „ Et nunc ostendam „ vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam „ sepem ejus, & erit in direptionem: diruam ma- „ ceriam ejus, & erit in conculcationem, & po- „ nam eam desertam: non putabitur, & non fo- „ dietur: & ascendent vepres & spinæ, & nubi- „ bus mandabo, ne pluant super eam imbrem". Quæ Prophetæ verba & per se clara sunt, & clariora etiam redduntur ex Sanctorum Patrum interpretatione.

542. Nam Sanct. Hieronymus in Comment. ad hunc locum: *Tollitur*, inquit, *Dei auxilium ab iis, qui indigni sunt, ut qui non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia*. Et S. Cyrillus pariter Comment. in hunc locum: *Non putabitur*, inquit, & *non fodietur*, *idest nulla ei cura impendetur, quæ eam possit corrigere, & in melius reducere*. Ac denique S. Thomas ita hæc ipsa verba commentatur: *Auferam sepem ejus, idest auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur .... Non putabitur admonitionis, aut*

(*a*) Cum dicitur, infidelitatem negativam esse inculpabilem; tantum sermo est de invincibili ignorantia legis evangelicæ, quæ in iis esse potest, qui nihil omnino audierunt de Christo, ejusque religione: non autem de ignorantia Dei, quam invincibilem esse non posse suo loco ostendemus. Nec ferendam esse existimamus Sfondrati doctrinam, qui in *Nodo prædestinationis dissoluto* P. I. §. 2. n. 11. de barbaris loquens Deum ignorantibus hæc habet: „ Demus, ita (invin- „ cibiliter) ignorasse; id quoque magna beneficii, & „ gratiæ pars fuit. Cum enim peccatum sit essentia- „ liter offensio, & injuria Dei, sublata Dei cognitio- „ ne, necessario sequitur, nec injuriam, nec pecca- „ tum, nec æternam pœnam esse. Ergo cum hac i- „ gnorantia impeccabiles redderentur, alioquin certis- „ sime peccaturi, si agnoscerent, sequitur, hoc ipsum „ beneficium esse juxta illud Apostoli: *Melius enim e-* „ *rat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post a-* „ *gnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis tradi-* „ *tum est, sancto mandato* 2. Petri II. Ergo sive bar- „ bari agnoscant, sicque invocare illum, & salutem „ consequi possint; sive penitus ignorent, & ideo nec „ possint peccare, semper verum erit, *ne illis quidem* „ *misericordiam deesse*".

aut correctionis vomere, *quando peccat &c.* Quæ omnia satis dilucide explicant peccatorem a Deo derelictum, omnibusque auxiliis exspoliatum.

543. Apud eumdem Prophetam Isaiam c. VI. 9. & seq. legitur illa terribilis imprecatio: „ Excæca „ cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & o- „ culos ejus claude: ne forte videat oculis suis, „ & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, „ & convertatur, & sanem eum ". Quam horrendam comminationem in populo Judaico, qui Messiam de cœlo missum recipere noluit, adimpletum fuisse, Joannes Evangelista c. XII. testatur, inquiens: „ Propterea non poterant credere, quia i- „ terum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & „ induravit cor eorum, &c. " hæc autem excæcatio, & obduratio, ut multoties explicat S. Augustinus, fit *deserendo*, *& non adjuvando*.

544. Quamvis autem illi, qui Jesu Christi prædicationem audiverant, ejusque miracula viderant, aliqua certe gratia ad credendum excitari debuerint: valde tamen probabile est, eos obstinata sua resistentia fuisse promeritos, ut postea omnino desererentur. Quamobrem etiam Ecclesia pro eis orat feria sexta in Parasceve, *ut Deus*, *& Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum*. Atque hoc sensu etiam intelligi communiter solet illud Eccles. VII. 14. *Considera opera Dei*, *quod nemo potest corrigere*, *quem ille despexit*. Hujusmodi enim despectus Dei nihil est aliud, quam suorum beneficiorum subtractio; & cum dicat Ecclesiasticus, hominem ita despectum corrigi non posse, manifestum fit, etiam illa auxilia esse subtracta, quæ potentiam conferunt ad conversionem, scilicet auxilia sufficientia.

545. Præterea S. Augustinus hanc quorumdam scelestissimorum hominum excæcationem, & obdurationem nihil aliud esse docet, quam Dei derelictionem. „ Sic excæcat, *inquit Tract. LIII. in* „ *Joan.* sic obdurat, deserendo, & non adjuvan- „ do: quod occulto judicio facere potest, injusto „ non potest. Et de perfectione justitiæ *cap.* 19. „ *excœcatum vocat*, *qui* desertus est omni lumi- „ ne veritatis. *Et Lib. V.* cont. Jul. cap. 3. Cæ- „ citas cordis, *inquit*, quam solum removet illu- „ minator Deus, & peccatum est, quo in Deum „ non creditur, & pœna peccati, qua cor super- „ bum digna animadversione punitur; & causa „ peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore „ committitur ". In qua cæcitatis descriptione *primo* observare licet, quod a solo Deo illuminatore tollatur: quousque igitur non tollitur cæcitas, non adest gratia Christi illuminatrix. *Secundo*, quod causa sit peccati, cum per *errorem* aliquid mali committitur; qui error non esset, si intellectus excæcati lumen aliquod haberet, quo posset verum discernere. Et denique, ne omnia afferendo infinitus sim, in Ps. CXLVII. *Ecce*, inquit de Deo, *deserit peccatorem*, *ecce non vocat*, *ecce non aperit sensum*, *ecce non infundit gratiam*. Et postea: *Quis seipsum liberabit*, *si ille deseruit?* Nonnumquam etiam comparat cæcitatem cordis cæcitati corporis, ut quemadmodum oculis corporeis capti videre nullatenus possunt, ita in cæcitate mentis ipsa *possibilitas* videndi bonum amittitur, ut loquitur *de natura*, *& gratia* c. 51.

546. Non minus aperte loquitur S. Thomas, cujus præstantissima doctrina de excæcatione, & obduratione ex 1. 2. quæst. 79. art. 3. ipsius verbis afferenda est. „ Excæcatio, & obduratio duo im- „ portat, quorum unum est motus animi humani „ inhærentis malo, & aversi a divino lumine, & „ quantum ad hoc Deus non est causa excæcatio- „ nis, & obdurationis .... Est autem consideran- „ dum, quod Deus est causa universalis illumi- „ nationis animarum, secundum illud Jo. I. 9. *e-* „ *rat lux vera*, *quæ illuminat omnem hominem* „ *venientem in hunc mundum;* sicut sol est uni- „ versalis causa illuminationis corporum, aliter „ tamen, & aliter: nam sol agit illuminando per „ necessitatem naturæ, Deus autem agit volunta- „ rie per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem li- „ cet, quantum est de se, omnia corpora illumi- „ net, si quod tamen impedimentum inveniat in „ aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum; sic- „ ut patet de domo, cujus fenestræ sunt clausæ; „ sed tamen illius obscurationis ullo modo causa „ est sol; non enim suo judicio agit, ut lumen „ interius non immittat, sed causa ejus est solum „ ille, qui claudit fenestram. Deus autem pro- „ prio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in „ quibus obstaculum invenit. Unde causa subtra- „ ctionis gratiæ est, non solum ille, qui ponit ob- „ staculum gratiæ, *sed etiam Deus*, *qui suo ju-* „ *dicio gratiam non apponit*. Et per hunc mo- „ dum Deus est causa excæcationis, & aggrava- „ tionis aurium, & obdurationis cordis: quæ qui- „ dem distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ „ & perficit intellectum dono sapientiæ, & affe- „ ctum emollit dono charitatis. Et quia ad cogni- „ tionem intellectus maxime deserviunt duo sen- „ sus, scilicet visus, & auditus, quorum unus „ deservit inventioni, scilicet visus. alius discipli- „ næ, scilicet auditus; ideo quantum ad visum „ ponitur *excœcatio*, quantum ad auditum *au-* „ *rium aggravatio*, quantum ad affectum *obdu-* „ *ratio*". Non piguit totum Angelici textum, quamvis prolixiorem afferre, mirifice enim exponit, quid proprie sit excæcatio, & obduratio, & quomodo fiat (*a*).

547. Sed quantum ad nostram sententiam attinet,

(*a*) Admodum viva est duri cordis pictura, quam habet S. Bernardus Lib. I. *De consideratione* cap. 2. *Quid ergo cor durum? Ipsum est*, *quod nec compunctione scinditur*, *nec pietate mollitur*, *nec movetur precibus*, *minis non cedit*, *flagellis duratur: ingratum ad beneficia*, *ad consilia infidum*, *ad judicia sævum*, *inverecundum ad turpia*, *impavidum ad pericula*, *inhumanum ad humana*, *temerarium in divina*, *præteritorum*

net, eam manifeste approbat in Lib. III. *Contr. Gent.* cap. 162., ubi postquam multis rationibus ostendisset, Deum nemini esse causam peccandi, explicat quædam testimonia Scripturarum, ex quibus videtur, quod Deus sit aliquibus causa peccandi, & dicit: „ ea omnia intelligenda esse, quod „ Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert. „ Hoc autem auxilium est non solum infusio gratiæ, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia „ tolluntur, & provocantia ad peccatum comprimuntur. Adjuvat etiam Deus hominem contra „ peccatum per naturale lumen rationis, & alia „ naturalia bona, quæ homini confert. Quum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit pro merito „ suæ actionis, secundum quod ejus justitia exigit, dicitur Deus eos obdurare, vel excæcare ". Nihil expressius, ut puto, dici potest, ad explicandam in obduratis, & obcæcatis omnimodam divinorum auxiliorum carentiam. Et cum inter hæc auxilia, quæ subtrahuntur, recenseantur etiam auxilia exteriora, & ordinis mere naturalis, ut lumen rationis, quæ certe non sunt auxilia gratiæ efficacia, manifeste apparet, quibusdam obcæcatis, nedum efficacia, sed etiam sufficientia divinæ gratiæ auxilia minime conferri.

348. Ulterius, si Sancti nostri Præceptores Augustinus, & Thomas nomine excæcationis non intelligerent, nisi subtractionem gratiæ efficacis, omnes illi, quibus gratia efficax non tribuitur (ut sæpe etiam justis deest, dum in peccata labuntur) dicerentur *excæcati*, & *obdurati;* quod est contra communem sensum: ut igitur debita inter peccatores communes, & illos, qui vere obdurati, & excæcati sunt, distinctio servetur, confitendum erit, istis præter efficacia etiam auxilia sufficientia deesse. Dico *de vere obduratis*, *&* *excæcatis;* si enim latiore significatione hujusmodi voces accipiantur, nihil pugnat, quin aliquibus scelestioribus, non tamen scelestissimis adaptentur, de quibus postremis nobis impræsentiarum sermo est.

349. Hos etiam tristis experientia nos docet, ruere in gravissima peccata, sine ullo conscientiæ remorsu, quin præcipitium advertant, aut aliqua vel levi interiore sancta cogitatione a malo retardentur. Cum autem gratia quæcumque, ut superius expositum est, nihil aliud sit, quam sancta mentis illustratio, & voluntatis permotio, certe hanc gratiam in seipsis advertere deberent peccatores obdurati, si illam haberent: quæcumque enim gratia in homine recepta aliquid in eo operari debet, & fieri non potest, quin operatio illa advertatur. Porro eadem experientia satis constat, justos, dum infirmitati naturæ succumbentes in peccata labuntur, quibusdam sanctis inspirationibus semper ab iisdem peccatis retrahi, ut veluti lucta quædam inter spiritum, & carnem nascatur. Cum igitur in scelestissimis peccatoribus id non contingat, argumentum est longe clarissimum, eos esse a gratia Dei derelictos.

350. Audiamus Cardin. Bellarminum, qui Lib. II. *de grat. & lib. arb.* c. 6. hanc quorumdam opinionem, quod peccatores obdurati vocentur quidem, sed non percipiant vocationem Dei, recte dicit *cum ipso experimento apertissime pugnare; nam cum vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei, sit actio nostra, quamvis non libera, nimirum bona cogitatio bonumque desiderium repente, ac divinitus immissum, quomodo potest fieri, ut non sentiatur a nobis, si fit non solum in nobis, sed etiam a nobis?* Quæ quidem sapientissimus Cardinalis afferebat, ut probaret, hæc gratiæ sufficientis auxilia non semper, omnique momento adesse, ut quidam inscite asserebant; sed facile est ex eadem experientia colligere, nec gratiam Dei peccatoribus obcæcatis semper adesse, quotiescumque aliquod præceptum adimplendum occurrit. Qui enim obdurati in malo *bibunt iniquitatem, sicut aquam*, qui perversis habitibus quadam morali necessitate in malum pertrahuntur, aliique tales, certe nullos in seipsis sentiunt gratiæ divinæ effectus, quibus saltem videant, & horrescant peccatorum abyssum, in quam infeliciter ruunt (*b*).

351. Ulterius *cui bono* hujusmodi gratiæ, quæ a peccatoribus non percipiuntur? Quomodo illis adjuvari possunt, vel ut convertantur ad Deum, ipsius opem implorando, vel ne in nova peccata prolabantur? Assimilari enim illæ possunt lumini admoto homini dormienti, qui oculis somno clausis illud non videt, aut monitioni factæ homini obturatas habenti aures. Sane, ut inquit Contensonius, hujusmodi auxilia habere, & iis carere synonimum est. „ En, *inquit apposite P. Jac.* „ *Hyac. Serry in* Schola Thomistica vindicata *num.* „ 9. in quantas angustias rediguntur, ut gratiam „ saltem orationis in omnes divinorum mandatorum transgressores effusam, positam dicant in „ excitatione, quæ non excitat, in cogitatione, de „ qua minime cogitatur, in piis denique motibus, „ qui ab illis ipsis, qui moventur, nullatenus sen- „ tiun-

obliviscens, præsentia negligens, futura non prospiciens &c. An cum hac duri cordis descriptione possit illa perennis gratiarum irroratio, quam sibi Adversarii fingunt, conciliari, facile quisque advertere potest.

(*b*) Neminem offendi vellem ex iis verbis: *quæcumque gratia in homine recepta aliquid in eo operari debet*, quasi sensu Janseniano non aliam admittamus gratiam interiorem, quam efficacem; gratiam enim interiorem inefficacem pro virili nostra jam defendimus supra Diss. IV. c. 1. sed quæ gratia est inefficax respectu ultimi actus, ad quem tendit, est semper efficax respectu illius actus, ad quem immediate datur. Quam doctrinam ut verissimam, & communem Thomistarum egregie explicat, & defendit Thomas de Lemos in *Panoplia Gratiæ* Tom. IV. Lib. IV. Part. II. Tract. III. cap. 2.

„ tiuntur, quasi vel fieri possit, ut quis excitetur „ non excitatus, cogitet incogitans, immotus deuique moveatur (*a*).

Solvuntur objectiones.

352. Objiciunt primo non pauca Scripturarum testimonia, quibus Deus ostendit, se nemini suæ misericordiæ beneficia denegare. Isaiæ LXV. 2. *Extendi*, inquit, *manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Item Proverb. I. 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua &c.*, & plura hujusmodi inveniuntur in ipso antiquo fœdere, ubi certe tanta non erat gratiarum copia, quanta est in novo. Unde etiam clariora universalis hujus divinæ largitatis testimonia objiciuntur. Nam 2. Petri III. 9. dicitur Deus patienter agere, *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* & ut brevius agamus, satis est illud celebre S. Joann. I. 9. de Christo dictum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* ac denique illud Pauli, I. ad Timoth. II. 4. de Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Profecto si hoc vult Deus, etiam media velle dicendus est, quæ ad id obtinendum necessaria sunt, nempe suæ gratiæ auxilia omnibus conferre.

353. Resp. cum auctore librorum *de Vocatione Gentium* cap. 9., & 10., hæc Scripturarum testimonia, quamvis universaliter dicta sint, esse tamen cum restrictione, & exceptione accipienda; cujusmodi similia exempla ex sacris litteris eruditus ille scriptor coacervat. Sic Jerem. XXXI. 34. dicit Deus: *Omnes cognoscent me a pusillo eorum usque ad magnum*, non tamen omnes verum cognoscunt. „ Et cum Apostolus ait: *Novissimis istis temporibus locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum*, „ numquid aliud sonat forma sententiæ, quam omnes homines in Christi hæreditatem a Patre „ esse transcriptos, secundum prophetiam David „ dicentis: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Dicente autem Domino: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, nonne universorum videtur promissa con„versio"? Et postquam multa alia ejusdem generis attulisset exempla, ita demum concludit: „ Habet ergo populus Dei plenitudinem suam, & „ quamvis magna pars hominum salvantis gratiam „ aut repellat, aut negligat, in electis tamen, & „ præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut „ de toto mundo totus mundus liberatus, & de „ omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti ". Ecce quomodo generales hujusmodi locutiones intelligendæ sunt, ut multi nomine omnium intelligantur.

354. Hanc responsionem eamdem suppeditat etiam Sanct. Fulgentius in Lib. *De Incarnat. & gratia* cap. 31. inquiens: „ Est autem familiare „ divinis eloquiis, ut omnes nonnumquam dicant, „ nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant". Quod & ipse multis allatis locis parallelis illustrat, atque confirmat.

355. Illud vero tritissimum *Deus vult omnes salvos fieri*, satis explicatum fuit in T. II. Diss. V. cap. 2. Sed quantum ad præsentem difficultatem attinet, potest cum S. Augustino, ejusque fidelibus sectatoribus, Prospero, Hilario, Fulgentio, & Aquinate ad solos electos restringi. „ Veruntamen, inquit modo laud. S. Fulgentius *de Incarn. & grat.* cap. 31.: in his omnibus hominibus, quos Deus vult salvos facere, non „ totum omnino significatur genus hominum, sed „ omnium universitas salvandorum. Ideo autem „ omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus „ omnes justos divina bonitas salvat, idest ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, „ ex omni provincia, in his omnibus ille sermo „ nostri Redemptoris impletur, quo ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*.

356. Alius etiam vulgatissimus textus S. Jo. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, primo a S. Cyrillo Alexandrino, & nonnullis aliis exponitur de lumine naturali, quod a Deo omnibus donatur hominibus. Quam explicationem non reprobat S. Thomas in Comment. ad hunc locum Lect. V., imo confirmat ex iis verbis Psalm. IV. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Alii vero, ut Chrysostomus, illum intelligunt quidem de lumine gratiæ; non tamen ut omnibus hominibus reipsa collatum sit, sed omnibus saltem oblatum, ut nempe Deus, quantum in se est, paratus sit omnes homines gratiæ suæ radiis illustrare; quanquam admodum multi oculos claudant, ne lumen videant. Quæ tamen sententia difficulter potest cum iis; quæ de parvulis supra dicta sunt (num. 329.) conciliari.

357. Probabilior itaque videtur explicatio S. Augustini, qui in Libro I. *De peccatorum meritis, & remissione* cap. 25. vult, hoc ideo dictum esse,

(*a*) Non defuerunt laxioris Ethicæ Theologi, qui hujusmodi obcæcatos, atque obduratos peccatores a culpa excusarent: quorum impiam sententiam Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. his verbis conceptam proscripsit: *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.*

se, *quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis, quod Deus est* (a). Quam Augustini explicationem recipit etiam S. Thomas in laud. Lect. V. super c. I. S. Joannis. Probabilis quoque est alia expositio, ut id dictum sit ad significandum discrimen inter vetus, & novum Testamentum; vetus enim erat Judææ finibus circumscriptum; novum autem toto terrarum orbe diffusum, quo sensu etiam S. Paulus ad Titum II. 11. dicebat: *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus*, idest sine ulla distinctione, vel exceptione nationum.

558. Obj. 2., Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 11. & 13. docet, *Deum neminem deserere, nisi prius deseratur*; quæ doctrina omnino falsa esset; si aliquibus Deus sua auxilia subtraheret.

559. Resp., Sacrum Concilium utroque in cap. loqui non de infidelibus, aut de peccatoribus obcæcatis, sed de justis, a quibus Deus nunquam omnia suæ gratiæ auxilia ita subtrahit, ut eos omnino deserat. Verba Concilii in cap. 11. hæc sunt: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. In cap. autem 13. sermo est de perseverantiæ munere, quod nemo sibi absoluta certitudine polliceri potest, & ita dicitur: „ Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem „ collocare, & reponere omnes debent; Deus e„ nim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœ„ pit opus bonum, ita perficiet, operans velle, „ & perficere "; ubi iterum de iis loquitur, in quibus Deus cœpit opus bonum, cujusmodi certe non sunt neque infideles, neque obdurati. Et consulto illius Concilii Patres de solis justificatis locuti sunt, ea intacta relinquentes, quæ de peccatoribus a Theologis disputantur.

560. Dices primo. In eadem Sess. VI., eodemque cap. 11. dicitur: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*; omnes ergo sine exceptione Deus adjuvat, ut possint mandata Dei adimplere.

561. Resp., hæc pariter dicta esse de hominibus justificatis, ut ex verbis præcedentibus patet: „ Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathe„ mate prohibita voce uti debet, Dei præcepta „ homini justificato ad observandum esse impos„ sibilia; nam Deus impossibilia non jubet &c." Quamvis etiam de peccatoribus intelligi possunt, exceptis tamen quibusdam infidelibus, & obduratis.

562. Dices secundo. Concilium Senonense celebratum anno 1528. in Decretis fidei cap. 15. ita definivit: „ Neque tamen tanta gratiæ necessitas „ libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit „ in promptu, nec momentum quidem prætereat, „ in quo Deus non stet ad ostium, & pulset ". Quæ verba nullo indigent glossemate. Concilium item Coloniense anno 1536. P. VII. cap. 32. *Deus*, inquit, *semper stat ante ostium pulsans per internum, & externum verbum, ut convertamur a via nostra pessima* (b).

563. Resp. Concilia illa non fuisse, nisi Provincialia, nec a S. Apostolica Sede confirmata, quorum proinde tanta auctoritas non est, ut non possimus ab eorum sententia recedere; præcipue cum Synodus œcumenica Tridentina postea celebrata nihil tale docuerit; imo alia via liberum arbitrium cum gratiæ necessitate conciliandum putaverit, ut patet ex Sess. VI. cap. 5., & Can. 4.

564. Ulterius est observandum, nec adversarios nostros verbis utriusque Concilii omnino, & adamussim consentire, cum dicitur, ut *nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset*. Card. enim Bellarminus Libro II. *De grat. & lib. arb.* cap. 6. solide probat, *auxilium Dei sufficiens, & necessarium ad resurgendum a peccato non adesse omnibus momentis*. Quod si adversariis placeat utriusque objecti Concilii verba sensu quodam latiore accipere, ut nempe nihil aliud significent, quam Deum crebro, & quando opus est, pulsare, poterimus & nos eadem emollire, ut non intelligantur de vera interiore gratia sufficiente, quæ semper in promptu sit, sed vel de externa vocatione, quæ utique est omnibus communis, vel de interno naturalis legis dictamine, quo omnes homines ad bonum naturaliter admonentur.

565. Dices tertio. In Concilio Lateran. IV. anno 1211. cap. *Firmiter* de summa Trinit. definitum est, quod *quilibet etiam maximus peccator, dum est in hac vita, semper potest ad Deum converti*. Quod etiam prius definierat Gelasius I. in epist. *de vinculo anathematis*; hoc autem non esset verum, si quibusdam auxilia sufficientia deessent. Et similia tradidit Synodus Coloniensis in *Enchiridio de Sacram. Pœnitentiæ* inquiens: *Nullus est peccator tam scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat*.

566. Resp., hanc definitionem esse verissimam; non quia quilibet peccator *semper* habeat auxilium sufficiens ad conversionem; quod neque adversarii dicunt, ut mox num. 564. explicatum est; sed

(a) Ibidem S. Pater observat, *in græco ita esse positum, ut possit etiam intelligi lumen ipsum veniens in hunc mundum*. Textus græcus sic habet, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον: *erat lux vera illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum*: ut nempe ipsa Lux venerit in hunc mundum. Quæ explicatio contextui respondet; sequitur enim. *In mundo erat*, nempe ipsa lux; & Christus c. XII. 46. de seipso dicebat: *Ego lux in mundum veni*; & cap. III. 19. *Lux venit in mundum*.

(b) Celebre hoc Concilium Provinciale celebratum fuit ab infelici Hermanno V. Archiepiscopo Coloniensi, qui ob Lutheranam hæresim postea adoptatam, a Paulo III. R. P., & Carolo V. Imperat. a sua Sede dejectus fuit; & in Comitatu Wedano, quo se receperat, in errore pertinax anno 1551. misere obiit.

sed quia Deus semper illi potest dare auxilium efficax, vel saltem sufficiens ad conversionem. Huc enim facit doctrina superius num. 558. allata ex S. Thoma 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1., ubi dicit: „ Ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ &c. ". Ulterius idem S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 2. „ Illud, inquit, quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in III. *Ethicorum: Quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos possumus.* " Unde patet discrimen inter peccatores obduratos, & dæmones, vel damnatos; quod isti, utpote jam in termino, nulla possint ratione converti: quamobrem nec pro ipsis orat Ecclesia. *Multorum hominum malitia*, inquit S. Prosper in resp. ad sextam objectionem Vincentianam: „ Talis est, qualis est dæmonum: sed hoc inter malos homines distat, & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio ". In quo textu ea verba notanda: *Si Deus misereatur;* non enim dicitur: *Si ipsi velint*, ut intelligamus, eo tantummodo sensu dici possibilem esse hominum reconciliationem, quia Deus potest eorum misereri.

567. Sapienter tamen advertit Thomas Lemosius Tom. IV. *Panopliæ* Lib. IV. P. II. pag. 90. num. 272., iis, qui auxilio ad conversionem necessario sine sua culpa præcedenti carent, non imputari ad culpam, si non convertantur: sicut infidelis negative, licet possit credere hoc modo quia Deus illi auxilium dare potest ad credendum, non tamen ei imputatur ad culpam, si non credat. Secus vero se res habet, si peccator propter suam culpam præcedentem careat auxilio necessario ad conversionem; tunc enim jure meritoque culpabilis est, si non convertatur.

568. Obj. *tertio* spissam quasi veterum nubem, qui magno consensu docent, Deum instar solis omnes divinæ gratiæ suæ radiis illuminare; esse fontem vitæ omnibus apertum, omnes ad fidem, & salutem vocare. *Stat ad ostium*, inquit S. Hilarius in Psalm. CXVIII. ... *vult ergo semper introire, sed a nobis, ne introeat, excluditur.* Unde etiam colligunt, non Deo, sed hominibus esse imputandum, si non omnes credant, nec omnes salventur. Loquatur nomine aliorum S. Joannes Chrysostomus, qui Homil. VIII. in Joan. proponit quæstionem: „ Si (*Deus*) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo tot homines non illuminati manent? *Respondet autem:* Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si quis vero sponte sua mentis oculos clandentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui se sponte hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est; non Judæum, non Græcum, non barbarum, non fœminam, non senem, non juvenem aversatur, sed omnes similiter admittit, & cum pari vocat honore ".

569. Resp. primo, ut alias observatum est (Diss. II. n. 81.), non esse omnia veterum Patrum, qui ante hæresim Pelagianam floruerunt, dicta ad vivum resecanda: quanquam enim ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina minime in substantia alieni fuerint, minus tamen accurate quandoque locuti sunt. Quod etiam in aliis capitalibus Religionis dogmatibus nonnunquam contigit, ut de consubstantiali Filii divinitate, de peccato originali &c. (Vid. Tom. III. Diss. III. num. 206. & Tom. IV. Diss. III. n. 118.) Adde, etiam Adversarios ad hanc explicandorum Patrum regulam confugere aliquando cogi, ne scilicet concedant, eos docuisse cum Semipelagianis, Deum nostras voluntates expectare, non prævenire, gratiam Dei omnibus *æqualiter*, *& sine ulla discretione* distribui: atque eamdem singulis momentis præsto esse. Quæ omnia a recta, & orthodoxa Ecclesiæ doctrina procul absunt.

570. Secundo, hac præmissa veterum Patrum intelligendorum regula, eorum dicta debent de præparatione, & oblatione divinorum auxiliorum explicari, non autem de ipsa eorumdem collatione: ex Augustini enim doctrina, & sequentium Patrum, qui hanc materiam diligentius examinandi, & accuratius pertractandi occasiones habuerunt, tum ex ipsa experientia compertissimum est, neque externa, neque interna salutiferæ Incarnationis beneficia omnibus reipsa conferri; & iis etiam, quibus misericorditer conceduntur, non conferri æqualiter, nec singulis momentis; ut semper illud verum sit, quod invicti gratiæ Doctores Augustinus, Prosper, Fulgentius, aliique, ut inconcussum principium tradiderunt, naturam esse hominibus communem, non gratiam; & hanc misericorditer quibusdam a Deo donari, aliis autem ex justitia non dari.

571. Obj. *quarto*. S. Augustinus in Psalm. XVIII. explicans illa verba: *Non est, qui se abscondat a calore ejus*, inquit Enarrat. I. Tom. IV.: „ Cum autem Verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit, ullum mortalium excusare se de umbra mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor ". Item in Psalm. XLV. illa Psalmistæ verba *Deus in medio ejus* ita exponit: *Quomodo illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens.* Hæc, & similia, quæ haud infrequenter inveniuntur apud S. Augustinum, aliosque Patres, manifeste indicant, beneficia gratiæ Christi ad omnes omnino pertinere, ut nemo prorsus inexcusabilis sit.

572. Resp., primo loco sepositis tropis nihil aliud S. Doctorem velle, quam beneficium redemptionis nostræ ad omnes homines se extendere, & pec-

peccatores esse inexcusabiles, si eodem non utantur ad suam salutem, quia nonnisi ex eorum culpa oritur, quod hujus singularissimi, & universalis beneficii fructus non percipiant. Verbi enim calor penetravit umbram mortis, eamque quantum in se est, totam dissipavit; nec aliunde quam ex hominum quorumdam duritie, & perversitate oritur, quod divinæ gratiæ lux ad eorum mentes non perveniat.

573. In altero autem loco certe S. Pater docere noluit, Deum *æqualiter omnibus consulere*, cunctis sine distinctione interioris gratiæ dona distribuendo; hoc enim nimis manifeste ejus doctrinæ opponeretur, qua perpetuo declarat, & repetit, inscrutabilia esse judicia Dei, quod alios ita vocet, ut vocantem sequantur, alios autem aut omnino non vocet, aut nonnisi inefficaciter vocet. Nihil igitur ibi aliud voluit insinuare, quam generalem illa providentiam, qua Deus dicitur in medio nostrum esse, & cui omnia æqualiter subduntur, licet non omnes *æqualiter* ejusdem divinæ providentiæ beneficia, præcipue in ordine supernaturali percipiant; cujus *inæqualitatis* non alia reddi potest ratio, quam divina voluntas.

574. Inst. *primo*. Idem S. Pater Lib. *de natura & gratia* cap. 67. laudat, & approbat ea, quæ Libro III. *de lib. arb.* cap. 19. contra Manichæos scripserat; „ Ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret: cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputavit ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis ". Vult ergo S. Pater, Deum esse omnibus præsentem per gratias suas, quibus aversos vocat &c.

575. Respondet Lemosius hic num. 273., nomine vocationis non esse intelligendum supernaturale aliquod, & internum auxilium gratiæ, quod omnibus nullo dempto tribuat; quod colligit ex eo, quod dicit Augustinus, Deum vocare aversum *per creaturam sibi Domino servientem*; quos enim Deus interiori & supernaturali gratia vocat, per seipsum vocat, non per creaturam. Sermo igitur est de vocatione externa per prædicatorem, per legem, aut scriptam, aut naturalem, aut aliis modis, quibus homines vocantur, & excitantur primo ad cognitionem Dei, deinde etiam gradatim ad ipsam fidem, & religionem Christianam. *Omnium hominum*, inquit S. Prosper in Resp. ad VIII. Object. Gallorum, *cura est Deo, & nemo est, quem non evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut etiam natura ipsa conveniat*. Id iterum patet ex iis, quæ Sanct. Doctor immediate subjicit, inquiens: *Nulli enim hominum est ablatum scire quærere utiliter, quod inutiliter ignorat*.

576. Alia tamen verba S. Augustini subsequentia: *Doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem*, de homine intelligi debent, qui nedum generali, & externa vocatione, sed interna etiam Spiritus Sancti inspiratione jam adductus est ad fidem, per quam cetera divinæ gratiæ beneficia impetrantur. Ibi enim S. Augustinus gradatim procedit, docens, quomodo primum homines vocandi sint ad fidem, *qua Christiani fiant*, post autem *verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur*.

576. Ceterum in ipso eodem loco S. Doctor laudat hæc sua verba ex Lib. III. *de lib. arb.* cap. 18.: „ Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet: id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire, quid rectum sit; & qui recte facere cum potuit, noluit, amittat posse, cum velit ".

578. Nec illud prætermittendum est, Libros *de libero arbitrio* fuisse a S. Augustino elucubratos ante suum Episcopatum, quo tempore non erat in hac difficili controversia adeo versatus, quemadmodum per longa cum Pelagianis, & Semipelagianis certamina versari debuit; unde iisdem libris non est illa accurata verborum diligentia expectanda, qua uti postea debuit cum acutis, & cavillosissimis adversariis disputans. Ita enim S. Doctor de iis libris *de libero arbitrio* confitetur in Lib. I. *Retract.* cap. 9. num. 2.: „ De gratia vero Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hoc proposita quæstione. Ubi autem incidit locus, ut hujus gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est ".

579. Inst. *secundo*. Idem S. Pater in Libro I. *De Genesi contra Manichæos* cap. 3. loquens de lumine gratiæ, quo pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium, se ad Dei præcepta implenda convertunt, inquit; *quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*: censet ergo magnus Augustinus, omnibus hominibus præsto esse lumen gratiæ, quo se ad Dei præcepta adimplenda convertere possint, *si velint*.

580. Resp. id totum verissimum esse, si intelligatur juxta notissimam & firmissimam illam ejusdem Sancti doctrinam: *Si homines velint, voluntate præparata per gratiam*. Se ipsum luculenter explicuit S. Pater Lib. I. *Retract.* cap. 10. inquiens: „ Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint ". Hæc autem gratia, qua

vo-

voluntas præparatur, *quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur*, ut ex S. Augustino loquitur S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5.

581. Inst. *tertio*. Idem S. Pater in Ps. VI. n. 8. de mentis cæcitate loquens. *In eum*, inquit, *quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur; sed nondum penitus, cum in hac vita est*. Penitus enim a Deo deseri peccatores nonnisi post hanc vitam arbitratur.

582. Resp., discrimen a S. Augustino positum inter excæcationem hujus vitæ, & excæcationem alterius vitæ in eo esse situm, quod in altera vita excæcatio sit talis, ut de ordinaria Dei providentia nullo pacto removeri possit; cum in hac vita nullus peccator sit adeo obduratus, ut Dei misericordia ad bonum converti nequeat. Quod aliquibus exemplis confirmatum habemus.

583. Inst. *quarto*. In Psalm. LVI. num. 1. aperte docet, Deum impossibilia non jubere, quia semper ad ea, quæ mandat implenda, suum præbet auxilium. En S. Doctoris verba: „ Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret... Adest „ ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & „ auxilium ". Quorum similia habet S. Leo Papa Serm. XVI. *de passione Domini* cap. 6. inquiens: *Juste nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benigne incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam*.

584. Resp., S. Augustinum ibi loqui de justis, quos ad perfectam charitatem exhortatur, ut etiam animam suam ponant pro amicis, & proximis suis; hoc enim docuit, & fecit Christus Jesus: *fecerunt Apostoli, quod ab illa didicerunt, & nobis faciendum prædicaverunt;* & nos facere possumus exemplo Christi, qui etiam præbet auxilium. Hoc autem Dei auxilium etiam peccatoribus semper, & ubique præsto esse, nec ibi, nec alibi asserit S. Augustinus; cujus potius ea perpetua vox erat, ad inscrutabilia Dei judicia pertinere, cur aliquibus detur, aliis non detur.

585. Atque ut hoc manifestius appareat, haud abs re erit locum similem, & parallelum adducere S. Doctoris in Lib. IV. *Operis imperf.* c. 129. ubi ita loquitur: „ Hominibus natura filiis iræ „ propterea dantur præcepta, quia datur & gra„ tia, ut qui jubet, juvet... quod enim homini„ bus impossibile est, Deo facile est ". Quæ verba si sola essent, suspicionem præberent, Augustinum docuisse, a Deo una cum præceptis semper gratiam suppeditari ad ea adimplenda. Veruntamen suspicionem omnem tollunt ea, quæ statim subjicit: „ Quibus autem non datur Dei gra„ tia, propter quam dictum est: Quis te discer„ nit? Quid habes, quod non accepisti? præva„ ricatores fiunt, accedente lege, non justi ". En Augustinum sui ipsius interpretem, atque asserentem, una cum præcepto dari a Deo gratiam, sed non semper, nec omnibus.

586. Nec alia potuit esse mens S. Leonis, qui unus fuit ex fidelissimis S. Augustini discipulis; & quanquam dogmatice de hac controversia tractandi occasionem non habuerit, principia tamen Magistri sui animo alte defixerat. Loquitur ergo S. Pontifex de homine, qui propriæ infirmitatis conscius ad Dei auxilium suppliciter implorandum convertit: „ Ac si quid sibi impossibile, aut ar„ duum in mandatorum effectibus experitur, non „ in se remaneat, sed ad jubentem recurrat; qui „ ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, & „ præstet auxilium, dicente Propheta Ps. LIV. *Ja*„ *cta in Deum cogitationem tuam, & ipse te* „ *enutriet* ". An hæc quæso quadrant in peccatores superbos, cæcos, & obduratos? Annon potius declarant, etiam justis aliquando ea auxilia efficacia deesse, quibus præcepta divina possibilia sunt, saltem immediate? Quibus propterea necesse est jugibus, ac ferventibus precibus ea a Deo implorare.

587. Obj. *quinto*. Auctor librorum *de Vocatione Gentium* (qui olim S. Prosperi putabantur sed quisquis, sit, Augustinianam de gratia doctrinam sequitur), multa habet toto Lib. II. huc spectantia; quorum potissima hæc sunt. Cap. 5. de gratia loquens: „ Quæ, inquit, etsi parcior an„ te, atque occultior fuit, nulli tamen sæculis se „ negavit, virtute una, quamvis diversa, consilio „ incommutabili, opere multiformi. *Cap.* 15. Ad„ hibita semper est universis hominibus quædam „ supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, „ occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut „ Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, „ omnibus ad testimonium. *Ac demum cap.* 29. „ Universitati hominum (quod abunde probavi„ mus) ita multiplex, atque ineffabilis bonitas „ Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ul„ li pereuntium excusatio suppetat de abnegato si„ bi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum „ de sua justitia gloriari, cum & propria nequi„ tia demergat ad pœnam, & istos Dei gratia per„ ducat ad gloriam ". Hæc aliaque, quæ egregius iste scriptor habet, universalem gratiæ Dei distributionem mirifice probant.

588. Resp. nobilem illum scriptorem *Librorum de Vocatione Gentium* non re, sed verbis solum ab Augustiniana doctrina differre; nomine enim gratiæ, quam hominum universitati communem esse vult, non intelligit eam veram Christi gratiam, quæ in mentis illustratione, & voluntatis permotione sita est, sed alia Dei beneficia externa, & ordinis etiam naturalis, quæ homines ad æternam salutem saltem remote disponere possunt, & quæ Lib. I. cap. 5. dicit esse „ propheticas vo„ ces, & præcepta legalia in elementorum obse„ quiis ac testimoniis: *unde infert*, inexcusabiles „ factos esse, qui Deos sibi Dei dona fecerunt, „ & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt „ ad colendum. *Et Libro II. cap.* 4. Quamvis, „ *inquit*, speciali cura, atque indulgentia Dei po„ pu-

„ pulum Israeliticum constet electum, omnesque „ aliæ nationes vias suas ingredi, hoc est secundum propriam vivere permissæ sunt voluntatem, „ non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum „ se, atque metuendum nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe, ac terra, & mare, „ omnisque creatura, quæ videri, & intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum .... ad cultum, & dilectionem sui imbueretur auctoris. *Quam in rem allegat etiam verba S. Pauli Act. XIV.* 16. Non „ sine testimonio (*Deus*) seipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra. „ *Ac demum ita concludit*. Quod ergo in Israel „ per constitutionem legis, & prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia, & bonitatis Dei miracula semper egerunt". En qualis sit illa generalis gratia, quam præclarus ille scriptor universis impertitam nationibus prædicabat.

589. Veram autem Christi gratiam, sine qua nihil ad salutem prosunt beneficia Dei exteriora, non omnibus dari, expresse confitetur laudatus Auctor, atque hujus rei non aliam reddi posse rationem dicit, quam divinorum consiliorum incomprehensibilem profunditatem. „ Profunditas hujus „ quæstionis, *ait Lib. I. c.* 25., cur huic potius, „ quam illi donetur gratia, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, „ per liberi arbitrii velle, & nolle non solvitur". Quæ pauca verba plane sufficiunt ad illorum refellendam opinionem, qui omnibus gratiam Dei æqualiter adesse existimant, totum autem inter homines discrimen a voluntatis consensu, vel dissensu repetunt.

590. Obj. *sexto* auctoritatem Pauli Orosii, qui unus fuit ex primis hæresis Pelagianæ impugnatoribus (Vid. Diss. I. n. 26. in not. *a*). Hic in Apologet. contra Pelagium: „ Mea, *inquit*, semper „ hæc est fidelis, atque indubitata sententia, Deum „ adjutorium suum, non solum in corpore suo, „ quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium „ fidem gratiæ suæ dona largitur, verum etiam „ universis in hoc mundo gentibus, propter longanimem sui, æternamque clementiam subministrare .... & speciatim quotidie per tempora, „ per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare".

591. Resp. Orosium, non secus ac auctorem *Libror. de Vocat. Gentium*, nomine gratiæ universalis non intellexisse specialia illa dona, quæ credentium propria sunt, & soli Ecclesiæ conceduntur, & quæ proprie ad gratiam Salvatoris pertinent, sed communia quædam dona Dei, *qui facit solem suum oriri super bonos*, *& malos*, *& dat pluviam super justos*, *& injustos;* his enim exemplis Orosius ibidem utitur. Et certe quis credat, voluisse hunc Scriptorem, veri nominis gratiam, seu inspirationem sanctæ dilectionis, *quotidie*, *per tempora*, *per dies*, *per momenta*, *per atomos*, *& cunctis*, *& singulis ministrari?* Quod nec liberales illi divinorum auxiliorum dispensatores asserere audent.

592. Obj. *septimo* plura Sancti Thomæ testimonia. *Primo* enim Lect. I. in cap. I. epist. primæ ad Corinthios explicans illa verba *Fidelis Deus:* „ Non autem, *inquit*, esset fidelis, si nos vocaret „ ad societatem Filii, & nobis negaret, quantum „ in ipso est, ea, per quæ pervenire ad Deum „ possemus. Præterea Lect. III. in cap. XII. ep. „ ad Hæbreos ad illa verba: *Ne quis desit gratiæ Dei*, Deus inquit, *voluntate sua liberalissima dat* gratiam omni præparanti se, Apoc. „ III. *Ecce sto ad ostium*, *& pulso: si quis aperuerit mihi*, *intrabo ad eum:* 1. ad Timoth. „ II. *Qui vult omnes homines salvos fieri:* & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum „ in se est, se communicat, sicut nec sol deest „ oculis cæci. Denique in Lib. III. *Contra Gentes* cap. 159. hæc habet: Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in „ culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in „ se est, paratus est omnibus gratiam dare; *vult enim omnes homines salvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*, ut dicitur 1. ad Timoth. „ II. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis „ gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui „ oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis „ præveniatur".

593. Resp. ad primum, Deum nobis minime *negare* ea, per quæ pervenire possimus ad salutem, si ab ipso suppliciter poscantur; quantum enim in ipso est, auxilia sufficientia omnibus offert; non ita tamen, ut ad ea reipsa conferenda hominum consensum, vel desiderium expectet: quemadmodum supra proposit. III. & IV. ostensum est. Iis igitur sua beneficia misericorditer confert, qui ejusdem gratia præventi, & excitati eadem postulant. Tristis autem experientia nos docet, peccatores aliquos consummatæ malitiæ, sicut etiam infideles, tenebris cor obscuratum habentes, de hujusmodi auxiliis implorandis ne cogitare quidem; adeoque &c.

594. In alio autem loco, scil. in Comment. ad illa verba Apostoli: *Ne quis desit gratiæ Dei*, non solum non evertit, sed manifeste confirmat nostram sententiam. Etenim post allata verba in objectione ita prosequitur: „ Sed contra; quia si gratia non datur ex operibus, sed tantum ex hoc, „ quod aliquis non ponit obstaculum, ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & „ non ex electione Dei, quod est error Pelagii. „ Respondeo: dicendum est, quod hoc ipsum,

„ quod

„ quod aliquis non ponit obstaculum, *ex gratia* „ *procedit*. Unde si aliquis ponat (obstaculum), „ & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, *hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per* „ *misericordiam suam*. Galat. I. *cum autem placuit ei*, *qui me segregavit ex utero matris meæ*, „ *& vocavit per gratiam suam &c.* Hoc autem „ donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, „ hoc est ex misericordia Dei; *quod autem non* „ *removetur*, *hoc est ex justitia ejus*". Et ita semper sibi constans Angelicus pro certo habet, non omnibus hoc auxilium gratiæ Dei prævenientis a Deo conferri.

595. Similiter, & adhuc apertius loquitur in loco objecto ex Libro III. *Contra Gentes*; ita enim prosequitur cap. 160. „ Quod autem dictum est, „ in potestate liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competit his, in quibus „ naturalis potentia integra fuerit. Si autem per „ inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, *non erit omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare*. Et cap. „ 161. Licet autem ille, qui peccat, impedimentum gratiæ præstet, & in quantum ordo rerum „ exigit, gratiam non debet recipere; tamen quia „ Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicut cum cæcum illuminat, vel mortuum „ resuscitat, *interdum* ex abundantia bonitatis suæ „ etiam eos, qui impedimentum gratiæ præstant, „ auxilio suo prævenit, avertens eos a malo, & „ convertens ad bonum. Et sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat ... ita „ non omnes, qui gratiam impediunt, auxilio suo „ prævenit, ut avertantur a malo, & convertantur ad bonum; sed *aliquos*, in quibus vult suam „ misericordiam apparere, *ita quod in aliis justitiæ ordo manifestetur*".

596. Ne autem dicatur, Sanct. Thomam hic loqui tantummodo de subtractione auxilii efficacis, non vero de subtractione etiam cujuscumque auxilii sufficientis, probe notanda sunt hæc postrema capit. sequentis verba: „ Deus aliquibus non „ confert auxilium ad vitandum peccatum, quod „ aliis quibusdam confert. Hoc autem auxilium „ est, non solum infusio gratiæ, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia tolluntur, & provocantia ad peccatum comprimuntur. Adjuvat etiam Deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis, & alia naturalia bona, quæ „ homini confert. Quum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit pro merito suæ actionis, secundum „ quod ejus justitia exigit, dicitur eos obdurare, „ vel excæcare, vel aliud eorum, quæ dicta sunt". Hæc profecto enumerata ab Angelico Dei beneficia, quæ excæcatis, & obduratis subtrahuntur, non sunt auxilia efficacia: illis ergo subtrahuntur auxilia etiam sufficientia.

597. Inst. S. Doctor 1. 2. quæst. 106. art. 2. ad 2. *Lex nova*, inquit, *quantum est de se*, *auxilium sufficiens dat ad non peccandum*: ergo saltem nulli Christianorum desunt auxilia sufficientia ad non peccandum.

598. Resp. Sanct. Thomam eo loco loqui de gratia justificante, seu habituali; quærit enim in eo articulo, *utrum lex nova justificet?* Respondet autem affirmative, propter gratiam Spiritus Sancti interius datam, quæ principaliter pertinet ad legem novam. Objicit postea sibi, quod lex nova multo magis prævaricationem auxit, quia majori pœna est dignus, qui post legem novam datam adhuc peccat. Hanc autem objectionem diluit, inquiens: „ Gratia novi Testamenti (utique „ justificans), etsi adjuvat hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut „ homo peccare non possit; hoc enim pertinet ad „ statum gloriæ. Et ideo si quis post acceptam „ gratiam novi Testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tamquam majoribus beneficiis „ ingratus, & auxilio sibi dato non utens. Nec „ tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram „ operatur; quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum". Loquitur ergo Sanct. Doctor de gratia habituali, quam interius quæst. 111. art. 1. dividit *in operantem*, *& cooperantem*; nempe *inquantum animam sanat*, *vel justificat*, *sive gratam Deo facit*, *dicitur gratia operans*; *inquantum vero est principium operis meritorii*, *quod ex libero arbitrio procedit*, *dicitur cooperans*. Cum igitur manifestum sit, gratiam novi Testamenti habitualem non omnibus Christianis *semper conferri*, nec semper iis præsto erit illud auxilium *sufficiens*, de quo in loco objecto loquitur Angelicus. Ceterum præter gratiam habitualem requiri etiam ad bene operandum gratiam actualem, docet, & probat Angelicus 1. 2. qu. 109. art. 9.

599. Obj. *octavo* ex ratione. Homines etiam obcæcati, & obdurati tenentur suorum peccatorum pœnitere, & converti ad Deum; tenentur item tentationibus, in quas frequenter incidunt, pro virili resistere, uno verbo omnia divina mandata adimplere, quorum primum, & præcipuum est, diligere Deum super omnia; sed hæc ipsis sine gratia impossibilia sunt. Deus ergo, *qui impossibilia non jubet*, ipsis præsto est auxiliis vere sufficientibus (*a*).

599.

(*a*) Hoc est Achilleum adversæ partis argumentum, quo, ut Lemosius observat, etiam aliqui Discipuli S. Thomæ moti sunt ad hæc auxilia sufficientia admittenda, omnibus sine exceptione collata; quia aliàs homini transgressio præceptorum ad peccatum imputari non posset. Qui tamen Lemosius in Congregatione habita die 22. Martii 1604. coram Clemente VIII. Patri Vasquez hoc ipsum urgenti, fidenter respondit, *hanc illationem esse Pelagianam*; ut ipse narrat in *Actis Congregationis* &c. Lovanii 1702. pag. 699.

400. Resp. cum P. de Lemos, hominibus *peccatoribus* carentibus gratia sufficienti peccata imputari, quia hujusmodi carentia est ipsis voluntaria, utpote ex culpa præcedenti proveniens. „ Quamvis, inquit Angelicus III. *contra Gentiles* „ cap. 160. illi, qui in peccato sunt, non possint „ per propriam potestatem, quin impedimentum „ gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gra„ tiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc eis „ imputatur ad culpam, quia hic defectus ex cul„ pa præcedente in eis relinquitur; sicut ebrius „ ab homicidio non excusatur, quod per ebrieta„ tem committit, quam sua culpa incurrit". Porro S. Doctor cap. 159. hanc objectionem non solvit, dicendo, omnibus peccata merito imputari ad culpam, quia omnibus instante præcepto præsto sunt auxilia divinæ gratiæ ad non peccandum sufficientia, quæ solutio facillima erat; sed alia incedens via, fatetur impotentiam, quæ est in peccatore, propter carentiam divinorum auxiliorum; attamen hanc impotentiam, dicit non excusare a culpa, quia est voluntaria in causa (*a*).

401. Sunt equidem Theologi, qui contendunt, peccata in ebrietate, vel amentia commissa, tunc solum imputari, quando hæc prævisa fuerunt. Veruntamen laud. Lemosius n. 508. ex doctrina S. Thomæ bene advertit, hæc prævideri potuisse, & debuisse, quod sufficit, ut eadem peccata imputentur: „ Et ratio est, inquit, quia per se ex e„ brietate, vel amentia sequitur, quod homo pec„ cata committat; & est valde per accidens, quod „ id non fiat. Unde qui ex culpa se inebriat, „ vel in amentiam incidit, eo ipso dat culpabi„ lem causam peccatis aliis, illaque vere in sua „ causa, & origine voluntaria sunt, quod sufficit, ut „ illa vere homini imputentur. Sicut ergo impu„ tantur ebrio ad peccatum, quæ in ebrietate com„ misit, si advertens quod se inebriando alia pot„ est moraliter peccata committere, multo magis „ imputatur ad peccatum illi, qui advertens, quod „ moraliter potest peccata alia committere, mora„ liter peccando voluntarie peccat". Ita præstantissimus hic Theologus, qui plura addit ad cumulatissimam hujus difficultatis solutionem (*b*).

402. Hanc eamdem doctrinam tradit S. Augustinus; nam Libro I. *Retract.* cap. 15. cum statuisset, tanquam principium certum & fixum, *nusquam, nisi in voluntate esse peccatum*, ita subdit: „ Quisquis autem sciens peccat, si potest co„ genti ad peccatum sine peccato resistere, utique „ *volens* peccat, quoniam qui potest resistere, non „ cogitur cedere. Qui vero cogenti cupiditati bo„ na voluntate resistere non potest, & ideo facit „ contra præcepta justitiæ, *jam hoc ita pecca„ tum est, ut sit etiam pœna peccati* (quod „ nempe voluntarie commissum est). Quapropter „ peccatum sine voluntate esse non posse verissi„ mum est. *Et iterum in Libro* De perfectione „ justitiæ *c.* 6. *Cælestio quærenti*, quomodo cul„ pa hominis est, si hoc non est quod esse non „ potest? *respondet Sanct. Doctor*, ideo esse cul„ pam hominis, quod non est sine peccato, quia „ sola hominis voluntate factum est, ut ad istam „ necessitatem veniret, quam sola hominis volun„ tas superare non possit". Nec unquam hic invictus gratiæ defensor, ut probet peccata hominibus jure imputari, confugit ad illam recentem doctrinam, ideo peccata imputari, quia omnibus semper confertur auxilium, quo vitari queunt.

403. Dices. Sanct. Augustinus in Exposit. epist. ad Rom. proposit. 62. Tomo III. de Pharaone dicit: *Non ergo illi imputatur, quod tunc non obtem-*

(*a*) Angelicus hanc ipsissimam difficultatem sibi proposuerat cap. 159. his verbis: *Cum autem, sicut ex præmissis habetur, in finem ultimum aliquis dirigi non possit, nisi auxilio divinæ gratiæ, sine qua etiam nullus potest habere ea, quæ sunt necessaria ad tendendum in ultimum finem, sicut est fides, spes, dilectio, & perseverantia, potest alicui videri, quod non sit homini imputandum, si prædictis careat, præcipue cum auxilium divinæ gratiæ mereri non possit, nec ad Deum converti, nisi Deus convertat: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet*. En tota adversariorum objectio, cui dissolvendæ respondet quidem primo ibidem, Deum paratum esse omnibus gratiam dare, eosque solos gratia privari, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. Sed cum adhuc difficultas subsistat, quia homo sine gratia non potest nullum impedimentum gratiæ præstare, ideo Angelicus ad plenam difficultatis evacuationem ea verba subdit: *Quamvis illi &c.*

(*b*) Angelicus 2. 2. qu. 150. art. ult. data opera inquirit, utrum ebrietas excuset a peccato? Resolvit autem, duo esse in ebrietate consideranda, scilicet: „ defectum consequentem, & actum præcedentem. Ex „ parte autem defectus consequentis, in quo ligatur u„ sus rationis, ebrietas habet excusare a peccato, in„ quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed „ ex parte actus præcedentis videtur esse distinguen„ dum; quia si ex actu illo præcedente subsecuta est „ ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totali„ ter excusatur a culpa, forte sicut accidit de Loth. Si „ autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totali„ ter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod sci„ licet redditur voluntarium ea voluntate præcedentis „ actus, inquantum scilicet aliquis dans operam rei „ illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur ta„ men peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio vo„ luntarii". Et 1. 2. qu. 77. art. 7. celebrem afferens distinctionem voluntarii, vel *secundum se*, vel *secundum suam causam*, exemplum repetit ejus, qui voluntarie inebriatur, addens *ex hoc quasi voluntarium ei imputari, quod per ebrietatem committit*. Huc spectat etiam illud, quod idem Angelicus in 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. habet, scilicet si aliquis propter culpam præcedentem fit impotens ad observandum præceptum, reum esse peccati omissionis; quæ *omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria*. Ac demum in Qu. XVI. *De malo* art. 6. ita de Dæmonibus pronunciat: *Quamvis diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum*.

temperavit, *quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat*, *sed quia dignum se præbuit*, *cui cor obduraretur priore infidelitate*. Si ergo alii peccatores ita obdurantur a Deo, ut nulla eis ad exequenda mandata præsto sit gratia, illis peccata imputari non poterunt.

404. Resp. illud Opusculum fuisse a Sancto Doctore elucubratum ante Episcopatum, ut ipse scribit Libro I. *Retract.* cap. 28. quo tempore nondum fuerat de mysterio gratiæ plene edoctus. Et quidem hoc de Pharaone dictum tacite retractasse, ex iis patet, quæ mox protulimus n. 402. & Lib. *De perfect. justitiæ* cap. 6. ,, Peccatum est, *in-,, quit*, cum vel non est charitas, quæ esse de-,, bet, vel minor est, quam debet, sive hoc vo-,, luntate vitari possit, sive non possit: quia si ,, potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non ,, potest, præterita voluntas hoc fecit".

405. Dices *secundo*. Idem August. Lib. XXII. contra Faustum cap. 44. loquens de incesto a Loth in ebrietate commisso: *Culpandus est*, inquit, *Loth*, *non quantum ille incestus*, *sed quantum merebatur ebrietas*: censet ergo S. Pater impotentiam, quæ oriretur ex excæcatione, a peccato excusare.

406. Resp. S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 4. explicat dictum S. Augustini, quod ebrietas illa, si fuit culpabilis, non totaliter excusaverit Loth a peccato incestus. Sed quod diminuerit ipsum peccatum, inquantum diminuit rationem voluntarii.

407. Sed redeundo ad principalem difficultatem addimus aliam ejusdem solutionem traditam a Thoma de Lemos his verbis pag. 96. n. 302. ,, Qui ,, peccat sine auxilio sufficienti, quo ob priorem ,, suam culpam sive actualem, sive originalem pri-,, vatus est, postmodum liber manet in peccato ,, sequenti commisso, & sua libertate illud exer-,, cet, videns, & sciens, quod illud efficere non ,, debet; quamvis enim *sufficientia proxima* ca-,, reat ad illud evitandum, tamen libertatem ha-,, bet ad utramque partem, & libere in peccatum ,, vult consentire. Aliud est enim libertas ad pec-,, candum, & hanc habet: aliud sufficientia ad ,, non peccandum, & hanc ex sua culpa priori ,, non habet. Unde licet ebrio, vel amenti pec-,, cata talia secuta non imputarentur, merito ta-,, men homini sine auxilio sufficienti peccanti pec-,, catum imputatur, ob differentiam assignatam"; nempe in ebriis & amentibus nullam penitus esse libertatem, quæ tamen remanet in hominibus auxilio sufficiente privatis.

408. Atque hanc responsionem suppeditat ipse Sanctus Thomas laud. cap. 160. Lib. III. contr. Gent. ita prosequens: ,, Præterea licet ille, qui ,, est in peccato, non habeat hoc in propria po-,, testate, quod omnino vitet peccatum, habet ta-,, men potestatem nunc vitare hoc, vel illud pec-,, catum; unde quodcumque committit, volunta-,, rie committit, & ita non immerito sibi impu-,, tatur ad culpam". Et si aliqua hac in parte necessitas occurrit, non est necessitas vere, & proprie talis, cujusmodi est moriendi necessitas; sed necessitas voluntaria, seu obstinata peccandi voluntas; quo sensu etiam Innocentius Papa in ep. ad PP. Carthaginenses scribebat: *Necesse est*, *ut quo auxiliante vincimus*, *eo iterum non adjuvante vincamur* (a).

409.

(a) Atque hæc doctrina placuit quoque Cardinali Bellarmino. Quamvis enim doceat, *omnibus omnino hominibus auxilium sufficiens*, *ac necessarium ad vitanda peccata*, *vel immediate*, *vel mediate a divina benignitate præstari*, Libro tamen VI. *De gratia*, *&* *lib. arb.* cap. 15. hanc statuit thesim: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium*, *non solum ad opera naturalia*, *&* *moralia*, *sed etiam ad opera pietatis*, *&* *supernaturalia*. Deinde ponit hanc alteram thesim: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam*, *&* *imperfectam ad opera pietatis facienda*.

Placet etiam huc afferre, quæ docet gravissimus Theologus Guill. Estius in Lib. II. *Sentent.* Dist. 26. §. 41. ubi postquam cum Sanctis Thoma, & Augustino ostendisset, Dei præcepta non esse impossibilia, quia ea, quæ possumus cum auxilio divino, non sunt nobis omnino impossibilia, sibi objicit, *auxilium illud non esse in potestate hominis*, *præsertim ejus*, *qui de gratia Dei nihil unquam audivit*. Ita vero difficultatem solvit: *Quidam ad hoc respondent*, *nullum esse hominem*, *cui non semper adsit obvium*, *&* *paratum a Deo auxilium gratiæ*, *per quam possit totam legem servare*, *&* *vitare peccata*, *modo velit*, *ut potest*, *eo auxilio uti per suum liberum arbitrium*. *Sed hæc responsio neque Scripturis sacris*, *neque doctrinæ Sanctorum Patrum consonat*; *neque cum efficaci operatione gratiæ Dei consistit*. *At neque Augustinus vehementer hoc argumento pressus a Pelagianis*, *usquam hujusmodi responsionem adhibuit*; *quod specialiter observare est in toto libro de perfectione justitiæ*, *ut alia ejus loca*, *quibus contrarium docet*, *taceamus*. *Verior itaque responsio est*, *possibile non uno modo dici*: *nec æqualiter observationem legis esse possibilem homini justo*, *jam habenti habitum gratiæ*, *atque virtutum*; *&* *homini peccatori*, *fidem tamen habenti*, *quæ monstret*, *ac doceat*, *unde petendum sit auxilium*; *&* *homini infideli*, *qui tamen incitatur ad fidem per Evangelii prædicationem*; *&* *denique homini pagano*, *qui de fide*, *&* *gratia Dei*, *ad legem ejus servandam necessaria*, *nihil unquam audivit*. *Primus enim potest totam legem servare potentia valde propinqua*, *&* *quidem cum actu conjuncta*; *præstat enim id reipsa*. *Secundus id potest potentia minus propinqua*. *Tertius potentia remotiori*. *Quartus potentia in hoc genere remotissima*. *Qui tamen simpliciter posse non absurde dicitur*, *quia &* *potest ei prædicari Evangelium*, *&* *cetera adhiberi*, *per quæ solet Deus homines vocare ad fidem*, *&* *justitiam*, *&* *habet talis homo liberum arbitrium adhuc flexibile ad bonum*.

Nec prætermittendus est Franc. Sylvius, alter illustris S. Thomæ commentator, qui in 1. 2. q. 109. art. 4. *Quæritur primo*, hæc habet: *sive detur aliqua gratia*, *quæ tantum est sufficiens*, *&* *non efficax*, *sive non detur*, *ea secundum rei veritatem est impertinens ad salvandum*, *quod homo possit divina mandata servare*; *partim quia ut reipsa illa servet*, *ea gratia solis non sufficit*, *sed oportet*, *quod etiam adsit gratia efficax*, *quæ a solo Deo pendet*, *&* *gratis*, *sive merito tribuitur*; *partim juxta communem sententiam gratia sufficiens*

409. Inst. contra primam solutionem. Etiam infidelitas negativa est pœna peccati, saltem originalis; quia tamen infidelibus negativis desunt omnia auxilia sufficientia ad credendum, non reputatur ad culpam, quod non credant: ergo pariter si peccatoribus aliquibus desunt omnia auxilia sufficientia ad præcepta adimplenda, eorumdem violatio non reputabitur ad culpam.

410. Resp. neg. conseq.; infidelitas enim negativa supponit omnimodam legis ignorantiam; quæ omnimoda ignorantia voluntarium penitus tollit, atque adeo omnem peccati rationem. Contra vero, supposita præcepti cognitione, qualis est in obduratis peccatoribus, voluntarie peccatur, etiamsi auxilium sufficiens ob priora peccata fuerit denegatum. Unde Sanct. Augustinus in cit. Libro primo *Retractat* c. 15. *Qui cogenti cupiditati*, inquit, *non potest resistere*, *& facit contra præceptum*, *id in illo & peccatum est*, *& pœna peccati*.

411. Atque idipsum dicendum est de amicitia sine culpa contracta, de ignorantia invincibili, de motibus concupiscentiæ indeliberatis, qui vocantur *primo primi;* quæ omnia dicuntur pœnæ primi peccati originalis, non tamen sunt ipsa peccata propter defectum cognitionis, & libertatis, quæ ad peccatum requiritur. Quod si aliquando dicta sunt *peccata in causa*, nomen peccati sumptum est in latiore significatione; quod enim proprie dicitur *peccatum in causa*, illud est, cujus causa nobis fuit voluntaria, & libera, atque etiam culpabilis; & quidem non voluntate *naturæ;* qua ratione etiam peccatum originale nobis voluntarium fuit; sed voluntate *personæ*. Atque hoc modo impotentia, quæ in peccatoribus desertis a Deo reperitur, est ipsis voluntaria propter innumera atque enormia flagitia libere commissa, quibus a Deo deseri promeriti sunt: quamobrem hæc impotentia eos a vera culpa immunes reddere nequit.

412. Ex his tamen nemo colligat, peccatores obduratos admonitionibus, exhortationibus, consiliis, ac si opus fuerit duris increpationibus, ac correptionibus non esse pulsandos, sed in sua pœnali excæcatione, atque obduratione derelinquendos. Non inquam; cum enim nemo certo sciat, quinam sint revera a Deo penitus deserti; & insuper possit Deus eorum, quamdiu vivunt, misereri, ipsorumque cordis duritiam frangere, negligenda non sunt media humana, quamvis hæc inutilia sint, quotiescumque Deus iis interna gratia sua efficaciam non præbet. *Correptio*, inquit S. Augustinus *De corrept. & gratia* c. 5. *tunc est salubris*, *quando supernus Medicus respicit*. *Non enim aliquid proficit*, *nisi cum facit*, *ut peccati sui quemque pœniteat*. *Et quis hoc dat*, *nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem*, *& fecit flentem?*

413. Quæres, quid sentiendum sit de gratia orationis, quam nemini prorsus deesse, ad uberiora auxilia impetranda, aliqui docuerunt?

414. Celebris Alphonsus le Moine in suo libro *De dono orandi &c.* atque in aliis suis Molinianis scriptis contendit, omnibus hominibus sine exceptione dari saltem gratiam alicujus sancti desiderii, & orationis, qua possint, si velint, uberiora, & fortiora auxilia impetrare ad Dei mandata adimplenda, ad obtinendam fidem, & conversionem in Deum, atque ad ipsam æternam salutem sibi promerendam (*a*).

415. Hæc Moinii sententia non indiget nova refutatione. Si enim aliqui peccatores in pœnam suorum enormium flagitiorum omni prorsus Dei auxilio aliquando privantur, ut probatum est, privantur etiam gratia orationis, quæ inter cetera Dei beneficia numeratur. „ Veruntamen, inquit S. „ August. ep. CXCIV. ad Sixtum cap. 4., nec sal„ tem orationes putarentur præcedere merita, qui„ bus non gratuita daretur gratia, sed jam nec „ gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa „ oratio inter gratiæ munera reperitur. *Quid e-* „ *nim oremus*, ait Doctor Gentium, *sicut opor-* „ *tet*, *nescimus*, *sed ipse Spiritus interpellat pro* „ *nobis gemitibus inenarrabilibus*".

416. Et præterea si ab hujusmodi peccatoribus consummatæ malitiæ sciscitaremur, an quoties peccant, toties se ad Dei auxilium implorandum excitari animadvertant, nullus dubito, quin aperte confiterentur, se de ope Dei imploranda ad non peccandum ne cogitasse quidem. Ut nihil dicam de impiis quorundam Infidelium orationibus, ad Deo-

non semper datur; & tamen homines viatores semper possunt divina mandata servare, ac per consequens etiam tunc, quando non habent gratiam sufficientem &c. Multo plura afferri possent, sed opus non est; nemo enim ignorat, quam multis, gravibusque Theologis hæc doctrina probata fuerit.

(*a*) Ita enim suum systema exponebat Moinius: „ Antequam voluntas consentiat, vel in legem peccati, „ vel in legem Dei, hæc geruntur in anima. Hinc in„ funditur illi dilectionis aliquid a Deo, per quod in„ clinetur in rem, quæ præcipitur; illinc vero solli„ citatur in contrarium per rebellem concupiscentiæ „ motum. Interim dum in isto conflictu, ac certami„ ne versatur animus, inspiratur ipsi a Deo notitia, „ tum infirmitatis, tum Medici simul, & desiderium „ sanitatis. Cui inspirationi si consentiat homo, & ad „ Deum supplici pietate confugiat, gratiam ad implen„ dum præceptum, eamque efficacem consequetur: sin „ vero animus propter superbiam renuat orare, & ad „ Medicum confugere, deseretur, & in peccatum ruet, „ transgrediendo præceptum. Singuli isti divinæ gra„ tiæ motus patent in Apostolo Paulo Roman. VII., „ dum dicit: *Condelector legi Dei &c.*". Bene habet, quod Moinius allegaverit exemplum hominis justi, cui certe gratia non deerat. Aliter se res haberet, si exempla allegasset hominum, qui in peccatis obcæcati, & obdurati sunt: hi enim procuIdubio testarentur, se nihil tale experiri, dum in peccata temere & effrænate ruunt.

Deorum opem obtinendam, qua furta, adulteria, aliaque infanda scelera feliciter committere possent (de quibus egimus in Tom. I. Diss. II. num. 131. in not.): tum de Stoicis, aliisque Fatalistis, qui omnem orationem, ut inutilem ed inevitabilis fati decreta immutanda rejiciebant; ae denique de Atheis, qui nec Deum esse, quem oremus, concedunt. Anne istis orationis gratiam semper præsto esse Moinio asserenti credemus?

417. Nec Moinii causam juvant quædam testimonia Ss. Patrum, ac præcipue S. Augustini, quibus homines maximopere hortantur, ut jugibus ad Deum precibus ipsius auxilium implorent Vulgatum est illud Sancti Augustini Tract. XXVI. in Joann. *Nondum traheris, ora, ut traharis.* Verumtamen quis, amabo, hoc neget, præcipue cum Christus Dominus hoc nobis expresse mandavit Matth. XXVI. 41. *Vigilate, & orate;* & Apostolus 1. ad Thessal. V. 17. *Sine intermissione orate?* Sed ex his minime probatur, gratiam ad hoc præceptum orationis adimplendum omnibus, & semper conferri. Sane laudatus S. Augustinus ante verba illa objecta ait: *Magna gratiæ commendatio: nemo venit, nisi tractus: quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Facile fuisset S. Doctori respondere in sententia Moinii, si in ea fuisset, istum trahi, quia orat, alium non trahi, quia non orat, cum utrique orandi gratia præsto sit. Et cum innumeris in locis hanc quæstionem sibi proposuerit, ab adversariis gratiæ ad nauseam usque recantatam, quare Deus non omnes ad se trahat, aut vocet? nullibi invenitur respondisse, Deum æqualiter omnes gratia sua, saltem orationis prævenire; totum autem discrimen ex iis esse repetendum, qui divinæ gratiæ omnibus collatæ fideliter respondent, vel contumaciter resistunt; qua responsione multas potuisset implacabilium Pelagianorum, ac Semipelagianorum querelas, atque objectiones uno flatu dispungere. Et de his satis. Vide superius dicta n. 295. & seq.

CAPUT VIII.

De necessitate, & efficacia gratiæ in statu naturæ innocentis.

418. Admodum celebris non multis ab hinc annis orta est inter catholicos Theologos controversia, cujus generis fuerit illa gratia, qua Adam in statu innocentiæ indigebat ad perseverandum in ea justitia, in qua fuerat a Deo creatus; & qua adjuti Angeli boni steterunt, aliis infeliciter cadentibus; monente enim S. Augustino *de corrept. & grat.* cap. 11., & alibi, eadem est ratio Adami innocentis, & Angelorum.

419. Thomistæ cohærenter ad inconcussum Angelici Præceptoris principium, quod *quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo* 1. 2. quæst. 109. art. 1. constanter, ac perpetuo docuerunt, & Angelos, & protoparentes nostros ad perseverandum in justitia, in qua creati fuerunt, efficaci Dei motione, non minus, quam nos indiguisse. Hoc tamen illos inter & nos magnum S. Thomas ponit discrimen ibid. art. 2. quod *Virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ, quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ, quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Quæ Angelici doctrina satis clara est, ut nullo indigeat glossemate.

420. Thomistis consentiunt illi Augustiniani Theologi, qui *Ægidiani* audiunt, discipuli scilicet amplissimi Cardinalis Ægidii Columnæ, seu ut vocari solet, Ægidii Romani, qui sæc. XIV. non solum Sacram Augustinianorum Familiam, cujus alumnus erat, sed totam plane Ecclesiam sua doctrina illustravit, & *Doctoris fundatissimi* titulum obtinuit. Quibus postea adhæserunt Guill. Estius, Franc. Sylvius, Steph. Vincentinus, Anton. Boucat, Card. de Aguirre, & illustres alii Theologi extra Dominicanorum Ordinem; qui tamen in verba S. Augustini, non minus quam S. Thomæ, se jurasse profitentur.

421. Sed ab Ægidio Columna, ejusque schola procul abiit insignis alter Augustiniani Instituti Theologus, Gregorius Arimineusis, dictus *Doctor authenticus*, qui eodem sæculo XIV. paulo post Ægidium Romanum floruit. Hic enim in Lib. II. *Sentent.* Dist. XXIX. quæst. 1. pag. mihi 96. docuit: „ Adam ante peccatum per liberum arbi- „ trium, & vires naturales suas, ac adjutorium „ gratiæ superadditum, quod habebat, simul cum „ generali Dei influentia, potuisse *absque alio* „ *speciali auxilio Dei* agere actum moralem bo- „ num ". Quam Gregorii sententiam aliqui una cum Bellarmino *de gratia primi hominis cap.* 4. ita interpretantur, ut a primævo innocentiæ statu excluserit necessitatem alicujus *specialis* auxilii, nempe per se efficacis, cujus necessitatem communiter alii Theologi una cum Thomistis ad perseverandum in bono admittebant. Id postea apertissime recentiores Augustiniani, & Fulgentius Belelli, Card. Noris, Christianus Lupus, Basilius Poncius, Lafosse, Vauroy, Anton. Piette, aliique non multi, quos citat, & sequitur doctissimus Pater Laur. Berti, professi sunt, docentes: *Adam ad perseverandum non opus habuisse adjutorio gratiæ prædeterminantis, & victricis, De theol.* di-

disciplinis Libro IV. cap. 8., & Libro XII. cap. 8. (*a*).

422. Ut vero hanc implicatissimam controversiam qua majore fieri poterit claritate discutiamus, totam materiam in duos articulos dividemus, in quorum primo necessitatem alicujus gratiæ actualis in statu naturæ innocentis ad bene operandum facile ostendemus: in secundo hanc gratiam debuisse suapte natura esse efficacem & prædeterminantem; qua in re potissimum solliciti erimus de mente, & doctrina Sancti Augustini investiganda, a qua vel latum unguem recedere nobis religio est.

ARTICULUS I.

Ostenditur, etiam in statu naturæ innocentis gratiam Dei actualem ad bene operandum fuisse necessariam (*b*).

423. Protoparentes nostros fuisse in gratia sanctificante creatos, aut saltem constitutos, non minus quam Angelos, docuimus in T. IV., Diss. III. n. 69. seq. Certum est etiam, nullas in iis fuisse passiones animæ, quæ judicio rationis non perfecte subessent; unde S. Thomas I. Part. quæst. 95. artic. 4. ad 3. hanc ponit inter statum innocentiæ, & nostrum differentiam, quod *in primo statu nihil erat interius impellens ad malum, sicut modo est*; scilicet concupiscentia illa perduellis, quam in baptizatis manere ad agonem, confitetur Tridentina Synodus Sess. V. (Vid. T. IV. Diss. III. num. 6. seq.). Hinc Adamus in perfecto erat æquilibrio, nulla prorsus concupiscentia inclinatus ad malum (*c*).

424. Sed tamen ut bonum operaretur, non illi sufficiebat gratia habitualis, & sanctificans, sed necessario gratia etiam actualis, seu motio Dei requirebatur; quod mirifice explicat S. Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 2. his verbis probe notandis; continent enim totum doctrinæ Thomisticæ fundamentum: „ Natura hominis potest dupliciter considerari: uno modo in sui integritate, sicut fuit „ in primo parente ante peccatum; alio modo, „ secundum quod est corrupta in nobis post peccatum primi parentis. Secundum autem utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum, vel volendum quodcumque „ bonum, sicut primo movente, ut dictum est artic. præced. Et post pauca ita concludit: Sicut „ igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ „ in-

(*a*) Ibidem in Scholio addito in Edit. Rom. seu potius Veneta anni 1765. in fol. pag. 311., dicit, suam sententiam esse valde communem inter Augustinianos *recentioris saltem ætatis*, *Ægidianis acerrime reclamantibus*. Noster autem P. Hyac. Jac. Serry in suo *Augustino D. Thomæ, ejusque Scholæ conciliato* cap. 1. plures enumerat celeberrimo Augustiniano Instituto antiquos Theologos, qui a Thomistarum placitis minime recesserunt. Hujusmodi sunt, præter memoratum Ægidium Rom. in *Hexameron* P. I. cap. 15., & P. II. cap. 3., Thomas de Argentina in II. *Sentent.* Diss. IV. & V. art. 3., Gaspar Casalius Episcopus Leiriensis L. I. *De quadripart. justitia* capp. 5. 9. 11. 31., Leonardus Coquæus in Comment. ad cap. 9. L. XII. S. Augustini *de Civ. Dei*, Frider. Nic. Gavardi in *Theologia exantiquata* q. 5. art. 3., & Nic. Girken Tom. I. *Summæ theol.* Tract. X. q. 3. dub. 1. Horum, aliorumque communi fere opinioni de gratia Adami, & Angelorum, magno conatu sese opposuit Corn. Jansenius, eam appellans *ab Augustini sensibus remotissimam*, & qui eamdem defendunt, *magis Aristotelicos, quam Augustinianos*. Ita Lib. VIII. *De gratia Christi Salvatoris* cap. 2. Dum autem Jansenium nominavimus, absit, ut aliqua Jansenismi suspicione eos orthodoxos Augustiniani Instituti, aliosque insignes Theologos infamare velimus, qui nobis adversantur; præcipue quia multo ante Jansenium Molinistæ idem docuerunt, & P. Ferdinandus de Bastida in VIII. Congregatione *de Auxiliis* habita coram Paulo V. 22. Nov. 1605., ut gratiam Thomistarum prædeterminantem impugnaret, hoc etiam argumento usus est, quod *S. Augustinus in Angelis, & primo homine non constituit auxilium prædeterminans ad operandum*, ut videre est in Serriana *Hist. Congreg. de div. auxiliis* Lib. IV. cap. 12., & apud Lemos in *Actis Congregationum, &c.* p. 119., & seq.

(*b*) Oppositum sensisse videtur Gregorius Ariminensis loco supra laud. inquiens: *Possibilitas naturalis Adæ ad bene agendum fuit ante peccatum talis, quod ipse per liberum arbitrium, suasque vires naturales cum adjutorio habitualis gratiæ suis naturalibus additæ sufficiebat sine alio speciali auxilio Dei agere bonum moraliter*. De hujus tamen insignis Theologi vera mente non omnes scriptores inter se concordant.

(*c*) Hæc communis est omnium Theologorum sententia, a qua tamen discessit Molina in *Concordia* qu. XIV. art. 13. disp. 4. inquiens de Adamo: „ Cum nullas tentationes haberet, præter eas, quæ extrinsecus „ inferrentur, & *præter innatum appetitum excellentiæ*, „ *& laudis, quoad voluntatem, & intellectum*: quæ omnia in tanta tranquillitate passionum, tamque præclaris donis præditus facile poterat superare. " Et Disp. 45. „ Ex contemplatione, inquit, rei valde amabilis, & quam multum refert adipisci, naturaliter consurgere in voluntate motum quemdam, quo „ voluntas ad illam afficitur; qui motus non est volitio, sed affectio voluntatis ad illam rem, a cujus „ bonitate quasi tangitur, & allicitur ad volendum. „ Neque hic motus solum in hominibus solet antecedere volitionem, sed etiam in Angelis: *prius namque tempore, vel natura fuit, Luciferum ad id affici voluntate, quod per superbiam obtinere voluit*, quam „ per voluntatem illud vellet contra legem Dei, *sicut prius etiam fuit, Evam affici ad pomum vetitum* . . . „ *quam illud comedere vellet contra legem Dei* ". Hi porro motus prævenientes non aliud esse possunt, quam motus concupiscentiæ ad inordinatum excellentiæ, vel cibi appetitum, cui consentiendo & Angelus & Eva peccarunt. Hos tamen nullos fuisse in statu innocentiæ, & Sancti Patres apertissime tradunt, & communis etiam Theologorum persuasio est. Sufficiat illa Sancti Augustini vox Lib. XIV. *De civ. Dei* c. 26. de Innocentiæ statu: *Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas*.

„ indiget homo in statu naturæ integræ &c." Vid. supr. n. 419. Ubi manifeste docetur, Adamo præter gratiam habitualem, quæ necessaria erat *ad operandum, & volendum bonum supernaturale, & meritorium*, opus fuisse auxilio divino *actuali*, quo *moveretur* ad bene agendum.

425. Præterea in artic. 3. quærens, *utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia?* „ Respondet, quod homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, ad diligendum Deum *naturaliter* super omnia, licet indigeret auxilio Dei, *ad hoc eum moventis*. Sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio *gratiæ naturam sanantis*". Quam doctrinam sæpius repetit Angelicus, ut de ipsius mente dubitari minime possit.

426. Secundo necessitas gratiæ actualis in statu innocentiæ probatur ex S. Augustino, qui in *Enchiridio* c. 107. Tom. VI. *Sic factus est homo rectus*, inquit, *ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino*. Et *de Cantico novo* cap. 8. Tom. VI. „ Quid valeat, *inquit*, liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur a Deo". Magistro concors S. Fulgentius in epist. IV. ad Probum cap. 2. colligit, non posse hominem lapsum aliquod bonum opus facere, aut velle sine quotidiano auxilio Dei, quia nec homo innocens id *implere potuit conatu proprio*.

427. Atque, ne in re manifesta tempus teramus, sufficiat definitio Concilii Arausicani II., quod can. 19. ita statuit: „ Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit"? Quæ verba desumpta sunt ex ep. CLXXXVI. alias 106. Augustini n. 37.

428. Atque hoc argumento a majori ad minus utebatur etiam Sanct. Bernardus Serm. I. de Annuntiatione, inquiens de operibus bonis: „ Certum omnino est, quod nemo hæc habeat a seipso; nam si stare non potuit natura humana adhuc integra, quanto minus potest per seipsam resurgere jam corrupta "?

429. Obj. *primo*. S. Augustinus *de natura & gratia* c. 51. de sententia Pelagi volentis, „ Dei gratiæ tribui non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi insuperabiliter insitam dicit, *de hac inquam Pelagii sententia ita pronunciat:* Si de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata, & sana condita est, utrumque acceptaretur hoc dictum: *& antea c. 49. cum dixisset Pelagius*, non peccandi possibilitatem, velimus, nolimus, insitam esse naturæ, *respondet ei hac similitudine:* De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit, habet ambulandi possibilitatem; confractis vero, & si velit, non habet ". Censuit ergo magnus Augustinus, Adamum non indiguisse ad bene operandum gratia actuali, cum naturalis possibilitas ad id sufficeret.

430. Resp. S. Augustinum solummodo concessisse, dogma Pelagianum de naturæ possibilitate in Adamo esse *utcumque* tolerabile, attenta ipsius sanitate, virium fortitudine, ac gratiæ sanctificantis supernaturali præsidio, esse autem absurdissimum in natura lapsa, debilitata, sauciata, infirma. Totus enim erat in eo libro S. Pater, ut de hac infirmitate naturæ Pelagianos convinceret, eosque adigeret ad confitendum Dei gratiam, qua sola *possibilitas* peccato amissa recuperari potest. Ceterum hanc possibilitatem naturæ etiam integræ sine jugi Dei auxilio ad bonum operandum minime suffecisse, multoties tradit S. Pater; imo in eodem ipso opere *de natura & gratia* c. 48.: ubi Pelagio dicenti, *quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare non nostrum*, idest nobis cum natura donatum, ita reponit: *Si de integra, & sana hominis natura loqueretur; quam modo non habemus .... nec sic recte diceret .... nam & tunc esset adjutorium Dei &c.* ut proinde attentis sæpius repetitis ejusdem testimoniis concludere debeamus, eo loci hanc quæstionem excitare noluisse; quoniam ea etiam omissa, abunde contra Pelagianam hæresim poterat summam gratiæ Christi necessitatem ostendere; nullatenus tamen negasse gratiæ actualis etiam in statu innocentiæ necessitatem.

431. Dices. S. Augustinus sæpius inculcat, & Angelos bonos per liberum arbitrium in bono perseverasse, & Adamum pariter suo libero arbitrio perseverare in bono potuisse. De primis enim dicit *De corrept. & gratia* c. 10. *Angeli quidam, quorum princeps est, qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti sunt ..... Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*. De homine autem primo sæpius repetit in eodem libro, *ut vellet* in bono perseverare, *in ejus libero relictum fuisse arbitrio*. *Et de dono persev.* cap. 8. *Non est*, inquit, *hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet*. Et familiare est huic eximio gratiæ Doctori & vindici hujusmodi discrimen inter statum naturæ innocentis, & lapsæ afferre. Unde in Lib. *de corrept. & gratia* cap. 10. „ Saluberrime, *inquit*, confitemur, quod rectissime credimus, Deum, Dominumque rerum omnium ..... sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium: deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium ". Quæ antithesis inter utrumque statum manifeste indicat, S. Doctorem in statu naturæ integræ nullam agnovisse ad bonum operandum gratiæ necessitatem. Hinc denique illud

lud vulgatissimum S. Augustini dictum ep. CCXVII. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdimus;* sufficiebat igitur Adamo innocenti liberum arbitrium ad diligendum Deum.

432. Quam doctrinam etiam ipsius discipuli secuti sunt, Prosper, Fulgentius, & Gregorius Papa; quorum primus Lib. cont. Collatorem c. 18. de Adamo scribit: *Ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit, bonus mansit, a proposita sibi lege defecit*. S. autem Fulgentius Libro *De incarnat. & grat.* cap. 12. Deum, inquit, homini *ad habendam, custodiendamque justitiam integrum, sanumque creasse liberum arbitrium*. Sanctus Gregorius denique Lib. XXV. *Moralium* cap. 4. ,, Ipsi quoque Angelici Spiritus, *inquit*, mutabi- ,, les ex natura sunt conditi; quatenus aut sua ,, sponte caderent, aut ex arbitrio starent ". Et multo plura ejusdem generis afferre facillimum esset, quibus apertissime declaratur, bene vivendi potestatem, non gratiæ adjutorio tributam, sed Angelorum, primique hominis arbitrio relictam fuisse.

433. Resp., in iis omnibus locis non sumi liberum arbitrium omni adjutorio gratiæ destitutum, sed solum prout sanum, integrumque erat ante peccatum, nullaque gratia medicinali, & sanante indigebat; quo modo indiget; nunc enim adeo liberum nostrum arbitrium est pronum in malum, & ad bonum faciendum debilitatum, ut ei non sufficiat ad bonum faciendum qualecumque auxilium Dei, sed tale requiratur, quo amissæ vires reparentur; eo fere dixerim modo, quo homo infirmus ut in altum ascendat, non modo scala opus habet, sine qua nec sanus ascendere potest, sed etiam ut prius sanitatem, viresque deperditas recuperet. S. Augustinus non alio indiget interprete, quam seipso. Nam præter testimonia clarissima super num. 426. allata, insignis est locus Sancti Patris in Lib. XVI. *De Civ. Dei* cap. 27. Tomo VII., ubi non solum asserit, Adamum in tentatione indiguisse adjutorio Dei, sed etiam debuisse in eo adjutorio suam fiduciam reponere; ac demum hanc ipsam fiduciam non potuisse sine Dei adjutorio habere. En clarissima ejus verba de Adamo: ,, Sic erat institutus, ut si adjutorio Dei ,, fideret bonus homo, malum Angelum vince- ,, ret; si autem creatorem, atque adjutorem Deum ,, superbe sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta; malum autem in deserente Deum voluntate perversa. Quia & ipsum fidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei". Sed multa de hac re nobis inferius dicenda erunt.

434. Nec aliam fuisse Prosperi, Fulgentii, Gregorii, aliorumque Augustinianæ Scholæ doctrinam, facile est ostendere. Sed brevitati consulentes uno Fulgentio contenti erimus, qui in Lib. II. ad Trasimundum: ,, Non alia, *inquit* (*gratia*) stantem ,, Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, ,, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc, ,, ut surgeret, in illo, ne caderet; in illo, ne ,, vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit: ,, illius esca, istius medicina ". Quæ Fulgentii verba, etiamsi sola essent, ad manifestandum utriusque status discrimen abunde sufficerent. Sed alia his similia præsto erunt locis opportunioribus.

435. Dices *secundo*. S. Isidorus Hispalensis in Lib. I. *Differentiarum* cap. 27. hoc ponit inter Adamum innocentem, & nos discrimen, quod ille: ,, Habuerit boni inchoandi liberum arbitrium, ,, quod tamen Dei adjutorio perficeretur; nos verso & inchoationem liberi arbitrii, & perfectio- ,, nem in Dei sumimus gratia ". Hoc autem discrimen commentitium esset, si Adam innocens, & Angelus ad bonum quodcumque inchoandum divino adjutorio indiguissent.

436. Resp., hujus S. Patris verba esse aliquatenus emollienda, ut nihi aliud significare voluerit, quam Adamum in gratia, & cum voluntate bona a Deo creatum, jam habuisse suum liberum arbitrium conversum ad Deum; non itaque divino adjutorio indigebat, nisi ut melior fieret; & perficeretur. Nos autem, qui nascimur natura filii iræ, & a Deo aversi, gratia Dei indigemus, qua liberum nostrum arbitrium incipiat converti ad Deum.

437. Obj. *secundo*. S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 2. ,, In statu, *inquit*, naturæ integræ, quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat ,, homo per sua naturalia velle & operari bonum ,, suæ naturæ proportionatum, quale est bonum ,, virtutis acquisitæ ". Et in art. 3. adhuc expressius, quærens, an homo possit diligere Deum super omnia *ex solis naturalibus sine gratia*, resolvit *negative* de homine in statu naturæ lapsæ, *affirmative* autem de homine in statu naturæ integræ.

438. Resp., Angelicum Doctorem in utroque loco nostram, & communem sententiam luculentissime confirmare. In art. enim 2. quærit, utrum homo possit velle, & facere bonum absque gratia? Postquam autem utrumque statum naturæ integræ & lapsæ distinxisset, ita respondit: ,, Secundum utrumque statum natura humana indiget ,, auxilio divino, ad faciendum, vel volendum ,, quodcumque bonum, sicut primo movente. Sed ,, in statu naturæ integræ quantum ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua ,, naturalia velle, & operari bonum suæ naturæ ,, proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, non autem bonum superexcedens, quale ,, est bonum virtutis infusæ ". Ac demum ita concludit. *Sic igitur virtute gratuita &c.* Vide supr. num. 424. Idemque docet in art. 3., prout explicuimus sup. num. 425.

ART.

ART. II.

Demonstratur necessitas gratiæ per se efficacis, & prædeterminantis ad volendum, & faciendum bonum supernaturale, etiam in statu naturæ innocentis (*a*).

439. Probatur autem hæc propositio iis ipsis argumentis, quibus supra contra Molinianos una cum Augustinianæ Scholæ Theologis usi sumus, ad demonstrandam gratiæ per se efficacis, prædeterminantis necessitatem in statu naturæ corruptæ. Et primum quidem invictissimum argumentum suppeditant ea Apostoli verba Rom. XI. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* tum 1. ad Corinth. IV. 7.: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si autem ponamus, Angelos non habuisse, nisi gratiam sufficientem, quam per liberum voluntatis consensum redderent efficacem, manifestum est, eos, qui in veritate steterunt, non fuisse discretos per gratiam, quæ eadem in utrisque erat, sed seipsos ab aliis cadentibus discrevisse per solum liberi arbitrii gratiæ sufficienti consensum, quem a seipsis habuissent, non acceptum a Deo, & de quo proinde in seipsis, & non in Domino gloriari potuissent. Certe Deus gratiam versatilem, & sufficientem illis donans, nonnisi potentiam bene operandi contulisset: illi autem gratiam suo consensu efficacem reddentes, potentiam bene operandi sibi a Deo collatam nativis suis viribus reduxissent ad actum: aliquid ergo habuissent non acceptum a Deo, quo se discrevissent a malis Angelis, qui potentiam bene operandi per eamdem gratiam sufficientem collatam sua socordia inutilem reddidissent. Vide, quæ de hoc argumento contra Molinistas superius dicta sunt Diss. V. n. 118.

440. Hoc autem invictissimum gratiæ prædeterminantis argumentum, quo una cum Augustinianis in hoc corruptæ naturæ statu nos utimur, valere etiam pro statu naturæ innocentis, vidit perspicacissimus Augustinus. Nam in Ps. XXXII. explicans illum versiculum „ Verbo Domini cæli firmati sunt: Verbo Domini, *inquit*, cæli (*idest* „ *Angeli*) solidati sunt. Non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi firmitatem propriam sibi „ tribuerunt: non enim habuerunt aliquid ex se, „ tamquam supplementum, quod non a Domino „ perceperint: Spiritu enim oris ejus non pars, „ sed omnis virtus eorum ". Quæ interpretatio tota innititur illi Apostolico effato: *Quid habes, quod non accepisti?* Et Lib. XII. *de Civ. Dei* cap. 9. „ Si autem boni Angeli, inquit, fuerunt „ prius sine bona voluntate, eamque in seipsis, „ *Deo non operante*, *fecerunt*, ergo meliores a „ seipsis, quam ab illo, facti sunt. Absit . . . „ Aut si non potuerunt seipsos facere meliores, „ quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit, profecto & bonam voluntatem, qua „ meliores essent, *nisi operante adjutorio Creatoris*, habere non possent ". Et quamvis eo loci loquatur S. Pater etiam de illa voluntate bona, in qua a Deo creati sunt, scilicet de casto amore, seu gratia habituali, manifestissime tamen patet, eum loqui similiter de illa voluntate, qua, ut ipse ait, *ad Deum converterentur*, *eique magis adhærentes essent*, *ejusque participatione sapienter, beateque viverent*; quæ certe voluntas actualis, quæque nonnisi a gratia prædeterminante oriri potuit. Et Sanctus Anselmus Augustini studiosissimus in Lib. *De casu diaboli* cap. 2. illud Apostoli: *Quid habes &c.* etiam Angelis adaptat, dicens: *Angelum, qui stetit in veritate . . . ideo perseverantiam habuisse, quia accepit; & ideo accepisse, quia Deus dedit.*

441. Neque vero audiendi sunt, qui respondent, perseverantiam non esse aliquod bonum, quo homo se faciat meliorem, quia ut docet S. Thomas Lib. III. *Contra Gent.* cap. 155. *perseverare non dicit aliquid, ut hic, & nunc operabile, sed continuationem quamdam virtutis usque ad mortem*.

442. Absurdissima est ista responsio, & doctrinæ S. Augustini toto cælo opposita. Ipse enim *De corrept. & grat.* cap. 6. „ Negare non possumus, „ *inquit*, etiam perseverantiam in bono, proficientem usque in finem, magnum esse Dei mu„ nus, nec esse nisi ab illo de quo scriptum est „ Jac. *I.* 17. Omne datum optimum; & omne do„ num perfectum desursum est, descendens a Pa„ tre luminum ". Satis autem mirari non possumus, adduci potuisse contra hanc sententiam verba Sancti Thomæ ex Lib. III. *Contr. Gent.* cap. 155. cujus capitis hic est titulus, *Quod homo indigeat divino auxilio ad perseverandum in bono*; quod Angelicus multis argumentis tam ex sacris litteris, quam ex ratione depromptis invicte demonstrat. Verba autem objecta continent probationem, quod perseverantia excedat vires liberi arbitrii, adeoque a Deo sit petenda. „ Potestas enim liberi arbitrii „ est respectu eorum, quæ sub electione cadunt: „ quod autem eligitur, est aliquod particulare o„ perabile; particulare autem operabile est, quod „ est hic, & nunc . . . . *Perseverare non autem* „ *non dicit aliquid ut hic, & nunc operabile*, „ sed continuationem operationis per totum tem„ pus

(*a*) Contra recentiores illustris Augustinianæ Scholæ Theologos, piget, non potuisse me perlustrare opus clariss. Patris Pignonii, quod non ita pridem de hac controversia Neapolitanis typis prodivit. Facile tamen credo, nihil admodum grave in eo contineri, quod aliorum, præcipue autem solertissimi Patris Berti diligentiam fugerit, qui talem suæ sententiæ illustrandæ, ac confirmandæ tantamque operam posuit, ut non paucos, nec ignobiles ad eamdem pertraxerit.

„ pus: Iste igitur effectus, qui est perseverare in „ bono, est supra potestatem liberi arbitrii: *indi-* „ *get igitur homo ad perseverandum in bono au-* „ *xilio divinæ gratiæ* ". Quod Angelici doctoris ratiocinium si firmum est, ut certe est firmissimum, evidenter demonstrat, etiam Adamum ad perseverandum indiguisse auxilio divinæ gratiæ, non tantum quo perseverari posset, sed quo actu perseveraret (*a*).

443. Aliud argumentum efficacissimum ad demonstrandam omnipotentem divinæ gratiæ virtutem pro utroque naturæ statu, est illud, quod a Sanctis Augustino, & Thoma repetitur ex supremo dominio Dei in omnes creaturas, & quo supra cap. IV. contra Molinianos feliciter usi sumus, præcipue autem ex creberrimis illis S. Augustini phrasibus, quibus asserit: „ Deum interna, & occul- „ ta, mirabili, atque ineffabili potestate operari „ in cordibus hominum, non solum veras revela- „ tiones, sed etiam bonas voluntates (De gratia „ Christi *cap.* 24.); agere omnipotentem Deum „ in cordibus hominum etiam motum voluntatis „ eorum, ut per eos agat, quod per eos agere i- „ pse voluerit (De Grat. & lib. arb. *c.* 21. *Vid.* „ *sup. num.* 174. *& sequ.*)". Quæ quidem de statu naturæ lapsæ dicta esse concedimus; sed una simul contendimus, hoc firmissimum argumentum pertinere etiam ad statum naturæ innocentis. Quid enim? Anne homo innocens minus a Dei voluntate pendebat? An Dei dominium in omnes suas creaturas minus late patebat, ut aliquid vel minimum posset ab eo subtrahi? An minoris erat efficaciæ, ut non posset in homine innocente illud operari, quod operatur in nobis? Sane omnibus bene pensatis contra hoc argumentum nihil prorsus valet statuum distinctio, aut diversitas. Unde etiam perpetua S. Thomæ doctrina est, hominem in utroque statu Dei auxilio prædeterminante indigere. *Quantumcumque*, inquit 1. 2. qu. 109. art. 1. *natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo*.

444. Sed clarissime idipsum tradit S. August. non uno in loco. In *Enchiridio* cap. 96. T. VI. „ Neque enim, *inquit*, ob aliud veraciter voca- „ tur omnipotens (*Deus*), nisi quoniam quidquid „ vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ „ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. *Et* „ *cap.* 102. Quantælibet sint voluntates Angelo- „ rum, vel hominum, vel bonorum, vel malo- „ rum .... Omnipotentis voluntas semper invicta „ est. *Et Lib. XIV.* De Civ. Dei *cap.* 27. Quis „ audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, „ neque homo caderet, in Dei potestate non fuis- „ se"? Tantum profecto est hujus argumenti robur, ut possimus dicere cum laud. S. Augustino cap. 96. *Enchiridii*, nisi hoc supremum Dei dominium in omnes creaturas, omnesque nostras actiones credatur, *periclitari ipsum nostræ confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur*.

445. Tertium ad Molinianum versatilis gratiæ systema evertendum sumpsimus argumentum ex eo; quod Sanctus Augustinus perpetuo ab inscrutabilibus Dei judiciis repetat, quod aliqui convertantur ad bonum, & in bono perseverent, alii vero aut non convertantur omnino, aut in conversione non perseverent; quæ incrutabilitas nulla esset, si ab hominis voluntate penderet gratiam sufficientem omnibus abunde collatam reddere consensu suo efficacem (Vid. n. 122. seq.). At vero hoc ipsum argumentum valet in Angelis; nulla enim alia ratio reddi potest, quare Deus alios cadere permiserit, alios vero in accepta justitia stare voluerit, nisi profundissima, & inscrutabilis divinorum judiciorum abyssus. Nam S. Augustinus Lib. XI. *De Gen. ad litteram* cap. 10. de malis Angelis loquens, „ Posset, *inquit*, etiam ipsorum „ voluntatem in bonum convertere, quoniam o- „ mnipotens est. Posset plane. Cur ergo non fe- „ cit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum „ est; debemus enim non plus sapere, quam o- „ portet sapere". Unde etiam S. Gregorius Papa Augustinianæ doctrinæ retinentissimus Lib XV. *Moralium* cap. 52. ut probet *Omnipotentis Dei judicia super nos valde occulta esse, & injusta non esse*, proponit exemplum Angelorum, inquiens: „ Omnipotens enim Deus Angelorum me- „ rita discernens, alios in æterna luce sine lapsu „ permanere constituit, alios sponte lapsos a statu „ suæ celsitudinis in æternæ damnationis ultione „ prostravit. Nobiscum igitur injuste nihil agit, „ qui & subtiliorem nobis naturam juste judica- „ bit". Ubi nemo non videt, sanctum hunc Pontificem argumentum sumere a majore ad minus; scilicet ab Angelis in natura innocente ad nos in natura lapsa.

446. Quartum argumentum urgeri solet contra Molinistas pro demonstranda necessitate gratiæ efficacis ex precibus, quibus a Deo jugiter adjutorium postulamus ad bonum volendum, & operandum; quæ preces inutiles, immo irrisoriæ essent, si

(*a*) Doctissimus P. Laur. Berti Lib. XII. *De Theolog. discipl.* c. 8. „ Gratiam præmoventem, inquit, etiam „ in statu innocentis naturæ admittimus, *& sine ea* „ *fatemur non fuisse bonam voluntatem Angelorum*; sed „ negamus, in hac bona voluntate perseverasse gratia „ efficaciter prædeterminante excitatos". At vero si ad primam bonam voluntatem habendam necessaria erat gratia efficaciter prædeterminans, ut strenuus hic Augustiniani systematis propugnator videtur concedere, non apparet, quomodo eadem gratia prædeterminans non fuerit necessaria ad subsequentes bonas voluntates, ut in justitia accepta perseverarent; seu ad singulos actus bonos. Sed hac de re legendum omnino consulo P. Nicol. Aug. Chignoli *De gratia* P. II. Prælect. XV. ubi plura acute observat a cl. Bertio incohærenter prolata.

si sola sufficeret gratia versatilis, quam efficacem reddere pro innata nostra libertate possemus. *Nam quid stultius*, ait Augustinus *De natura*, *& gratia* cap. 18. *quam orare, ut facias, quod in potestate habes?* (Vide dicta n. 120.) At vero hoc ipsum argumentum luculenter demonstrat, Angelos, & Adamum orare Deum non debuisse, nec potuisse ad perseverantiam consequendam. Quid enim petere debuissent? Gratiam sufficientem, qua perseverare possent? At istam jam habebant. Bonum ejusdem gratiæ, & potentiæ usum? At iste non a gratia, sed a solo voluntatis consensu, & nutu expectandus erat. Nullam ergo Adam, & Angeli orandi necessitatem, aut occasionem habebant; ejusque preces irrisoriæ fuissent. S. Thomas autem I. P. qu. 94. art. 4. ad 5. Adamum recte culpat, quia in tentatione *ad divinum auxilium recursum non habuit*. Et qu. 18. *De verit.* art. 6. ad 13. de Adamo inquit: „ In statu, „ quo peccavit, divinum ei auxilium non defuis„ set, ne seduceretur, si ad Deum se convertis„ set; quod quia non fecit, in peccatum, & se„ ductionem cecidit ".

447. Hanc doctrinam Angelicus ex veterum Patrum traditione hauserat, apud quos nihil frequentius invenitur, quam commendatio orationis, ad uberiora & fortiora divinæ gratiæ auxilia impetranda; quod quia protoparentes nostri neglexerunt, in peccatum labi permissi sunt. Audiatur S. Gelasius I. Augustini studiosissimus, & contra ejus obtrectatores defensor egregius: „ Illa primæ con„ ditionis integritas, ait in Lib. adv. Pelagianam „ hæresim, dum ita de se fidit, tanquam ipso, „ qui condiderat, non egeret, nec de perceptis a„ git gratias, quod nusquam fecisse memoratur, „ nec de conservandis, quæ sumpserat, poscit au„ xilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris ac„ cessu devota recurrit, & consulit, suæque se cre„ dit inter prospera voluntati, facile sine præsi„ dio Creatoris patuit insidiis deceptoris, & in præ„ varicationem tracta consequenter illiciti, condi„ tionem præfixæ mortis invenit.. *Et iterum de* „ *ipsis primis hominibus subdit:* Dum sua nimium „ felicitate confidunt, tantam Dei gratiam in va„ cuum recipientes, non orando, quod utique nus„ quam fecisse referuntur, nec de perceptis gra„ tias referendo, nec ut eadem intemerata dura„ rent, suppliciter implorando, incolumes con„ stare nequiverunt ".

448. Sunt & alia similia argumenta ducta ex iis inconcussis principiis, quibus nos ex S. Augustini, & illustris Augustinianæ Scholæ doctrina novas Molinistarum opiniones in hac materia oppugnavimus, & quæ si aliquid valent, ut certe plurimum valent, invicte probant, etiam in statu naturæ integræ fuisse necessariam ad bonum volendum, & faciendum gratiam victricem, & prædeterminantem. Et si quæ nobis Augustiniani ad ea declinanda respondent, aliquid roboris haberent, facile possent etiam a Molinistis adoptari, ut reipsa adoptantur, ad gratiam versatilem, scientiamque mediam tuendam (*a*).

449. Prob. quinto nostra sententia insigni testimonio S. Aug. ex lib. 12. *De Civ. Dei* c. 9. T. VII. ubi postquam demonstravit, Angelos bonam voluntatem „ Nonnisi operante adjutorio Creatoris „ habere potuisse, quia non potuerunt seipsos fa„ cere meliores, quam Deus eos fecerat, *ita per*„ *git*. Sine bona voluntate, hoc est Dei amore, „ numquam sanctos Angelos fuisse credendum est. „ Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen „ mali sunt mala propria voluntate ... aut minorem „ acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, „ qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni „ æqualiter creati sunt, istis mala voluntate ca„ dentibus, illis amplius adjuti ad eam beatitu„ dinis plenitudinem, unde se nunquam casuros „ certissimi fierent, pervenerunt." In laudatis verbis plusquam manifestum est primo, S. Doctorem causam quidem lapsus Angelorum repetiisse a propria eorum mala voluntate, non autem ex opposito repetiisse a bona aliorum voluntate, quod in gratia perseveraverint; quod dicunt Adversarii nostri, putantes eamdem gratiam sufficientem fuisse omnibus a Deo collatam, quam aliqui proprio nutu efficacem, alii vero mala sua voluntate effectu vacuam reddiderint: secundo expresse dicere, Angelos bonos *amplius adjutos* ad beatitudinis plenitudinem pervenisse. Quid autem fuit, aut esse potuit hoc *amplius adjutorium*, nisi gratia efficax &

(*a*) Corn. Jansenius, qui ita Molinistarum gratiam versatilem in hoc corruptæ naturæ statu insectatus est ut a recto veritatis tramite exorbitaverit, quando agitur de statu naturæ innocentis, ad eorum castra commigrat; & quando firmissima, & inconcussa S. Augustini principia ei opponuntur, Molinistarum auctoritate tanquam adamantino scuto se tectum putat. Non pigeat unum hujus metamorpheseos exemplum speciminis loco apponere. *De gratia primi hominis, & Angelorum* c. 19. cum sibi opposuisset, merita Angelorum, & hominum non esse dona Dei, si gratia non sic influit in liberum arbitrium, ut faciat ipsum facere, & illud ad opus inchoandum hic, & nunc determinet, ita fidenter respondet: *Negat hoc Molina, negat Lessius, negat Vasquez, negat Suarez, & alii non pauci de infirmissimo voluntatis arbitrio; ut non sit mirum, si hoc negat & Augustinus* (prout scilicet male putavit ipse Jansenius) *de fortissimo arbitrio innocentium. Non indignentur, obsecro, si ante lapsum hoc gratiæ Augustinus neget, quod post lapsum recentiores diffitentur.* Et ita prosequitur, Molinistarum doctrina utens ad enodandas gravissimas, quæ ipsius systemati opponuntur, difficultates. Possemus plura exempla in hanc rem adducere, ubi sermo est de divina præscientia, de efficacia divinæ voluntatis, & providentiæ, de prædestinatione ad gloriam &c. in omnibus enim istis punctis instar Penelopis telam ipse suam retexere cogitur.

& prædeterminans, qualem Thomistæ agnoscunt? (a).

450. Porro Adversarii mire se torquent, ut tam luculenti testimonii vim declinent (b). Sed communiter, post Jansenium dicunt, hoc amplius adjutorium nihil fuisse aliud, quam lumen gloriæ, aut certam æternæ beatitudinis notitiam, ut autem hanc suam interpretationem aliquo fundamento suffulciant, observant, S. Augustinum post laudata a nobis verba ita subjungere: *Sicut jam etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus*. Porro in Lib. superiore, nempe XI. cap. 13. apertissime docet, aut Angelos *impares fuisse*, scilicet in gratia, in qua creati fuerant; *aut si pares fuerunt, post istorum ruinam, illis certam scientiam suæ sempiternæ felicitatis accessisse*. Concludunt igitur, hoc esse *amplius* illud adjutorium Angelis bonis a Deo concessum, nempe adjutorium *patriæ*, non adjutorium *viæ* (c).

451. Sed perperam, loquitur enim S. Augustinus de illo adjutorio, quo Angeli adhuc viatores ad æternam beatitudinem pervenerunt; quod *majus*, vel *amplius* in Angelis bonis, quam malis fuisse docet. Adjutorium autem, quo Angeli boni pervenerunt ad beatitudinem, non potest esse idem cum beatitudine; nisi absurde dicere velimus, medium, quo pervenitur ad terminum, idem esse cum ipso termino. Duo ergo manifeste distinguit S. Pater, nempe adjutorium *majus* datum Angelis bonis, & beatitudinis plenitudinem, ad quam beneficio istius adjutorii pervenerunt. Quod autem subdit: *Unde se nunquam casuros certissimi fierent;* distinctum habet sensum, ut scilicet duo hic comprehenderit Sanctissimus Doctor, primo Angelos bonos *amplius adjutos* pervenisse ad beatitudinis plenitudinem, scilicet intuitivam Dei visionem, deinde factos esse certos, eadem beatitudine se nunquam privandos esse; quæ duo Lib. XI. cap. 13. aperte distinguit, dicens, beatitudinem naturæ intellectualis, ex duobus simul conjunctis effici, *hoc est, ut & bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansuram*, certo sciat.

452. Præterea in laud. c. 9. Libri XII. S. Augustini scopus est aliquod discrimen constituendi inter bonos, & malos Angelos, non ex parte eorum liberi arbitrii, sed ex parte gratiæ; propterea dicit, Angelos, qui mala propria voluntate mali facti sunt, *aut minorem accepisse amoris divini gratiam .... aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illos amplius adjutos* ad beatitudinis *plenitudinem* pervenisse; antea enim etiam suo modo beati erant, sed non *plene; & insuper* non eam certitudinem nunquam ab eadem beatitudine excidendi habebant, quam postea habuerunt.

453. Ulterius in Lib. *De corrept. & gratia*, ubi hoc argumentum pertractat, cap. 11. perspicue distinguit Angelorum perseverantiam, & hujus perseverantiæ *debitam mercedem, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros*. Et antea cap. 10. comparationem instituit inter Angelos, & nos, *quibus beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum; ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros*. Certum est autem, hanc æternæ vitæ securitatem in nobis non esse adjutorium ad illam consequendam: ergo pariter in cap. 9. Lib. XII. *De civ. Dei* nomine adjutorii *amplioris*, quo Angeli in bono permanserunt, intelligere non potuit plenitudinem beatitudinis.

454. Denique quid clarius iis verbis eodem c. 10. „ Diabolus, & Angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent (*beatitudine scilicet naturali*) „ & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat „ tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium suæ permansionis „ acciperent, & hoc de se certissime nossent "? En igitur, quomodo plenitudo, & certitudo æternæ beatitudinis præmium perseverantiæ sit, non adjutorium. Quod etiam repetit *De dono persev.* cap. 7.

455. Sed dices primo. S. Augustinus *De Corrept. & gratia* cap. 12. beatitudinem, quæ cum data fuerit, homo continuo fit beatus, vocat *adjutorium quo:* ergo &c.

456. Resp. id afferri a S. Doctore in exemplum adjutorii *quo; adjutorium est enim*, inquit, *non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur*. Sed longe aliud idem S. Doctor sic coordinans: „ Ut videlicet Angeli, qui ceciderunt, „ aut in impari divini amoris gratia collocati fuerint, „ per quam fieret, ut alii suæ permansionis ignari, „ alii certi fuerint; vel si in ea pares fuerint, illi sua „ libertate ciderint, hi permanserint; & in præmium „ istius permansionis *amplius adjuti* præscientiam nunquam futuri sui casus acceperint ". Perverse omnino, & distorte; quomodo enim illud *adjutorium amplius* proprie appellari potuit præmium permansionis? Cur non potius dicatur permansionis medium, ut ita beatitudinis æternæ certitudo proprie permansionis præmium fuerit?

(a) Legi meretur insignis Commentarius in Libros S. Augustini *de Civ. Dei* Leonardi Coquæi Augustiniani Instituti; qui hæc S. Doctoris verba adeo clara esse putavit, ut de ejus mente dubitari minime possit.

(b) Aliqui S. Doctorem sententiam mutasse comminiscuntur. Alii Angelos, qui perseverarunt, concedunt fuisse adjutos uberiori gratia, *sufficienti* tamen, non *efficaci*. Alii alias hujus clarissimi textus explicationes excogitarunt, a mente remotissimas. Janseniana nostris Adversariis magis arridet. Vid. not. seq.

(c) Ita Jansenius *De gratia primi hominis, & Angelorum* cap. 18., textum S. Augustini arbitratu suo

ctor significare voluit in Lib. XII. *De Civ. Dei*, ubi dicit, Angelos *amplius adjutos* pervenisse ad illam beatitudinis plenitudinem, unde se scirent, non amplius esse casuros.

457. Dices secundo. Etiamsi concedatur, S. Augustinum credidisse, majus aliquod gratiæ adjutorium illis Angelis datum fuisse, qui permanserunt, non inde tamen efficitur, illud adjutorium fuisse efficaciter prædeterminans; potuit esse majus, sed in linea tantum gratiæ sufficientis, quæ major, vel minor esse potest.

458. Resp., ex toto contextu S. Augustini apparere, illud amplius adjutorium fuisse tale, ut ipsi tanquam causæ assignetur discrimen Angelorum, qui steterunt, ab iis, qui mala sua voluntate ceciderunt. At vero si gratia illa fuisset tantum sufficiens, & non prædeterminans, discrimen illud non subsisteret; semper enim a libero arbitrio repeti deberet, quod illud adjutorio suo effectu non caruisset: tale igitur majus illud adjutorium esse debuit, ut Angelorum voluntatem inflecteret, atque ad bonum determinaret.

459. Neque demum ea verba prætereunda sunt, quibus S. Pater in eodem cap. 9. probat *bonam voluntatem*, qua (Angeli) *meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non potuisse:* & ita concludit: „ Quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem "? Apertissime enim S. Augustinus divinæ gratiæ tribuit & pia Angelorum desideria, & eorumdem desideriorum adimpletionem, ut nihil penitus boni, quod in Angelis fuit, divinæ gratiæ subtrahatur, juxta illud vulgatissimum ejusdem Augustini effatum *De dono persev.* cap. 13. „ Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo ".

460. Aliud luculentissimum S. Augustini testimonium ad comprobandam necessitatem gratiæ prædeterminantis in Adamo innocente habemus in ipsius Lib. *De cantico* novo cap. 8. Tom. VI. (a), ubi inquit: „ Odit Deus, præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est: ad malum sufficit sibi; ad bonum nonnisi adjuvetur a Deo .... Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur, qui fecit se ". Nemo, ut arbitror, hæc S. Doctoris verba ita presse sumet, ut dicat, liberum arbitrium Adami peccantis omni prorsus fuisse destitutum gratia, cum docente eodem S. Augustino habuerit auxilium *sine quo*, seu ut Adversarii volunt *auxilium sufficiens:* deerat ergo Adamo dumtaxat auxilium *quo*, seu efficax, & prædeterminans: ergo S. Pater hoc auxilium efficax necessarium Adamo fuisse arbitratus est, ut in bono perseveraret: & quia illud Adamo defuit, rectissime infert, apparuisse, *quid valeat arbitrium non adjutum*, non adjutum, inquam, gratia prædeterminante; gratia enim sufficiente adjutum erat.

461. Id ipsum repetit S. Doctor aliis in locis, ut in Serm. XXVI. *De verbis Apostoli* inquiens: *Hoc modo ergo ostendere voluit homini Deus, quod valeat liberum arbitrium sine Deo* (hoc est sine ejus gratia prædeterminante). *O malum liberum arbitrium sine Deo! Experti sumus, quid valeat sine Deo. Ideo miseri facti sumus, quia sine Deo quid valeat, experti sumus.*

462. Quænam etiam fuerit hac de re S. Augustini mens, haud dubie colligere possumus ex S. Fulgentio, qui in eadem Africana Ecclesia floruit, & qui præsertim in arcano gratiæ mysterio explicando ab ejusdem vestigiis nunquam recessit. In Lib. II. ad Trasimundum Regem c. 3. loquens de gratiæ virtute: „ Non alia, *inquit*, stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo, ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto, ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit; illius esca, istius medicina ". Porro non arbitror, Augustinianæ Scholæ Theologos Molinistis concessuros, gratiam, quæ reparat hominem post ruinam, esse solum sufficientem: ergo nobis concedere adiguntur, eamdem gratiam, quæ Angelum a ruina custodivit, non fuisse gratiam sufficientem, sed prædestinantem.

463. Totus etiam Augustinianus fuit S. Prudentius sæc. IX. Trecensis Episcopus, qui in Lib. *De Præd.* cap. 4. Jo. Scotum Erigenam de Adamo dicentem quod sola libera voluntate potuisset custodire præceptum, si voluisset, ita refellit: „ Multum a pietate devias. Quantalibet enim excellentia liberi arbitrii creatura rationalis munere conditoris eminuerit, semper tamen gratia, vel fulciente, vel solidante, vel recuperante opus habuit; quod est perspicuum in transgressoribus Angelis, qui si eam fulcientem, vel solidantem habuissent, nunquam proculdubio tam graviter „ ce-

(a) Hunc Librum esse genuinum aliqui dubitant, eo quod neque in Lib. *Retractat.* neque in Possidii *Indiculo* ulla ipsius mentio fit. Patres tamen Maurini eum inter legitimos T. VI. reposuerunt. Etiam Guill. Cave in *Hist. Litter. Scriptorum Ecclesiastic.* eumdem inter Opera Sancti Augustini recenset. Quidquid sit, brevis ille Tractatus doctrinam Augustinianam in hac re continet. Nam S. Pater Serm. XXVI. *De Verbis Apost.* cap. 3. *Hoc ergo modo*, inquit, *ostendere voluit Deus homini, quid valeat liberum arbitrium sine Deo. O malum liberum arbitrium sine Deo!*

„ cecidissent; quæ quia sanctis Angelis divinitus „ impensa est, ea & certitudinem permanendi, & „ securitatem nunquam cadendi percipere meruerunt ".

464. Non minus S. Augustini fidelem discipulum se ubique præbuit S. Thomas, cujus proinde doctrina S. Augustini mentem exprimere potest. Præter Angelici testimonia superius allata n. 424. & seq. innumera alia ejusdem generis afferri possunt, quæ asserunt in Adamo non necessitatem gratiæ cujuscumque actualis, sed gratiæ prædeterminantis. Ubique enim eamdem esse docet gratiæ necessitatem tam in natura innocente, quam in natura lapsa; cum hoc solum discrimine, quod in primo statu gratia est necessaria ratione generali, quia nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi *virtute motionis divinæ;* in altero autem statu est necessaria propter duo, scilicet & propter generalem rationem, & insuper ratione speciali propter infirmitatem naturæ, quæ indiget sanari. At vero nemo ex inclyta Augustiniana Schola, ut puto, inficiabitur, S. Thomam in statu naturæ lapsæ post S. Augustinum necessitatem admisisse gratiæ per se efficacis: neque ergo inficiari possunt, hunc egregium S. Augustini interpretem, & perpetuum S. Augustini sectatorem, gratiæ prædeterminantis necessitatem in statu innocentiæ agnovisse.

465. Reipsa nonnulli ex Adversariis id non inficiantur, & a S. Thoma se hac in parte recedere fatentur. Sed doctissimus P. Berti, qui magni Thomæ Aquinatis præceptiones pluris, quam aliqui faciunt, æstimare se protestatur, ita ipsius mentem explicat: „ ut Deus prævia quadam motione creatam voluntatem flectat, & inclinet ad „ bonum universaliter, tali etiam impulsu, ut extra ordinem boni nequeat discurrere; voluntatem autem creatam, vi hujus præmotionis determinare seipsam per rationem, sive judicium „ practicum, ad volendum hoc, vel illud bonum „ in particulari, quod est bonum aut verum, aut „ apparens (*a*) ". Fatetur autem laudatus ingeniosissimus auctor, hanc explicationem in operibus solum naturalibus locum habere; *nam in supernaturalibus indiget liberum arbitrium speciali motione;* quæ summi hujus viri ingenua confessio nobis sufficeret in præsenti controversia, in qua tantummodo agimus de operibus supernaturalibus, nisi hæc adderet verba: „ quæ præmotio est auxilium gratiæ, quæ homini integro dabat posse „ perseverare, nunc vero interdum dat lapsis, ut „ perseverent ".

466. At vero ubinam, quæso, inveniemus in Angelico Præceptore hanc distinctionem auxilii specialis, seu præmotionis, quæ homini integro det tantum *posse* perseverare, nunc vero *interdum* det lapsis, ut perseverent? Ubicumque Angelicus agit de distinctione duplicis status, perpetuo docet, eamdem gratiæ motionem fuisse in utroque statu necessariam, totumque discrimen in eo reponit, quod in hoc corruptæ naturæ statu sit necessaria duplici titulo, scilicet ad sanandam naturæ infirmitatem, & insuper *quia nulla res creata potest in actum exire, nisi moveatur a Deo;* in primo autem statu nonnisi propter hanc secundam rationem. Merito etiam nobis displicet illa particula *interdum;* saltem si per illam intelligatur, homines lapsos *interdum* perseverare in bono sine efficaci *Dei* præmotione; quod falsissimum esse, facile & ipsi Adversarii concedent.

467. Atque hæc sunt potissima argumenta, quibus recentiorum Augustinianæ Scholæ Theologorum systema de gratia in statu naturæ innocentis necessaria refellitur. Multo autem plura suppeditabit P. Jac. Hyac. Serry in Opusculo, *cui titulus,* „ Divus Augustinus D. Thomæ ejusque An„ gelicæ Scholæ secundis curis conciliatus in quæ„ stione de gratia primi hominis, & Angelorum " (Tomo VI. Operum edit. Venetæ an. 1770.).

DILUUNTUR OBJECTIONES.

468. Prima, & potissima objectio petitur ex tribus capitibus 10. 11. & 12. Libri Sanct. Augustini *De Correptione, & gratia,* ubi celebrem ponit, & explicat distinctionem auxilii *sine quo,* &

(*a*) Hoc erat infelix illud Josephi a Vita systema, quod ubi publica luce innotuit, omnibus veræ Thomisticæ Scholæ sectatoribus summopere displicuit, & a duobus nostri Ordinis Magistris Generalibus Jo. Bapt. de Marinis, & Jo. Thoma de Roccaberti fuit natalitiis tenebris damnatum: cujus rei historia legenda est apud Jac. Hyac. Serry in *Hist. Congr. De Auxiliis* Lib. V. Sect. 3. cap. 11. Vide supra n. 117. Ceterum mirari subit, clariss. P. Berti, cujus ingenium, eruditionem, atque doctrinam nunquam pro meritis laudare poterimus, ad eludenda luculentissima Angelici doctoris testimonia, Lib. IV. *De Theol. Discipl.* cap. 8. vers. finem hac responsione usum fuisse: „ S. Thomas *in u„ troque statu,* inquit, *indiget homo auxilio divino,* „ *ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Audio auxi„ lium gratiæ *moventis,* non autem *prædeterminantis.* „ Secundo loco habet Angelicus: *Homo in statu natu„ ræ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ na„ turalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter su„ per omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum „ moventis ..... moventis* dixit, non efficaciter præmo„ ventis, qualis est gratia sanans, quæ non solum da„ tur hominibus, ut perseverare possint, sed ut per„ severent. Postremo loco: *Nulla,* inquit, *res creata „ potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute mo„ tionis divinæ.* Bene habet; inveni rursus nomen *mo„ tionis universalis, & gratiæ sanantis,* & nihil ul„ tra ": Quasi scilicet Thomistæ illustres Massoulié, Alvarez, Lemos, Reginaldus, aliique sexcenti collatis simul Angelici testimoniis ad oculum non demonstraverint, S. Doctorem non aliud intellexisse nomine motionis, quam motionem præviam, & physicam, seu *præmotionem.*

& auxilii *quo*; quam distinctionem *clavim totius doctrinæ Augustinianæ* recentiores appellare non dubitant, quasi omnia ea, quæ S. Doctor in diuturna illa cum Pelagianis concertatione tanto molimine, tantaque felicitate disputaverat, bene intelligi non potuissent, nisi postremis vitæ suæ annis hanc clavim suppeditasset (*a*). Age vero totam S. Episcopi doctrinam, tribus illis capitulis contentam breviter quidem, quoad fieri poterit, sed accurate exponamus, & diligenter expendamus.

469. Nota est causa scribendi Librum *De correptione & gratia*, ut scilicet responderet cuidam Monacho dicenti, si vera esset doctrina S. Augustini de gratiæ necessitate ad volendum, & faciendum bonum: „ neminem corripiendum, si Dei „ præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tan- „ tummodo orandum ": Respondebat autem Sanct. Doctor, utique corripiendos esse peccatores, & simul pro eis orandum, quia ille solus sua gratia præstat, ut correptio sit utilis; quam tamen gratiam justissimus Deus aliquando iis denegat, qui non sunt a massa perditionis æterna prædestinatione discreti. Quam doctrinam S. Augustinus primis novem capitibus mirifice exponit, & operose defendit.

470. Sed postea cap. 10: „ Hic exoritur, *in- „ quit*, alia quæstio, non sane contemnenda, sed „ in adjutorio Domini, in cujus manu sunt & nos „ & sermones nostri, aggredienda, atque solven- „ da. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad „ hoc donum Dei, quod est in bono perseverare „ usque in finem, quid de ipso primo homine „ sentiamus, qui certe sine ullo vitio factus est „ rectus... Huic namque interrogationi facile re- „ spondetur, eam perseverantiam non habuisse, „ quia in eo bono, quo sine vitio fuit, non per- „ severavit ". Hac tamen responsione minime contenti Adversarii ita acrius insistebant: „ Non er- „ go (Adam) habuit in illo bono perseverantiam: „ & si non habuit, non utique accepit .... Porro „ si propterea non habuit, quia, non accepit, „ quid ipse non peccavit, qui perseverantiam non „ accepit? Neque enim dici potest, ideo non ac- „ cepisse, quia non est discretus a massa perdi- „ tionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat „ illa in genere humano perditionis massa, an- „ tequam peccasset, ex quo tracta est origo vi- „ tiata ".

471. Huic acutæ interrogationi ita respondet, & quidem non aliqua dubia, vel probabili opinione, sed ex certa scientia, fidei principiis innixa: „ Sa- „ luberrime confitemur, quod rectissime credimus, „ Deum... sic ordinasse Angelorum & hominum „ vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset „ eorum liberum arbitrium, deinde quid posset „ suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. „ Denique Angeli quidam, quorum princeps est „ ille qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium „ a Domino Deo refugæ facti sunt... Ceteri au- „ tem per ipsum liberum arbitrium in veritate „ steterunt, eamque de suo casu nunquam futu- „ ro certissimum scire meruerunt ".

472. Post autem sic pergit totam difficultatem proponere, & enodare: „ Quid ergo? Adam non „ habuit Dei gratiam? Imo vero habuit, magnam, „ sed disparem ". Et cum multa dixisset de viribus Adami in statu innocentiæ, & de nostra infirmitate, qua fit, ut *potentiore* gratia indigeamus: *Istam gratiam*, inquit, scilicet potentiorem, *non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus*: „ Sed sane habuit, in qua si permanere „ vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam „ cum libero arbitrio bonus esse non posset. Hæc „ prima est gratia, quæ data est primo Adam; „ sed hac potentior est in secundo Adam. Prima „ est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam, „ si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam „ fit, ut velit ".

473. Ac demum ut clarius inter primam, & secundam gratiam discrimen Augustinus exponeret: *Ipsa adjutoria*, inquit cap. 12. *distinguenda sunt*. „ Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, „ & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam „ sine alimentis non possumus vivere, nec tamen „ cum adfuerint alimenta, is fit, ut vivat, qui „ mori voluerit: ergo adjutorium alimentorum est, „ si-

(*a*) Jansenius *De gratia primi hominis* c. 17. S. Augustinus, inquit, *in illa altissima, doctissimaque disputatione trium capitum* (10. 11. & 12. *De Correpti. & grat.*) *veram, & immobilem basim collocat, cui universa doctrina de gratia Christi Salvatoris incumbit; quam qui non intelligit, ac disputationibus quibuscumque loco suo movere nititur, in plurimarum hallucinationum confusionem incidat, necesse est ... Hæc est vera clavis, qua aditus in scripta ejus aperiendus est, & sine qua qui eq molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot, tantisque difficultatibus implicabitur, ut, quasi monstris occurrentibus territus, Augustinum tamquam perplexitatibus, imo, ut, quidam ausi sunt dicere, mille erroribus refertum aversetur*. Ita fidenter Iprensis Episcopus, qui veram Augustini intelligentiam sibi soli reservatam jactare solitus est. Sed dum hæc scriberet, mirum est, hominem minime obtusum non advertisse, quod si Augustinus ante anno 425. vel 427., quo librum *de Corrept. & gratia* in lucem emisit, mortuus fuisset, sequeretur manifeste, quod ea, quæ tribus, & amplius lustris pro gratia cum Pelagianis decertans, tam multa scripserit, nullo modo intelligere potuissemus, carentes scilicet clavi, quæ nobis aditum in ejus scripta aperiret, & *filo*, quod *in labyrintho scriptorum ejus sequeremur*. Hui! Quantum Ecclesiæ damnum, si librum *De Correptione, & gratia*, imo tria illa Capitula 10. 11. & 12. illi non reliquisset! Quam sero S. Doctor suam mentem nobis aperuit! Quanto tempore lectores suos sine *filo* errare voluit *in labyrintho scriptorum suorum!* Et hic est ille Jansenius, qui tot tantisque elogiis Augustini ingenium, eloquentiam, solertiam, acumen, doctrinam extulit, ut eum non solum ceteris Ecclesiæ Patribus, verum etiam ipsis summorum Pontificum oraculis anteponendum putaverit? Vide supra n. 44.

„ sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus .... „ primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, „ posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non „ quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per „ liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc „ vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei „ prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc „ donum nonnisi perseverantes sint". Hinc summa est laudatorum trium capitulorum *De corrept. & gratia*.

474. Porro ex toto hoc Augustinianæ doctrinæ complexu plura inferunt Adversarii, ut ostendant, non fuisse necessariam in natura innocente ad bonum volendum, & operandum, in eoque perseverandum gratiam physice præmoventem, & prædeterminantem. Primo enim S. Pater talem gratiam requirit, qua Adam perseverare posset, *si vellet;* non autem *qua Deus operaretur, ut vellet;* cujusmodi est gratia prædeterminans; inquit enim cap. 12. n. 38. Adamo non defuisse quidem adjutorium, *sine quo non posset perseverare, si vellet*, non tamen tale habuisse, *quo in illo Deus operaretur & velle*. Quod sæpius repetit.

475. Secundo dicit, gratiam in statu naturæ lapsæ esse *potentiorem*, quam fuerit in Adamo; hæc enim conferebat Adamo potentiam bonum operandi, *si vellet;* modo autem Deus nobis dat gratiam, qua fit, ut voluntas reipsa velit; *& non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus*.

476. Tertio, si Adamo erat necessarium auxilium prædeterminans, quod non aliud est, quam auxilium *quo*, corruit totum discrimen ab Augustino tanto studio excogitatum, & expositum inter utrumque statum naturæ innocentis, & lapsæ. Cujus discriminis iterum meminit S. Pater *De dono persev.* cap. 7. inquiens: „ Non est hoc (nempe „ perseverare) omnino in viribus liberi arbitrii, „ quales nunc sunt; fuerat in homine, antequam „ caderet ... post casum autem hominis nonnisi ad „ gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo „ accedat ad Deum, nec nisi ad [gratiam] suam „ Deus voluit pertinere,] ut homo non secedat a „ Deo".

477. Quarto corruit quoque discrimen, quo S. Doctor distinguit inter *posse*, ac *velle;* ut nempe ad primum requireretur gratia, ad alterum vero sufficeret liberum arbitrium. *Dederat*, inquit S. Pater, *adjutorium, sine quo non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio*.

478. Quinto notanda est antithesis, quam ponit inter malos, bonosque Angelos: *Cadentibus illis per liberum arbitrium, per ipsum liberum arbitrium steterunt ipsi;* quæ antithesis ludicra esset, si Angeli boni stetissent non per liberum arbitrium solum, sed per gratiam liberum arbitrium prædeterminantem.

479. Sexto admiratur S. Pater divinæ providentiæ consilium, quæ sic *ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid possit eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium* cap. 10. n. 27. Cui admirationi nullus esset locus, si etiam in statu innocentiæ liberum arbitrium ad bene operandum, & in bono perseverandum debuisset esse gratia prædeterminante suffultum.

480. Septimo oportet præ oculis habere scopum S. Augustini, respondendi scilicet importunæ Monachorum quæstioni: Si ideo possunt homines juste corripi, etiamsi perseverantiam a Deo non accipiant, quia ex culpa sua eam non accipiunt, & quia non sunt a massa damnationis gratiæ largitate discreti, quomodo id ipsum dici possit de Adamo, & de Angelis, qui in corrupta damnationis massa non erant? Cui principali Monachorum objectioni nullatenus S. Pater satisfecit, nisi dicatur ad mentem S. Patris, Adamum, & Angelos non indiguisse gratia prædeterminante ad perseverandum, sed solo libero arbitrio una cum auxilio sufficiente perseverare potuisse, ita ut adjutorium illud *sine quo non* a sola voluntate Adami penderet, ut esset efficax, vel inefficax; quemadmodum Molinistæ gratiam sufficientem explicant; tunc enim omnis soluta erat quæstio, & sicut Adamo imputabatur ad meritum perseverare, ita vitio & culpæ ei vertebatur, quod non perseveraverit.

481. Atque hoc est palmare & Achilleum Adversariorum argumentum, cui tamen etiamsi non possemus ex integro satisfacere, non propterea recedendum esset a nostra sententia, quæ communis fere erat in Scholis ante non multum temporis, quæque tot solidis fulcitur momentis, atque ex firmissimis Ss. Augustini, & Thomæ principiis ita luculenter deducitur, ut tota plane nostra doctrina de necessitate gratiæ per se efficacis etiam in statu naturæ lapsæ deserenda sit, si hac in parte Sanct. Doctorem Augustinum Molinistis patrocinari concedamus. Omnia enim fundamenta, quibus nostrum, & Augustinianæ Scholæ systema superstructum est, nutabunt, & corruent, si Adam potuit suis viribus gratiam versatilem, & indifferentem reddere efficacem. Jam enim homo habebit aliquid non acceptum a Deo, quo se meliorem fuerit, & de quo gloriari poterit in seipso, & non in Domino, scilicet suæ voluntatis consensum; nec illum debebit jugibus precibus a Deo postulare, aut de eo gratias agere, quem non accepit a Deo. Deus non erit supremus rerum omnium Dominus, & motor, qui operetur in nobis velle, & perficere, & omnia in omnibus. Nec demum ad inscrutabilia judicia Dei pertinebit, quod Adam a justitia, in qua creatus fuerat, infeliciter decidere permissus sit. Et frustra magnus ille gratiæ prædicator Augustinus centies, & mil-

lies

lies ad ora Pelagianorum obstruenda clamasset cum Apostolo: „ O homo, tu quis es, ut respondeas „ Deo? Quis te discernit? Quid habes, quod non „ accepisti? Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, „ & investigabiles viæ ejus! " Hoc breviter præmonito.

482. Resp. cum S. Thoma fidelissimo S. Augustini assecla, & nobilissimo ejus interprete 1. 2. qu. 109. art. 10. ad 3. totum inter utrumque statum ab Augustino positum discrimen in duobus consistere; primo quod Adamo non fuerit collata gratia illa prædeterminans, & efficax, quæ Sanctis modo in hac vita ex meritis Jesu Christi sæpe donatur: „ *Secundo*, quod facilius homo per „ gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio „ gratiæ Christi etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum „ ad carnem: quod erit in patria, ubi homo non „ solum perseverare poterit, sed etiam peccare „ non poterit ". Idem repetit Angelicus 2. 2. qu. 137. art. 4. ad 2. in utroque loco Sancti Augustini auctoritatem laudans.

483. Eademque responsione usus est Magister Lemos in Congregatione XLII., seu Disp. V. coram Paulo V. 22. Novemb. 1605. contra P. Ferdin. de Vastida, qui eamdem difficultatem proposuerat. Sic autem Lemos S. Augustini mentem exposuit: „ Ibi, quod est attente considerandum, constituit Sanct. Doctor differentiam inter hominem, „ vel Angelum cum gratia justificante, & inter „ hominem lapsum cum eadem gratia justificante „ in hoc, quod Angelus, vel homo in illo primo „ statu, & ante peccatum habebat naturam integram in suis naturalibus, ita quod non erat „ rebellio &c. Unde per gratiam justificantem talis erat, quod ad perseverandum non indigebat „ aliquo alio auxilio gratiæ dante efficaciores, vel „ majores vires voluntati. At vero homo justificatus in natura corrupta, quia habet rebellionem &c. quæ non tollitur per gratiam justificantem, indiget, ut perseveret, auxilio dante „ majores, & efficaciores vires. Et ista est differentia, quam S. August. in utroque statu constituit. Non vero negat, hominem, etiam in illo primo statu indiguisse divina motione moventе, & applicante ipsum ad operationem; quia „ ista generalis motio in omni statu, etiam perfectissimo, fuit necessaria ex essentiali subordinatione, quam habet secunda causa, ut moveatur a prima. Quod aperte cum alibi, tum expresse docet S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 1. „ & 2. ". Ita summus ille doctrinæ Thomisticæ defensor in *Histor. Congregat. ac disputat. De auxiliis divinæ gratiæ* pag. 1148.

484. Hunc esse totam utriusque status differentiam manifeste innuit ipse S. Augustinus *De Corrept. & grat.* cap. 11. inquiens: „ Ille (Adam) „ non opus habebat eo adjutorio, quod implorant „ isti in (Sancti in hac vita); cum dicunt ": *Video, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ &c.* En clare indicata differentia gratiæ in utroque statu, quam S. Thomas apertius constituit. Ulterius in toto illo prolixo loco Sanct. Pater dicit quidem, & sæpe repetit. Adam non habuisse auxilium *quo vellet* perseverare, sed nullibi dicit, eum tali auxilio non indiguisse, ut reipsa perseveraret; quæ duo admodum diversa sunt; & Adam non habuisse auxilium quo vellet perseverare, nemo nostrum negat; eo autem non indiguisse solo Molinistæ, & recentiores Augustiniani inficiantur. Quod si alicubi subindicat, Adamum non indiguisse auxilio *quo vellet* perseverare, ea semper adjungit, quæ manifeste ostendunt, eum excludere tantummodo necessitatem gratiæ *medicinalis*, *& sanantis*, quæ ad præsentem corruptionis statum tantummodo pertinet. *Ille* (Adam) inquit n. 29. *in illis bonis Christi morte non eguit .... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti* (Sancti in hac vita) *dum dicunt: Video aliam legem in membris meis &c.* Tale est illud adjutorium, quo non eguit Adam, quamvis adjutorio prædeterminante, & proprio illius status ad perseverandum indigeret.

485. Dices. Sanct. Augustinus necessitatem gratiæ efficacis, seu auxilium *quo*, semper repetit ex infirmitate naturæ vitiatæ, nunquam vero a dependentia causæ secundæ a prima. Unde etiam utriusque status, & duplicis adjutorii discrimen assignat ex eo quod Adam fuerit sanus, liberrimus, & donis cœlestibus cumulatus; nos autem sauciati, infirmi, & debiles, ut stare non possimus, nisi Deo adjuvante.

486. Resp. Sanct. Augustinum persæpe, & maxime in eo Libro necessitatem gratiæ victricis repetiisse a naturæ nostræ infirmitate, quia hoc magis ad ejus scopum pertinebat contra Pelagianos, eorumque reliquias, qui gratiæ necessitatem ex eo negabant, quia natura, ut ipsi putabant, sana est, hæc indiget Medico. Sed non raro agnovit S. Doctor, & magnifice prædicavit etiam supremum illud dominium, quo Deus omnia sibi subjicit in cœlo, & in terra, & homines facit de nolentibus volentes; atque in ipsorum voluntatibus quod vult & cum vult, operatur. Et ne discedamus ab hoc ipso Libro *De Corrept. & gratia*, ex quo maxime triumphant adversarii: *Cui* (Deo), inquit c. 14. *volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*. „ Sic enim velle, seu nolle in „ volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam „ voluntatem non impediat, nec superet potestatem. *Et postea*. Non est itaque dubitandum, „ voluntati Dei ... humanas voluntates non posse „ resistere, quo minus faciat ipse, quod vult; „ quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit ". Et afferens exemplum Saulis, cui voluit Deus regnum dare, quod tamen non fecit: „ nisi per ipsorum „ hominum voluntates, sine dubio habens huma-

„ norum cordium, quo placeret, inclinandorum „ omnipotentissimam potestatem". Postea explicat modum, quo Deus Israelitarum voluntates movit ad Saulem sibi in Regem eligendum: „ Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, „ traxit". Hic nulla est medicinalis sanationis mentio: sola efficacia divinæ voluntatis exprimitur, qua Deus supremum suum dominium in nostras voluntates exercet. Quamquam igitur S. P. Augustinus sæpius commemoret vulnera nobis per peccatum originale inflicta, iisque sanandis gratiam *potentiorem* necessariam esse rectissime inferat, non tamen propterea negavit, vel ignoravit, eamdem gratiam prædeterminantem esse necessariam etiam ex alio capite, nempe ex essentiali rei cujuslibet Deo primo motore dependentis; unde illud ipsius Sanct. Doctoris effatum Lib. III. *De Trin.* c. 4. *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum.* Vide sup. n. 444. Sed tempus est, ut objectiones supra n. 474. & seq. propositas diluamus.

487. Primæ difficultati sic respondemus, illam conditionalem *si vellet* ad mentem S. Augustini, & juxta perpetuam ipsius doctrinam intelligendam esse *si vellet, voluntate præparata per gratiam*, non voluntate nuda, & sine auxilio gratiæ prædeterminantis. Sexcentis in locis etiam de statu naturæ lapsæ loquens id S. Doctor repetit, non posse, *si volumus*, bene operari, & in bono perseverare. Et ne longius abeamus, in hoc ipso Libro *De Corrept. & grat.* c. 7. n. 11. *Potest dici*, inquit, *homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles*. Intelligit ne id Augustinus per exclusionem gratiæ, quæ operatur & velle? Absit. Plurima hujus rei documenta præsto essent; sed illud sufficiat, quod habet in Lib. I. *Retractat.* ubi cap. 10. explicans, quod sæpe dixerat, homines posse bonum agere, *si velint, non existiment*, inquit, *Pelagiani secundum eos esse dictum*. „ Verum est omnino, omnes homi- „ nes hoc posse, si velint. Sed præparatur vo- „ luntas a Domino, & tantum augetur munere „ charitatis, ut possint"; potentia scilicet conjuncta cum actu. Quidni eodem sensu ea explicentur, quæ S. Doctor de statu innocentiæ sæpius repetit? Nempe Adamum potuisse perseverare in bono, *si voluisset*, scilicet *voluntate præparata per gratiam*.

488. Quod si urgeant adversarii, S. Augustinum aperte docere, & sæpius repetere, Adamo non fuisse a Deo datum adjutorium, *quo vellet* perseverare, respondemus, id nos libenter concedere; ut enim inquit S. Doctor num. 32. *non habuit velle, quod posset; nam si habuisset, perseverasset*. Sed hic non vertitur quæstionis præsentis cardo, ubi solum controvertitur, an tali adjutorio *quo*, sed gratia prædeterminante indiguerit Adam ad perseverandum? S. Augustinus autem dicit quidem, Adamum tale auxilium non habuisse, sed non dicit, eo non indiguisse. Imo aperte oppositum docet in Lib. XII. *De Civ. Dei* cap. 9. ubi inquit, *voluntatem* (Angelorum) *quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*. Quemadmodum ergo gratia prædeterminans produxit in Angelis bonam voluntatem, ita etiam necessaria erat ad pia desideria in ipsis excitanda.

489. Secunda difficultas facile evanescit ex dictis. Certe enim gratia est *potentior* in natura lapsa, quam fuerit in natura innocente; quia in hoc statu ad bonum operandum indigemus gratia duplici ex capite, tum ratione generali, quia nulla natura quantumcumque perfecta potest in suum actum exire, nisi moveatur a Deo, tum etiam ratione speciali, propter rebellem concupiscentiam, quæ salutaribus divinæ gratiæ motibus renitendo resistit; majori igitur vi, ac potentiore gratia nos indigemus. Ulterius verissimum est, Adamo non fuisse illud adjutorium collatum, quod in ipso operaretur & velle; quia non habuit adjutorium *quo*, seu prædeterminans; si enim illud habuisset, utique perseverasset in bono. Sanctis autem prædestinatis abundantiore, & potentiore gratia subvenit Deus, *operans in ipsis & velle, & operari* pro bona voluntate. Habuerunt tamen illud adjutorium *quo* Angeli boni; eoque amplius adjuti ad æternam beatitudinem pervenerunt. V. sup. n. 449.

490. Ad tertiam resp. optime distingui adjutorium naturæ innocentis, ab adjutorio naturæ lapsæ, tum quia in Adamo non fuit nisi auxilium *sine quo*; non autem fuit auxilium *quo*; quod in natura lapsa sæpe a Deo misericorditer confertur; tum etiam quia in natura corrupta opus est auxilio *quo*, non solum prædeterminante & applicante potentiam ad actum, sed etiam sanante, & perduellis concupiscentiæ motus vincente; quo auxilio sanante, & concupiscentiam vincente Adam innocens non indigebat. Hoc discrimen etiam S. Augustinus ibidem c. 12. aperte memorat, dicens, *majorem libertatem* (seu gratiam, qua Filius hominis nos liberat) „ necessariam esse adversus tot, „ & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt .... ut cum omnibus amoribus, terroribus, „ erroribus suis vincatur hic mundus". En, quantum differat unus status ab alio. Errant autem, qui totum inter geminos status discrimen in eo reponunt, quod in primo non fuerit necessarium, nisi auxilium *sine quo non;* unde etiam hoc auxilium appellant proprium, & characteristicum status naturæ innocentis. Errant inquam, & valde recedunt a mente Sanct. Augustini, qui de hoc auxilio dicit: „ Nunc autem quibus deest *tale* adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem „ *datur*, secundum gratiam *datur*, non secundum „ meritum". Datur igitur *tale adjutorium* etiam in natura lapsa: non ergo est proprium, & characteristicum naturæ innocentis.

491.

491. Ad quartum dico, hoc argumentum nimis probare; si quid enim valet, id valet etiam, ut dicamus, ita *velle* in bono perseverare fuisse in potestate liberi arbitrii Adami, ut nulla ad id opus haberet gratia, non solum efficaci, sed neque sufficiente, atque adjuvante. Ad *posse* enim indigebat Adam adjutorio *sine quo non*, seu sufficiente; ergo si hoc adjutorio non indigebat Adam ad *velle*, quia *velle* erat in ipsius arbitrii potestate, sequitur, eum ad *velle* nullo prorsus indiguisse adjutorio; quod Pelagianum foret. Ne igitur in hunc absurdum labamur errorem, aliter sunt explicanda verba S. Augustini, hoc modo.

492. Discrimen inter *posse*, & *velle* in hoc situm erat, ut *posse in bono perseverare* non a voluntate Adami, sed a sola Dei gratia penderet, qui eum in justitia creaverat, eique ad perseverandum sufficientes vires contulerat. Hoc *posse* solius Dei donum fuit, non Adami meritum, nec opus. Contra vero *velle* in bono perseverare positum erat in potestate Adami, ut pro arbitrio suo vellet perseverare, vel nollet: ita tamen, ut nolle perseverare duntaxat ab Adami arbitrio penderet, *quod ad malum sufficit*: velle autem perseverare penderet etiam ab ejusdem Adami arbitrio, non tamen nudo, suisque solis viribus pollenti, sed gratia Dei corroborato, quæ in eo operaretur ipsum velle; quia *liberum arbitrium*, ut loquitur ipse S. Augustinus ibid. cap. 11. *ad malum sufficit*, *ad bonum autem parum est*, *nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Vide super. dicta de gratiæ necessitate n. 426.

493. Ad quintum resp. illam antithesim inter Angelos cadentes *per liberum arbitrium*, & alios stantes *per ipsum liberum arbitrium* restringendam esse ad causam immediatam perseverantiæ, vel lapsus, non extendendam ad causam totalem ex utraque parte; alias sequeretur, Angelos stetisse per solum liberum arbitrium, sine ulla gratia adjuvante, sicut per solum liberum arbitrium alii ceciderunt; quod manifeste repugnat principio mox allegato S. Doctoris: *Liberum arbitrium ad malum sufficit &c.* Similes locutiones S. Augustini habemus etiam de statu naturæ lapsæ, in quo tamen non dubitant doctissimi nostri adversarii, necessariam esse gratiam victricem, qua liberum arbitrium ad bonum volendum, & operandum determinetur. Unum afferamus ex Lib. XII. *De Civ. Dei* cap. 6. (quo abuti solitos Molinistas supra observavimus n. 147.), ubi duorum adolescentium exemplo allato, *si eadem tentatione*, inquit, „ambo tententur, & unus ei cedat, alter idem, quod „fuerat, perseveret; quid aliud apparet, nisi u„num voluisse, alterum noluisse a castitate defi„cere"? Ceterum Angelos, qui steterunt, fuisse *amplius adjutos* supra observavimus n. 449. seq.

494. Sexta objectio facile diluitur ex iis, quæ dicta sunt; nempe ostensum fuisse in Adamo, Angelisque cadentibus, quid liberum arbitrium etiam sanum, & integrum suis viribus possit, cum non adjuvatur a gratia prædeterminante, scilicet *ad malum sibi sufficere*; post autem Deum voluisse ostendere, quid valeat gratia etiam in homine infirmo; unde inquit Sanct. Pater cap. 12. num. 38. „Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut „divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter „ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen „deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur .... „Fortissimo quippe dimisit, atque permisit face„re, quod vellet: infirmis servavit, ut ipso do„nante invictissime quod bonum est, vellent; & „hoc deserere invictissime nollent". Hanc divinæ ordinationis sapientiam admirabatur S. Augustinus, eamdemque debemus nos pariter admirari, & inde salubriter inferre, totam nostram spem, & fiduciam esse in efficacia divinæ gratiæ reponendam, non autem in nostro arbitrio, quod nonnisi ad malum sibi sufficit, nisi a Deo efficaciter adjuvetur ad bonum.

495. Ad septimum resp. Sanct. Augustinum propositam sibi difficultatem non callide dissimulasse, sed solvisse, sin minus quantum humana curiositas exposcebat; saltem quantum solvi poterat; & sufficiebat ad excitatam Adrumetinorum querimoniam pacandam. Cum enim Augustino nunciatum esset, quemdam dixisse, *neminem esse corripiendum*, *si Dei præcepta non facit*, *sed pro illo*, *ut faciat*, *tantummodo orandum*, librum scripsit *De correptione*, *& gratia*, in quo postquam ea, quæ in alio libro *De gratia*, *& libero arbitrio* pro gratiæ efficacis necessitate disputaverat, iterum confirmasset, respondet objectioni illius Monachi, ostendens, & corripiendum esse eum, qui peccat, & simul Deum orandum, ut correptio sit utilis; quod faciebat Apostolus scribens ad Corinthios 2. epist. XIII. *Oramus ad Deum*, *ne quid faciatis mali*, & postea *monebat*, *docebat*, *hortabatur*, *increpabat*, sciens, *hæc omnia non valere ..... nisi* (Deus) *eum pro illis exaudiret orantem*. Et rursus iis, qui dicebant: „Præcipiant tantum„modo nobis, quid facere debeamus, qui nobis „præsunt, & ut faciamus, orent pro nobis, non „autem nos corripiant, & arguant, si non fece„rimus, ita respondet Augustinus: Immo omnia „fiant, quoniam Doctores Ecclesiarum Apostoli „omnia faciebant, & præcipiebant, quæ fierent, „& corripiebant, si non fierent, & orabant, ut „fierent". Et sic auctoritate & exemplo Apostolorum vanam objectionem exsufflabat, semper repetens, tunc solum correptionem esse salubrem, quando *strepitu correptionis forinsecus insonante*, *ac flagellante*, *Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operatur & velle* cap. 6. n. 9. quod sæpius inculcat, ne utilitas correptionis aliunde repeteretur, quam a gratia Dei prædeterminante voluntatem.

496. Hac posita inconcussa Ecclesiæ Catholicæ doctrina statim quæstio exoritur, cur hanc gratiam utilis correptionis, imo perseverantiæ usque in finem Deus omnibus non largiatur; cui quæstioni semel.

mel, iterum, tertio respondet, *judicia Dei justa, & alta esse, ut nec vituperari possint, nec penetrari* (a). Causam tamen aliquam hujus diversitatis addebat S. Doctor, nempe æternam, & gratuitam electionem ad gloriam; in solis enim Prædestinatis correptio certe utilis est, quibus omnia cooperantur ad bonum; & sic cap. 9. concludit: ,, Nemo ergo dicat, non esse corripiendum, qui ,, exorbitat de via justa, sed ei reditum, & perseverantiam a Domino tantum esse poscendum: ,, nemo prudens, & fidelis hoc dicat: *si enim secundum propositum vocatus est iste*, procul dubio illi, etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. *Utrum autem ita sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum* ... facturo ,, Deo aut misericordiam, aut judicium: misericordiam quidem, *si a massa perditionis ille, qui corripitur, gratiæ largitate discretus est* ... ,, judicium vero, si in illis est damnatus, in his ,, non est prædestinatus ". Quis non videat, hactenus solutam esse cumulatissime quæstionem illam principalem, quæ scribendi hujus libri fuit tota causa, scilicet corripiendos esse, qui male agunt, etiamsi ut correptio sit salubris, a gratuita Dei gratia dependeat?

497. Sed hæc verissima, & saluberrima Augustini doctrina occasionem dedit alteri quæstioni, *quid de primo homine sentiendum ,... cui tam necessarium Dei donum* (scilicet perseverantiæ) *defuit ? . . . Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata*.

498. Huic quæstioni illico respondet S. Pater, denegatam fuisse Adamo, quemadmodum & Angelis malis, gratiam efficacem perseverandi, ut inde disceremus, quanta sit hujus gratiæ prædeterminantis necessitas, sine qua nec Adam, nec Angeli perseverarunt. ,, Rectissime credimus, *inquit, Sanct. Pater*, Deum . . . . sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quod posset eorum liberum arbitrium (sine gratia prædeterminante), deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium ".

499. Addimus illud glossema *sine gratia prædeterminante*, quia illud manifeste colligitur ex sequentibus, ubi duplex adjutorium distinguit, alterum *sine quo* nec Angeli, nec Adam perseverare potuissent, alterum *quo* perseverarent; illud ergo Adam certe habuit; non habuit vero adjutorium, *quo* actu perseveraret; quod proinde aliud esse non potuit, quam gratia efficax, & prædeterminans: voluit ergo Deus nobis ostendere, quanta sit hujus efficacis adjutorii vis, & necessitas ad bene operandum, & in bono perseverandum. En iterum solutam aliam quæstionem ex priori natam; scilicet, quanquam nec Adam, nec Angeli fuerint in massa perditionis, non fuisse tamen ipsis efficax, & prædeterminans auxilium concessum, ut ostenderetur, quid posset liberum arbitrium etiam munitum auxilio *sine quo non*, & quid posset efficacis gratiæ beneficium. Quam rationem S. Doctor etiam attulerat in Serm. XXVI. *De verbis Apostoli* inquiens: *Hoc modo &c*. Vid. sup. num. 561.

500. Sed postremo quærebant, quid Adam *non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit?* Huic autem ultimæ Adrumetinorum petitioni satisfacit Sanct. Doctor cap. toto 11. dicens, & repetens, Adam habuisse gratiam, qua potuisset perseverare, *si voluisset*, licet non habuerit illam gratiam, quæ in ipso *operaretur & velle*. *Dederat*, inquit S. Pater num. 32. *adjutorium, sine quo in ea* (bona voluntate) *non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio*. ,, Posset ergo permanere, si ,, vellet, quia non deerat adjutorium, per quod ,, posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est &c. ". En demum solutam postremam quæstionem, quare Adam non perseverando peccavit. Eodem modo supra num. 11. iis, qui se excusabant, dicentes: *perseverantiam non accepimus*, jam responderat Augustinus: *Homo in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles*. Et sicuti nemo ex Adversariis dicet, in isto loco, ubi de homine lapso sermo est, Augustinum non agnovisse necessitatem gratiæ efficacis ad volendum; ita ex simillima, imo eadem plane locutione *Adam perseverare poterat, si voluisset*: ergo recte infero, defuisse quidem Adamo gratiam efficacem, qua vellet perseverare, ea tamen indiguisse, ut reipsa vellet perseverare.

501. En igitur, quomodo importunis Adrumetinorum quæstionibus abunde S. Augustinus satisfecerit. Nempe quærebant primo, cur homines gratiæ auxilio destituti reprehendantur, quod peccant: cum potius pro eis orandum sit, ut gratiam habeant, qua in bono perseverantes non peccent. Resp. Augustinus, utrumque faciendum esse, scili-

(a) Ingeniosissimus hic S. Pater ad suam corroborandam responsionem etiam ex ordine pure naturali ostendit nos vestigare non posse investigabiles vias Dei. ,, Ut enim, ,, inquit num. 19. alia innumerabilia taceam, quæ aliis ,, dantur, aliis non dantur hominibus a Domino Deo, ,, apud quem non est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, sicut sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulchritudines cor- ,, porum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium; vel quæ accedunt extrinsecus, ut est opulentia, nobilitas, honores, & cetera ,, hujusmodi, quæ quisque ut habeat, nonnisi in Dei ,, est potestate &c. ".

licet & ipsos corripiendos, quia peccant, & pro eis orandum, quia utrumque esse faciendum Apostoli & verbis, & exemplo suo docuerunt: secundo quia, cum nos ignoremus, quibusnam futura sit correptio salutaris, omnibus sine discrimine faciendam esse, quamvis nonnisi iis profutura, in quibus Deus *intrinsecus*, *occulta inspiratione* operatur, ut prosit.

502. Altera quæstio multo difficilior movebatur a Monachis, cur Deus non in omnibus *occulta inspiratione* interius operetur, ut externa correptio sit utilis? Huic quæstioni primo respondet S. Doctor, *judicia Dei justa*, *& alta esse*, *ut nec vituperari possint*, *nec penetrari*. Deinde aliam responsionem addit ex profunditate judiciorum divinorum pariter petitam, videlicet Deum occulta inspiratione operari, ut correptio sit salubris in iis, quos æterna sua prædestinatione a massa perditionis discrevit, quibus omnia cooperantur in bonum.

503. Ac tunc exoriebatur tertia quæstio, quomodo hæc doctrina possit adaptari Angelis, vel Adamo, cum nulla tunc esset correptionis, & perditionis massa? Cui quæstioni reponebat acutissimus S. Pater: „ Deum Dominumque rerum o„ mnium, qui creavit omnia bona valde, & mala „ ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit ma„ gis ad suam omnipotentissimam bonitatem per„ tinere, etiam de malis bene facere, quam ma„ la esse non sinere, sic ordinasse Angelorum, & „ hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid „ posset eorum liberum arbitrium, deinde quid „ posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judi„ cium". Hæc est sublimis illa, & altissima ratio, cui Deus aliquibus Angelis, & Adamo illam gratiam prædeterminantem non contulerit, quæ erat ad perseverandum necessaria.

504. Cui tamen rationi minime acquiescentes illud demum quærebant, quomodo Adam non perseverando peccaverit, cui gratia perseverandi defuit? Quam objectionem non aliter Augustinus refellit, quam solita responsione, qua toties usus erat contra Pelagianos, ac Semipelagianos, scilicet justos non perseverantes culpabiles esse, quia possunt perseverare, *si volunt*, cum justis numquam desint auxilia, quibus perseverare possint: *Homo*, *in eo*, *quod audieras*, *& tenueras*, *in eo perseverares*, *si velles*. Quare autem istis justis auxilia quidem sufficientia Deus tribuat, & non tribuat efficacia, nonnisi Deus ipse novit, cujus judicia sunt imperscrutabilia: unde *De dono persever.* cap. 9. postquam dixisset, esse *inscrutabilia* judicia Dei, cur ex duobus *impiis* unus efficaciter vocetur, alter non, ita subdit: „ Ex duobus „ autem piis cur huic donetur perseverantia usque „ in finem, illi non donetur, *inscrutabilia* sunt „ judicia Dei".

505. Dices primo. Sanct. Augustinus merita status naturæ innocentis vocat *merita humana*; de quibus etiam Adam gloriari potuisset; inquit enim cap. 11. n. 32. de vita æterna, „ quæ futura e„ rat & homini, sicut facta est Angelis sanctis mer„ ces meriti. Nunc autem per peccatum perdito „ bono merito, in his, qui liberantur, factum est „ donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat". Unde postea infert, homines tunc potuisse de hoc merito gloriari, inquiens cap. 12. num. 37.: „ Un„ de autem non glorietur omnis caro coram ipso, „ nisi de meritis suis? Quæ quidem (*Adam*) po„ tuit habere, sed perdidit". Contra autem loquitur de statu naturæ lapsæ, & reparatæ, inquiens: „ Nec de ipsa perseverantia boni voluit „ Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso „ gloriari, qui eis non solum dat adjutorium, qua„ le primo homini dedit, sine quo non possint „ perseverare, si velint, sed in eis etiam opera„ tur & velle. *Etiam* De prædestin. Sanct. c. 15. „ Humana, *inquit*, hic merita conticescant, quæ „ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei „ gratia per Jesum Christum".

506. Resp., has Sanct. Patris locutiones, & antitheses non esse presse, & in toto verborum rigore accipiendas, alias sequeretur, eum nullam in statu naturæ innocentis gratiæ necessitatem ad merendum agnovisse; cum tamen Lib. XIV. *De Civ. Dei* c. 27. Adamum innocentem sic constitutum fuisse dicat, „ ut si de adjutorio Dei fideret „ bonus homo, malum angelum vinceret: si au„ tem creatorem, atque adjutorem Deum superbe „ sibi placendo desereret, vinceretur, *meritum* „ *bonum habens in adjuta divinitus voluntate re*„ *cta*, malum autem in deserente Deum voluntate perversa. *Quia & ipsum fidere in adju*„ *torio Dei non quidem posset sine adjutorio* „ *Dei*". Hic S. Augustinus totam rationem meriti in Adamo ex adjutorio Dei repetit; & ita quidem, ut & ipsa fiducia in adjutorio Dei a Dei gratia proflueret.

507. Tota ergo S. Doctoris antithesis inter statum naturæ innocentis, & lapsæ in hoc uno debet reponi, quod gratia Angelorum, & hominis innocentis tam & habitualis, quam actualis, quæ est nostri meriti fons, & radix, minorem habuerit rationem doni gratuiti, quam in homine lapso; in illis enim erat gratuita ex uno tantum titulo, quia est donum supernaturale naturæ indebitum: in isto est gratuita duplici ex capite, nempe quia naturæ per se est indebita; & ulterius quia propter peccatum homo efficitur hoc dono *positive* indignus, ita ut mereatur omni gratia privari; quanto autem augetur ratio doni gratuiti, tanto diminuitur ratio meriti, & ideo opera nostra bona in statu naturæ lapsæ comparata bonis operibus in statu naturæ innocentis minorem habent rationem meriti. In utroque tamen statu S. Augustinus, imo & tota Ecclesia agnoscit bona nostra merita: quamquam nonnisi ex divinæ gratiæ adjutorio sobolescant, & in utroque statu vita æterna vocatur & *donum Dei*, & bonorum operum *merces*, unde Concil. Tridentinum Sess. VI. cap. 16. docet, „ pro-

„ po-

„ ponendam esse vitam æternam, & *tanquam* „ *gratiam* filiis Dei per Christum Jesum miseri„ corditer promissam, & tanquam *mercedem* ex „ ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, „ & *meritis* fideliter reddendam ". Quanquam nihil impedit, quin peculiari quadam ratione in statu naturæ innocentis bona opera vocarentur *merita*, & vita æterna *meritorum merces*: quia in illo statu homo perfecte sanus, *cui nihil concupiscentialiter resistebat*, non indigebat ad bonum volendum, & operandum *potentiore* illa gratia, quæ modo est necessaria ad sananda naturæ vulnera, vincendamque perduellem concupiscentiam, quæ continuis ictibus nos pulsat, atque ad malum inclinat.

508. Eodemque sensu accipienda sunt ea S. Augustini verba *De dono persev.* cap. 7. „ Post ca„ sum hominis nonnisi ad gratiam suam Deus vo„ luit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque „ nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo „ non recedat ab eo ". Nimirum S. Doctor his verbis innuit discrimen inter gratiam Adami & nostram; cum enim Adami vires essent integræ, & inferior appetitus esset rationi subordinatus, ut ratio ipsa subordinata erat Deo, Adami gratia solum applicabat ejus voluntatem ad opus. Res contra accidit in nobis post peccatum; gratia enim primo debet sanare voluntatem, eique pristinas vires restituere, concupiscentiam, & pronitatem ad malum vincendo, saltem respectu illius actus, ad quem gratia datur. Hinc recte Augustinus inferebat, & accedere ad Deum, & ab eo non recedere, totum pertinere ad gratiam; quæ non solum vires ad actionem applicat, sed ipsas vires per peccatum deperditas restituit (*a*).

509. Dices secundo. S. Doctor *De Corrept. & grat.* c. 12. apertissime innuit, Adamum, si in statu innocentiæ perseverasset, potuisse de suis meritis in seipso gloriari; inquit enim n. 37. & seq.: „ Placuit Deo, quo maxime humanæ su„ perbiam præsumptionis extingueret, *ut non glo*„ *rietur omnis caro coram ipso*, idest omnis ho„ mo. Unde autem non gloriatur caro coram ipso, „ nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habe„ re, sed perdidit...... Hinc est, quod in hoc „ loco miseriarum ... virtus in infirmitate perfici„ tur: quæ virtus? nisi ut *qui gloriatur, in Do*„ *mino glorietur*? Ac per hoc nec de ipsa per„ severantia boni voluit Deus Sanctos suos in vi„ ribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non „ solum dat adjutorium, *quale primo homini de*„ *dit*, sine quo non possint perseverare, si ve„ lint, sed in eis etiam operantur & velle &c. „ ac demum concludit. Atque ita homo Dei, non „ solum quia misericordiam consecutus est, ut fi„ delis esset, verum etiam quia fides ipsa non „ deficit, *qui gloriatur, in Domino glorietur* ". Ex quibus verbis manifestissime apparet, S. August. ad solos homines in statu naturæ lapsæ restringere illam Apostoli sententiam: *Qui glo*„ *riatur &c.* non autem eam extendere ad Adam, si in justitia perseverasset, neque ad illos Angelos, qui per liberum arbitrium in veritate steterunt.

510. Resp. perperam ex obscuris illis objectis verbis eam consecutionem S. Augustino tribui, quæ cum ipsius sæpius repetita doctrina e diametro pugnat. Quid enim clarius iis verbis, quæ habet Serm. II. in Psal. LXX. num. 5. „ In altis „ cœli sunt, in altis Angeli sunt, Sedes, Domi„ nationes, Potestates: tibi debent, quod juste vi„ vunt, tibi debent, quod beate vivunt..... Ne „ putes, hominem solum pertinere ad gratiam Dei. „ Quid erat Angelus, antequam fieret? Quid est „ Angelus, si deserat, qui creavit"? Profecto si Angeli, qui in veritate steterunt, totam debent gratiæ Dei, non in seipsis gloriari possunt, sed in solo Deo, a quo totum acceperunt, quod habent. Idem Lib. XI. *de Genes. ad litteram* c. 8. T. III. de Angelis loquens, hanc inter alias rationem reddit, cur Deus eos creaverit, quos casuros esse præviderat, nempe ut cognoscatur Dei beneficium in iis, qui steterunt, *ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* ". Sic enim qui gloriatur, „ nonnisi in Domino gloriatur, cum cognoscit, „ non suum, sed illius esse, non solum ut sit, „ verum etiam ut nonnisi ab illo bene sibi sit, „ a quo habet, ut sit ". Censuit ergo Augustinus, Apostolicam illam sententiam, ut nonnisi in Domino gloriemur, etiam ad statum innocentiæ pertinere, & Angelorum in bono perseverantiam a Dei gratia prædeterminante, & adjuvante promanasse. Ac demum disertissime in Lib. *De Cantico novo* cap. 8. T. VI. *Quid valeat*, inquit, *liberum arbitrium non adjutum* (per auxilium quo, seu prædeterminans), *in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi: ad bonum non, nisi adjuvetur a Deo..... Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur, qui fecit se.*

511. Neque vero sanctissimus Ecclesiæ Doctor unquam putavit, hoc esse inter geminos illos status discrimen, ut in illo, secus ac in isto, posset homo de sua perseverantia in seipso gloriari, quasi ex solis viribus liberi arbitrii Adam, vel Angelus perseverasset, quomodo enim hæc doctrina conciliaretur cum illo, quod pagina antecedente

(*a*) Huc spectant aliquæ propositiones in Bajo proscriptæ, ut prima: *Nec Angeli, nec primi parentis adhuc integri merita recte vocantur gratia*; & tertia: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum, vitæ felicitas esset merces, & non gratia*; tum XXXIV. Quesnelli *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.* Impium autem, & absurdum esset, has propositiones ex tradito a S. Augustino inter geminos naturæ status discrimine, tamquam consecutiones deducere.

te n. 31. dixerat: *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono?* Totum ergo discrimen in hoc situm est, quod multo minus possit homo gloriari de suis meritis in natura lapsa, quam in natura innocente; quandoquidem hic opus habet gratia non solum prædeterminante, sed etiam reparante fractas arbitrii vires, sanante infirmitatem nostram, & resistente ingenitis concupiscentiæ motibus.

512. Dices *tertio*. S. Augustinus Lib. VI. *Operis imperf. cont. Julianum* c. 15. postquam orationis necessitatem ad non faciendum malum commendasset, ita prosequitur: „ Quid si ita esset in „ potestate, quomodo fuit ante peccatum, prius- „ quam esset natura humana vitiata, non utique „ posceretur orando, sed agendo potius teneretur ". Cui consonans Angelicus Quæst. III. *De malo* art. 1. ad 9. docet, hominem in statu naturæ conditæ, seu innocentis, indiguisse quidem auxilio gratiæ *ad merendum*, *non autem ad peccata vitanda*, *quia per hoc*, *quod naturaliter acceperat*, *poterat stare*.

513. Resp. utrumque S. Doctorem esse intelligendum, & explicandum de adjutorio gratiæ sanantis, quo certe non indigebat Adam, cum nulla in eo esset infirmitas; non autem de adjutorio gratiæ prædeterminantis, tum ad bonum faciendum, tum maxime ad tentationes superandas. Pugnabat S. Augustinus eo loci cum Juliano, qui volebat, concupiscentiam carnis adversus spiritum, qualis nunc est, in Adamo *fuisse*, *prius quam peccaret*, ad quem Juliani errorem convellendum S. Augustinus præter alia argumenta affert etiam Orationem Dominicam „ ubi non solum dicimus, „ *Dimitte nobis debita nostra*, propter mala, quæ „ fecimus; verum etiam *Ne nos inferas in ten-* „ *tationem*, propter hoc utique, ne mala facia- „ mus, unde & Apostolus dicit, *Orate autem* „ *ad Deum*, *ne quid faciatis mali* 2. Corinth. „ XIII. 7. ". Nulla itaque orandi necessitas erat in Adamo, cum neque peccata haberet, ut diceret: *Dimitte nobis debita nostra;* neque internam concupiscentiæ pugnam, ut peteret: *Ne nos inducas in tentationem*. Erat tamen obnoxius tentationibus exterioribus, ad quas vincendas fortiori indigebat Dei adjutorio. Quod mirum non est, non fuisse a S. Augustino in hoc loco commemoratum, ubi totus erat, ut contra Julianum discrimen inter naturam innocentem, & corruptam evinceret.

514. Non absimiliter Sanct. Thomas in loco objecto non consideravit necessitatem adjutorii divini ad vitanda peccata, nisi propter internam illam, quam experimur, perduellis concupiscentiæ pugnam, quæ certe necessitas in statu naturæ integræ nulla erat. En totum S. Doctoris contextum. „ Aliter loquendum est de homine secun- „ dum statum naturæ conditæ, & aliter secundum „ statum naturæ corruptæ: quia secundum statum „ naturæ conditæ homo nihil habebat impellens „ ad malum (*scilicet interiorem concupiscentiæ* „ *pugnam*), licet bonum naturæ non sufficeret „ ad gloriæ consecutionem. Et ideo indigebat au- „ xilio gratiæ ad merendum, non autem indige- „ bat ad peccata vitanda, quia per hoc, quod „ naturaliter acceperat, poterat stare. Sed in sta- „ tu naturæ corruptæ habet impellens ad malum „ (*internæ videlicet concupiscentiæ ictus*) & ideo „ indiget auxilio gratiæ, ne cadat ". Ceterum in Summa Theologica accuratius locutus est, ut videri potest supra num. 464. & seq. ubi S. Doctor necessitatem gratiæ ad volendum, & ad operandum bonum, atque ad diligendum Deum non solum repetit ex infirmitate naturæ corruptæ, sed etiam ex titulo ipsius dependentiæ a causa prima.

515. Obj. 2. S. Gregorius magnus Lib. V. *Moralium* cap. 28. „ Mire, inquit, omnipotens Deus „ naturam summorum Spirituum bonam, sed mu- „ tabilem condidit, ut & qui permanere nollent, „ ruerent, & qui in conditione persisterent, tan- „ to in ea jam dignius; quanto ex arbitrio sta- „ rent; & eo majoris apud Deum meriti fierent, „ quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione „ fixissent ".

516. Resp., hæc verissime dicta esse a magno Gregorio, non seclusa illa gratia prædeterminante, qua Angeli amplius adjuti *mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixerunt*. Ceterum idem S. Pontifex in eodem opere Lib. XV. c. 52. nonnisi ad judicia Dei, quæ occulta sunt, injusta non sunt, spectare dicit, quod „ Omnipotens „ Deus Angelorum merita discernens, alios in æ- „ terna luce sine lapsu permanere constituit, alios „ sponte lapsos a statu suæ celsitudinis in æternæ „ damnationis ultione prostravit ". Cui arcano divinorum consiliorum mysterio nullus esset locus, si summus iste Pontifex credidisset, æquale fuisse omnibus Angelis gratiæ adjutorium donatum, totamque bonorum a malis discretionem a libero eorumdem arbitrio esse repetendam. Neque negotium facessant ea verba *Angelorum merita discernens*, debent enim hæc necessario intelligi de discretione, orta ex ipsa gratiæ donatione, non ex innata Angelorum libertate, alias, ut diximus, nullum in hac discretione lateret inscrutabile Dei judicium.

Quæres, quid proprie fuerit illud auxilium *sine quo non*, collatum Adamo & Angelis, qui lapsi sunt?

517. Resp. Ista quæstio non leviter Theologos fatigat, ut patet ex variis, sibique contrariis sententiis, in quas distrahuntur. S. Augustinus in c. 12. Libri *De corrept. & gratia*, & Lib. XIV. *De civ. Dei* cap. 27. illud comparat alimentis, sine quibus homo vivere non potest, ipsis tamen non fit, ut vivat, qui mori voluerit. Alibi utitur exemplo lucis, sine qua oculus etiam sanus videre non potest. Dicit insuper, quod si tale auxilium Angelis, vel Adam defuisset, sine sua culpa cecidissent.

518.

518. Magister Sententiarum Lib. II. Dist. XXIV. vult, illud adjutorium fuisse „ libertatem arbitrii „ ab omni labe, & corruptela immunis, atque „ voluntatis rectitudinem, & omnium naturalium „ potentiarum animæ sinceritatem, atque vivaci- „ tatem ". Quod tamen esse præter Augustini sententiam, recte observat Estius; Augustinus enim illud auxilium ponit diversum tum a gratia creationis, tum a potentiis incorruptis, atque ab illa integritate, quam Magister commemorat.

519. Lud. Molina in *Concordia* Disput. 4. Bellarminus *De Gratia primi hominis*, aliique ejusdem Scholæ, adjutorium *sine quo non* vel in sola gratia habituali collocatum, vel partim in gratiam habituali, partim in concursu Dei simultanee cooperantis; quem tamen concursum operi supernaturali proportionatum esse dicebant. Sed hæc quoque sententia a doctrina S. Augustini procul abest; nam sanctissimus Doctor præter gratiam habitualem, in qua Angelos, & homines creatos a Deo fuisse docet, aliam gratiam, seu adjutorium eis necessarium esse volebat, quod si defuisset, ab ipsa gratia habituali sine eorum culpa decidissent: non ergo illud adjutorium esse poterat ipsa gratia habitualis. Porro S. Doctor *De corrept. & grat.* cap. 11. num. 32. gratiam habitualem ab adjutorio *sine quo non* aperte distinguit, inquiens: „ Dederat homini Deus bonam voluntatem, in il- „ la quippe eum fecerat, qui fecerat rectum ". Ista bona voluntas erat gratia habitualis, in qua Adam creatus fuerat. Prosequitur postea: „ De- „ derat adjutorium, sine quo in ea non posset per- „ manere, si vellet ".

520. Neque etiam potest esse concursus simultaneus, sive gratia concomitans; nam primo concursus iste improprie appellaretur adjutorium; ille enim proprie non recipitur in agente, sed in actione; deinde nullo modo de hoc concursu dicere potuisset S. Augustinus, quod si Angelis, & primo homini defuisset, sine culpa cecidissent, nunc autem quibus deest, ex justitia deest in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati: concursus enim simultaneus nemini deest; nec datur, ut fiat actio, sed quando fit actio.

521. Ab hac inverisimili prorsus adjutorii *sine quo non* explicatione non multum recedunt, qui præter gratiam habitualem, in qua homo creatus fuit, aliud quoddam donum habituale, aut habitui simile ei adfuisse dicunt, quo ad bonum volendum, & ad perseverandum adjuvaretur, continuo veluti influxu, quo & intellectui fomentum luminis, & voluntati fomentum boni affectus subministraretur, sine quo perpetuo influxu justitia infusa paulatim defutura esset, quemadmodum oleo deficiente lucerna paulatim extinguitur; hac enim *fomenti*, & *nutrimenti* voce utitur S. Pater in *Enchiridio*. Sed aliquid plus videtur S. Augustinus significare voluisse per adjutorium *sine quo non*, quam habitum quemdam, seu influxum, quo justitia jam accepta aleretur, & conservaretur; nempe auxilium *possibilitatis*, quo scilicet homo perseverare posset, si vellet; sicut alimentum est auxilium, *sine quo* homo non potest vivere, & lux, sine qua homo videre nequit.

522. Alii hoc adjutorium dixerunt quidem esse actuale, sed illud posuerunt in mentis illustratione, sine permotione voluntatis. Sed nec isti Augustini doctrinam sectantur, qui expresse asserit, ex illo adjutorio non solum fuisse mentem illustratam, sed etiam voluntatem ad amorem accensam. *Si voluntas*, inquit Lib. XIV. *De Civ. Dei* cap. 13. „ in amore superioris immutabilis boni, „ a quo illustrabatur, ut videret, & accendeba- „ tur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde „ ad sibi placendum averteretur &c. ".

523. Quidam nomine auxilii *sine quo non* gratiam indifferentem, flexibilem, & versatilem Molinæ intelligunt; quemadmodum enim ista non determinat voluntatem ad bonum, sed illam potius voluntas ipsa determinat, atque voluntatem jam determinatam subsequitur, hominemque jam volentem adjuvat, ut operetur, ita auxilium *sine quo non*, non præbebat voluntatem perseverandi, sed solum hominem adjuvabat, ut posset perseverare, cum vellet. Hæc Moliniana explicatio auxilii *sine quo non* omnibus iis difficultatibus obnoxia est, quibus nos systema recentium Augustinianorum hactenus refutavimus; ut videri potest apud Guill. Estium in Lib. II. *Sentent.* Dist. XXV. §. 7., nec opus est eam peculiariter confutare. Solum obiter notabimus, simile quid fuisse dictum a Massiliensibus, qui apud S. Hilarium in epist. ad S. Augustinum num. 6. „ in hoc solum vole- „ bant a primo homine omnium distare naturam, „ ut illum integris viribus voluntatis juvaret gra- „ tia volentem, sine qua perseverare non poterat; „ hos autem amissis, & perditis viribus creden- „ tes tantum, non solum erigat prostratos, verum „ etiam suffulciat ambulantes ".

524. Alias aliorum non ignobilium Theologorum opiniones, quibus explicare conati sunt naturam, & proprietates hujus celebratissimi adjutorii *sine quo non*, enumerat eruditus auctor recentissimi *Tractatus theologici de Gratia Christi Salvatoris* Tom. II. p. 48. & seq., & cum nulla eorum satisfaciat, suam proponit haustam ex Jos. Boursier in *Actione Dei super creaturas* Sect. V. cap. 4. art. 5.; scilicet hoc adjutorium Adamo innocenti tributum, sine quo perseverare in bono non potuisset, nihil aliud fuisse, dicit, quam „ motionem, & indeterminatam, idest intimum „ quemdam, & continuum sanctæ delectationis sen- „ sum, quo Adamus ex Dei, ac rerum omnium „ ad Deum quoque modo pertinentium amore or- „ dinato, jugiter, & æqualiter afficiebatur, & „ quo non ad aliquos determinatos actus, sed ge- „ neratim, ad quemvis actum ordinatum allicie- „ batur ".

525. Nonnulla sibi opponunt hujus sententiæ patroni ex S. Augustino deprompta, quæ haud diffi-

ficulter diluunt. Sed duo tamen restant, quæ majori explicatione indigere videntur. *Primo*, quomodo hæc *motio moralis*, & *indeterminata* adeo necessaria erat in statu innocentiæ, ut si Angelus, & homo ea caruissent, sine sua culpa cecidissent, quia illud adjutorium defuisset, sine quo manere non poterant. Anne tanta fingi potest, & credi hujus motionis moralis, & indeterminatæ necessitas, ut sine ea nec Angeli, nec Adam perseverare ullatenus possent? Ulterius hujusmodi motio moralis non suppeditabat potentiam perseverandi, qui proprius erat character auxilii *sine quo non*, sed potius urgebat, & suo modo movebat voluntatem, ut tenderet in Deum, eique adhæreret, seu perseveraret in caritate, & gratia, in qua creata fuerat. Demum, ut mox explicabitur, adjutorium *sine quo non* est ipsum auxilium sufficiens bene operandi, quod in natura lapsa a Deo misericorditer tribuitur. Hoc autem auxilium sufficiens naturæ lapsæ nemo reponet in illo intimo & continuo sanctæ delectationis sensu tendendi ad Deum, in quo Adam innocens fuisse dicitur, cum gratia sufficiens etiam peccatoribus nonnunquam detur.

526. His omnibus opinionibus rejectis, veterem sententiam amplectimur, hoc adjutorium *sine quo non* nihil esse aliud, quam gratiam sufficientem Thomisticam; quod patet ex ipso S. Augustino, qui *De Correpț. & grat.* cap. 11., postquam dixisset, hoc adjutorium ita fuisse Angelis, & homini innocenti necessarium, ut si illud defuisset, *utique sua culpa non cecidissent*, ita postea subdit. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur*. Ulterius idem S. Pater cap. 12. n. 38. docet, Sanctos hujus status non debere gloriari, nisi in Domino: „ Qui eis non „ solum dat adjutorium, quale primo homini de„ dit, sine quo non possint perseverare, si velint, „ sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam „ non perseverabunt, nisi & possint, & velint, „ perseverandi eis & possibilitas, & voluntas di„ vinæ gratiæ largitate donetur ". Ad hæc S. Augustini tam perspicua & decretoria verba parum attendisse videntur, qui dicunt, adjutorium *sine quo non* fuisse proprie vereque gratiam illius status, ut hac in parte situm sit discrimen integræ, collapsæque naturæ (*a*).

527. Idipsum colligitur ex S. Thoma 1. 2. qu. 109. art. 10. ad 3., ubi laudatis Magistri sui Augustini verbis, quod *homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret*, ita subdit: „ Nunc au„ tem per gratiam Christi multi accipiunt & do„ num gratiæ, *quo perseverare possint* (nempe „ adjutorium *sine quo non*), & ulterius eis da„ tur, quod perseverent ". Quod ipsis Augustini verbis repetit 2. 2. qu. 137. art. 4. ad 2.

528. Hanc gratiam habuisse Adamum, extra dubium est, ut apertissime patet ex iis, quæ hactenus dicta sunt. Sed cum communiter gratia sufficiens dicatur *excitans*, contendunt quidam; illud adjutorium *sine quo non* Adamo, & Angelis collatum, non fuisse excitans, adeoque nec proprie fuisse gratiam sufficientem, quæ nobis in hoc corruptæ naturæ statu confertur.

529. Verum scite observat Estius in II. *Sent.* Dist. XXV. §. 7., Adamum, quamvis non egeret gratia, qua excitaretur a torpore animi, quo utique non laborabat, quia torpor vitium significat; attamen sicut seipsum excitare debebat ad laudes divinas, ad preces, ad gratiarum actiones, a quibus illum aliquando cessare oportebat, ita & gratia excitante ad hæc, & similia pietatis opera indigebat. Id S. Augustinus indicat Lib. XII. *De Civ. Dei* cap. 9. cum dicit, *voluntatem Angelorum quamvis bonam, inopem in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*.

Corollarium probe notandum.

530. Ex tanta doctissimorum hominum dissensione, in determinanda natura celebris adeo adjutorii *sine quo non*, illud jure, meritoque colligendum mihi videtur, falli eos vehementer, qui distinctionem duplicis istius adjutorii *clavim* esse, & *basim* putant totius Augustinianæ doctrinæ. Optandum omnino esset, ut isti Theologi & cum aliis, & secum ipsis concordarent, in determinanda vera hujus adjutorii intelligentia, antequam tot & tam magnifica de istius adjutorii differentia prædicarent. Quam facile, & quam feliciter Thomistæ, duce Angelico Præceptore, Augustini interprete tutissimo, utriusque status, & utriusque adjutorii discrimen assignent, hactenus demonstravimus. Si qua est hac in re difficultas, tota desumitur ex tribus capitulis Libri *De Correptione & gratia*. Illa nos explicamus ex notissimis, & inconcussis principiis, quibus maximus ille gratiæ Doctor in reliquis suis operibus Pelagianos oppugnavit, & debellavit, & quæ ab aliis ejusdem gratiæ defensoribus adoptata, & firmissime retenta sunt. Adversarii contra ex tribus illis Capitulis clavim desumendam esse volunt, ad aperiendos, & intelligendos reliquos S. Doctoris libros; quod certe mirandum esse supra ostendimus in nota ad num. 467. Sed postea omnem admirationem superat, quod in explicandis illis ipsis tribus capitulis ita dissentiunt, ut quid proprie sit adjutorium *sine quo non*, & quomodo ab adjutorio *quo* distingua-

(*a*) Jansenius ipse *De gratia primi hominis, & Angelorum* c. 14. dicit, *non aliud fuisse illud gratiæ adjutorium, quod Adamo, & Angelis datum fuit, quam id, quod Schola passim sufficiens vocat*.

guatur (in quo tamen illorum trium capitulorum summa continetur), certo definire non valeant, ut pene tot sint sententiæ, quot sunt illorum capitulorum interpretes. Et hæc dicta sint, quin aliquid de doctissimorum Theologorum, qui nobis adversantur, celebritate, & publica æstimatione detractum velimus.

DISSERTATIO VI.

De necessitate gratiæ ad quædam opera naturalis ordinis in statu naturæ lapsæ.

Vires nostri liberi arbitrii fuisse quidem fractas, non autem omnino sublatas, operose statuimus in Tom. IV. Diss. III. n. 213. & sequ.; unde sequitur, posse a nobis quædam effici in ordine pure naturali absque supernaturali auxilio gratiæ Jesu Christi sanantis, cum solo concursu Dei naturali prævio, & simultaneo. Quænam vero ista sint, non omnino convenit inter Theologos, & quidem tam ratione cognitionis veri, quæ ad vires intellectus pertinet, quam ratione observantiæ præceptorum, quæ a voluntate dependet. Et hæc distinctis capitibus in hac Dissert. breviter complectemur.

CAPUT I.

Ostenditur, hominem in statu naturæ lapsæ posse quidem aliquas veritates naturales absque speciali auxilio gratiæ cognoscere, non tamen omnes.

1. Theologi duplex veritatum naturalium genus distinguere solent, earum nempe, quæ ope sensuum percipiuntur, & ad solam animi curiositatem pertinent, ut pleræque sunt veritates physicæ, geometricæ, historicæ &c. & earum, quæ ad hominum officia referuntur, ut sunt illa omnia, quæ in Ethica solent explicari.

2. De primo veritatum genere nulla est controversia, omnes quippe facile consentiunt, ad eas cognoscendas Christi gratiam minime esse necessariam; ut enim alicubi inquit S. Augustinus, Christus venit in hunc mundum, non ut nos faceret Philosophos, sed ut faceret Christianos. Quanquam nemo hactenus vel acumine ingenii, vel studio, ac labore adeo in Philosophia profecit, ut omnia naturæ arcana nobis detegere potuerit; ad hoc enim necessarium esset specialissimum aliquod divini luminis donum, nemini adhuc concessum.

3. Rursus, tametsi dicatur, ad hujusmodi naturales veritates non opus esse vera Christi gratia, non tamen excluditur adjutorium Dei in ordine naturali: unde recte dicitur Ecclesiastici I. *Omnis sapientia a Domino Deo est;* & Psalm. CXIII. *Qui docet hominem scientiam*. Angelicus autem Præceptor hoc ipsum mirifice declarat 1. 2. quæst. 109. art. 2. inquiens: „ Actio intellectus, & cujuscumque entis creati dependet a Deo, quantum „ ad duo: uno modo inquantum ab ipso habet „ perfectionem, sive formam, per quam agit: alio modo, inquantum ab ipso movetur ad agendum . . . Sic igitur intellectus humanus habet „ aliquam formam; scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire ... „ Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem „ cujuscumque veri homo indiget auxilio divino, „ ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum. „ Non autem indiget ad cognoscendam veritatem „ in omnibus nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem. Et tamen quandoque Deus miraculose per suam gratiam aliquos instruit de his, quæ per naturalem rationem cognosci possunt, sicut & quandoque miraculose facit quædam, quæ natura facere potest ". Atque hæc adeo clara sunt, & certa, ut pluribus argumentis confirmari non indigeant.

4. Sed quæstio orta est de veritatibus practicis, & moralibus, seu de cognoscendis recti, honestique præceptis, hominumque erga Deum, & erga seipsos officiis, sin minus omnibus, & sine errore (hoc enim sine divina revelatione fieri non posse, demonstratum est Tomo I. Diss. II. c. 4.) saltem ex parte. Aliqui enim specialem id gratiam requiri, arbitrati sunt; præcipue si illa cognitio voluntatem ad bonum operandum aliqua ratione permoveat (*a*). Quibus tamen alii Theologi refragantur. Nostra vero sententia hæc est.

PROPOSITIO.

In statu naturæ lapsæ potest homo 1. aliquas naturales veritates, etiam practicas divisim cognoscere sine gratia supernaturali, 2. non tamen omnes collective: 3. multoque minus eas veritates, quæ ad juste pieque vivendum sunt necessariæ.

5. Prima hujus propositionis pars expresse docetur a S. Thoma loco mox citato, ubi postquam dixisset, ad hujusmodi veritatum cognitionem hominem indigere auxilio divino, quo intellectus moveavea-

(*a*) Ita sentit Gregorius Ariminensis in II. *Sent.* Dist. XXVI. q. 1. art. 1., & Dist. XXIX. qu. 1. art. 2., post quem a Card. Bellarmino Lib. V. *De gratia & lib. arb.* cap. 1. citatur noster Jo. Capreolus in II. *Sent.* Dist. XXVIII. qu. un. art. 3. Ego tamen magis credo Thomæ de Lemos, qui in *Panoplia* Lib. III. P. II. n. 14. aliter Capreoli mentem interpretatur. Certe Capreolus doctrinæ S. Thomæ adeo tenaciter adhæsit, ut aliquando *Princeps Thomistarum* appellari meruerit.

veatur a Deo ad suum actum, subdit, non tamen indigere *nova illustratione superaddita naturali illustrationi*.

6. Experientia etiam comprobatur; nemo enim est in Ethnicorum libris adeo hospes, & peregrinus, qui nesciat, bene multa ab eis de virtutibus, & vitiis, de moribus, & recta vitæ institutione, deque humanæ societatis officiis, imo quandoque de iis etiam quæ Deo conditori nostro debemus, recte sapienterque fuisse pertractata; adeo ut primi Christianæ Religionis Patres, ac Magistri non dubitaverint ea in libros suos utiliter derivare. *Doctores antiqui*, inquit Hieronymus in ep. LXX. ad Magnum Oratorem Urbis Romæ, *intantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refarserunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum*. Ut nihil dicamus de dæmonibus, qui certe non ex gratia Salvatoris, quam nullam habent, tam multa naturali sua perspicacitate cognoscunt.

7. Accedit quoque auctoritas Ss. Patrum. Nam S. Augustinus in Psalm. LVII. „ Manu, inquit, „ formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scri„ psit: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alte„ ri*. Hoc & antequam lex daretur, nemo igno„ rare permissus est, ut esset, unde judicarentur „ & quibus lex non esset data ". Et Lib. I. ad Simplicianum qu. 2. dicit, *non solum bonum ingenium, sed, & honestas & utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem*. S. autem Prosper *Contra Collatorem* cap. 10. num. 30. „ Quis „ ambigat, *inquit*, hanc sapientiam humano ge„ neri ad temporalis vitæ utilitatem ex naturæ a „ Deo conditæ superesse reliquiis? Si autem nec „ ad ista terrena ordinanda rationalis animi vige„ ret ingenium, non vitiata esset, sed extincta na„ tura ".

8. Secunda propositionis pars traditur expresse ab Ecclesiaste VIII. 17. dicente: *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet*. Quæ verba cum vera non sint de singulis veritatibus, quarum non paucas homines certo cognoscunt, debent referri ad omnes simul *collective*, quas experientia ipsa testificante nemo compertas habuit, aut sine specialissima gratia compertas habere potest.

9. Sunt etiam abstrusiores quædam, ac sublimes veritates, quæ quamvis ordinem naturalem non excedant, excedunt tamen aciem nostri intellectus, hebetatam per peccatum originale. Observante enim S. Thoma Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52. „ Inter spirituales (*pœnas peccati originalis*) „ est potissima debilitas rationis, ex qua contin„ git, quod homo difficulter pervenit ad veri co„ gnitionem, & de facili labitur in errorem, & „ appetitus bestiales omnino superare non potest, „ sed multoties obnubilatur ab eis ". Pleni sunt Ethnicorum libri hujusmodi exemplis, quorum aliqua collegimus Tomo I. Diss. II. cap. 4. (*a*).

10. Tertia demum pars fuit multoties ab Ecclesia contra Pelagium definita, ut in Concilio Milevitano can. 4. his verbis: *Donum Dei est scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*; & in Arausicano II. can. 9. *Divini est muneris, cum recte cogitamus*. Unde etiam Ecclesia orat, ut fideles *quæ agenda sunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convalescant*.

11. Hanc autem veritatem sæpius inculcavit S. Augustinus in suis libris contra Pelagianos, sed potissimum *De natura & gratia* cap. 40. inquiens: „ Vel hinc saltem confiteatur (*Pelagius*), esse „ miserabiles tenebras in animo humano, qui scit „ quemadmodum debeat leonem domare, & ne„ scit, quemadmodum vivere. An & hoc ut sciat, „ sufficit ei liberum arbitrium, lexque naturalis "? Et S. Fulgentius Lib. II. *De verit. prædestinationis, & gratiæ* cap. 9. „ Neque scientiam sanctam, „ *inquit*, potest (*homo*) habere, nisi dono gra„ tiæ desuper acceperit a Patre luminum, a quo „ est omne datum optimum, & omne donum per„ fectum ... Ideo vero sanctam scientiam superius „ dixi, quia est scientia non sancta, illa scilicet, „ quæ inflat hominem, quæ ædificantem non ha„ bet charitatem. Illa scientia quidam agnoscentes „ Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gra„ tias egerunt. Hac scientia si quis se putat sci„ re aliquid, nondum cognovit, quemadmodum „ oporteat scire ".

12. De hac divini adjutorii ad sanctam, atque utilem rerum agendarum scientiam acquirendam necessitate intime persuasus Angelicus noster Præce-

(*a*) Pius Vinc. Contensonius in sua *Theologia mentis & cordis* L. VIII. Diss. II. c. 1. specul. 1. postquam in hanc veritatem comprobandam innuit aberrationes Gentilium, suum zelum continere non potuit, quin hæc adderet memoranda verba: „ Quis dubitandi lo„ cus superesse potest, postquam spectante, & lugen„ te universo orbe Christiano, intra ipsum catholicæ „ veritatis signum suum sub umbone probabilitatis fru„ ticare vidimus infelicem, & impiam perversorum „ dogmatum segetem, latius proculdubio grassaturam, „ nisi eam Alexander VII. veluti cauterii ustione cohi„ buisset? Non vacat ea iterum repetere, quæ alias, „ dum de probabilitate, fusissime adduximus, nec eo„ rum doctrinæ flagitiorum catalogum texere, quæ „ probabilitas opiniosa invexit. Sed illud impræsentia„ rum urgeo, nihil ad nostram de necessitate divini „ auxilii ad rectum de moribus judicium habendum „ sententiam confirmandam esse efficacius, quam incre„ dibilis novitiarum opinionum numerus, ad quas re„ fellendas sufficit communis sensus, & quibus auditis „ tota Ecclesia cohorruit, illasque summus Pontifex „ pertæsus publicis censuris prosecutus est. Post adeo „ portentosa laxissimæ doctrinæ flagitia quis credit, „ volaticam sine gratia duce rationem posse sibi ab er„ roribus temperare "? Sed contra Probabilismum alibi erit opportunus disputandi locus.

ceptor hanc suis studiis piam orationem præmittere solebat: „ Creator ineffabilis, qui verus fons „ luminis & sapientiæ diceris, infunde super intellectus mei tenebras radium tuæ claritatis, duplicem a me removens privationem, & tenebras, „ peccatum scilicet & ignorantiam. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem &c." Atque hæc distinctio inter cognitionem quarumdam veritatum, præcipue moralium, *salutarem*, & *profanam* probe notanda est; ea enim nonnullæ difficultates enodantur, quæ *primæ* nostræ propositioni opponi solent.

13. Obj. *primo* contra primam propositionem aliqua S. Augustini, aliorumque Patrum testimonia, quibus omnia, quæ in nobis sunt, bona Dei gratiæ sine ulla exceptione tribuuntur. Nam S. Doctor in Lib. *De Correp. & gratia* cap. 2. loquens de vera gratia, quæ datur per D. N. Jesum Christum, inquit: *Sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo, & amando, sive agendo faciunt homines bonum*. S. Leo magnus in Serm. LIX. seu VIII. *De passione Domini* Crucem appellat *omnium fontem benedictionum*, & *omnium causam gratiarum*, inter quas etiam enumerari potest cognitio veritatum naturalium, atque earum præcipue, quæ ad mutua inter homines officia pertinent, utita *nullum prorsus* cujuscumque generis bonum habeamus, nisi per gratiam D. N. Jesu Christi. Hinc etiam Ecclesia, non solum quando petit bona animæ ad salutem æternam consequendam, sed etiam quando petit bona corporis, suas orationes concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, Jesu Christi intercessionem, & mediationem implorans.

14. Resp. primo a Sanctis Patribus hæc verissime dicta fuisse, sumendo nomen gratiæ pro quocumque gratuito Dei beneficio, sive in ordine supernaturali, sive in ordine inferiore; unde S. Thomas, quanquam ad aliqua bona acquirenda Dei gratiam non esse necessariam doceat, semper tamen addit, necessarium esse auxilium Dei moventis, ex quo fit, ut omnia nostra bona cujuscumque generis sint, Dei dona vocari possint, ac debeant. Ita Angelicus 1. 2. qu. 109. art. 1. ad 3. explicat illa verba Apostoli 2. ad Corinth. III. 5. „ Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a „ nobis, quasi ex nobis, *inquiens:* Semper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcumque, inquantum ipsum movet intellectum ad „ agendum".

15. Veruntamen quando Sancti Patres hæc dona vocant proprie divinæ gratiæ munera, & effectus, de iisdem loquuntur, prout aliquo modo conferunt ad salutem æternam. Mentem suam, & etiam aliorum ita declarat S. Augustinus contra Julianum cap. 3. n. 33. „ Scito, nos illud bonum „ hominum dicere, illam voluntatem, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per „ unum Mediatorem Dei, & hominum, nemini „ posse conferri; per quod solum homo potest ad „ æternum Dei donum, regnumque perduci". En, de quibus bonis loquantur Sancti Patres, quando *nullum prorsus* dicunt haberi posse sine gratia Mediatoris. Unde etiam Petrus Diaconus in Lib. *De Incarn. & gratia Christi* cap. 6. postquam ostendisset gratiæ necessitatem, ut possit homo cogitare, & desiderare, quæ pertinent ad salutem æternam, subdit: *Sine hac igitur gratia potest quidem* (homo) *cogitare, & desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle, seu desiderare divina*.

16. Id ipsum declarat Sanctus Leo in loco objecto, illico subdens de Cruce: *Per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de probro, vita de morte*, quo sensu etiam Apostolus dicebat Ephes. I. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.*

17. Dices *primo*. Concilium Milevitanum can. 4. sic definivit: *Donum Dei est, & scire quod facere debeamus, & diligere, ut faciamus*. Arausicanum vero II. omnibus fere canonibus necessitatem gratiæ ad omnia opera nostra inculcans, inquit can. 9. *Divini esse muneris, cum recte cogitamus*. Unde etiam Sanct. August. in ep. CXCIV. ad Sixtum, *Nemo*, inquit, *recte sapit, recte intelligit, nisi acceperit spiritum sapientiæ & intellectus;* nulla ergo cognitio veri practici haberi potest sine gratia.

18. Resp. in utroque objecto canone, tum etiam in verbis Sancti Augustini, sermonem esse de cognitione illa salutari, quam divina gratia in nobis producit, illuminando intellectum, ut manifestum fiat, quod latebat, ut postea voluntati suave fiat, quod displicebat; vel ut alibi inquit idem Sanctus Pater, ut *cognita sancto amore faciamus*. Hæc cognitio, quæ ad salutarem pietatem, veramque justitiam pertinet, sine gratia haberi nequit.

19. Dices *secundo*. Idem Concilium Arausicanum II. can. 22. definit, *neminem habere de suo, nisi mendacium, & peccatum;* quæ verba sunt Sancti Augustini Tract. V. in Joann. ergo quæcumque veri cognitio nonnisi ex divinæ gratiæ munere descendit.

20. Resp. verissime id definitum fuisse, quia quidquid est boni in nostris operibus in quocumque genere, reducitur in Deum, tamquam in primum movens; quidquid autem est mali, seu defectus, reducitur in nostram voluntatem, quæ sola est causa deficiens. Quo sensu explicandæ sunt nonnullæ similes locutiones S. Augustini, ex cujus doctrina, imo & verbis canones illi Arausicani confecti sunt (*a*).

21. Dices *tertio*. Ecclesia petit a Deo etiam bobo-

(a) Hæc canonis Arausicani explicatio communiter traditur a Theologis; qui etiam ostendunt discrimen

na temporalia, ut pacem, aeris temperiem, fructus terræ, & cetera ad vitam necessaria, eaque petit per Christum Mediatorem, qua clausula omnes suas orationes concludit, secundum ejusdem Christi præceptum, ut omnia in nomine ipsius petamus Jo. XVI. 23. & alibi: censet ergo Ecclesia, etiam in ordine naturali necessariam esse Jesu Christi gratiam, adeoque &c.

22. Resp. Ecclesiam petere per Jesum Christum etiam temporalia bona, sed quatenus diriguntur ad spiritualia, & hoc modo non dantur, nisi per Christum. Sic exemp. gr. pacem petit, sed eam, *quam mundus dare non potest;* pluviam petit, *ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus;* orat pro infirmis, *ut reddita sibi sanitate, Deo gratiarum referant actiones.* Unde etiam in Cantico Zachariæ oramus, *ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

23. Dices *quarto*. Si posset veritates morales sine gratia cognosci, posset etiam viribus naturæ acquiri prudentia, quæ ex earum cognitione oritur, atqui nulla virtus potest sine gratia acquiri: ergo &c.

24. Resp. veram prudentiam non acquiri ex cognitione unius, vel alterius veritatis, sed ex cognitione omnium, vel saltem plurium; quæ cognitio haberi nequit sine speciali Dei dono in præsenti infirmitatis statu. Ceterum virtutem imperfectam prudentiæ naturalis etiam sine gratia Dei haberi posse, nullus dubito; non autem perfectam, & omnibus suis numeris completam.

CAPUT II.

De necessitate gratiæ in statu naturæ lapsæ ad legis naturalis præcepta servanda.

25. Sanct. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 4. recte observat, dupliciter posse mandata legis impleri, *uno modo, quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, & fortia, & alia virtutis opera: & hoc modo homo in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis, implere ... Alio modo possunt impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant* (*a*).

26. Ulterius distinguere oportet præcepta quædam observatu faciliora ab aliis, quæ depravatæ nostræ naturæ passionibus magis opponuntur, atque adeo magis ardua sunt, & difficiliora. Sic facile est honorare parentes, ad quod natura ipsa ingenuos filios inclinat; admodum vero difficile mortem potius oppetere, quam justitiam deserere, magnos & exquisitos cruciatus tolerare, potius quam officio deesse, & alia hujus generis, ad quæ adimplenda fortissimis viribus opus est. His præmissis

27. Certa, & indubitata est omnium Catholicorum sententia, nulla divinæ legis præcepta posse sine gratia Salvatoris quantum ad substantiam, & simul quantum ad modum servari. Quamobrem Angelicus mox laudatus subdit: „ Et sic neque in „ statu naturæ integræ, neque in statu naturæ „ corruptæ potest homo implere absque gratia le- „ gis mandata. Unde Augustinus in Lib. *De Corrept. & gratia* c. 11. cum dixisset, quod sine „ gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, „ subdit ": *Non solum ut mostrante ipsa, quid faciendum sit, sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt.* Et hæc sententia ad fidem catholicam pertinet, cum non semel contra Pelagianos definitum fuerit, hominem ad bonum quodcumque salutariter volendum, & operandum, divina gratia indigere, ut nec minimum divinæ legis præceptum sine illa, prout oportet, seu quantum ad modum observare possit (*b*). Solum igitur in controversiam vocatur, an in statu naturæ sauciæ, & infirmæ, qualis nunc est, possit homo sine gratia præcepta Dei observare quantum ad substantiam; qua de re variæ sunt Scholasticorum opiniones.

28. Aliqui enim omnia omnino legis naturalis præ-

inter verba Canonis, & damnatam propositionem 28. Baji: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet:* cui similis est illa Quesnelliana 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.* Quæ propositiones merito damnatæ sunt, cum aliis de causis, tum quia nostrum liberum arbitrium etiam *sine gratia*, cum auxilio tamen, seu motione, & concursu Dei ad nonnulla opera ordinis naturalis valet. Solum autem peccatum, & mendacium, quantum ad defectum, & malitiam, non a consensu Dei, sed a voluntate hominis oritur. Ceterum idem Concilium can. 19. statuit necessitatem gratiæ etiam in Adamo innocente; in quo tamen statu non erat gratia Salvatoris, sed gratia Dei creatoris. Vid. sup. Diss. V. n. 427.

(*a*) Hæc doctoris Angelici verba ostendunt, quantum ab ejus doctrina discordet damnata illa propositio Bajana n. 61. *Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda.* Item alia n. 62. *Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, rejicienda putatur.*

(*b*) Pelagius in epist. ad Demetriadem, quæ olim, nescio quo fato, Hieronymo tributa fuit, & prostat in Tom. ult. ipsius operum, *Bonum naturæ*, inquiebat, *integrum in unoquoque homine remansisse: nec liberum arbitrium peccato primi hominis ulla ex parte læsum,*

præcepta, quantum ad substantiam observari posse docuerunt; & non solum *divisim*, sed etiam *collective;* non quidem quasi omnia eodem tempore observari possint, quod esset absurdum; sed quantum ad totam legis complexionem (a).

29. Alii ab opposito tantam esse naturæ imbecillitatem ex culpa originali ortam, contendunt, ut nullum omnino divinæ legis præceptum conservari queat, sine gratiæ sanantis adjutorio (b).

30. Thomistæ vere fere communiter docent, posse hominem in statu naturæ lapsæ nonnulla faciliora præcepta quantum ad substantiam sine gratia supernaturali observare, non tamen difficiliora, & multo minus omnia simul.

PROPOSITIO I.

In statu naturæ lapsæ non potest homo sine gratia supernaturali observare omnia divinæ legis præcepta, etiam solum quantum ad substantiam.

31. Prob. autem primo ex iis, quæ de læsione virium per peccatum originale fuse disputata sunt Tomo IV. Diss. III. cap. 4. totum enim contrariæ sententiæ fundamentum in eo est, quod homo nunc iisdem polleat viribus, quas in puris naturalibus habuisset; cum autem vires naturales non læsæ proportionem habeant cum quolibet objecto bono ordinis naturalis, inferunt posse hominem in statu naturæ lapsæ cum ordinario concursu Dei quodcumque bonum ordinis naturalis efficere; atque adeo etiam omnia legis naturalis præcepta adimplere. At vero S. Thomas 1. 2. qu. 109. in laud. art. 4. loquens de præceptorum impletione, quantum ad substantiam: *hoc modo*, inquit, *in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere... sed in statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia sanante*.

32. Hujus autem diversitatis rationem aperit art. 8. inquiens: „ In statu naturæ corruptæ indiget „ homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, „ quod omnino a peccato abstineat. Quæ quidem „ sanatio primo fit in præsenti vita secundum „ mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato. Unde Apostolus ad Rom. VII. 25. in persona hominis reparati dicit: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. In „ quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, „ non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent „ rationem peccati, & voluntarii; non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis „ alius insurgit; & etiam quia ratio non semper „ potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos ". Hactenus S. Thomas de hominibus justificatis, quibus gratia ipsa habitualis auxilium sufficiens præbet ad non peccandum, ut idem S. Doctor asserit.

33. De homine autem non justificato ita pergit: „ Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, & „ secundum aliquod tempus, quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod diu „ maneat absque peccato mortali, esse non potest... Et hujus ratio est; quia sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo, & in ipso constituere finem suæ „ voluntatis. Per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani; sicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris „ appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter subjecto rationi, non potest esse, quin „ contingant inordinati motus in appetitu sensitivo; ita etiam ratione hominis non totaliter existente subjecta Deo, consequens est, ut contingant multæ inordinationes in ipsis actibus rationis. Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequen-„ do,

aut in deterius mutatum esse, sed tam ad bona, quam ad mala facienda æque per se, ac suapte natura valere, etiam in hominibus a Christi religione alienis. Plus autem Christianos facere posse, quorum in melius per Christum natura, & vita instructa sit, & qui divinæ quoque gratiæ juventur auxilio.

(a) Lud. Molina in *Concordia* Disp. 19. membro 2. in fine aliquorum sententiam refert, nec reprobat, *nullum esse in singulari opus bonum morale, mere naturale, quod homo in statu naturæ lapsæ cum solo concursu Dei generali non possit efficere; id quod Sotus, & Ruardus expresse asserunt. Etenim si difficillimum, quale est mortem subire, ne mendacium proferat, Anselmi sententia potest præstare, majori cum ratione poterit cetera efficere, in quibus minor longe est difficultas.* His duobus a Molina memoratis Card. Bellarminus adjungit Gabr. Biel. in II. *Sentent.* Dist. XXVIII. & in III. Dist. XXVII. Adjungi etiam potest Tostatus Abulensis in Mat. XIX. q. 177. & seq.

(b) Teste eruditissimo Laur. Berti *De theol. discipl.* Lib. XVIII. cap. 3. ita docent Augustiniani recentiores post Gregorium Ariminensem in Lib. II. *Sentent.* Dist. XXVI. q. 1. & 2. 3. quibus adhæret Vinc. Contensonius Lib. VIII. *Theol. mentis, & cordis* Dissert. II. cap. 1. specul. 2. iisdemque accessisse videtur P. Gabriel Vasquez, dum in 1. 2. q. 109. can. 12. gratiam congruam ad quodcumque opus bonum efficiendum necessariam esse voluit. Sed nomine istius gratiæ non intelligebat Vasquezius, nisi motionem divinam ordinis naturalis, quam veram gratiam Christi appellabat, quia naturæ debita non est. Qua de re graviter reprehenditur ab ejus Concellita Franc. Suarez in Lib. II. *De causa prædestinationis* cap. 16. quod sententiam invexerit Pelagiano errori faventem. Consulatur P. Lemos in *Panoplia* Lib. III. & P. II. Tract. II. cap. 1. ubi eamdem sententiam solita sua argumentorum copia explodit.

,, do, vel malo vitando ab eo separari vellet, oc- ,, currunt multa, propter quæ consequenda, vel ,, vitanda, homo recedit a Deo, contemnendo præ- ,, cepta ipsius, & ita peccat mortaliter &c. ".

34. Id ipsum probatur auctoritate sacræ Scripturæ. Nam Christus Dominus apud Matth. 19. illi, qui eum interrogabat: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et Sanct. Paulus Roman. II. 13. *Factores legis*, inquit, *justificabuntur:* si ergo homo posset sine gratia ex solis suis viribus omnia mandata servare, & legem adimplere, posset etiam sine gratia justificari, & ingredi in vitam æternam; quod esset hæresim Pelagianam ab orco revocare.

35. Reipsa Patres Concilii Carthaginensis in epist. Synodica ad Innocentium R. P. testantur, Pelagianos fuisse damnatos, quod dicerent, *in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset complere, sive naturaliter in corde scriptam, sive litteris datam*. Concilium item Milevitanum, in quo Cœlestii blasphemiæ damnatæ fuerunt, hæc habet can. 5.: ,, Quicumque dixerit, ideo nobis ,, gratiam justificationis dari, ut quod facere per ,, liberum jubemur arbitrium, facilius implere ,, possimus per gratiam, tanquam, etsi gratia non ,, daretur, non quidem facile, sed tamen possi- ,, mus etiam sine illa implere divina mandata, a- ,, nathema sit". Innumera porro ex S. Augustino aliisque Patribus, qui hæresim Pelagianam confutarunt, similia testimonia, afferri possent; sed opus non est.

36. Piaculum tamen foret illud argumentum prætermittere, quo Sanct. Augustinus ad convincendos Pelagianos utebatur *De natura & gratia* cap 2.: ,, Si potest (natura) sibi sufficere ad implendam ,, legem, perficiendamque justitiam, de præmio ,, debet esse secura, hoc est de vita æterna, etiamsi ,, in aliqua gente, aut aliquo superiore tempore fides ,, eam latuit sanguinis Christi. Non enim injustus ,, Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ ..... ,, Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego di- ,, co, quod de lege dixit Apostolus: *ergo Christus* ,, *gratis mortuus est* ad Gal. II. 21." Nunquam igitur S. Augustinus, nunquam Ecclesia ejusdem doctrinam probans, concesserunt, aut concedere potuerunt, totam legem posse sine gratia observari.

37. Illud autem advertendum est, ad præcludendam omnem Adversariorum evasionem, laudatos veteres Patres, qui sive in Conciliis, sive in privatis scriptis contra Pelagianos necessitatem gratiæ ad observanda divinæ legis mandata fortissime propugnarunt, potissimum id repetiisse ex infirmitate humanæ naturæ peccato originali sauciatæ. Audiatur præ aliis Auctor *librorum de vocatione gentium*, qui Lib. I. cap. 6. ita ait: ,, Humana ,, natura in prima hominis prævaricatione vitia- ,, ta, etiam inter beneficia, inter præcepta, & au- ,, xilia Dei, semper in deteriorem est proclivior ,, voluntatem, cui committi non est aliud, quam ,, dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, mu- ,, tabilis, imperita, infirma ad efficiendum, faci- ,, lis ad audiendum, in cupiditatibus cæca, in ,, honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus in- ,, quieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ, quam ,, conscientiæ diligentior, & per omnem sui expe- ,, rientiam miserior fruendo his, quæ concupiverit, ,, quam carendo, nihil in suis habet viribus, nisi pe- ,, riculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, ,, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, ,, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius ,, intenditur actioni". En graphice depictas nostræ voluntatis vires. A tali autem voluntate quis unquam totius divinæ legis observantiam expectet?

38. Obj. *primo* ex Vet. Test. Deuter. XXX. 11. & seq. Moyses hortans populum ad servandam legem: *Mandatum hoc*, inquit, *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum &c.* ostendens scilicet ejusdem legis facilitatem, ut nulla ad ejus observationem gratia sit necessaria.

39. Resp. nihil aliud his, & similibus locutionibus significari, quam legem Domini & cognosci, & servari absolute posse, cum nihil impossibile præcipiat Deus. Sed non inde sequitur, eam posse servari solis naturæ viribus, absque aliquo Dei adjutorio. Illud autem adjutorium esse necessarium, innumeris testimoniis sacræ Scripturæ, præsertim novi Testamenti apertissime manifestatur. Imo in ipso Libro Deuteronomii cap. V. 29. de Israelitis dicit Dominus: ,, Quis det, talem eos ha- ,, bere mentem, ut timeant me, & custodiant u- ,, niversa mandata mea in omni tempore, ut be- ,, ne sit eis, & filiis eorum in sempiternum"? Innuens scilicet, divinam gratiam esse ad hoc necessariam. Hanc autem gratiam promitti Moyses populo in eodem cap. XXX. 6. inquiens: ,, Cir- ,, cumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor se- ,, minis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in ,, toto corde tuo, & in tota anima tua": quod est primum, & potissimum divinæ legis mandatum.

40. Obj. *secundo* ex Scripturis N. T. celebrem Apostoli locum ad Rom. II. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt:* possunt ergo omnia legis præcepta *naturaliter*, hoc est sine gratia adimpleri, sin minus salutariter, & quantum ad modum, ut Pelagiani impie delirabant, saltem quantum ad substantiam. Quod autem loquatur Apostolus de integra legis observantia, patet ex vers. 27., ubi dicit: ,, Et ,, judicabit id, quod ex natura est præputium, le- ,, gem consummans, te, qui per litteram, & cir- ,, cumcisionem prævaricator es legis"? Quæ Apostoli comminatio vana esset, si Gentiles non totam legem, sed aliquam solum ejus partem observassent.

41. Resp. cum Sanctis Augustino, & Thoma, τὸ *naturaliter* intelligendum esse de natura per gra-

gratiam reparata; non autem de natura suis viribus relicta. Sane Apostolus de tali observatione legis loquitur, quæ ad justificationem perducit, inquiens: *Factores legis justificabuntur;* cujusmodi certe non est observatio præceptorum solum quantum ad substantiam. Et in fine capitis ita concludit: ,, Non enim qui in manifesto Judæus ,, est; neque quæ in manifesto, in carne, est cir- ,, cumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, & ,, circumsisio cordis in spiritu, non littera; cujus ,, laus non ex hominibus, sed ex Deo est". Quæ omnia nonnisi de eo intelligi queunt, qui legem adimplet non naturalibus viribus, sed viribus gratiæ, qua sola laudem, & meritum apud Deum acquirere possumus. Vide explicationem hujus loci traditam supra Diss. II. n. 24.

42. Inst. Reipsa extiterunt Gentiles, qui solis naturæ viribus omnia expleverunt naturalis legis præcepta. Deus enim ore Isaiæ c. XLIV. 28. de Cyro prædixit; *Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*. Et c. XLVI. 11. eumdem Cyrum vocat *virum voluntatis suæ*. De Romanorum etiam heroibus multas refert historia profana egregias virtutes, ad quas certe Christi gratia non concurrebat.

43. Resp. hæc Isaiæ verba non posse intelligi eo sensu, quod Cyrus fecerit omnem Dei voluntatem, quam Theologi vocant voluntatem *signi*, ut omnia divinæ legis præcepta observaverit, cum ex historia constet, Cyrum fuisse hominem supra mortales omnes ambitiosum, & superbum, unde perpetua bella gessit, ut aliena imperia invadendo, suum toto orbe dilataret: qua in re fortuna illi propitia fuit, usque ad postremam expeditionem contra Massagetas, in qua (si veri sunt Herodotus, & Justinus) una cum toto suo exercitu infeliciter periit. Regina autem Massagetarum jussit, caput Cyri in utrem humano sanguine plenum conjici cum hac suæ crudelitatis exprobratione: *Satia te sanguine, quem sitisti*. Neque hac in re fidandum est Xenophonti, qui non qualis fuisset Cyrus, sed qualis esse debuisset, enarravit; unde recte Cicero Lib. I. ep. ad Quintum fratrem epist. 1. Xenophontem dicit *Cyropædiam scripsisse, non ad historiæ fidem, sed ad effigiem justi imperii*. In alio itaque sensu prædixit Deus, Cyrum *completurum omnem suam voluntatem*, nempe in liberatione populi Judaici a captivitate Babylonica (*a*).

44. Quantum vero ad Romanos, negari non potest, aliquos in ea celeberrima Republica virtutibus insignibus excelluisse; sed hos omnia, & singula naturalis legis præcepta servasse, quis dicat, cum potius eorumdem virtutes laudis aviditas, & gloriæ cupido vitiaret? Et, ut bene monuit Augustinus *De Civit. Dei* Lib. II. cap. 29. aderat illis heroibus gloria popularis, *sed occulto judicio divinæ providentiæ vera religio deerat*, sine qua omnia divinæ legis præcepta servari non possunt.

45. Inst. *secundo*. Marci X. 19. cum Christus Dominus cuidam adolescenti poscenti, quid factu opus esset ad vitam æternam consequendam, respondisset: *Præcepta nosti: ne adulteres, ne occidas &c.* reposuit ille: *Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum &c.* ille ergo adolescens omnia legis præcepta sine ulla gratia adimpleverat.

46. Resp. Judæum illum, si vere omnia præcepta legis servavit a sua juventute, id non fecisse solis sui arbitrii viribus, sed cum auxilio gratiæ. Probabilius tamen est, eum non omnia servasse; sed illa solum, quæ ibi Christus enumeravit, scilicet *ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum, & matrem;* quæ omnia præcepta faciliora sunt. Adjicit quidem Sanctus Matthæus XIX. 16. seq. & illud præceptum: *Diliges proximum tuum; sicut teipsum*. Sed hoc etiam haud difficulter observari potest, nisi aliqua vehemens urgeat, tentatio, aut immoderatus, & perversus sui ipsius amor. Ceterum non fuisse adolescentem a vitiis omnino immunem, manifestum ex eo fit, quod a Domino invitatus, ut relictis bonis temporalibus ipsum sequeretur, *abiit tristis; erat enim habens multas possessiones:* unde postea Christus occasionem sumpsit, ostendendi discipulis suis, quam difficile esset, divites intrare in regnum cœlorum.

47. Neque negotium facessant ea verba, *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum;* nihil enim significant aliud, quam a Christo fuisse, sin minus omnino, saltem ex parte probatam ejus anteactæ vitæ rationem, & eam animi promptitudinem, qua petebat, quid ultra facere deberet pro æternæ vitæ consecutione; quamvis certum est ex consequentibus, Jesum Christum non eum ita respexisse, & dilexisse, ut suum discipulum efficeret; sed permisisse eum abire divitiarum suarum amore illectum.

48. Inst. *tertio*. Sanct. Paulus nondum sub gratia constitutus legis justitiam implevit; dicit enim de seipso Philipp. III. 6. *Secundum justitiam, qua in lege est, conversatus sine querela;* conversari autem *sine querela* juxta phrasim Scripturæ Lucæ I. 6. significat sancte, & juste vivere secundum legem: ergo &c.

49.

(*a*) Si quis autem contendat, prophetiam Isaiæ esse etiam ad alia opera Cyri extendendam, minime repugnabo, propter verba sequentia c. XL. V. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo &c. &c.* Sed hæc omnia non significant, nisi victorias Cyro a Deo concessas, ut tandem Babylonis potitus, populum Israel a longa captivitate liberaret. Nulla autem ratione indicant, Cyrum omnem Dei voluntatem fecisse in observatione præceptorum legis.

49. Resp. cum S. Thoma Lect. I. in hunc locum, Apostolum dicere, se innocenter vixisse inter Hebræos, *quantum ad justitiam exteriorem*, non autem quantum ad justitiam fidei, quæ est cordis; & ideo non dicit Apostolus, se vixisse *sine peccato*. Neque etiam illa verba: *sine querela* ita presse accipienda sunt, quasi in nulla prorsus legis observatione defecerint; cum idem Apostolus ad Titum III. 3. seipsum cum aliis Judæis confundens dicat: ,, Eramus enim aliquando & ,, nos insipientes, increduli, errantes, servientes ,, desideriis & voluptatibus variis in malitia, & ,, invidia agentes, odibiles, odientes invicem ".

50. Obj. *tertio*. S. Hilarius exponens ea verba Psalmi LXVIII. *Deleantur de libro viventium* n. 26. duplicem distinguit librum, alterum *viventium*, alterum *justorum*; & in primo scriptos esse dicit, qui *antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati*, *omnia præscripta legis impleverint*, *de quibus secundum legem Apostolus Paulus ita docuit Rom. X. 5. quia qui fecerit ea, vivet in illis*. In altero autem libro justorum eos scriptos esset vult, quibus Christus factus est justitia, secundum illud: *Justus ex fide vivit* ad Gal. III. 11.

51. Resp. obscurum admodum esse hunc S. Hilarii locum; sed probabilius S. Patrem nomine *viventium* illos indicare voluisse, qui præceptis Legis Mosaicæ obedientes vitam diuturnam merebantur, a Deo promissam iis verbis Levit. XVIII. 4. *Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*: & Deut. VI. 3., *ut prolongentur dies tui*. Vel etiam quia custodientes præcepta legis eam mortem temporalem evitabant, qua ejusdem legis transgressoribus comminata erat. Quam explicationem tradit S. Thomas Lect. I. in cap. X. epist. ad Roman. ubi relata mox verba ex Levitico, tum alia similia Ezec. XX. explicans inquit: *Vivet in eis*, ,, quia scilicet hoc commo- ,, ditatis consequebatur homo per legis observan- ,, tiam, ne occideretur, tanquam legis transgressor: ,, Hebr. X. 28." *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur*. Nomine vero *justorum* eos intelligit Hilarius, quibus Christus justitia est factus, & quorum *nomina scripta sunt in cœlo*, Luc. X. 20.

52. Inst. 1. Perpetua est Sanctorum Patrum vox, confirmata in Conc. Tridentino Sess. VI. cap. 11., Deum justum, & bonum nobis non præcipere impossibilia; atqui certum est, Deum nobis præcipere integram totius legis observationem: ergo hæc nobis est possibilis. Hoc erat perpetuum, & maximum Pelagianorum argumentum, quo doctrinam Ecclesiæ catholicæ, quasi validissimo ariete pulsabant, & quo admodum multos decipiebant.

53. Respondebant autem orthodoxæ doctrinæ patroni duce S. Augustino, primo in potestate nostri liberi arbitrii hoc fuisse, quando natura erat sana, nunc autem non amplius esse, natura per peccatum sauciata, & infirma; unde etiam illud S. Augustini dictum, & ab aliis sæpius repetitum: ,, Liberum arbitrium ad diligendum Deum, vel ,, ad non peccandum, primi peccati granditate nos ,, perdidisse "; neque hanc libertatem nos recuperare, nisi quando Filius hominis nos gratia sua liberaverit. Vid. Tom. IV. Diss. III. num. 226. seq. Ulterius etiam in statu naturæ lapsæ, & infirmæ omnia divinæ legis præcepta servari posse cum gratiæ adjutorio, quod propterea assiduis precibus a Deo implorare debemus. Quamobrem Synodus Tridentina loco laud. una cum S. Augustino: *Deus*, inquit, *impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet*, *& facere*, *quod possis*, *& petere*, *quod non possis*, *& adjuvat*, *ut possis*. Quomodo autem illi, qui gratiæ adjutorio carent, præcepta divina adimplere possint, explicatum est supra num. 400. seq.

54. Inst. *secundo*. Præcepta legis dicuntur *naturalia*, quia proportionem habent cum viribus nostræ naturæ: ergo &c.

55. Respond. recte illa legis præcepta dici *naturalia*, tum quia naturæ lumine cognosci possunt; tum etiam quia vires naturæ suæ, quales in Adamo fuerant, secundum suam substantiam non superant; sed cum vires naturæ modo fractæ sint, & infirmæ, necessarium est gratiæ *sanantis* auxilium; præcipue autem propter perduellem concupiscentiam; quam S. Augustinus Lib. *De spiritu*, *& littera* capit. 4. comparat cum aquæ impetu, ,, qui vehementior fit obice opposito: cujus ,, molem cum evicerit, majore cumulo præcipi- ,, tatus volentius per prona provolvitur ". Hoc utriusque status discrimen affert Sanctus Thomas 2. 2. qu. 109. art. 4. inquiens, mandata legis posse observari, quantum ad substantiam operum: ,, pro- ,, ut scilicet homo operatur justa, & fortia, & a- ,, lia virtutis opera; & hoc modo *homo in statu* ,, *naturæ integræ* potuit omnia mandata legis im- ,, plere: alioquin homo non potuisset in statu il- ,, lo non peccare, cum nihil aliud sit peccare, ,, quam transgredi divina mandata; *sed in statu* ,, *naturæ corruptæ non potest homo implere o-* ,, *mnia mandata divina sine gratia sanante* ". Sed de hac re legendus omnino est S. Augustinus in toto Libro *De spiritu*, *& littera*, ubi ostendit, quomodo lex, quamvis bona, augeat in nobis prohibendo desiderium malum.

56. Quæres 1. quid sit ista gratia *sanans*, qua indiget homo in statu naturæ lapsæ ad faciendum divina mandata?

57. Resp. *primo*, ut homo per aliquod diuturnum tempus evitet peccatum, necessariam esse gratiam habitualem. Ita expresse S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 8. dicens: ,, In statu naturæ corru- ,, ptæ indiget homo gratia habituali sanante natu- ,, ram ad hoc, quod omnino a peccato abstineat. ,, Et iterum: Antequam hominis ratio, in qua est ,, peccatum mortale, reparetur per gratiam justi- ,, ficantem, potest singula peccata mortalia vita- ,, re, & secundum aliquod tempus: quia non est ,, ne-

„ necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod „ diu maneat absque peccato mortali, esse non „ potest: unde & Gregorius dicit (Lib. XXV. *Moralium* cap. 9.)": *peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit*.

58. Eamdem doctrinam antea tradiderat S. Augustinus in Lib. *De spiritu, & littera* c. 26. ubi illud Apostoli ad Roman. II. 13. „ Factores legis „ justificabuntur, *sic intelligendum esse*, *ait*, ut „ sciamus, eos aliter non esse factores legis, nisi „ justificentur; ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio præcedat".

59. Resp. *secundo*, hominem ad facienda legis mandata indigere etiam auxilio Dei actuali, quod non minus expresse docet Angelicus art. 3. ejusdem quæst. dicens: „ Homo in statu naturæ in„ tegræ non indigebat dono gratiæ superadditæ „ naturalibus bonis ad diligendum Deum natura„ liter super omnia, *licet indigeret auxilio Dei* „ *ad hoc eum moventis*. Sed in statu naturæ cor„ ruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gra„ tiæ naturam sanantis". Ubi Angelicus manifeste docet, in hoc naturæ corruptæ statu, ad implenda mandata, non solum opus esse auxilio *movente*, quod est adjutorium actuale; sed etiam *sanante*, quod est gratia habitualis. Et art. 4. inquit: „ Indiget (*homo*) insuper in utroque sta„ tu auxilio Dei moventis ad mandata implenda".

60. Sed clarius in art. 9. probat, hominem indigere auxilio gratiæ actualis propter duo: „ *pri*„ *mo* quidem ratione generali, propter hoc, quod „ sicut supra dictum est (art. 1.), nulla res creata „ potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute „ motionis divinæ: *secundo* ratione speciali, propter „ conditionem status humanæ naturæ; quæ quidem „ licet per gratiam (justificantem) sanetur quantum „ ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & „ infectio, quantum ad carnem, per quam *servit* „ *legi peccati*, ut dicitur ad Rom. VII.25". Porro etiam gratia actualis est gratia *sanans*, quatenus *actu* concupiscentiæ perduellis motus reprimit. Vide quæ superius dicta sunt de gratiæ necessitate ad singulos actus Diss. II. cap. 6.

61. Quæres *secundo*, quænam gratia requiratur ad vitanda omnia peccata venialia toto vitæ tempore?

62. Resp., requiri gratiam specialissimam, & prorsus singularem, qualem nemini concessam putamus, excepta immaculata, & sanctissima Dei genitrice Maria. Hoc apertissime tradit S. Augustinus Lib. *De natura, & gratia* c. 36. ubi cum Pelagius omnes enumerasset viros, & feminas veteris testamenti, *qui non modo non peccasse, verum etiam juste vixisse referuntur*, respondet S. Doctor: „ Excepta SS. Virgine Maria, de qua „ propter honorem Domini nullam prorsus, cum „ de peccatis agitur, haberi volo quæstionem: un„ de enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum „ fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum „ quæ concipere, ac parere meruit, quam con„ stat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Vir„ gine excepta, si omnes illos Sanctos, & San„ ctas, cum hic viverent, congregare possemus, „ & interrogare, utrum essent sine peccato, quid „ fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod „ iste (*Pelagius*) dixit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc cor„ pore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari „ potuissent, nonne una voce clamassent: si di„ xerimus, quod peccatum non habemus, nos i„ psos decipimus, & veritas in nobis non est (*a*)"?

63. Etiam S. Bernardus in epist. CLXXIV. *Ego puto*, inquit, *quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum*. Quod alibi quoque repetit devotissimus hic B. Mariæ cultor.

64. Sed multis non est opus, postquam sacrosancta Tridentina Synodus Sess. VI. can. 24. ita definivit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit ... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit*.

65. Non posse autem hominem in statu naturæ lapsæ sine gratia specialissima, & prorsus singulari abstinere ab omni peccato veniali, probat S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. „ ex corruptione in„ ferioris appetitus sensualitatis; cujus motus sin„ gulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc „ habent rationem peccati, & voluntarii; non au„ tem omnes; quia dum uni resistere nititur, for- „ tas-

(*a*) S. Thomas 3. P. qu. 27. art. 4. ex hoc loco Sancti Augustini, aliisque rationibus probat, *B. Virginem nullum actuale peccatum commisisse, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. IV. 7. Tota pulchra es, amica mea; & macula non est in te*. Vid. Bartholom. Medina in Comment. ad hunc art. S. Thomæ, qui non dubitat appellare oppositam quorumdam sententiam *errorem manifestum* post definitionem Concilii Tridentini Sess. VI. can. 23. additque, quemdam Concionatorem, *qui contrarium Romæ visus est prædicare, non recte explicans Augustini auctoritatem* (Ex Lib. *Quæst. Vet. & novi Testam.* qu. 73.) *coactum fuisse publice recantare sententiam*. Vid. etiam Dion. Petavius Lib. XIV. *De Incarnat.* cap. 1. ubi postquam dixisset, neminem *hodie* esse inter Catholicos, *qui non ab omni inquinatione peccati, etiam levissimi puram fuisse sanctissimam Dei Genitricem existimet*, ita subdit: *Nam non videtur olim id in fidei dogma fuisse receptum, cum sanctissimi, & alioquin studiosissimi Patres parum interdum de eo commode scripserint, levissimis inducti rationibus, imo nullis*. Sed illorum Patrum verba benigne explicat Guill. Estius in Lib. III. *Sent.* Dist. 3. §. 7. Videri etiam potest egregius Beatissimæ Virginis biographus Jo. Chrysost. Trombelli Tom. I. P. I. Dissert. III. cap. 5.

,, tassis alius insurgit; & etiam quia ratio non ,, semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus ,, vitandos ". Sed de hac re satis fuerit experientiam consulere, quæ nobis ad oculum demonstrat, etiam Sanctis, qui magno charitatis ardore in Deum feruntur, aliquas veniales culpas obrepere, propter quas quotidie Deum orare cogimur: *Dimitte nobis debita nostra*.

66. Hæc tamen Sancti Thomæ, omniumque Theologorum doctrina de necessitate gratiæ specialis ad vitanda omnia peccata venialia debet intelligi de toto vitæ decursu, aut saltem de longiore tempore; nam idem Angelicus 3. Part. qu. 79. art. 5. ad 2. explicans illum celebrem textum 1. Jo. I. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; ,, dicit illud verbum non esse intelligendum, quia *aliqua hora* possit homo ,, esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia ,, vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus ".

PROPOSITIO II.

Homo lapsus sine speciali auxilio gratiæ potest aliqua faciliora Legis præcepta, quantum ad substantiam adimplere.

67. Prob. ex Sanct. Augustino, qui Lib. *De spiritu, & littera* c. 28. ,, Quædam, *inquit*, (Gentilium) facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non ,, solum vituperare non possumus, verum etiam ,, merito recteque laudemus". Posse autem etiam Gentiles hæc facere, inde probat Sanct. Pater, ,, quia non usque adeo in anima humana imago ,, Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut ,, nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.. *Unde & in Libro* De natura, & gratia c. ,, 69. Admonemur, *inquit*, in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus ".

68. Hanc eamdem doctrinam tradit Angelicus 1. 2. qu. 109. art. 2. ubi postquam docuit, in statu naturæ corruptæ non posse hominem per sua naturalia velle, & operari totum bonum naturæ suæ proportionatum, ita subdit: ,, Quia tamen natura ,, humana per peccatum non est totaliter corrupta, ,, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & ,, alia hujusmodi, non tamen totum bonum sibi ,, connaturale, ita quod in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum ,, habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ ".

69. Quanquam vero Sanct. Doctor utatur iis exemplis *ædificare domos*, *plantare vineas &c.*, eademque exempla repetat in art. 5. putandum tamen non est, eum voluisse ad hæc sola restringere facultatem naturæ humanæ; cum expresse dicat, non fuisse eamdem naturam per peccatum *totaliter corruptam*, & adhuc hominem posse *per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere*. Ad hæc, cum dixisset, hominem in statu naturæ integræ, ,, quantum ad sufficientiam virtutis operativæ potuisse per sua naturalia velle, ,, & operari bonum suæ naturæ proportionatum, ,, quale est bonum virtutis acquisitæ "; subdit postea, hominem in statu naturæ corruptæ non posse *totum hujusmodi bonum* implere per sua naturalia: supponit ergo, posse hominem aliquam saltem partem *hujusmodi boni* implere; adeoque non solum *laborare in agro*, *bibere*, *manducare*, & *habere amicum*; sed etiam colere parentes, amare filios, servare thori fidem, reddere unicuique, quod suum est, aliaque hujusmodi societatis officia præstare, qualia etiam a probis Gentilibus sæpius præstita fuisse novimus.

70. Obj. Si homo potest quædam faciliora Legis præcepta suis viribus adimplere, poterit etiam alia minus facilia, ac deinde difficiliora; quia & ista sunt homini connaturalia; quod vel ipsi Gentiles noverunt: unde illud Juvenalis Sat. 8.

> .... *Phalaris licet imperet, ut sis*
> *Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,*
> *Summum crede nefas, animum præferre pudori*
> *Et propter vitam vivendi perdere causas.*

Si ergo solo lumine naturali cognosci possunt; cur non poterunt etiam viribus naturalibus præstari? Præcipue cum homo faciliora naturæ præcepta adimplens, ipso usu fortior, & aptior reddatur ad majora, & fortiora præstanda.

71. Resp. ex similitudine aptissima, quam Sanct. Thomas affert hominis infirmi, qui potest per seipsum aliquem motum habere, præcipue ubi nullum obstaculum, aut specialis difficultas reperitur; non tamen ex hoc sequitur, posse eumdem hominem infirmum, & debilem diu, multumque se movere, aut currere, aut ardua, & sublimia conscendere. Ita etiam S. Hieronymus respondebat Pelagio eadem argutia utenti sub finem Lib. III. *Dialog.* ,, Hoc est, inquiebat Atticus orthodoxus ,, Critobulo Pelagii personam agenti, quod tibi a ,, principio dixeram, in nostra esse positum potestate vel peccare, vel non peccare, & vel ad ,, bonum, vel ad malum extendere manum, ut ,, liberum servetur arbitrium: Sed pro modo, & ,, tempore, & conditione fragilitatis humanæ ..... ,, Neque quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; numquid in perpetuum "?

72. Inst. Paritas hominis infirmi inepta est. Homo enim infirmus, movendo seipsum defatigatur; qui autem faciliora Dei præcepta adimplet, corro-

roboratur, & robustior efficitur, novas acquirendo vires.

73. Resp. hanc paritatem proponi, non ut omnino adæquatam, sed ut sufficientem ad explicandam differentiam inter geminos naturæ humanæ status, qua facile concipitur, hominem in natura corrupta non posse id præstare, quod poterat integris viribus. Et licet demus, eum observando præcepta faciliora, reddi magis idoneum ad implenda difficiliora, numquam tamen primævam capacitatem recuperare poterit, nisi per gratiam sanantem.

74. Quantum vero pertinet ad illud justissimum Juvenalis præceptum, haud difficile fuit solis naturæ viribus, illam, aliasque similes veritates morales agnoscere; quod superius ostendimus n. 5. & seq. sed iisdem postea totam vitam suam dirigere, *hoc opus hic labor*. Et quamquam aliqua fortassis rarissima exempla afferri possint heroicæ constantiæ in perferendis atrocibus cruciatibus pro veritate tuenda, non sunt tamen iis comparanda, quæ suppeditat Ecclesiastica historia nostrorum Martyrum omnis conditionis, ætatis, & sexus, qui gratia Dei confortati pro Religionis defensione diuturna, repetita, atque immania pertulerunt tormenta (*a*).

CAPUT III.

Ostenditur, hominem in statu naturæ lapsæ non posse diligere Deum super omnia, etiam ut auctorem naturæ.

75. Quemadmodum Deus duplici via cognosci potest, scilicet lumine naturæ, cognitione hausta ex creaturis, quarum est auctor, & lumine supernaturali, scilicet per revelationem, ac fidem, prout est auctor gratiæ, & gloriæ, ita etiam duplex esse potest Dei dilectio, videlicet una naturalis, qua diligitur Deus, ut auctor naturæ; altera supernaturalis, qua diligitur, ut unus, & trinus, auctor gratiæ, & largitor felicitatis æternæ, prout divina revelatio eum nobis manifestat.

76. Neque cuiquam Catholico de hac duplicis amoris *naturalis*, & *supernaturalis* distinctione dubitare fas est, postquam Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. illas duas Bajanas propositiones proscripserunt, quarum prima n. 24. hæc erat: „ Distinctio illa duplicis amoris; naturalis „ videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, „ & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, „ vana est, & commentitia, & ad illudendum sa„ cris litteris, & plurimis veterum testimoniis ex„ cogitata: *altera n.* 36. Amor naturalis, qui ex „ viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per „ electionem præsumptionis humanæ cum inju„ ria crucis Christi defenditur a nonnullis Docto„ ribus (*b*) ".

77. Posita igitur hac duplicis amoris Dei distinctione, quæstio oritur de sola dilectione Dei naturali, prout nempe Deus naturali lumine, ut auctor naturæ cognoscitur; nam de dilectione Dei supernaturali nulla omnino est, aut esse potest post universalem hæreseos Pelagianæ condemnationem controversia: ut enim inquiebat S. Augustinus *De gratia, & lib. arb.* c. 18. „ Unde est in homini„ bus Charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? „ Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vice„ runt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pe„ lagianos ".

78.

(*a*) S. Augustinus in Lib. *De patientia* c. 15. & seq. Tom. VI. statuens, veram patientiæ virtutem non esse, nisi a Domino Deo bonorum omnium largitore, objicit sibi exempla eorum, qui aliqua dura, & aspera, vel ne displiceant hominibus, vel ne graviora patiantur, superbissima voluntate sustinent, unde nonnulli ita colligebant: *Si voluntas hominis sine ullo Dei adjutorio viribus liberi arbitrii tam multa gravia, & horrenda perfert --- cur non eodem modo eadem ipsa voluntas hominis, eisdem viribus liberi arbitrii, non ad hoc expectans se divinitus adjuvari, sed sibi naturali possibilitate sufficiens, quidquid laboris, vel doloris ingeritur, pro justitia, & vita æterna patientissime sustinet? An vero, inquiunt, idonea est iniquorum voluntas, ---- ut Deo non adjuvante inter atrocissima, & longa tormenta in mendacio perseverent, ne sua facinora confitentes jubeantur occidi; & non est idonea justorum voluntas, nisi eis vires desuper suggerantur, quaslibet pœnas, vel ipsius decore justitiæ, vel æternæ vitæ amore perferre?*

Huic autem objectioni ita respondet Augustinus: *Qui hæc dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda duriorem, quanto in eo major est cupiditas mundi: & quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est major charitas Dei.* Et postquam hæc Scripturarum testimonio roborasset, ita concludit: *Quoniam concupiscentia, qua fit, ut peccantes omnia pertinaciter patiantur, ex mundo est: charitas autem, qua fit, ut recte viventes omnia fortiter patiantur, ex Deo est; ideo illi falsæ patientiæ potest sine adjutorio Dei voluntas humana sufficere; tanto durior, quanto cupidior; & eo tolerabilius sustinens, quo ipsa fit pejor: huic autem, quæ vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper adjuta, & inflammata, non sufficit, &c.*

Sed postea cap. 26. seq. aliam abstrusiorem proponit quæstionem de Schismatico, qui *ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem &c. utrum ista patientia Dei donum sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ.* Resolvit autem magnus Augustinus, eam esse Dei donum; sed *alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra .... alio vero, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & Schismatici comparantur.* Nostra sunt dona *hæredum*, alia *exhæredatorum*.

(*b*) Prima propositio eruta est ex ipsius Mich. Baji cap. 4. *De Charitate*, ubi inquit: *Manifestum evadit, quam vera sit eorum distinctio, qui ut scripturis sacris,*

78. Ut autem absit ab hac difficili controversia quæcumque æquivocatio, breviter indicanda est multiplex dilectionis Dei acceptio. *Primo* enim est aliqua dilectio naturalis, omnibus rebus communis, qua natura ipsa voluntatis nostræ necessario inclinatur, & fertur in Deum, tanquam in bonum commune, & de qua S. Augustinus Lib. I. *Confess.* cap. 1. loquebatur, inquiens: *Fecisti nos, Domine, ad te, inquietum est cor nostrum, donec revertamur ad te.* De hac dilectione naturali, quæ omnibus creaturis, ne dæmonibus quidem exceptis, communis est, nobis modo sermo non est; sed de dilectione Dei libera, & actuali. Et hæc

79. *Secundo* dividitur in dilectionem Dei, quæ est *super omnia*, qua Deus omnibus aliis rebus præfertur, sin minus *intensive*, saltem *appretiative:* quatenus homo licet in se non experiatur illos affectus erga Deum, quos sentit erga aliquas creaturas, animo tamen ita comparatus est, ut malit omnibus plane creaturis privari, quam Deum summum bonum offendere, legem ejus violando. Alia vero est dilectio Dei, sed non *super omnia*; cujusmodi est in peccatoribus, qui Deum agnoscentes ut bonum, beneficum, &c. ipsum non possunt non diligere, non ita tamen diligunt, ut propter ipsum velint omnibus creatis bonis renunciare. Et quamvis facile cognoscant, summum bonum esse ceteris omnibus longe præferendum, efficaci tamen gratia destituti, nonnisi humanas quasdam veræ dilectionis Dei velleitates concipiunt, quæ nihil ad salutem prosunt.

80. *Tertio* dilectio Dei *super omnia* dividitur in dilectionem benevolam, seu *amicitiæ*, & dilectionem *concupiscentiæ*. Prima est, qua quis Deum, ut amicum diligit sicut seipsum, sed non supra seipsum. Altera, qua quis Deum diligit, non ut bonum in se, sed ut bonum sibi, & propterea non se dirigit ad illum, tanquam ad ultimum finem; sed potius Deum dirigit ad seipsum; vel Deum diligit more Judæorum, de quibus S. Aug. in Ps. LXXVII. n.20. ait, quod revertebantur, & veniebant ad Deum, *propter acquirenda temporalia bona, & vitanda temporalia mala*, non autem propter veram Dei dilectionem; „ nam qui propter beneficia terrena „ Deum quærebant, non utique Deum, sed illa „ quærebant ".

81. *Quarto* dilectio Dei aliquando est *efficax*, ut proinde ejus virtute omnia servemus divina mandata, juxta illud Jo. XIV. 23. *Qui diligit me, sermones meos servabit.* Et hæc potest esse magis, vel minus intensa, ut in justis magis, minusve perfectis (intensissima autem fuit in Beatissima Virgine Maria, ut omnia peccata etiam venialia vitaret). Aliquando potest esse vera, sed inefficax; ut fuit in Sancto Petro, cum dixit: *Animam meam pro te ponam*, Jo. XIII. 37. Revera enim Petrus diligebat Jesum super omnia, quatenus eum omnibus præferebat, adeo ut esset paratus pro eo dare animam suam; sed hæc dilectio postea efficax non fuit, quemadmodum illi Jesus prædixerat. His breviter selectis ex multis, & subtilioribus, quæ Scholastici hanc in rem afferre solent, sit

PROPOSITIO.

Homo in statu naturæ lapsæ non potest ex solis viribus naturalibus, & sine gratia Deum super omnia diligere, non solum ut largitorem gratiæ, & gloriæ, sed neque ut auctorem naturæ (a).

82. Prob. *primo* ex sacris litteris, in quibus nulla prorsus facta distinctione, omnem charitatem a Deo esse, & a Deo diffundi in cordibus nostris, apertissime asseritur. Rom. V. 5. Ephes. VI. 23., ad Gal. V. 13., 1. Jo. IV. 7. & seq. & alibi quam sæpissime. Quibus inhærens Concilium Arausicanum II. can. 25. ita decrevit: „ Prorsus donum „ Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. „ Diffundit enim charitatem in cordibus nostris „ Spiritus Patris, & Filii, quem cum Patre amamus, & Filio. *Et postea prosequitur dicens:* „ Secundum supra scriptas Sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi „ hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere „ Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut „ operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenerit.". Quæ ratio probe, ac diligenter notan-

& jam dictis, aliisque pluribus veterum testimoniis illudant, sine ulla traditione contendunt, duplicem esse Dei dilectionem: alteram, qua Deum tanquam futuræ beatitudinis largitorem diligimus, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, & charitas nuncupatur ,, alteram vero, qua Deum creatorem amamus, quæ ortum ducit ex hominis arbitrio &c. Secunda propositio continetur in cap. 5. ubi multa habet hac de re, ut probet, ex sola philosophia desumptum esse amorem naturalem Dei creatoris. Quonam autem sensu illæ duæ propositiones damnatæ sint, & quonam sensu a quibusdam orthodoxis Theologis adhuc defendantur, solita sua eruditione explicat P. Jo. Laur. Berti in *Augustiniano systemate de Gratia vindicata* Dissert. II. cap. 1. §. 1.

(a) Hæc controversia fuit sub Clemente VIII. bis agitata, scilicet in Congregat. VII. habita die 19. Aug. 1602. tum in Congregat. XI. 9. Dec. ejusdem anni, in quibus P. Thomas de Lemos Molinianam sententiam feliciter adeo impugnavit, ut Censores unanimi fere consilio eam doctrinæ S. Augustini adversari definiverint, ut videri potest apud earumdem Congregationum Historiographum P. Jac. Hyac. Serry Lib. III. cap. 13.

tanda est; probat enim necessitatem gratiæ ad diligendum Deum, non solum, quia actus dilectionis Dei supernaturalis est; sed etiam quia per peccatum primi hominis liberum arbitrium ita inclinatum, & attenuatum fuerit, ut nullus postea potuerit diligere Deum, sicut oportuit, scilicet dilectione plena, & super omnia; nedum ut auctorem gratiæ, & gloriæ, sed etiam ut auctorem naturæ.

83. Prob. *secundo* ex Ss. Patribus, potissimum vero ex Sanct. Augustino, ex quo non tantum doctrinam, sed etiam verba ipsa mutuo accepit Synodus Arausicana mox laudata. Nam Tract. CII. in Joan. n. 5. Tom. III. explicans illa Jesu Christi verba Jo. XVI. 27. ,, Ipse enim Pater amat vos, ,, quia vos me amastis. Ideo, *inquit*, amat ille, ,, quia nos amamus, an potius quia ille amat, ideo nos amamus? Ex epistola sua Evangelista ,, idem ipse respondeat (1. Jo. IV. 19.). *Nos diligimus*, inquit, *quia prior ipse dilexit nos*. ,, Hinc ergo factum est, ut diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum Dei est diligere Deum: ,, ipse ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis, unde placeremus, cum iis, quæ sequuntur". Si in homine posset esse sine gratia Salvatoris aliquis amor Dei naturalis; an iste displicuisset Deo, ut displicentes amati essemus? Unde etiam idem Sanct. Pater Serm. III. n. 2. fidenter dicebat: ,, Quære, unde homini sit diligere Deum, ,, nec invenies omnino, nisi quia prior illum dilexit Deus". Idipsum repetit quam sæpissime: nec unquam huic Doctorum aquilæ perspicacissimæ in mentem venit doctrina alicujus amoris naturalis, qui in nobis esse posset sine Dei gratia.

84. Augustino concors S. Leo Papa Serm. XLVIII. seu X. in Quadragesima cap. 1. ,, Rationalis creatura, inquit, ideo dilecta, ideo quæsita est, ut ,, & ipsa ex non quærente quærens, & ex non ,, diligente sit diligens, dicente Beato Joanne Apostolo (1. epist. IV. 19.). Nos ergo diligamus invicem, quia Deus prior dilexit nos".

85. Concors item est Sanct. Gregorius Papa Lib. XXXIII. *Moralium* cap. 20. n. 25. eodem modo explicans allata verba S. Joannis Evangelistæ: *Quia ipse prior dilexit nos*. Sed nimis longum & fastidiosum esset, omnia aliorum Patrum testimonia congerere, qui nullam penitus in nobis agnoverunt dilectionem Dei super omnia, quæ non esset ab ejus charitate in nobis procreata.

86. Unanimem hanc Sanctorum Patrum traditionem secutus S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 3. postquam probasset, hominem in statu naturæ integræ virtute suæ naturæ potuisse operari bonum, quod est sibi connaturale, quemadmodum connaturale est homini diligere Deum super omnia: ,, unde homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ,, ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum ,, rerum; & ita Deum diligebat, plusquam seipsum, & super omnia: *postquam inquam id* ,, *probasset*, *hæc subdit:* Sed in statu naturæ ,, corruptæ homo ab hoc deficit, secundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei. Et ideo dicendum ,, est, quod homo in statu naturæ integræ non ,, indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus ,, bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum ,, moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget ,, homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis (*a*)".

87. Pronum est Adversariis respondere, hæc, & alia innumera Sanctorum Patrum, Conciliorum, ac Sacrarum Litterarum testimonia intelligenda esse de dilectione Dei perfecta & efficaci, quæ certe sine supernaturali Dei gratia obtineri nequit, & de qua asserenda, & vindicanda contra pestiferam Pelagianorum sectam Patres solliciti erant; non autem de quæstione inter Scholasticos postea exorta, an dilectio pure naturalis Dei, ut tantummodo noster creator est, non autem ut est noster sanctificator, glorificator, & beatificator, ex solis liberi arbitrii viribus, una cum generali concursu Dei in ordine pure naturali possibilis sit. Hanc enim controversiam aut ignorarunt penitus antiqui Patres, aut definire noluerunt. Et propterea notant illam particulam *sicut oportet* a Concilio Arausicano adjectam, ut vera charitas distinguatur a naturali Dei dilectione.

88. Sed hoc ipsorum effugium facile præoccupatur primo ex verbis superius allatis Sancti Thomæ (num. 86.), qui ibidem ad 1. adhuc clarius mentem suam aperit, distinguens amorem Dei naturalem a charitate supernaturali, inquiens: ,, Cha- ,, ri-

(*a*) Lud. Molina in *Concordia* Qu. 14. art. 13. disp. 14. membro 3. contendit, ex tam perspicuo S. Thomæ loco, *immerito contra suam*, *communemque Scholasticorum sententiam inferri*, *elici non posse viribus naturalibus arbitrii nostri*, & *concursu generali Dei actum absolutum mere naturalem dilectionis Dei super omnia*, *quia ad justificationem nequaquam sufficiat*, & *pari ratione propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia* &c. Vult enim, S. Thomam in eo art. solum in hoc constituere discrimen inter hominem naturæ integræ, & lapsæ, quod *homo naturæ integræ ea dilectione naturali*, *quæ includit observationem in futurum mandatorum omnium naturalium*, *poterat absque auxilio speciali diligere Deum super omnia .... homo vero naturæ lapsæ eodem genere dilectionis non possit Deum absque speciali auxilio super omnia diligere* dilectione efficaci, propter partis sentientis rebellionem, corporisque corruptibilitatem, defatigationem, ac molestiam &c., quæ omnia simul sine quotidiano speciali Dei auxilio superare non potest. Hanc Molinæ evasionem solide impugnat, atque omnino præcludit, veram S. Doctoris mentem latissime exponens, & defendens P. Thomas de Lemos Tom. III. *Panopliæ* Lib. III. P. II. Tract. II. cap. 21. & seq.

„ ritas diligit Deum super omnia eminentius; quam „ natura. Natura enim diligit Deum super omnia, „ prout est principium, & finis naturalis boni; „ charitas autem, secundum quod est objectum „ beatitudinis, & secundum quod homo habet „ quamdam societatem spiritualem cum Deo. Ad- „ dit etiam charitas super naturalem dilectionem „ Dei promptitudinem quamdam, & delectatio- „ nem; sicut habitus quilibet virtutis addit super „ actum bonum, qui fit ex sola naturali ratione „ hominis, virtutis habitum non habentis". En, quomodo Angelicus distinguit dilectionem naturalem Dei a dilectione supernaturali; & ad utramque requirit auxilium *gratiæ;* idest ad primam necessarium est auxilium gratiæ actualis, quæ sanet infirmitatem naturæ actu resistendo perduelli concupiscentiæ; ad secundam necessaria est gratia habitualis, secundum quam homo habet societatem spiritualem cum Deo, cum per eam adoptetur in filium.

89. Præterea, ut acute observat Lemosius num. 307., Sancti Patres, & Concilia ex sacris litteris operose demonstrabant, illam Dei dilectionem esse donum Dei, quam Pelagius contendebat esse liberi arbitrii opus. Sed certe Pelagius non adeo desipiebat, ut supernaturalem Dei dilectionem, seu dilectionem Dei, ut gratiæ, & gloriæ largitor est, tribueret solis, & naturalibus liberi arbitrii viribus; quid enim absurdius, quam potentiæ ordinis naturalis tribuere actum ordinis supernaturalis? Ut ergo Sancti Patres, & Concilia capitalem Pelagii errorem recte impugnarent, & proscriberent, docere, & definire debuerunt illam naturalem dilectionem Dei, quam Pelagius solis naturæ viribus tribuebat, nonnisi ab ipsius Dei gratia provenire, ejusdemque esse gratuitum donum.

90. Quantum vero ad illam clausulam *prout oportet*, primo observat P. Lemos, non semper fuisse vel a S. Patribus, vel a Conciliis adjectam; nam Concilium Arausicanum II. can. 25. una cum S. Augustino absolute dicit, *prorsus donum Dei esse diligere Deum*, Vid. sup. n. 82. Deinde illa clausula *prout oportet*, nihil aliud significat, quam dilectionem Dei *super omnia*, ut distinguatur vera dilectio Dei a velleitatibus inutilibus, vel a quibusdam motibus imperfectis erga Deum, qui etiam in peccatoribus persæpe nascuntur; vel quando diligitur Deus, non propter se, sed propter bona temporalia, quæ nobis tribuit.

91. Prob. *tertio* nostra propositio rationibus theologicis; quarum prima illa est, quam S. Thomas suggerit. Diligere Deum super omnia ut auctorem naturæ, est actus præcipuus, imo omnium maximus, quem homo adhuc sanus & integer suis viribus elicere poterat, quando ipse homo naturaliter erat conversus ad Deum, & vires inferiores subdebantur rationi, ratio autem suo Creatori, & Domino: ergo in statu naturæ lapsæ fractis viribus, libero arbitrio attenuato, & inclinato ad malum, concupiscentia perduelli nos perpetuo ab amore Dei avertente, convertente autem ad perversum creaturarum amorem, hujusmodi actus dilectionis Dei super omnia est nobis impossibilis. Quemadmodum si quis diceret: maximum pondus, quod homo sanus, & robustus ferre potest, est centum librarum: ergo homo infirmus & debilitatus pondus centum librarum ferre non potest; certe justissime concluderet: alias nulla esset inter hominem sanum, & infirmum differentia.

92. Accedit alia ratio efficacissima, quod dilectio Dei super omnia, etiam prout est tantummodo noster creator, & conservator, hominem facit conversum ad Deum, tamquam ultimum suum finem, & ulterius continet efficax voluntatis propositum servandi totam legem naturalem, quæ peccatori etiam infideli *penitus* ignota esse nequit: ergo talis dilectio non potest simul esse cum peccato lethali; per hoc enim voluntas est aversa a Deo, & conversa ad bonum creatum: imo in hoc ratio peccati mortalis consistit, quod homo plus diligat creaturam, quam creatorem; ergo homo per talem actum dilectionis Dei super omnia & justificationem, & salutem obtinere poterit: si igitur sine Dei gratia potest homo elicere actum dilectionis Dei super omnia, poterit etiam sine gratia & justificationem, & salutem æternam acquirere; quod manifeste Pelagianum est (*a*).

93. Neque valet aliquorum responsio, quod dilectio illa sit imperfecta, quæ proinde cum peccato consistere potest, ut revera consistere docuit Conc. Tridentinum Sess. VI. cap. 6., ubi dicit de peccatoribus ante justificationem, quod *Deum ut fontem totius justititiæ diligere incipiunt*.

94. Non inquam hæc responsio valet; neque enim inficior, dilectionem aliquam Dei inchoatam, & imperfectam posse cum culpa lethali inveniri. Sed inficior, inveniri posse cum culpa lethali dilectionem Dei *super omnia:* neque Concilii Triden-

(*a*) Hanc rationem urgebat etiam Card. Bellarminus Lib. VI. *De gratia*, *& lib. arb.* c. 7. inquiens: „ Amor Dei *super omnia*, etiamsi Deum solum respiciat, ut auctorem naturæ, non patitur secum ullum „ affectum inordinatum, imo includit odium rerum omnium delectabilium contra legem Dei: ergo si potest hic amor naturæ viribus obtineri, poterit homo „ naturæ viribus implere omnia mandata, vivere sine „ omni peccato, imo & a præteritis sine gratia Dei „ justificari. Nam implicat contradictionem, ut quis „ in peccato mortali sit, & non sit aversus a Deo & „ conversus ad creaturas &c.". Huic doctrinæ videntur contrarii aliqui textus Sancti Thomæ ex Qu. XXIV. *De verit.* art. 12. ad 16., tum ex II. *Sent.* Dist. XXVIII. q. 2. art. 1. Sed P. Lemos n. 387. sine hæsitatione respondet, quod S. Doctor, *re attentius considerata* 1. 2. q. 109. art. 3. & III. *Contr. Gent.* c. 151. *sententiam mutavit, & docuit, non posse hominem Deum super omnia diligere sine charitate*.

dentiui Patres unquam dixerunt, peccatores ante justificationem Deum ut totius justitiæ fontem *super omnia* diligere; quod tam impossibile est, quam impossibile, hominem esse eodem tempore ad Deum conversum, ut suum ultimum finem, & a Deo aversum, & Deum diligere *super omnia*, ac simul aliquam creaturam diligere *super Deum*. Neque vero est alius Deus consideratus, ut auctor naturæ, & alius, ut auctor gratiæ, sed unus ipsissimus Deus sub duplici respectu consideratus; ut proinde qui per dilectionem super omnia est conversus ad Deum, prout est auctor naturæ, non possit esse ab illo aversus, prout auctor est gratiæ.

95. Neque iterum obest, quod dicunt, dilectionem illam naturalem esse imperfectam, adeoque non justificantem, quia *efficax* non est, quemadmodum est efficax dilectio supernaturalis, quæ *charitas* nominatur.

96. Resp. enim Lemosius, omnem dilectionem Dei *super omnia* ex se, & natura sua esse efficacem, quia includit in virtute, & in voto observantiam omnium mandatorum; reddi tamen inefficacem *ex mutabilitate subjecti*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 11. ad 2. Quod etiam contingit in charitate perfecta, quæ vera est, & plene justificat; unde in Concilio Tridentino Sess. VI. c. 23. ita definitum fuit: „ Si quis hominem semel „ justificatum dixerit amplius peccare non posse, „ neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui „ labitur, & peccat, numquam vere fuisse justi- „ ficatum .... anathema sit ". Et si sola illa dilectio Dei esset vera, quæ est efficax, hæc nonnisi in iis inveniretur, qui usque in finem perseverant.

97. Postrema ratio, aliis omissis, sit ea, quam S. Thomas (supra n. 86.) ex corruptione humanæ naturæ repetit; ita enim homo vitio primi peccati factus est pronus ad malum, ut S. Augustinus Serm. CLV. c. 12. n. 13. T. V. vere dicere potuerit: *Si recedat Spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis revolvitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiscentias sæculares*. Et in ep. CCXVII., alias 107. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Cui concinunt alii Patres, ut alibi latissime demonstratum fuit (Tom. IV. Diss. III. cap. 6.) quorum perpetua illa vox est, nonnisi a Dei gratia libertatem ad diligendum Deum nobis posse restitui, juxta illud Christi Jesu apud Jo. VIII. 36. *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*a*).

98. Obj. *primo*. S. Paulus ad Rom. I. 21. Philosophos Gentiles ut *inexcusabiles* redarguit, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. His autem videtur S. Apostolus innuere, cognitionem Dei sufficere ad eum diligendum, & glorificandum: atqui ad Deum cognoscendum ut auctorem naturæ necessaria non est Christi gratia, sed sufficiunt vires liberi arbitrii cum naturali concursu Dei, etiam in hoc corruptæ naturæ statu: ergo &c.

99. Confirmatur hoc argumentum ex eo, quod semel ac quisque Deum agnoscat, ut nostrum creatorem, & conservatorem, ac summum bonum, hoc ipso movetur ad eum ceteris omnibus præferendum, & super omnia amandum: unde etiam dilectio Dei super omnia dicitur homini *connaturalis*; voluntas enim nostra naturaliter inclinatur ad bonum; & quo majus est bonum, major est ipsius inclinatio; ita ut ad bonum summum debeat esse inclinatio summa, idest *super omnia*.

100. Resp. etiamsi dicamus, iis Philosophis Gentilibus defuisse gratiam necessariam ad diligendum Deum super omnia, non propterea eos fuisse inexcusabiles, quia sua culpa eadem gratia carebant. *Ad multa*, inquit Angelicus 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. *tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei*. Vide superiori Diss. n. 400. seq. Veruntamen Apostolus eo in loco aliis de causis gentiles illos Philosophos inexcusabiles dicit, ut bene observavit Angelicus Lect. VI.; nimirum *primo*, quia cum cognovissent, Deum omnibus creaturis super eminere, eidem gloriam super omnes creaturas non tribuerunt: *secundo*, quia cum cognovissent, eum esse omnium rerum Dominum, ei debitum cultum non exhibuerunt: *tertio*, quia ejus potentiæ, scientiæ, & providentiæ aliqua subtraxerunt: *demum*, quia cum cognovissent, cuncta nostra bona ab eo promanare, non ei propterea debitas gratias egerunt. Quæ omnia etiam sine summa ipsius Dei dilectione præstari poterant, ut reipsa ab aliquibus peccatoribus præstantur; qui licet Deum super omnia non diligant, fatentur tamen ejusdem excellentiam super omnes creaturas: eumdemque ut solum creatorem, conservatorem, gubernatorem, & Dominum adorant, atque eidem suo modo gratias agunt.

101. Quæ autem in confirm. objecta sunt, probant tantummodo, id hominem potuisse in statu justitiæ originalis, quando vires erant integræ, & ho-

(*a*) Referente P. Thoma de Lemos in *Actis Congreg. & Disput. De Auxil. divinæ gratiæ* pag. 229. cum hac de re disputaretur coram Clemente VIII. ipse Sanctiss. Pontifex dixit: „ quod Molina ponebat actus perfectos „ naturales, & morales, & supremos, sive heroicos, „ sicut sunt dolere de peccatis, cum proposito absoluto amplius non peccandi, & diligere Deum super „ omnia; *in quibus videtur constituere liberum arbitrium sanum, & non infirmum*; sicut enim, si nullum opus morale *facile* posset facere liberum arbitrium, videretur extinctum; ita si nullum est opus „ morale, *etiam difficillimum*, quod homo viribus suis „ facere non possit, constituitur hoc liberum arbitrium „ integrum, & sanum. Dixit etiam Sanctissimus, *quod „ ab omnibus Doctoribus comparabatur homo in statu „ naturæ lapsæ, & naturæ integræ, sicut homo infirmus, & sanus &c.* ".

homo naturaliter erat conversus ad Deum, principium & finem suum. Nunc autem ob rationem oppositam *prædicare debemus*, *& credere*, *quod per peccatum primi hominis ite inclinatum*, *& attenuatum fuerit liberum arbitrium*, *ut nullus postea diligere Deum*, *sicut oportet*, *potuerit*. Verba sunt Concilii Arausicani II. Vid. sup. n. 92.

102. Neque vero ex quo possit homo nativis suis viribus Deum ut primum, & perfectissimum bonum cognoscere, sequitur, posse etiam voluntatem eumdem super omnia diligere. Nam ut recte observat S. Thomas qu. 109. art. 2. ad 3., *magis est natura humana corrupta per peccatum*, *quantum ad appetitum boni*, *quam quantum ad cognitionem veri*, quia peccatum Adami, utpote peccatum puræ malitiæ, magis fuit in voluntate, quam in intellectu. Quod adeo verum est, ut quamsæpissime contingat decantatum illud Poetæ:. *Video meliora*, *proboque*, *deteriora sequor*.

103. Nec iterum ex quo nonnulli patriam, vel amicos ita aliquando dilexerint, ut mortem pro iis oppetere non dubitaverint; quod etiam non paucos pro falsis, & superstitiosis cultibus fecisse leguntur, inferri potest, Deum quoque super omnia diligi posse sine gratia, quemadmodum illi, utique sine gratia, heroicam illam virtutem ostenderunt. Qua in re etiam adduci solet auctoritas S. Bonaventuræ; quasi scilicet Seraphicus Doctor, ex quo aliqui pro patria, vel amicis fortiter mori potuerint, intulerit, id multo magis fieri posse pro Deo.

104. Manifeste enim falsa est illatio; nam homo per peccatum aversus est a vero, & summo bono, & conversus ad bona creata; unde fit; eum plus posse secundum vitiosam cupiditatem in bonis privatis amandis, & prosequendis, quam in diligendo summo, & vero bono, eoque ceteris bonis proponendo. Ad auctoritatem vero S. Bonaventuræ respondebat P. Thomas de Lemos in Disput. XI. coram Clemente VIII., S. Doctorem tantum docere, posse hominem naturæ viribus producere aliquem affectum amoris erga Deum, non autem *super omnia*, unde etiam dicit, hujusmodi affectus esse *similes* charitati supernaturali. Et quamquam innuat, posse hominem suis viribus mori pro patria, non dicit, postea posse etiam suis viribus mori pro Deo: ad hoc enim magnum & efficacissimum Dei adjutorium est necessarium.

105. Dices S. Thomas I. P. qu. 60. art. 5. docet, & probat, Angelum, & hominem *naturali dilectione plus*, *& principalius diligere Deum*, *quam seipsum*, „ Alioquin, *subdit*, si naturaliter plus seipsum diligeret, quam Deum, sequeretur, quod naturalis dilectio esset perversa, & quod non perficeretur per charitatem, „ sed destrueretur ".

106. Resp., Sanct. Thomam non loqui de dilectione Dei voluntaria, & deliberata, sed de dilectione naturali, quæ non solum Angelis, & hominibus, sed etiam brutis, & rebus inanimatis communis est. Ita enim Angelicus ratiocinatur in loco objecto: „ Inclinatio naturalis in his, quæ „ sunt sine ratione, demonstrat inclinationem naturalem in voluntate intellectualis naturæ. Unumquodque autem in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum, quod est, alterius „ est, principalius, & magis inclinatur in id, „ cujus est, quam in seipsum, & hæc inclinatio naturalis demonstratur ex his, quæ naturaliter aguntur .... videmus enim, quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius, „ sicut manus exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis ". Ex hac autem generali doctrina ita postea infert Angelicus: „ Quia igitur bonum universale est ipse Deus, „ & sub hoc bono continetur etiam Angelus, & „ homo, & omnis creatura, quia omnis creatura „ naturaliter, secundum id quod est, Dei est, sequitur quod naturali dilectione etiam Angelus, „ & homo plus, & principalius diligat Deum, „ quam seipsum ". Hanc doctrinam S. Thomas citat, & repetit 1. 2. quæst. 109. artic. 3. sed insuper addit, diversam esse rationem hominis in statu naturæ corruptæ, ita concludens: „ Manifestum est, quod bonum partis est propter bonum „ totius; unde naturali appetitu, vel amore, unaquæque res particularis amat bonum suum proprium propter bonum commune totius universi, quod est Deus .... Unde homo in statu naturæ integram dilectionem sui ipsius referebat „ ad amorem Dei, sicut ad finem, & similiter „ dilectionem omnium aliarum rerum; & ita Deum „ diligebat plusquam seipsum, & super omnia. „ Sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, „ quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei ".

107. Obj. *secundo*. Sanct. Augustinus Serm. CXXIV. *de tempore* loquens de promissione Sancti Petri: *Animam meam pro te ponam*, quæ ex dilectione Dei super omnia utique procedebat, *per solum*, inquit, *liberum arbitrium*, *non addito etiam Dei adjutorio*, *promiserat*, *se pro Domino moriturum*. Illa ergo dilectio Dei super omnia ex solis liberi arbitrii viribus orta erat.

108. Resp., sermonem illum esse spurium, ac propterea merito fuisse a doctissimis Maurinis editoribus rejectum in append. Tomi V. Verus autem Augustinus aliter de illa promissione S. Petri loquitur *de gratia & lib. arb.* c. 17. inquiens: „ Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & „ cooperando perficit, quod operando incepit? " Dicit quidem ibidem S. Doctor, Petrum nondum habuisse *ipsam charitatem*, quam Martyres habuerunt, & putasse, *se posse*, *quod se velle sentiebat;* sed hoc totum referendum est ad tempus illud tentationis, *quando timore ter Dominum negavit;* Deus quippe dederat quidem Apostolorum Principi gratiam dilectionis in voluntate absoluta, &

& efficaci, quam habebat moriendi pro Christo; sed postea ad ostendendum, quanta sit in tentationibus majoris auxilii necessitas, non dedit ei illam uberiorem, fortioremque charitatem, quæ ad opus complendum necessaria erat.

109. Obj. *tertio*. S. Thomas in IV. *Sent.* Dist. XVII. qu. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 6. *Contritio*, inquit, *est a Deo solo, quantum ad formam, qua informatur, sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio, & a Deo, qui operatur in omnibus operibus & naturæ, & voluntatis:* cum itaque contritio quantum ad substantiam includat dilectionem Dei super omnia, hæc dilectio, judice S. Thoma, erit ex libero arbitrio sine gratia, & cum solo illo concursu generali, quo Deus concurrit ad opera naturæ, & voluntatis.

110. Resp., verissime dici a S. Thoma, contritionem, quantum ad formam, qua in nobis gratiam sanctificantem producit, esse a Deo *solo*, quia solus Deus eam formam in nobis efficit. Cum autem subdit, quantum ad substantiam esse ex libero arbitrio, & a Deo, non est putandum, quod sit a Deo per solum concursum generalem, sed per gratiam, moventem liberum arbitrium; alias sequeretur, dilectionem Dei super omnia, prout est auctor gratiæ, seu veram charitatem supernaturalem esse a libero arbitrio cum solo Dei concursu generali; contritio enim, quæ nos justificat, est certe actus supernaturalis, ad quem nemine contradicente vera Christi gratia est necessaria. Nec obsunt verba sequentia: *Qui operatur in omnibus operibus & naturæ, & voluntatis;* neque enim hæc significant, aut significare possunt, Deum nobis in actu contritionis eliciendo eodem modo auxiliari, quo auxiliatur in operibus naturæ; cum Sanct. Doctor in aliis locis, ubi data opera de hoc agit, præter motionem Dei requirat etiam in hoc statu naturæ coruptæ *gratiam sanantem*, quæ certe non est concursus naturalis *(a)*.

111. Dices. Idem S. Thomas in II. *Sent.* Dist. XXVIII. quæst. 1. art. 3. ad. 2. *Potest*, inquit, *aliquis charitatem non habens diligere proximum, & Deum, etiam super omnia, ut quidam dicunt*.

112. Resp., S. Thomam hic non suam exponere sententiam, imo nec communem aliorum Theologorum, sed *quorumdam*, ut patet ex illa restrictione *ut quidam dicunt*. Equidem hanc quorumdam opinionem eo loci non rejecit Sanct. Thomas, rejecit tamen postea senior, & doctior factus, ut patet ex iis, quæ supra retulimus num. 86.

113. Dices iterum. Etiam in Summa Theologica eamdem doctrinam tradidit. Nam 2. 2. qu. 171. art. 2. ad 3. inquit. „ Omne donum gratiæ „ hominem elevat ad aliquid, quod est supra naturam humanam. Quod quidem potest esse du„ pliciter: uno modo quantum ad substantiam a„ ctus, sicut miracula facere, & cognoscere oc„ culta, & incerta divinæ Sapientiæ; & ad hos „ actus non datur homini donum gratiæ habitua„ le: alio modo est aliquid supra naturam huma„ nam quantum ad modum actus, *non autem* „ *quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere* „ *Deum*, & cognoscere eum in speculo creatura„ rum: & ad hoc datur donum gratiæ habituale ". Si igitur diligere Deum non est *quantum ad substantiam actus* supra naturam humanam, poterit homo nativis suis viribus id præstare.

114. Resp., S. Doctorem ibi asserere actus dilectionis, & cognitionis Dei non esse quantum ad substantiam supra naturam humanam, consideratam in sua integritate; esse tamen supra eamdem naturam humanam, si consideretur, prout nunc est, in statu infirmitatis; sicut si quis diceret, non esse supra vires hominis longum iter peragere, etiam per aspera, prærupta, & ardua loca, non esset consequens, id ipsum neque esse supra naturam hominis vulnerati, & infirmi. Hanc autem esse mentem Angelici, liquet ex ejus scopo, nempe assignandi discrimen inter potestatem faciendi miracula, & cognoscendi occulta divinæ sapientiæ arcana, & potestatem diligendi, & cognoscendi Deum, & auctorem naturæ. Primam dicit esse supra naturam humanam, & quantum ad substantiam, & quantum ad modum actus; alteram vere solum quantum ad modum, non quantum ad substantiam, quia absolute non superat vires naturæ humanæ in se consideratæ, sed solum prout infirma est, unde prius indiget sanari per gratiam.

115. Obj. *quarto*. Si ad diligendum Deum super omnia, ut auctorem naturæ necessaria est gratia, nulla erit distinctio inter hanc dilectionem naturalem, & aliam supernaturalem, qua Deus diligitur ut auctor gratiæ, & gloriæ: ergo veræ erunt propositiones Bajanæ supra memoratæ n. 76.

116. Resp., hoc discrimen perspicue assignari a S. Thoma in sæpe laud. qu. 109. art. 3. ad 1. inquiente: *Charitas diligit Deum super omnia eminentius, quam natura &c.* Vide supra num. 88. Jure autem, meritoque damnatas fuisse propositiones Bajanas jam supra innuimus n. 76.; quia cum Deus cognosci possit, & ut auctor naturæ, & ut auctor gratiæ, & gloriæ, consequens omnino est, ut sub utroque respectu a nobis diligi queat, & debeat; non est autem consequens, ut quemadmodum cognosci potest ut auctor naturæ solo naturali lumine, ita etiam naturalibus viribus super omnia amari possit. Damnari etiam illæ propositiones meruerunt propter intemperantes verborum formulas, quibus Bajus illam distinctionem duplicis amoris in scholis receptissimam, rejiciebat, ut com-

(a) Notat P. Thomas de Lemos n. 379. loco sup. cit. hic necessarium non esse dicere cum aliquibus, Sanct. Thomam mutasse sententiam, quamvis & illud verissimum sit, in aliis locis *formalius, expressius, & clarius* docuisse, contrictionem produci, & effici ab infusione gratiæ.

commentitiam, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, & ad illudendum sacris litteris excogitatam: unde aliqui dixerunt, non esse damnatam doctrinam, sed censuram Baji.

117. Sed quidquid sit de sensu propositionum Baji, plusquam certum est, doctrinam nostram a censura Pontificia quam longissime abesse, utpote quam coram sanctissimo Papa Clemente VIII. strenue defendit P. Thomas de Lemos, plaudentibus, & approbantibus sapientissimis Censoribus ad controversias illas definiendas electis; & quam una cum Thomistis tenet bona & melior Theologorum pars. Audiatur gravissimus scriptor Cardinalis Bellarminus, qui Lib. VI. *De gratia, & lib. arbitrio* c. 7. data opera demonstrandum suscepit, ,, non posse ,, Deum sine ope ipsius diligi, neque ut auctorem ,, naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, ,, neque perfecte, neque imperfecte ullo modo; ,, atque hanc sententiam esse Sancti Augustini, ,, imo etiam Scripturarum & Conciliorum, *quid- ,, quid aliqui minus considerate scripserint* (*a*)".

118. Obj. postremo longam Scholasticorum catervam, quos Molinianæ sententiæ adstipulatores esse contendebat P. Gregorius de Valentia in Congregatione VII. coram Clemente VIII.

119. Respondit autem huic objectioni Reverendissimus P. Generalis FF. Prædicatorum Hieron. Xavierre, primo Scholasticos non consentire sententiæ Molinianæ; secundo ,, ostendit Concilium ,, quoddam, quod docebat, quando tractatur de ,, rebus fidei definiendis, solum debere nos uti te- ,, stimoniis divinæ Scripturæ, Conciliorum, & ,, Sanct. Patrum; non autem Mayronis, Trombe- ,, tæ, & similium". Ita apud Lemosium in *Actis &c.* col. 256.

120. Sed idem P. Lemosius in *Panoplia* Lib. III. P. II. Tract. 2. c. 27. allatis plurium Scholasticorum testimoniis intrepide sic respondet: ,, Nihil ,, plane difficilius, magisque molestum, quam o- ,, mnia Auctorum placita, potissime neotericorum, ,, & eorum, quorum nulla, vel parva auctoritas ,, est, curiosius indagare, ea velle defendere, aut ,, in vera intelligentia explicare, cum illorum *qui- ,, dam* plura valde falsa congerant, & sine dele- ,, ctu materialiter in rebus gravissimis a veritate ,, divertant. Qui tamen si pie explicari possunt, ,, exponendi sunt, non ipsorum sententiæ expen- ,, dendæ, sicut de Sanctis Patribus, quibus potis- ,, sime hoc debetur, aliquando S. Thomas asse- ,, ruit, ne ex extensione illorum, quæ minus li- ,, mate dicta sunt, occasio sumatur errandi (*b*)".

121. Postea vero præcipuorum Scholasticorum testimonia breviter examinans, ostendit, eos aliquando loqui de homine in statu naturæ integræ; aliquando de dilectione Dei imperfecta, & non super omnia; aliquando de illis velleitatibus, quæ frequenter in peccatoribus surgunt, dum vellent quidem converti ad Deum, eumque super omnia diligere, voluntate quadam conditionata, si nempe bonis creatis, quæ plus amantur, quam Deus, renuntiandum non esset; absolute autem, & efficaciter nolunt.

122. Quæres, an actus imperfecti dilectionis Dei possint solis arbitrii viribus in statu naturæ lapsæ a nobis elici?

123. Respondet Guill. Estius in Lib. II. *Sent.* Dist. XXVI. §. 38. *affirmative:* atque id probat auctoritate S. Thomæ, aliorumque Doctorum, qui tantum in quæstione ponunt, utrum *super omnia* possit homo lapsus Deum diligere per sola naturalia. Per quod, inquit, utique significant, se supponere, quod homo lapsus id possit aliquo modo, licet non *super omnia*. Ad hoc etiam inducit auctoritates a nobis allatas Conciliorum, atque sanctorum Patrum, qui clausulam illam apponentes *sicut oportet*, vel *super omnia*, manifeste subindicant, aliam esse dilectionem Dei imperfectam, ad quam homines etiam lapsi propriis viribus pervenire possunt.

124. Efficacius autem idipsum probat hac ratione. Dilectio Dei inordinata non procedit a gratia, quia peccatum est, sicut inordinata dilectio creaturæ: at multi diligunt Deum hoc modo; ut qui solo amore concupiscentiæ diligunt Deum, velut quondam carnales Judæi, qui suam qualemcumque Dei dilectionem totam referebant ad terrenam felicitatem, dicentes apud Prophetam Zachariam XI. 5. *Benedictus Deus, divites facti sumus*. Vide etiam locum S. Augustini n. 80.: ergo &c.

125. Longius adhuc procedens idem præclarus A-

(*a*) Hæc postrema verba notanda sunt, atque addendum, in Congregatione habita die 9. Decembris 1602. coram Summo Pontifice Clemente VIII. a doctissimo P. de Lemos fuisse Molinam accusatum, atque etiam, prout Censores judicarunt, convictum, quod docens, *posse hominem ex sola facultate naturæ diligere Deum super omnia*, cum Cassiano conveniret, de quo S. Prosper in Lib. Contra Collatorem cap. 13. n. 42. inquiebat: *Et tanta est secundum ipsum liberi arbitrii incolumitas, & facultas, ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate*. Legi merentur, quæ hac de re sapientissimus Lemosius attulit in laud. Disput. XI., ut ostenderet omnimodam consensionem sententiæ Molinianæ cum Cassiani doctrina.

(*b*) Plura addit sapientissimus hic disputator ibidem legenda, & concludit: ,, In hac gravissima materia ,, attendere, quid Gabriel dixerit? quid Marsilius? ,, quid Henricus? quid Gelaja? quid Julius Syrenius? ,, quid Durandus? quid denique Ocham? quorum minima auctoritas est, & in plurimis aliis convincun- ,, tur a veritate deviasse... nihil est aliud, quam cum ,, iis velle a veritate deviare, non eam sincere acqui- ,, rere". Vindicat tamen aliquos insigniores Thomistas, ut Cajetanum, Domin. Soto, Mag. Bannez, Bartholom. Medinam ex nostris, deinde Ruardum Tapperum, Ægidium Romanum, Thomam Argentinam, Stapletonium &c.

Academiæ Duacensis Concell. in proposit. sexta affirmat, *posse hominem lapsum aliquo dilectionis modo Deum super omnia diligere ex solis naturæ viribus*. Cujus hanc affert rationem; quia sicut potest homo Deum, ut ens præstantissimum & summum bonum cognoscere per naturam, ita diligere, ut tale, „Hoc autem, *inquit*, est quodam„modo diligere super omnia, quia voluntas sic „diligendo fertur in illud, tanquam summum bo„num, & illi ut summo bono afficitur".

126. Veruntamen Theologus iste non videtur hoc loco quæstionem movere, nisi de vocibus; fatetur enim cum S. Augustino neutram dilectionem esse *veram dilectionem*. Nam S. Pater Libro VIII. *de Trinit.* cap. 7. T. VIII. primo quærit, *quid sit vera dilectio, imo vero quid sit dilectio? ea quippe dilectio est, quæ vera est, alioquin cupiditas est*. Deinde sic statuit; *Hæc est vera dilectio, ut inhærentes veritati juste vivamus*. Unde postea idem Estius nobiscum sentiens hanc postremam ponit propositionem: „Non potest homo lapsus solis „naturæ viribus Deum diligere super omnia, ne„que ut bonum suum beatificum, neque etiam „ut auctorem naturæ, ne quidem puncto tem„poris".

127. Nos igitur satius ducimus affirmare cum Cardinali Bellarmino superius n. 117. laudato „non „posse Deum sine ope ipsius diligi, neque ut au„ctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ, & „gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte ullo „modo". Quod doctus ille purpuratus inde probat, quia si charitas perfecta ex Deo est, ex Deo etiam debet esse ejusdem inchoatio; & sicut initium fidei Dei donum est, non minus quam ipsa fides consummata, & perfecta, ita etiam initium charitatis tribuendum est Deo, a quo est ejusdem charitatis perfectio. *Nec initium ejus*, inquit S. Augustinus Libro II. ad Bonifacium cap. 9., *ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est*. „Avertat „enim Deus hanc amentiam, ut in ejus donis nos „priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam „misericordia ejus præveniet me". *Et de Gratia, & lib. arb.* cap. 17. loquens de S. Petro, qui charitatem *quamvis parvam, & imperfectam* habebat, quando dicebat Domino: *Animam meam pro te ponam*, inquit: „Et quis istam, etsi par„vam, dare cœperat charitatem, nisi ille, qui „præparat voluntatem, & cooperando perficit, „quod operando incipit"?

CAPUT IV.

Ostenditur necessitas gratiæ ad superandas tentationes.

128. Tentationis nomen theologico sensu omne illud significat, quod nos provocat ad malum, sive interius per internam perduellem concupiscentiam, sive exterius per objecta, quæ vel blandiendo, vel terrendo nos ad divinam legem violandam sollicitant. Solet autem dividi in levem, gravem, & gravissimam, tum in brevem, & diuturnam; quæ divisiones ex ipsis terminis satis claræ sunt, ut explicatione non indigeant.

129. Sed illud probe notandum, tribus modis posse quamcumque tentationem superari: primo ex Dei amore super omnia; secundo ex naturali rationis dictamine, scilicet ex naturali honesto fine, ex turpitudine peccati, ex naturali pœnæ timore &c. tertio ex fine pravo; ut cum avarus tentationibus luxuriæ, aut gulæ propter inordinatum pecuniæ amorem resistit. Sic *Philosophi sæculi*, inquiebat S. Hieronymus epist. CXXV. ad Rusticum Monachum, *solent amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo expellere*. Et S. August. Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 16.: „Nonnunquam „apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, „quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat „superbia, & quædam sibi placendi altitudo rui„nosa". Atque hoc modo celebres illi Heroes Romani, & Græci inordinata gloriæ cupiditate alia vitia vincebant: unde de Junio Bruto, qui filios suos patriæ amori immolasse videbatur, cecinit Virgilius Æneid. VI.

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Hoc modo superari posse tentationes sine aliqua gratia Dei, nemo inficiatur; quamquam isti appellari non possunt victores tentationum, cum nonnisi victi ab una, aliam vincant, seu, ut S. Prosper canebat, *in vulnera vulnere surgant* (a).

130. Neque etiam in dubium vocari potest, nisi a Pelagianis, ad vincendas tentationes ex dilectione Dei super omnia, seu ex motivo charitatis, requiri gratiam Dei supernaturalem, & efficacem; per quam solam Dei dilectionem vera, & perfecta victoria tentationum habetur, dicente S. Augustino loco supra laud.: „Tunc solum vitia nostra „victa deputanda esse, cum Dei amore vincun„tur, quem nisi Deus ipse non donat, nec ali„ter.

(a) Timorem nobis incutit S. Augustinus, dum in Ps. XLIII. explicans illa verba: *Ipse enim novit abscondita cordis*, postquam vana hæreticorum martyria esse declaravit, ita subdit: „Prorsus in ipsa Ecclesia, „dicam Catholica, putatis defuisse, aut deesse posse, „qui causa humanæ gloriæ paterentur? Si deessent „hujusmodi homines, non diceret Apostolus (1. Cor. „XIII. 3.): *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Scie„bat ergo, esse posse quosdam, qui hoc jactatione „facerent, non dilectione".

„ ter, nisi per mediatorem Dei, & hominum Je-„ sum Christum". Et hæc est vera victoria tentationum, unde meritum apud Deum exoritur: cujus gratia *facit in nobis de tentatione proventum*, ut ait Apostolus I. Cor. X. 13. Hinc S. Thomas in II. Dist. XXVIII. qu. 1. art. 2. ad 6. bene distinguit: „ aliud esse peccato resistere, aliud victoriam „ de peccato habere .... ille enim proprie vincit „ peccatum, qui potest pertingere ad hoc, contra „ quod est pugna peccati". Talis autem victoria, quæ imputatur ad meritum, non habetur sine gratia sanctificante.

151. His igitur duobus modis sepositis, controversia solummodo nata est de victoria tentationum ex amore Dei naturali, aut ex fine honesto, ne lex naturalis a Deo in cordibus nostris implantata infringatur; an scilicet hæc victoria solis naturæ viribus sine Dei gratia obtineri queat? Qua de re P. Thomas de Lemos fortissime dimicavit in duabus Congregationibus XII., & XIII. habitis coram Clemente VIII. (*a*). Nostra autem sententia una cum saniore, ac majori Theologorum parte hæc est.

PROPOSITIO.

Nulla saltem gravis tentatio sine gratia Salvatoris in statu naturæ lapsæ superari potest (*b*).

152. Prob. *primo* ex sacris litteris, præcipue ex divinis Psalmis, in quibus hæc veritas quam sæpissime inculcatur. *Ps. XVII.* „ In te eripiar „ a tentatione. *Ps. XXIX.* Avertisti faciem tuam „ a me, & factus sum conturbatus. *Ps. XXXVI.* „ Salus autem justorum a Domino, & protector „ eorum est in tempore tribulationis. *Ps. CXVII.* „ Impulsus eversus sum, ut caderem, & Domi-„ nus suscepit me"; & nihil frequentius in libris sanctis occurrit, quam Dei opis imploratio ad tentationes vincendas: „ *Ps. CVII.* Da nobis auxilium „ de tribulatione, quia vana salus hominis. In „ Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum de-„ ducet inimicos nostros". Hinc Jesus Christus in Oratione Dominica sic orare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem;* & Matth. XXVI. 41. præcipiebat Apostolis: *Orate, ut non intretis in tentationem*. Quod se præstare semper fatebatur David dicens in Ps. XXIV. „ Oculi mei semper ad „ Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pe-„ des meos".

153. Facile autem esset respondere, hæc intelligi debere de necessitate gratiæ ad vincendas tentationes cum merito, non autem ad resistendum iisdem tentationibus sine ullo merito, tantum ut peccatum evitetur, ex fine honesto, aut etiam ex amore Dei naturali, dictante, servanda esse naturalis legis præcepta.

154. Futilis inquam est ista responsio; quia S. Patres hæc testimonia in eo etiam sensu intellexerunt, & explicarunt, ut inde cognosceremus, quanta sit in hoc corruptionis statu nostra imbecillitas. Audiatur Sanct. Martyr Cyprianus, qui multo ante exortam hæresim Pelagianam in Tract. *De Orat. Dominica* (apud S. Augustin. Lib. IV. ad Bonifacium c. 9.) „ quando oramus, *inquit*, ne in ten-„ tationem veniamus, admonemur infirmitatis & „ imbecillitatis nostræ, dum sic oramus, ne quis „ se insolenter extollat, ne quis sibi superbe, at-„ que arroganter aliquid assumat". S. etiam Ambrosius in Ps. XLIII. n. 72. „ Quis est, *inquit*, „ tam fortis, ut nequaquam in tentatione movea-„ tur, nisi Dominus ei adjutor assistat"? Ac demum, ut alios prætermittam, S. Augustinus Lib. III. *Oper. imperf.* cap. 109. „ Cohibere, *inquit*, „ a crimine voluntatem, hoc ipsum est, nec aliud „ quidquam, non intrare in tentationem. Sed si „ haberemus in potestate propriæ voluntatis, non „ moneremur, ut id orando a Domino poscere-„ mur". In quibus testimoniis necessitas divini auxilii ad repellendas tentationes non desumitur ex merito, quod sine gratia nullum esse potest, sed ex infirmitate nostrarum virium ad resistendum tum internis, tum externis tentationum conatibus.

155. Prob. *secundo* nostra propositio definitionibus Conciliorum, & oraculis Summorum Pontificum. Nam primò Synodus Diospolitana, referente Sancto Augustino *De Gestis Pelagii* cap. 18. damnavit illam Cælestii doctrinam: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio;* unde postea idem S. Augustinus in epist. CLXXXVI. alias 106. recte inferebat c. 9. quemlibet fateri debere: „ quando contra tentationes, „ concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis „ & illic habeamus propriam voluntatem, non ta-„ men

(*a*) Cassianus ex Semipelagianorum grege in celebri Collat. XIII. cap. 13. seq. contendebat, solis viribus liberi arbitrii posse vinci tentationes etiam gravissimas, qualis certe fuit tentatio Job; undè illa verba Apostoli 1. Corinth. X. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, eo sensu explicabat, quod Deus ita tentationes ab extrinseco moderabatur, ut non excederent naturales liberi arbitrii vires. Vide, quæ de Job dicta sunt Dissert. II. num. 28. Lemos autem ostendebat, hanc ipsam fuisse doctrinam Molinæ, qui aliquando etiam verba Cassiani usurpavit. Quidquid vero sit de hac convenientia Molinæ cum Cassiano, certum est, Molinam cohærenter ad ea, quæ de viribus hominis lapsi perpetuo docuerat, etiam tantam tribuisse nostro libero arbitrio facultatem, ut posset sine adjutorio Dei graves tentationes superare, & sin minus diuturnas, saltem breves. Vid. P. Lemos loco cit. & plenius in *Panoplia* T. IV. p. 53. & seq., ubi etiam ostendit Molinam hac in parte deseri a suis, ut *quasi solus* remaneat.

(*b*) Diximus *saltem gravem;* quia nolumus cum iis decertare, qui tentationes quasdam levissimas, & brevissimas posse sine auxilio gratiæ superari, dicunt; qui tamen, Bellarmino observante, facile possunt cum aliis conciliari; quia levissimæ illæ titillationes vix possunt in proprio sensu *veræ tentationes* vocari.

„ men ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram pro„ venire victoriam". Patres Milevitani in epist. Synodica ad Summum Pontificem Innocentium I. (inter Augustinianas CLXXVI.) inter alios hæresis Pelagianæ a se condemnatæ *perniciosissimos errores* hunc enumerant, nempe quod dicitur: „ *Ne nos inferas in tentationem*, non ita esse „ intelligendum, tanquam divinum adjutorium po„ scere debeamus, ne in peccatum tentati decida„ mus, sed hoc in nostra esse positum potestate, „ & ad hoc implendum solum sufficere volunta„ tem hominis". Quorum similia habent etiam Patres Synodi Carthaginensis in sua epist. ad eumdem S. Innocentium: ubi semper necessitas divini auxilii ad repellendas tentationes ex naturæ nostræ imbecillitate repetitur.

136. Ac demum hæc veritas in Concilio Tridentino solemniter confirmata fuit Sess. VI. cap. 13. ubi admonentur fideles: ut „ qui se existi„ mant stare, videant, ne cadant, & cum timore, „ ac tremore salutem suam operentur in labori„ bus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, „ & oblationibus, in jejuniis, & castitate; formi„ dare enim debent .... de pugna, quæ superest, „ cum carne, cum mundo, cum diabolo; in qua „ victores esse non possunt, nisi cum Dei gra„ tia &c."

137. Eamdem Catholicam veritatem Summi Pontifices suis oraculis certissimam reddiderunt. Nam Innocentius Papa in epist. ad Patres Carthaginenses (inter Augustin. CLXXXI.) ita contra Pelagianos decrevit: „ Quotidiana præbet ille (*Christus*) „ remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, „ nullatenus humanos vincere poterimus errores. „ Neque est enim, ut quo auxiliante vincimus, „ eo iterum non adjuvante vincamur. *S. Cœlestinus in Epist. ad Episcopos Galliæ Capit.* 6. *definit*, „ neminem, etiam baptismatis gratia re„ novatum, idoneum esse ad superandas diaboli „ insidias, & ad vincendas concupiscentias, nisi „ per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam „ bonæ conversationis acceperit".

138. Respondent Adversarii, has Conciliorum, Romanorumque Pontificum definitiones esse intelligendas de victoria omnium tentationum *collective*, & per longum tempus, imo per totum vitæ decursum; eo enim spectabant, ut pestiferam Pelagianorum hæresim condemnarent, qui homines nulla Dei gratia indigere dicebant ad servanda omnia divina præcepta, atque ad omnes simul tentationes vicendas. At vero Molina, & qui pauci eum sequuntur, docent posse quidem singulas divisim tentationes sine gratia vinci, & per aliquod breve tempus, non autem per diuturnum, multoque minus per totum vitæ decursum.

139. Sed vanum hoc esse effugium, clarissime ostendunt verba superius allata, quæ sine ulla restrictione loquuntur de quacumque victoria tentationum, sive *collective*, sive *divisim*. Et hoc quidem providentissime, quia Pelagiani non solum in hoc errabant, quod solis naturæ viribus adscriberent victoriam omnium tentationum *collective*; sed a fortiori idem inferebant de tentationibus divisim acceptis, & per breve tempus. Æquum igitur erat ad tollendum utrumque errorem generaliter definire, tentationes nullo pacto vinci posse, nisi ope auxilii divini. Ulterius insolens non est, ut aliquando Sacrosancta Concilia non solum damnent id, quod expresse, & principaliter ab impiis hæreticis contra veritatem Evangelicam disseminatur, sed ut falcem ad radicem mittant, ad omnia errorum germina exscindenda.

140. Ac præterea, quid illa Concilia Africana definierint contra Pelagium, nemo melius scire potuit, quam Sanct. Augustinus, qui eorumdem mens fuit atque anima: integri autem hujus S. Patris libri exscribendi forent, in quibus frequentissime docuit, & demonstravit necessitatem divinæ gratiæ ad omnes tentationes superandas. Sed brevitatis gratia sufficiet unus, vel alter locus, Lib. III. *Operis imperf.* c. 109. ita Pelagianos redarguit: „ Ho„ mines elati, & inflati, nolite in vestra virtute „ confidere. Deo vos subdite, atque ut volunta„ tem cohibeatis a crimine, & in tentationem „ non intretis, orate; nec existimetis, vos non „ intrare in tentationem, quando ab opere a„ liquo malo concupiscentiam carnis forti volun„ tate cohibetis. Ignoratis versutias tentatoris: in „ majorem tentationem, quando hæc voluntati ve„ stræ sine Dei adjutorio deputatis, intratis. *Et* „ *Lib. VI.* c. 15. In hoc agone, *inquit*, magis nos „ Deus voluit orationibus certare, quam viribus, „ quia & ipsas vires, quantas hic habere nos com„ petit, ipse subministrat certantibus, quem ro„ gamus. *Ac denique suum Librum* De perfectio„ ne justitiæ hominis *ita concludit:* Quisquis ne„ gat, nos orare debere, ne intremus in tentatio„ nem (negat autem hoc, qui contendit, ad non „ peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse ho„ mini necessarium, sed sola lege accepta huma„ nam sufficere voluntatem), ab auribus omnium „ removendum, & ore omnium anathematizandum „ esse non dubito". Hoc testimonio S. Augustini utitur S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 8. ad probandum, hominem sine gratia non posse non peccare.

141. Et Sanct. Prosper, qui in pugna contra Semipelagianos Magistro suo Augustino successit, *Contra Collatorem* cap. 15. n. 47. postquam multa dixisset ad convellendum errorem Cassiani de viribus liberi arbitrii in tentationum certamine, ita concludit: „ Quisquis igitur in tribulationibus „ non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad „ quem quotidie corda universorum fidelium cla„ mant: Ne inferas nos in tentationem. *Et in ep.* „ *ad Ruffinum* c. 10. *de S. Petro hæc habet*: Et „ ne libero arbitrio videretur stare, qui de se ma„ gna promiserat, permittitur periclitari, ut con„ turbatum, ac deficientem ille respiciat, & re„ ficiat, sine quo nemo consistit, nemo persistit".

142. Imo etiam ante Sanct. Augustinum & Prospe-

sperum hanc ipsam divini auxilii necessitatem ad vincendas tentationes agnoverunt, & prædicarunt S. Patres. Luculentissima Cypriani, & S. Ambrosii testimonia jam supra attulimus n. 134.

143. S. Joann. Chrysostomus Hom. in paralyticum demissum per tectum n. 2. Tom. III. *Quantumvis*, ait, *sæpe philosophemus*, *quamvis omnium robustissimi simus*, *ac validissimi*, *si illius* (Dei) *absit auxilium*, *ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere*. Et Hom. XXIV. in epist. 1. ad Cor. T. X. explicans illud Apostoli: *Fidelis Deus est*, *qui non patietur vos tentari supra id*, *quod potestis*. „ Sunt, inquit, tentatio„ nes, quæ ferri non possunt; & quænam illæ? „ Omnes, ut ita dicam; potestas enim in Dei nu„ tu sita est. Quamobrem ut discas, & videas, „ quod non solum illas, quæ nostram superant „ potestatem, sed neque hasce humanas possimus „ sine illius auxilio facile ferre, subjunxit: *Sed* „ *faciet cum tentatione proventum*, *ut possitis* „ *sustinere*. Neque enim illas moderatas, ut di„ xi, propria virtute feremus; sed in his quoque „ ejus egemus auxilio, ut eas pervadamus".

144. Nec demum prætereundus est S. Hieronymus, qui in Dialogo I. adv. Pelagianos illud Christi monitum: *Vigilate*, *&* *orate*, *ne intretis in tentationem* ita contra eosdem urget: *Debuisset dicere juxta vos:* Surgite, & resistite; *liberum enim habetis arbitrium*, *&* *semel concessa vobis a Domino potestate*, *nullius alterius indigetis auxilio*.

145. Ex his, aliisque multo pluribus Ss. Patrum testimoniis, quæ brevitatis amore cogimur prætermittere, facile quisque colliget, nullam ab iis factam fuisse distinctionem inter breves, & diuturnas, vel inter leves, & graves tentationes, ut concederent Pelagianis, primas posse viribus liberi arbitrii superari, non autem secundas; quam tamen distinctionem fieri oportuisset, tum veritatis amore, tum etiam ut ita facilius adversarios catholicæ doctrinæ conciliarent. Illi vero distinctionem inter leves, & graves tentationes penitus ablegarunt; ut patet ex verbis S. Joann. Chrysostomi mox allegatis. S. autem Gregorius Papa Lib. V. in Libros Regum nos cautos vult esse, præcipue in tentationibus levibus, quia *magna*, inquit, *prælia electis permittit Deus*, *quæ vincant*, *levia excitat*, *in quibus cadunt;* ne scilicet de victoria majorum tentationum se extollant.

146. Imo neque Pelagianis unquam concesserunt, necessarium esse divinum auxilium, non *absolute*, sed solum ut *facilius* tentationes superarentur. Sanct. Augustinus *De gratia Christi* c. 27. Pelagium confitentem esse necessariam divinam gratiam, ut *facilius nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus*, ita vehementer objurgat: „ Ut „ quid enim hoc verbum interposuit, id est *faci*„ *lius?* An vero non erat integer sensus, ut *ne*„ *quam spiritui Sancti Spiritus auxilio resi*„ *stamus?* Sed quantum detrimentum hoc addi„ tamento fecerit, quis non intelligat? Volens u„ tique credi, tantas esse naturæ vires, quas ex„ tollendo præcipitat; ut etiam sine auxilio Spi„ ritus Sancti, etsi minus facile tamen aliquo mo„ do nequam spiritui resistatur".

147. Audiatur postremo Angelicus noster Præceptor, qui 1. 2. qu. 109. art. 9. probat. eos etiam, qui gratiam justificantem consecuti sunt, indigere auxilio Dei movente ad recte agendum, & primo quidem ratione generali, *quia nulla res creata potest in quemcumque actum prodire*, *nisi moveatur a Deo:* „ Secundo ratione speciali „ propter conditionem status humanæ naturæ; quæ „ quidem licet per gratiam sanetur, quantum ad „ mentem, remanet tamen in ea corruptio, & in„ fectio, quantum ad carnem, per quam *servit* „ *legi peccati*, ut dicitur Rom. VII. 25. Remanet „ etiam quædam ignorantiæ obscuritas, secundum „ quam, ut etiam dicitur Rom. VIII. 26. *quid o*„ *remus*, *sicut oportet*, *nescimus;* propter va„ rios enim rerum eventus, & quia etiam nos i„ psos non perfecte cognoscimus, non possumus „ ad plenum scire, quid nobis expediat, secun„ dum illud Sap. IX. 14. *Cogitationes mortalium* „ *timidæ*, *&* *incertæ providentiæ nostræ*. Et i„ deo necesse est nobis, ut a Deo dirigamur, & „ protegamur, quia omnia novit, & omnia pot„ est. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei „ per gratiam convenit dicere: *Et ne nos indu*„ *cas in tentationem*, *&c.*"

148. Huic doctrinæ, quæ in sacris litteris & in ecclesiastica traditione solidissime fundata est, illud communiter opponitur, quod si homo in quolibet puncto temporis non potest quamlibet etiam gravissimam tentationem propriis viribus superare, tunc necessario tentationi succumbet; ubi autem necessitas est, nulla est libertas, & ubi nulla libertas, nullum esse potest peccatum.

149. Hanc potissimum difficultatem Pelagiani perpetuo objiciebant Sancto Augustino; quem propterea ut eversorem liberi arbitrii, & Manichææ impietatis restauratorem accusabant; quibus tamen S. Doctor respondebat, esse in nobis liberum arbitrium, sed illud ad bonum operandum non sufficere, nisi a Dei gratia adjuvetur, juxta illud Jo. VIII. 36. *Si vos Filius liberavit*, *vere liberi eritis* (*a*). Ex qua doctrina S. Augustini, & ex iis, quæ tradit S. Thomas, potissimum in Qu. XXIV. De

(*a*) Ita objiciebat Julianus Pelagianus apud Augustinum Lib. I. ad Bonifacium c. 1: *Dicunt illi Manichæi* (nempe Augustiniani) .... *quia primi hominis peccato*, *idest Adæ*, *liberum arbitrium perierit*, *&* *nemo jam potestatem habeat bene vivendi*, *sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur*. Cui calumniosæ objectioni eodem loco S. Doctor ita respondet: „ Quis au„ tem nostrum dicat, *quod primi hominis peccato pe*-

De Veritate art. 12. ita bene inferebat sapientissimus Lemos n. 95. „ Stat optime, quod peccator „ libere peccet, consentiendo tentationi gravi, & „ vehementi, licet eam gratia superare non possit; quia libertatem habet ad illi resistendum, „ sed minus potentem, & sufficientem; ad consentiendum autem ei libertatem habet sufficientissimam, unde vere peccat &c." Et si hoc argumentum valeret, probaret quoque, posse hominem nativis suis viribus resistere vehementi tentationi, etiam quando *diutius* durat; ne scilicet si dicamus, tunc esse necessariam Dei gratiam, consequeretur, nullam amplius in nobis esse libertatem. Non posse autem nos vehementi tentationi resistere, si diu duret, fatetur ipse Molina, hanc apponens conditionem Disp. 19. membro 5. *dummodo non longo tempore duret.*

150. Quod si urgeatur, gratiam aliquando deesse, & tunc deesse quoque potentiam, & libertatem ad tentationes vincendas, responderi debet, justis hanc gratiam numquam deesse, sed solum peccatoribus in pœnam præcedentium peccatorum; & tunc hanc impotentiam esse ipsis voluntariam, utpote quæ ex culpis oritur libera voluntate commissis.

151. Id ipsum tradit etiam Sanct. Præceptor noster 1. 2. qu. 109. art. 8., ubi aperte docet, hominem in statu naturæ corruptæ non posse sine gratia sanante vitare omnia peccata. Objicit autem sibi illud S. Augustini dictum: *Nullus peccat in eo, quod vitare non potest;* & ita ad 1. respondet: „ Homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam. Et „ tamen, quia ex ejus defectu est, quod homo se „ ad gratiam habendam non præparet, propter „ hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia „ peccatum vitare non potest".

152. Obj. secundo. Non desunt exempla fortium virorum, qui mortem oppetere maluerunt, quam officio suo deesse, Martyrum quoque falsarum religionum, qui atrocissimos cruciatus incredibili fortitudine sustinuerunt, utique viribus naturæ, & sine ullo divinæ gratiæ auxilio. Cur itaque fideles non poterunt suis viribus ex naturali Dei dilectione, vel ex alio fine honesto ordinis naturalis similia præstare, & cuicumque etiam vehementissime tentationi resistere?

153. Resp., in eo esse magnum discrimen, quod hominis peccatoris voluntas est aversa a Deo summo, & incommutabili bono, & conversa ad bona temporalia, & creata: unde mirum non est, si pro dilectione creaturarum, præcipue verò accedente motivo superbiæ, & inanis gloriæ, cui Heroes Gentiles, tamquam idolo principali, omnes alias passiones immolabant, aliqua egregia, & difficillima, præstiterint. Præcipue quia ad hæc præstanda nulla obstabat tentatio dæmonis, qui aliis bonis operibus pro Deo factis solet, quotquot potest, difficultates objicere. Vide sup. n. 129. At vero ut aliquis hæc præstet pro Deo, necesse est, ut Deum super omnia diligat, quæ summa Dei dilectio sine gratia speciali haberi non potest.

154. Obj. ult. Hæc sententia proscripta fuit a duobus Summis Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII., damnata illa propositione Baji num. 30. „ Non solum fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per „ Christum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam „ justitiam conscendi posse dicunt: aut tentationi „ ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut „ ab ea superetur".

155. Resp. hanc propositionem fuisse damnatam in sensu Baji, qui, ut apparet ex alia ejus propositione 35. sine gratia sanctificante nihil penitus boni fieri posse dicebat, & quodcumque agit peccator, peccatum esse. Fortasse etiam illa propositio in earum numero recensenda venit, quæ apostolico obelo configi meruerunt, quia arroganti supercilio opiniones, quæ in quibusdam Scholasticis ab Ecclesia tolerantur, damnare audebant. Id probabile fit ex acerrima illa censura in verbis illis præcedentibus: *Non solum fures &c.* Utut autem hæc sint, quomodo magnus Lemosius coram Clemente VIII. nostram sententiam defendere ausus fuisset, si erat ab ejus prædecessoribus tam solemniter proscripta? Quomodo eamdem tanto studio defendisset Bellarminus, tamquam *Scripturæ, & Patribus magis consentaneam* Lib. V. *De grat. & lib. arb.* c. 7., & post ipsum tot graves, ac doctissimi Theologi defendere pergerent? Hoc satis superque ostendit, non in nostro, sed in sensu Bajano fuisse propositionem illam justo anathemate percussam.

„ *rierit liberum arbitrium ab humano genere?* Libertas „ quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget „ gratia; dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit,* „ *tunc vere liberi eritis,* utique liberi ad bene, justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo „ in peccatore non periit, ut per illud peccet: maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore „ peccati hoc eis placet, quod eos libet. Unde & Apostolus Roman. VI. 20. *Cum essetis,* inquit, *servi* „ *peccati, liberi fuistis justitiæ.* Ecce, ostenduntur, „ etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate, „ servire. *Liberi ergo a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis, liberi autem a peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris*".

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS

PARS SECUNDA

DE GRATIA HABITUALI, ET SANCTIFICANTE

Postquam de actualibus divinæ gratiæ auxiliis satis disputatum est, superest, ut de gratia habituali, & sanctificante dicamus, ad quam vel inducendam, vel conservandam, vel augendam auxilia gratiæ actualis ordinantur. Tribus autem dissertationibus hanc materiam complectemur, quarum prima erit de ipsa gratiæ sanctificantis essentia, reliquæ duæ de justificatione, & merito, qui duo præcipui sunt gratiæ sanctificantis effectus.

DISSERTATIO I.

De Gratiæ Habitualis essentia.

1. Dolendum plane est, innumeras fuisse de gratia sanctificante, & de justificatione a Theologis excitatas controversias, *quibus*, ut ait Contensonius Lib. VIII. *Theol. mentis*, *& cordis* Dissert. IV. Cap. 1. *splendidissima totius Theologiæ materies*, *Christianismi gloria*, *ac character infuscatur magis*, *quam illustratur*. Hoc vitio declinato, quæ utilia aliquo modo sunt, breviter indicabimus; quæ autem necessaria, operosius pro virili nostra expendemus.

CAPUT I.

Explicatur, quid propriæ sit gratia habitualis, & nonnullæ quæstiunculæ breviter resolvuntur.

2. Angelicus Doctor gratiam habitualem esse definit qualitatem animæ inhærentem. „ Deus, *inquit* 1. 2. quæst. 110. art. 2. illis, quos movet „ ad consequendum bonum supernaturale æternum, „ infundit aliquas formas, seu qualitates superna- „ turales, secundum quas suaviter, & prompte ab „ ipso moveantur ad bonum æternum consequen- „ dum: & sic donum gratiæ qualitas quædam „ est ".

3. Non desunt, qui hanc S. Thomæ sententiam, quæ communis plane est inter Scholasticos, ad fidem pertinere putent, innixi potissimum his Concilii Tridentini verbis Sess. VI. cap. 7. „ Justifi- „ catio non est sola peccatorum remissio, sed & „ sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per „ voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, „ unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico „ amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æ- „ ternæ (Videatur Catechismus Roman. Part. II. „ *de Sacram. Bapt.* c. 2. num. 50.) ". Id etiam satis luculenter erui arbitrantur ex Concilio Viennensi celebrato in Galliis sub Clemente V. anno 1311.

4. Veruntamen quia maximi interest, fidei dogmata ab opinionibus scholarum secernere, dissimulandum non est, multos gravesque Theologos, Medinam in 1. 2. qu. 110. art. 2., Bellarminum Lib. II. *de justif.* cap. 15., Canum Lib. VII. *de locis Theol.* c. 2., aliosque contendere, nihil aliud fuisse ab Ecclesia statutum, nisi gratiam esse aliquid reipsa animæ infusum, eique inhærens contra errorem Novatorum, qui hominem justificari docebant per solam extrinsecam peccatorum condonationem; unde Canone 11. ita definitum est: „ Si quis dixerit, homines justificari, vel sola im- „ putatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum „ remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ „ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, „ atque aliis inhæreat, aut etiam gratiam, qua „ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathe- „ ma sit ".

5. Petavius pluribus, ut solet, cum Scripturæ, tum Patrum allatis testimoniis in Lib. VIII. *de Trinit.* c. 4. & seq., probare nititur, gratiam sanctificantem in novo Testamento non esse aliquam virtutem, sed ipsam Spiritus Sancti personam justis οὐσιωδῶς *substantialiter* conjunctam, *tametsi substantiæ Dei*, *qua sanctificamur*, *comes sit infusa qualitas*, *quam vel gratiam*, *vel charitatem dicimus* (ita loquitur ibi. c. VI. n. 3.). Dixi *in Novo Testamento*; putat enim hoc esse singulare privilegium Sanctis post illud tempus concessum, quo Spiritus Sanctus in Apostolos sub ignis specie descendit; justis autem sub veteri lege Spiritum Sanctum κατ' ἐνέργειαν *secundum virtutem* tantum, id est operatione tenus fuisse communicatum (ibi. Cap. VII.).

6. Videtur etiam id prius docuisse Magister sententiarum in Lib. I. Dist. XVII. contendens, hoc esse inter charitatem, & alias virtutes discrimen, quod Spiritus Sanctus operetur in nobis actus fidei,

dei, & spei media fide, & spe, actum vero diligendi per se tantum sine alicujus virtutis medio; quam sententiam impugnavit S. Thomas in Comment. ad hunc locum, tum 1. parte qu. 43. art. 3., & 2. 2. qu. 23. art. 2., ubi tamen Magistrum explicat, ut non docuerit, *motum dilectionis, quo Deum diligimus, esse ipsum Spiritum Sanctum, sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu Sancto, non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu Sancto sunt alii virtuosi actus mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei, aut spei, aut alicujus alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam charitatis.*

7. Verum hæc doctissimi hominis opinio paucis probari potuit: valde enim difficile est illam cum iis Tridentini verbis conciliare, quibus dicitur Sess. VI. cap. 7. „ Unica formalis causa justificationis „ nostræ est justitia Dei, non qua ipse justus „ est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab „ eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & „ non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, „ unusquisque suam secundum mensuram, quam „ Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult". His enim verbis luculenter indicatur, Spiritum Sanctum esse nostræ justificationis causam efficientem, non formalem. Discrimen etiam illud inter Sanctos veteris, ac novi fœderis, haud satis solidis fundamentis inniti videtur; immo illi S. Augustini sententiæ contrarium, quæ legitur Epist. CLXXXVII. alias LVII. c. 11. *Non audemus fideles temporis nostri præferre amicis Dei, per quos nobis ista prophetata sunt.* Sed hæc longius persequi non vacat.

8. Quamquam vero, ut mox exposuimus, gratia sanctificans non est ipsa Spiritus Sancti persona nobis substantialiter communicata. Theologi tamen unanimi fere calculo docent, eamdem esse quamdam participationem divinæ naturæ, quod & sacris litteris, & Traditioni omnino consonat. Nam præterquam quod Scriptura justos appellat, modo *filios Dei*, ut Rom. VIII. 16. & 17. modo *natos ex Deo*, ut Jo. I. 13. modo *renatos ex Spiritu Sancto*, ut Jo. III. 5. legitur; luculentissimum est illud S. Petri testimonium Epist. II. cap. I. 4. *Per quem* (Christum) *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Omnium autem Ss. Patrum instar sit præclara illa S. Leonis sententia Serm. I. de Nativ. *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Reminiscere, quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & gloriam.*

9. Id cum certum sit, inter Scholasticos quæstio exoritur, an participatio ista divinæ naturæ *formalis* sit, & *physica*; an vero moralis tantummodo, quæ scilicet consistat in quadam convenientia cum natura Dei, non quantum ad esse reale, & physicum, sed quantum ad rectitudinem affectus. Prima sententia plures habet patronos, & rationi conformior videtur. Cum enim per gratiam sanctificantem homo supra naturam suam elevetur *formaliter*, & *physice*, consequens etiam est &c. quemadmodum ferrum ignitum non elevatur ad producendos ignis effectus, nisi quatenus ignis naturæ *physice*, & *realiter* particeps fit.

10. Majoris fortasse momenti aliquibus videbitur altera quæstio, an gratia habitualis a virtute charitatis realiter distinguatur. Affirmant Thomistæ, præeunte Angelico 1. 2. quæst. 110. art. 3. & quæst. 27. *de veritate* art. 2. docentes, gratiam habitualem esse in ipsa animæ essentia, tamquam in subjecto proximo, prout docet idem S. Thomas 1. 2. qu. 100. art. 4. charitatem vero esse virtutem infusam, qua homo promptus efficitur ad diligendum Deum; eamque proinde non in ipsa animæ essentia, sed in voluntate residere. Contra opinantur ex antiquis Alexander Alensis, Henricus a Gandavo, Scotus, aliique citati ab Estio in II. *Sent.* dist. 26. §. 4.; ex modernis autem Augustinianæ scholæ Theologi. Sed his, aliisque controversiis, quæ inter Catholicos agitantur, prætermissis, utiliorem in fidei dogmatibus adversus Heterodoxos vindicandis operam ponemus.

CAPUT II.

Demonstratur, gratiam habitualem non esse necessariam ad aliquod bonum operandum.

1. Error fuit Joannis Wicleffi Angli, qui Sæculo XVI. Ecclesiam diu multumque turbavit, fuitque in Concilio Constantiensi proscriptus ann. MCCCCXV. Sess. XV. *hominem, quidquid in mortali peccato fecerit, peccare mortaliter.* Eumdem errorem renovavit Joannes Hus in Concilio pariter Constantiensi damnatus, docens, ita gratiam habitualem esse ad bene operandum necessariam, ut omnia peccatorum opera sint peccata. Cavenda tamen hic est quorumdam hallucinatio, qui hanc quæstionem de operibus peccatorum cum alia confundunt de operibus infidelium; cum tamen hæc secunda longe distet a prima: hæc enim secunda inter Catholicos impune agitatur: prima autem ad fidem spectat, ut mox ostendemus (a).

PRO-

(a) Maldonatus, quamquam vir admodum doctus, in hunc tamen errorem est lapsus, utramque controversiam imperite confundens, & quod pejus est, utramque definitam esse ab Ecclesia contendens. Nam in Comment. in cap. VI. Matth. vers. 18. *Nec enim*, ait, *sequenda illa opinio est, quam Tridentinum Concilium nuper merito damnavit, omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera esse peccata, quamvis maximum Auctorem D. Augustinum habuisse videatur.* Porro in duobus a Norisio in *Vindiciis August.* cap. 3. §. 4. Maldonatus vapulat.

PROPOSITIO.

Gratia habitualis non est necessaria ad aliquod bonum operandum; ac proinde non omnia peccatorum opera sunt peccata.

12. Prob. 1. auctoritate Scripturæ, quæ pluribus in locis peccatores hortatur, ut per bona opera se ad pœnitentiam disponant, & revertantur ad Deum. Ezechielis XVIII. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Matth. III. 7. & 8. S. Jo. Baptista ita Pharisæos, & Sadducæos increpabat: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Habemus etiam Lucæ XVIII. 13. commendatam a Christo Publicani humilitatem, *qui a longe stans nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori*. Et Act. X. 2. laudatur Cornelius Centurio, tamquam *vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Si autem hæc opera sine gratia habituali facta, fuissent mala, quomodo laudari poterant?

13. Prob. ulterius ex S. Augustino, qui *de Spiritu, & littera* cap. 28. „ Sicut non impediunt, „ *inquit*, a vita æterna justum quædam peccata „ venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic „ ad salutem æternam non prosunt impio aliqua „ bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. *Et Lib.* de præ„ dest. Sanctorum *cap.* 7. *de Cornelio loquens*, cu„ jus, *inquit*, acceptæ sunt eleemosynæ, & exau„ ditæ orationes, antequam credidisset in Christum „ &c. (scilicet fide explicita) (*a*)".

14. Nec aliter sentit Angelicus, qui opera peccatorum ad triplex bonum valere dicit in IV. Dist. 15. qu. 1. art. 3. Solut. 4. *scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum*. Deinde contrarium errorem clarissime explodit Quæst. II. *de malo* art. 5. ad 7. ubi inquit: „ Hoc autem „ est simpliciter falsum, quod omnis actus, qui „ non est ex voluntate informata charitate, sit de„ meritorius: alioquin illi, qui sunt in peccato „ mortali, in quolibet suo actu peccarent, nec „ eis esset consulendum, quod interim quidquid „ boni possent, facerent, nec opera ab eis facta, „ quæ sunt de genere bonorum, disponerent eos „ ad gratiam, quæ omnia sunt falsa".

15. Prob. denique ratione. Nam perspicuum est, posse a peccatore, gratia sanctificante orbato, fieri opus undequaque bonum, sive ratione officii, nempe ex objecto, ut cum impius eleemosynam largitur, justitiam colit, castitatem servat &c. sive etiam ratione finis; nihil enim prohibet, quin peccator per fidem, & charitatem, non quidem perfectam, sed saltem inchoatam opera sua bona in Deum referat: ergo &c. Addo, hæc bona opera a peccatoribus fieri, Dei opitulante gratia, quæ eorum corda emolliendo ad perfectam pœnitentiam disponit.

16. Ex his patet, merito fuisse contrariam doctrinam tum Romanorum Pontificum, tum universalis Ecclesiæ oraculis sæpius damnatam. Nam Concilium Constantiense Sess. XV. hanc thesim Jo. Hus n. 16. proscripsit: „ Divisio immediata ope„ rum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa, „ quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, „ tunc agit vitiose; quia sicut vitium, quod cri„ men dicitur, sive peccatum mortale, inficit u„ niversaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vi„ vificat omnes actus hominis virtuosi". Concilium autem Tridentinum Sess. VI. can. 7. ita statuit: „ Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante „ justificationem fiunt, quacumque ratione facta „ sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, „ aut quanto vehementius quis nititur se dispone„ re ad gratiam, tanto eum gravius peccare, a„ nathema sit". Post etiam S. Pius V. in Bulla contra Bajum has propositiones damnavit; primam n. 35. *Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est;* quam propositionem hæreticam esse concessit ipse Bajus, sed suam esse negavit in sua Apologia: alteram n. 38. „ Omnis a„ mor creaturæ rationalis est aut vitiosa cupiditas, „ aut laudabilis charitas, qua per Spiritum San„ ctum diffusa Deus amatur". Alexander VIII. hanc pariter propositionem n. 11. proscripsit: „ O„ mne, quod non est ex fide Christiana superna„ turali, quæ per dilectionem operatur, peccatum „ est: *item hanc aliam n.* 7. Omnis humana a„ ctio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si „ Dei, charitas Patris est: si mundi concupiscen„ tia carnis; hoc est mala est". Demum in hoc eodem sensu plures Quesnelli propositiones a Clemente XI. Apostolico stigmate confixæ creduntur, quarum omnium hæc erat præcipua, & velut radix n. 44. „ Non sunt nisi duo amores, unde vo„ litiones, & actiones nostræ nascuntur; amor Dei, „ qui omnia agit propter Deum, quemque Deus „ remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mun„ dum diligimus, qui quod ad Deum referendum „ est, non refert; & propter hoc ipsum fit ma„ lus".

Primo quod a Concilio Tridentino definitum dicat, omnia infidelium opera esse peccata; de qua re ibi nec vola est, nec vestigium. Secundo quod Augustino tribuere videatur eam damnatum Novatorum sententiam, a qua S. Doctor alienissimus fuit.

(*a*) Clarius hanc Cornelii fidem *implicitam* explicavit S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. inquiens: *De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate. Unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus.*

„ lus". Hæ, & id genus aliæ propositiones si eo sensu accipiantur, ut gratia habitualis ad bonum operandum necessario requiratur, censuram procul dubio merebantur; veræ tamen sunt, si intelligantur dumtaxat de necessitate alicujus charitatis actualis, ad bonum operandum, ut infra magis declarabitur.

17. Obj. 1. In multis Sacræ Scripturæ locis opera, alioquin in se bona, quia tamen ab impiis procedunt, ut coinquinata rejiciuntur. Psalm. 49. 16. *Quare*, inquit Deus peccatori, *tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Prov. XV. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino:* Isaiæ c. I. 13. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri.* Joann. IX. 31. *Peccatores Deus non audit.* Ac denique ad Titum I. 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum; sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia.*

18. Resp. His, & similibus testimoniis ostendi peccatorum opera, etiam bona, omni merito carere, quandoquidem carent gratia sanctificante, quæ principium est meriti. Ac propterea Deus monet Judæos, ne hujusmodi operibus confidant, quia ipsi accepta non sunt, Jer. VII. 4. *Nolite confidere... dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Sed insuper quandoque etiam demeritria sunt, cum nempe ab ipsis male fiunt, animo scilicet impœnitenti, & ad omne scelus comparato, vel ad malum finem diriguntur; vel demum quando detestabili hypocrisis vitio coinquinantur. Unde etiam Deus ore Isaiæ olim conquerebatur 29. 13. & Matthæi XV. 8. „ Populus iste ore suo, & la„ biis suis glorificat me, cor autem ejus longe est „ a me".

19. Ceterum verba Psalmi XLIX. significant, minime decere laudes in ore impiorum; unde etiam dicitur Ecclesiastici XV. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Quod dictum est a cæco: *Peccatores Deus non audit*, intelligendum est juxta contextum, quantum ad potestatem patrandi miracula, quibus propriam sanctitatem demonstrent; neque enim vera miracula in confirmationem falsitatis fieri possunt. Peccatores tamen exaudiri, quando veniam suorum delictorum poscunt, innumeris exemplis demonstrari potest. Exauditus est David; postquam enim dixit: *Peccavi Domino*, audire meruit: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, ut habetur II. Regum cap. XII. 13. Exauditi sunt Manasses, Publicanus, Mulier peccatrix, Zachæus, Latro &c. Unde etiam S. Augustinus Tract. XLV. in Joanne expendens hunc ipsum locum: „ Si pec„ catores, *inquit*, non exaudiret, frustra ille Pu„ blicanus, oculos in terram dejiciens, & pectus „ suum percutiens diceret: Deus, propitius esto „ mihi peccatori. Et ista confessio meruit justifi„ cationem, quomodo iste cæcus illuminationem".

20. Postremus locus Apostoli id sibi vult, coinquinatis *errore conscientiæ* nihil esse mundum de cibis, sive enim comedant cibos a lege vetitos, sive non comedant, peccant, peccato scilicet conscientiæ vincibiliter erroneæ. (Videatur S. Thomas in hunc locum). Quod si Apostoli verba intelligerentur ad sensum Adversariorum, illud sequeretur absurdum, quod omnia fidelium, & justorum opera essent bona, dicente Apostolo ibidem: *Omnia munda mundis;* at vero contra Deus nos docet, *quod non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, ut apud Ecclesiasticum VII. 21. legitur.

21. Inst. Matth. VII. 18. dicit Christus: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, sed peccator est arbor mala: ergo &c. Ibidem Christus subdit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos:* & Cap. XII. 34. postquam eadem fere verba repetit, ita subdit: „ Progenies viperarum, quomodo potestis „ bona loqui, cum sitis mali"? Propterea Apostolus II. Timoth. cap. II. vers. ultimo de impiis dicit: „ Et resipiscant a diaboli laqueis, a quo ca„ ptivi tenentur ad ipsius voluntatem": si ergo impii sunt sub dæmonis potestate, non possunt velle nisi malum.

22. Resp. ad 1. Arborem malam esse voluntatem malam, a qua non possunt nisi mali fructus germinare; sed nihil prohibet, quin peccatoris voluntas possit aliquando esse bona, & bonos fructus facere: quemadmodum voluntas justi aliquando est mala. Neque huic interpretationi obest, quod sequitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Namque id rursus potest de mala voluntate apte intelligi, juxta illud S. Bernardi Serm. VIII. de resurr. *In quem desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem?* Præterea non est insolens in parabolis, ut eodem vocabulo diversæ res significentur; adeoque potuit per arborem malam, modo mala voluntas dumtaxat significari, modo totus homo malus.

23. Resp. ad 2. Impios non ita esse captivitate dæmonis constrictos, ut nihil aliud facere possint, quam quod diabolus vult, sed ita ut diaboli voluntati ut plurimum obsequantur; quemadmodum justi non ita dicuntur Deo servire, ut nihil faciant contra ejus voluntatem; nam *in multis offendimus omnes*, ut inquit Jacobus c. III. 2. Adde, illa verba *ad ipsius voluntatem* verius ad Deum referri, quam ad diabolum, ut sensus sit, impios sub diaboli potestate gemere, quamdiu hoc Deus permiserit, propterea in greco non est αὐτοῦ ipsius, sed ἐκείνου illius, nempe Dei, cujus in versiculo præcedenti mentio facta fuerat.

24. Obj. 2. palmare adversariorum argumentum. S. Patres communi fere consensu asserunt, in nobis non esse nisi duos amores, seu duas cupiditates, alteram carnalem, & criminosam, nempe concupiscentiam: alteram spiritualem, & cœlestem, scilicet charitatem. Et quidem testimoniorum quasi nubem afferunt; nos paucis contenti erimus. S. Au-

August. in *Enchiridio* Cap. 117. *Regnat*, inquit, *carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas;* & Serm. II. in Psalm. XVIII. n. 15. *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati.* S. Leo Serm. V. *de jejun. sept. mensis* cap. 3. ,, Duo, *inquit*, amores sunt, ex quibus omnes ,, prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, ,, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim a- ,, nimus, qui sine dilectione esse non potest, aut ,, Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei ,, nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ,, sunt noxia". Idem asserunt Sanct. Gregorius Papa Lib. VIII. *Moralium* Cap. 8. alias 6., Fulgentius Lib. I. ad Monimum Cap. 18., aliique.

25. Resp. laudata Sanctorum Patrum testimonia intelligi debere de charitate non solum perfecta, & habituali, cujusmodi est in justis, sed etiam de initiali imperfecta, & actuali, quæ in peccatoribus quoque gratia Dei opitulante aliquando invenitur; unde illud S. Augustini Tract. V. in 1. epist. S. Joannis num. 4. Tom. III. de charitate dictum: ,, Numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est. Ut perficiatur, nascitur: cum ,, fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur". Vel itaque homo gratiæ obsecundans servit charitati, & bene agit; vel eidem resistens, servit cupiditati, & peccat. Sed præterea allati textus intelligi possunt de statu hominis habituali, qui vel est in charitate, vel in peccato, ita ut nullatenus medius ille status admitti possit, quem absurde comminiscebantur Pelagiani. Videndus Sanct. August. Lib. IV. *contra Julianum* cap. 3. Exploso igitur tertio hoc statu prorsus commentitio, recte dicitur vel regnare charitatem, vel carnalem cupiditatem &c. Verumtamen quemadmodum justi, in quibus regnat charitas, in peccata venialia labuntur; ita peccatores, in quibus regnat carnalis cupiditas, possunt nonnunquam bene operari. Videantur S. Augustinus, & Thomas cit. n. 13. & 14.

26. Inst. Vetitum est, creaturis *frui*, quibus tantum *uti* debemus: videlicet solus Deus propter seipsum diligendus est, quod est proprie frui: cetera propter Deum, quod est uti; ut enim Sanct. Augustinus docet *De doctrina Christ.* Lib. I. c. 4. *utendum est hoc mundo*, non *fruendum*. Porro sine gratia Dei habituali homo non potest creaturis bene uti, iterum Sancto Augustino dicente Lib. IV. contra Jul. c. 3. num. 33. *Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis; sine hoc amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis:* ergo &c.

27. Resp. etiam sine gratia habituali, cum solo gratiæ actualis adjutorio posse hominem quandoque creaturis bene uti, eas scilicet diligendo propter Deum dilectum charitate initiali, actuali, & imperfecta.

28. Et hac eadem responsione solvitur alia similis difficultas, ex præcepto referendi omnia opera in Deum charitate dilectum, quo nos adstringi bene multi, gravesque Theologi una cum Augustiniana Schola contendunt. Neque enim ad id semper requiritur charitas habitualis, aut gratia sanctificans, sed sufficit charitas actualis, & initialis, quam Dei gratia actualis nobis inspirat. Ceterum, an sine aliqua charitate actuali saltem imperfecta, & initiali bonum opus fieri possit, ad hanc quæstionem non pertinet, in qua cum solis Hæreticis pugnam suscepimus.

29. Inst. *secundo*. S. Augustinus Lib. IV. contra Jul. c. 3. *Absit*, inquit, *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus:* & Lib. I. ad Bonifacium cap. 2. *Non vivunt bene homines, nisi effecti filii Dei*. Non efficimur autem filii Dei, nisi per gratiam sanctificantem.

30. Resp. S. Augustinum duplicem distinxisse justitiam, filiationem adoptivam Dei, & charitatem, alteram scilicet perfectam, & consummatam, quæ in gratia habituali, & sanctificante consistit: alteram imperfectam, & inchoatam, quam gratia actualis nobis confert. In Libro *De natura, & gratia* cap. 70. *Charitas inchoata*, inquit, *inchoata justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, justitia est*. Imo in iis quoque, qui disponuntur ad fidem, aliquam charitatem agnoscit Sanctus Doctor in epist. CXCIV. ad Sixtum cap. 4. inquiens; *Spiritus ubi vult, spirat, sed quod fatendum est, aliter adjuvat, nondum inhabitans* (per gratiam sanctificantem), *aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles*. Quando igitur S. Doctor ad veram virtutem, seu ad bona opera requirit justitiam, charitatem &c. non semper intelligendus est de charitate, vel justitia perfecta, sed etiam de imperfecta, cujusmodi est in peccatoribus, quando ad justificationem disponuntur.

31. Coroll. Si, ut hactenus demonstravimus, absurdum est dicere, omnia peccatorum opera esse peccata, multo magis absurdus erit, eorum error, qui docuerunt, justos in omni opere suo mortaliter, aut saltem venialiter peccare, quemadmodum contendunt Lutherus in Assert. art. 31. 32. & 36. ac Calvinus Lib. III. Inst. c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9. Hæc doctrina nimis aperte pugnat cum Apostolo Petro ita justos adhortante in 2. epist. cap. I. 10. *Satagite, ut per bona opera vestra certam vestram vocationem faciatis; hæc enim facientes non peccatis aliquando*. Imo nihil frequentius in sacris litteris inculcatur justis, quam ut bonis operibus sedulo incumbant. Hoc erroris portentum Synodus Tridentina Sess. VI. Cap. 11. pluribus Scripturæ locis damnatum ostendit, & sic concludit: *Unde constat, eos orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni omnino opere saltem venialiter peccare, aut (quod intolerabilius est) pœnas æternas mereri*.

CA-

CAPUT III.

Ostenditur, Pelagianos gratiam sanctificantem agnovisse.

52. Inter alios (*a*) id negat Ludovicus Thomassinus, contendens, totam controversiæ molem eos inter, & Augustinum circa gratiam sactificantem fuisse. Contrariam tamen opinionem probabiliorem esse, his argumentis evincitur.

53. Pelagiani omnes gratiæ habitualis effectus magnifice prædicarunt; scilicet *primo* remissionem peccatorum, de quo nemini dubium occurrit; *secundo* interiorem hominis renovationem. *Gratia Christi*, ait Julianus apud Sanct. August. Lib. II. *Oper. imperf.*, *quos fecerat condendo bonos, facit innovando meliores*; & ante eum Pelagius in epist. ad Demetriadem: *Instaurati*, inquit, *per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus: tertio* justificationem, & sanctificationem; nam Pelagius apud Augustinum Lib. III. *De peccat. meritis, & remis.* c. 6., non ideo parvulos baptizari ajebat, *ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo*. Julianus autem apud eumdem Augustinum Lib. II. *Oper. imperf. Studerentque deinceps*, ait, *custodire justitiam, quam compendio credulitatis fuerant assecuti*. Denique, ne infinita persequar, prædicabant adoptionem in filios Dei, ut testis est S. Augustinus Lib. II. ad Bonif. cap. 6. *Regenerationis lavacro adoptari filios hominum in filios Dei non negatis, immo & prædicatis:* & Julianus de baptizatis simul cum S. Joann. Chrysostomo ajebat apud S. Augustin. Lib. I. contra Jul. cap. 6. „ Non enim tantum sunt liberi, sed & „ sancti; non tantum sancti, sed & justi; non solum justi, sed & filii; non solum filii, sed & „ hæredes; non solum hæredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & cohæredes; non solum cohæredes, sed & membra; non „ tantum membra, sed & templum; non tantum „ templum, sed & organa Spiritus (ut habetur „ ex S. Jo. Chrysost. *Homil. ad Neophytos*) „. Nihil uberius, aut eloquentius dici potest ad gratiæ habitualis effectus omnes recensendos. Si ergo Chrysostomus, cujus ea verba sunt, sine dubio gratiam habitualem prædicavit, quod etiam Suarezius agnoscit Lib. VI. *de gratia* cap. 1. n. 6., & Lib. VII. c. 7. n. 9., cur etiam credere non debemus, Pelagianos, quia ea verba adoptarunt, eamdem ipsam gratiam agnovisse, quanquam nomen vel ignoraverunt, vel non adhibuerunt?

54. Respondet Tournellius, & Roncaglia, hæc omnia in ore Pelagianorum suspecta esse, & nihil aliud significare, quam nudam peccatorum remissionem, non autem infusionem donorum Dei. Suspicionis fundamentum (inquiunt) ipse nobis præbet Sanct. Augustinus, qui cum hæc Pelagii verba in Lib. *de Gratia Christi* cap. 38. retulisset: „ Qui instaurati per Christi gratiam, & in „ meliorem hominem renati sumus, qui sanguine „ ejus expiati, atque mundati &c. "; quibus gratiam Christi habitualem magnifice prædicare videbatur, e vestigio subdit: „ Videte quemadmodum „ & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remis„ sione peccatorum, & in exemplo Christi adjuto„ rium gratiæ constituerit „ (Videatur etiam Lib. VI. contr. Jul. c. 23.).

55. Verum, si Pelagius nomine *instaurationis, regenerationis, expiationis, mundationis* nonnisi externam peccatorum condonationem intellexisset, ut adversarii putant, quomodo dicere potuisset, infantes *sanctificari, renovari, atque in filios Dei adoptari?* Sane primum Pelagianorum dogma erat, nullum in parvulis esse originis peccatum; unde nec ulla esse in iis poterat externa condonatio. Augustinum autem hac peccatorum remissione etiam facta per interioris gratiæ infusionem minime contentus erat, sed hæreticum premebat ad confitendam ulterius gratiam actualem, qua & peccatores ad justificationem, & justi ad perseverantiam indigent, & quam solam ingratus, & superbus Pelagius rejiciebat. Hinc etiam observatu dignum est, nullibi, neque ab Augustino, neque a tot Africanis Conciliis, neque a duobus Rom. Pontificibus Innocentio, & Zosimo Pelagianos fuisse reprehensos, quod gratiam sanctificantem rejicerent, quod certe prætermissum ab iis non fuisset, si hunc etiam errorem ceteris adjecissent.

56. Obj. primo. Teste Sancto Augustino in Lib. *de Gratia Christi*. c. 2. & ep. CLXXVII. al. 95. Pelagiani omnem gratiam respuebant, quæ datur *per subministrationem virtutis, vel Spiritus Sancti*; atqui gratia habitualis est hujusmodi: ergo &c.

57. Respond., Dist. maj. Omnem gratiam actualem, *conc.*; habitualem, *nego*. Nempe ut ipse Sanct. Augustinus loquitur cit. epist., eam subministrationem Spiritus Sancti negabant, quæ necessaria est ad *concupiscentias, tentationesque vincendas*, quæ utique gratia est voluntatis, & actionis, non habitualis.

58. Obj. secundo. S. Augustinus *De gratia Christi* cap. 30. inquit: „ Istam gratiam, qua justifi„ camur, idest qua charitas Dei diffunditur in „ cor-

(*a*) In his numerantur Molina in *Concordia* Quæst. XIV. art. 13. Disput. 15., Suarez *De Gratia* Part. III. Lib. VII. cap. 6., & Pater Joann. Garnerius Dissert. VII. *Histor. Pelag.* cap. 5. §. 1. cui si credimus, *Pelagiani nihil diversum a Calvinianis nostrorum temporum senserunt, quoad causam, ut ajunt, formalem justificationis; nam & illi, & isti consentiunt, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei*. Vid. supra Diss. I. cap. V. in nota ad num. 50.

„ cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, atque Cœlestii scriptis, quæcumque legere potui, numquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus numquam adverti, sicuti agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis; de quibus dicit Apostolus *Rom. IX.* 8. Non ii, qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen": ergo &c.

39. Resp., Augustinum loqui iterum de gratia actuali, ut patet ex iis, quæ postea addit; nam Cœlestii, atque Pelagii errores magis exponens, de primo inquit ibidem, satis constare, " non eum ponere Dei gratiam, qua juvamur, vel ad declinandum a malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege, atque doctrina; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini, quid concupiscat, & diligat". Quod idipsum postea asserit de Pelagio; & ista est gratia, quam recte Augustinus dicit, numquam a Pelagianis, quemadmodum confitenda est, esse confessam. Nec movere nos debet, quod eamdem appellet *charitatem diffusam in cordibus nostris* &c.; nam hoc nomine appellari potest, & ab Augustino sæpius appellatur etiam gratia actualis. Neque iterum obest, quod Sanct. Augustinus addit, per eam gratiam *fieri nos filios Dei, & filios promissionis:* nam etiam gratiæ actuali id convenit; non quidem *formaliter*, ut ajunt, (id enim munus est gratiæ habitualis) sed *efficienter, & causaliter*, quia per gratiam actualem ad justificationem, & sanctificationem pervenimus. Unde idem S. Augustinus in epist. CXCIV. ad Sixtum c. 6. dicebat: " homines liberari, & justificari non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu".

40. Obj. tertio. Concilium Milevitanum can. 3. ita definivit: „ Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit". Ne itaque fingamus, Concilium hoc, cui Augustinus intererat, aerem verberasse, dicendum est, a Pelagio gratiam Dei, in qua justificamur, seu habitualem, fuisse positam in sola remissione peccatorum.

41. Resp., loqui Concilium de gratia Dei actuali, qua justificamur *efficienter, non formaliter*. „ Deinde quod anathematizat dicentem hanc gratiam, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non autem ad adjutorium, ut non committantur", non judicat, Pelagianos negasse gratiam sanctificantem, sed negasse illud auxilium actuale, quo præter gratiam sanctificantem ad non peccandum indigemus; nempe eo canone perstringitur Pelagii impietas, qui orandum quidem pro remissione peccatorum præteritorum volebat (nam remissionem peccatorum gratuitam esse, & a voluntate Dei pendere fatebatur (*a*)), non autem ne in peccata iterum relabamur: id enim in nostri liberi arbitrii viribus positum esse docebat; cumque illi objicerent verba orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*, de humanis infortuniis ea dicta esse fabulabatur. Ad hanc impietatem damnandam factus est ille canon.

42. Obj. quarto cum Suarez Proleg. V. *De Gratia* c. 5. n. 5. Gratia habitualis tribuitur homini ad actus supernaturales eliciendos; Pelagius autem vel negavit, vel omnino non agnovit, fieri a nobis virtute divinæ gratiæ aliquos actus liberos vere supernaturales; & hinc in Adamo ante peccatum nullum Dei donum agnovit præter naturalia: ergo &c.

43. Resp. Dist. maj. Gratia habitualis &c. in sensu Catholicorum, *conc.*, in prava Pelagianorum doctrina, *nego*. Quamquam Pelagiani nullos actus supernaturales agnoscebant, gratiam tamen habitualem admittebant aliis de causis; *primo* ad restaurationem, innovationemque naturæ in iis, quibus per actualia peccata vitiata fuerat: *secundo* ad ornatum, & decorem animæ: *tertio* ad adoptionem filiorum Dei habendam, unde jus ad hæreditatem regni cœlorum promanat. Hinc parvulos baptizandos esse docebant, non in peccatorum remissionem, sed ut fierent filii, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. (Vid. supra num. 33.). Nec refert, quod nulla dona Dei cognoverint in Adamo præter naturalia, non, inquam, id refert; nam arbitrabantur, nobis per Baptismum aliquid plus conferri, quam fuerit in Adamo in prima conditione collatum. *Christus*, inquit Julianus apud Augustin. Lib. III. *contra Jul.* cap. 3., *augeat circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos* (scilicet naturaliter) *facit* (per baptismi gratiam) *innovando, adoptandoque meliores*. Neque rursus aliquis regerat, hæc cum aliis Pelagianorum dogmatibus vix, ac ne vix quidem cohærere posse. Frustra enim, ut sapienter Petavius *De Hær. Pel.* cap. 3. num. 5. ait, ἀκολουθίαν, id est cohærentem sibi consequentiam sermonis ibi quærimus, ubi nulla fuit.

Dis-

(*a*) Id habet aperte Sanctus Augustinus in Lib. *De gratia & Liber. arbit.* cap. 6. inquiens: *Dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur*. Et in Epistola CXCIV. ad Sixtum cap. 3. *Possunt quidem dicere* (Pelagiani), *remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur* &c. Quamquam postea ostendit, ipsos sibi ipsis non constare. Confer Petavium de *Hæres Pelag.* cap. 3.

DISSERTATIO II.

De Justificatione impii.

Ut Bossuetus in *Hist. Variationum Eccl. Protestantium* Lib. I. aliique observarunt, Lutherus primum errorum suorum initium duxit a convellenda veteri Ecclesiæ doctrina circa justificationem. In quatuor autem capitibus potissimum erravit, docens primo, dispositiones ad justificationem necessarias in sola fide promissionum divinarum consistere: *secundo* peccatoris justificationem non fieri nisi *modo forensi*, ut peccata non vere deleantur, sed solum exterius condonata pronuncientur: *tertio*, in hac forensi justificatione nullam esse nobis inhærentem justitiam, sed Christi justitiam nobis duntaxat imputari: *quarto* concedens justis plenam, certamque suæ justificationis notitiam sine ulla peculiari Dei revelatione. Quæ modo confutanda suscipimus post Concilium Tridentinum, a quo hæc perdifficilis materia admirando, ac divino prorsus modo enucleata, ac definita fuit Sess. VI. celebrata die 13. Januarii 1547.

CAPUT I.

Ostenditur, solam fidem ad justificationem minime sufficere.

2. Vetus olim error fuit, ipsis Apostolicis temporibus coævus, fidem ad justificationem, & salutem sine bonis operibus sufficere. Eum Simoni Mago hæreticorum Patriarchæ tribuunt S. Iræneus Lib. I. cap. 20. & Thodoretus Lib. I. *Hæreticar. fabularum* c. 1. Eumdem suscitavit Sæc. IV. Eunomius, Augustino teste *De hæresibus* num. 54., & *De Fide & operibus* c. 14. Non absimiliter errasse videntur Lutherus, & Calvinus uni fidei vim justificandi adscribentes. Quanquam enim una cum fide spes, charitas, aliarumque virtutum chorus persæpe inveniantur, dicunt tamen vim justificandi a sola fide proficisci; quapropter *Solifidiani* ab aliquibus appellati sunt (*a*).

3. Catholici contra non inficiantur, fidem ad justificationem esse necessariam, immo eamdem esse prædicant justificationis radicem, & fundamentum, negant tamen, solam sufficere, vel illi soli esse justificationem tribuendam.

PROPOSITIO.

Justificatio soli fidei non est adscribenda (*b*).

4. Prob. 1. ex epist. S. Jacobi, qui data opera hunc errorem explodendum suscepit cap. 11. ubi inter alia multa hæc habet vers. 14. & seq. „ Quid
„ proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se
„ habere, opera autem non habeat? Numquid po-
„ terit fides salvare eum? ... Fides si non habeat
„ opera, mortua est in semetipsa. *Et iterum*: Vi-
„ detis, quoniam ex operibus justificatur homo;
„ & non ex fide tantum? ... sicut enim corpus si-
„ ne spiritu mortuum est, ita & fides sine operi-
„ bus mortua est ".

5. Respondent aliqui, Jacobum loqui de justificatione impii coram hominibus, quam ex operibus fieri dicit, quatenus hæc fidem exterius mani-

(*a*) Id sine ullo fuco asseruit Lutherus pluribus in locis; & in Lib. Lutheranorum symbolico, cui titulus est: *Solida, & plana declaratio*, art. 3. *de justitia fidei coram Deo* dicitur: *Neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus, sed sola fides est medium, & instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi, & remissionem peccatorum, quæ bona nobis in promissione Evangelii offeruntur, apprehendere, & accipere possumus*. Calvinus etiam cum alias sæpe, tum in *Antidoto* ad Can. 11. Sess. VI. fatetur quidem, fidem esse simul cum spe, charitate, bonisque operibus, vult tamen, justificationem a sola fide pendere; quemadmodum calor solis, quanquam est cum splendore lucis conjunctus, solus tamen terram tepefacit. Nihilominus aliquando tum Lutherani, tum Calvinistæ ita loquuntur, ut ab orthodoxis vix dissentire videantur. Confer duos Fratres de Walemburch, *De Justific.* c. 74. §. 2.

Ut Cardinalis Pallavicinus narrat in sua *Hist. Concilii Tridentini* Lib. III. c. 4. n. 4., Lutherani in celebri conventu Augustano an. 1530. statuerant, nos non justificari *sola fide*, sed *fide & gratia*; sed postea studio Catholicæ Ecclesiæ repugnandi in multas, absurdasque sententias abierunt. Osiander in Libro, quem contra *Nycticoracem* scripsit, quatuordecim hac de re opiniones enumerat. *Nam simul ac*, inquit, *locum aliquem in Scripturis viderunt, in quo justitiæ mentio fieret, statim novam ex eo justificationem sunt fabricati.* Vid. noster Tom. I. P. II. Diss. II. n. 122., ubi de controversiis *Osiandricis*. Doctor autem Molanus Abbas de Lokkum in suis *Cogitationibus privatis de methodo reunionis &c.* apud Bossuet T. I. *Oeuvres Posthumes* de hac materia Andabatarum more hactenus pugnatum fuisse dicit, nec quidquam inter utramque sententiam, quod ipsam rem attinet, superesse discriminis. Hoc etiam visum est Card. Richelio in sua *Methodo convertendi Protestantes* Lib. III. c. 2. Si autem ita res se habet, jam nulla erat Luthero causa, ut hinc præcipuam sui schismatis occasionem sumeret. Nec desunt inter Heterodoxos, qui nobis plane consentiunt.

(*b*) De hac quæstione videri possunt præter Scholasticos, Adrianus, & Petrus de Walemburch *De justificatione*: aliique fere innumeri. Ex Heterodoxis vid. Georgius Bullus *in Harmonia Apostolica*, tum in *Responsione ad quasdam animadversiones &c.* ac demum in *Apologia pro Harmonia contra Thomam Tullium*; ubi *Solifidianorum* opinionem fuso calamo confutavit eam merito appellans *opprobrium ac dedecus Ecclesiæ*, *errorem in fide*, *errorem putidissimum*. Observat insuper, *rem miris verborum involucris ab iis tegi, ut pene Oedipo opus sit interprete*. Bullo consentiunt Jo. Ern. Grabe, Jac. Millius, Jo. Tillotsonus, atque Hugo Grotius in *Consultatione Cassandri*, ac in *Discussione Rivetiani Apologetici*; ut alios Scriptores omittamus, qui licet a Catholica Ecclesia alieni, hoc primum Lutherani Schismatis caput nobiscum detestantur.

nifestant; ceterum justificationem in oculis Dei fieri sola fide interna, quam ille intuetur. Id probant *primo*, quia ibidem inquit vers. 18. *Ostendam tibi ex operibus fidem meam*. *Secundo*, quia ibidem dicit, Abraham fuisse justificatum per oblationem *filii sui Isaac super altare*; quod certe nonnisi de justificatione in conspectu hominum intelligi potest; nam coram Deo jamdiu justificatus fuerat, Gen. XV. 6.

6. At vero cum Apostolus dicit: *Quid proderit &c. numquid poterit fides salvare eum?* manifeste ostendit de ea justificatione se loqui, quæ ad salutem requiritur; hæc autem procul dubio est justificatio interna, & in oculis Dei. Quod autem subdit: *Ostendam &c.* hunc habet sensum: *conjungam fidem meam cum operibus & justificationem consequar*. Quod demum addit de Abraham, debet intelligi non de prima justificatione, sed de secunda, scilicet de augumento gratiæ sanctificantis, quod Abraham merito obedientiæ consecutus est, juxta illud Apoc. XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*. Eodem autem modo fit secunda justificatio, ac prima, scilicet per fidem conjunctam cum bonis operibus.

7. Alii autem respondent, Apostolum Jacobum locutum esse non de vera fide, sed de fidei larva, quæ certe ad justificationem non sufficit. Id probant primo, quia hanc fidem etiam in dæmonibus esse dicit vers. 19. in quibus certe nec vera fides, nec ulla alia vera virtus inveniri potest: secundo, quia eam fidem appellat mortuam.

8. Veruntamen Sanct. Jacobum existimasse, nedum fidei larvam, sed nec veram fidem sine operibus ad justificationem sufficere, vel ex eo solo luculentissime manifestum fit, quod dicit vers. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?* Profecto fides, quæ simul cum operibus ad justificationem concurrit, est fides vera, non larva fidei, quæ ad justificationem non solum non sufficit, sed nec minimum confert.

9. Cum autem dicit, hanc fidem reperiri etiam in dæmonibus, & mortuam esse, intelligit veram fidem in suo genere, scilicet prout est assensus firmus veritatibus revelatis, quamquam fides perfecta dici non potest, quia operibus destituta est, quæ sunt ejus anima; quemadmodum corpus sine anima verum est corpus, sed imperfectum, & vita carens.

10. Alii post Lutherum videntes, hoc Jacobi testimonium nec per vim, nec per machinas posse cum sententia *Solifidianorum* conciliari, hanc epistolam canonicam esse negarunt (*a*).

11. Sed primo haud difficile est, adductis veterum testimoniis, divinam ejus auctoritatem vindicare. Eam enim ut canonicam laudarunt Origenes lib. IV. in c. V. ep. ad Rom. & alibi, Tertullianus *de Orat.* c. 8. Cyprianus ep. ad Novat. Eusebius Lib. II. *Histor. Eccles.* cap. 20. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum cap. 25. aliique. Vid. Ceillier *des Aut. Eccl.* Tom. I. Lib. II. c. 3. art. 2. & Nat. Alexander, Sæc. I. c. 12. art. 2. §. 4.

12. Præterea vehementer falluntur, qui doctrinam in hac epistola traditam de necessitate bonorum operum ad justificationem, veluti paradoxam, & sacris litteris adversam explodunt, cum in aliis bene multis S. Scripturæ locis luculenter inveniatur. Nam Sanct. Paulus, in quo potissimum suæ causæ præsidium adversarii ponunt, ad Rom. II. 13. *Non auditores legis*, inquit, *justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*b*). 1. Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Deinde quænam sit fides ad justificationem sufficiens, sine ulla ambiguitate ostendit ad Gal. V. 6. inquiens: *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Et innumera pene sunt loca sacrarum Scripturarum, in quibus præter fidem etiam bona opera exiguntur.

13. Id etiam ostendunt exempla Publicani, & Mulieris peccatricis, quorum prior *percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori .... descendit justificatus*, Luc. XVIII. 13. Mulier autem suorum peccatorum remissionem non propter fidem solam obtinuit, sed etiam propter ope-

(*a*) Lutherus hanc epistolam adeo contempsit, ut eam *contentiosam, tumidam, aridam, & stramineam* vocaret. Quod cum olim Edmundus Campianus Lutheranis in Anglia exprobrasset, fuit a Whitakero calumniæ postulatus; & cum ex editionibus operum Lutheri, quæ illi ad manus erant, se continuo purgare non potuisset, in carcerem, ut calumniator, detrusus fuit. Sed tandem veritas triumphavit, atque hæc Lutheri verba inventa fuere in præfat. ad primam editionem Bibliorum ab eodem Luthero factam Witebergæ ann. 1525. Vid. ejusdem Campiani vita c. 46. Bælius in suo Diction. art. *Luther.* rem. N. & O. quædam hac de controversia, quæ celebris fuit in Anglia, refert anecdota. Pejus de eadem S. Jacobi ep. sensit, & scripsit Andr. Althamerus, de quo consuli potest Grotius in *Discussione Rivetiani apologetici* p. 170. Moderni tamen Lutherani non amplius negare audent, hanc epistolam esse genuinum S. Jocobi fœtum. *Hodie*, inquit Jo. Franc. Buddeus in *Instit. theol. dogmat.* Lib. IV. cap. 4. §. 9. *inter omnes constat, & Jacobum Apostolum esse hujus epistolæ auctorem, & divinam ejus esse auctoritatem*.

(*b*) Calvinus Comm. in hunc locum fidenter scribit, Apostolum hic loqui non in propria sententia, sed Judæorum, qui operibus legis vim justificandi tribuebant, & elato supercilio eos, *qui hoc loco abutuntur ad erigendam operum justitiam, etiam puerorum cachinnis dignissimos* appellat, ignorans profecto vel ipsum magnum Augustinum in hoc numero se involvere. Vid. Lib. *de Spirit. & lit.* c. 26. ubi hæc verba *Factores legis justificabuntur* posita esse vult, *ut sic intelligerent etiam Judæi, legis auditores, indigere se gratia justificationis, ut possint esse factores*. Loquitur ergo Apostolus, S. Augustino interprete, in propria sententia, non in sententia Judæorum, quos ibi volebat instruere de necessitate gratiæ ad faciendam legem.

opera charitatis ferventia: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. VII. 47.

14. Frustra vero aliqui respondent, bona opera in Scripturis commemorari, non quod ad justificationem aliquid conferant, sed quia eamdem comitari solent. Frustra, inquam; nisi enim laudatis divinis testimoniis apertam vim facere velimus, liquido apparet, justificandi virtutem non solum fidei, sed etiam aliis bonis operibus tribui, potissimum autem charitati, quæ est omnium virtutum forma, & vita; unde dicitur: *Remittuntur, &c.*

15. Multo magis absurdus est Petrus Molinæus, qui in *Clypeo fidei* Sect. 44. contendit, justificationem ex operibus, cujus frequens est in sacris Litteris mentio, & præcipue in Epist. S. Jacobi, non esse nisi justificationem externam in oculis hominum. Ut enim cetera omittam, quo fundamento persuadere nobis poterit, justificationem Abrahæ ex. gr. non fuisse nisi externam ante oculos hominum? & tamen de eo dicit S. Jacobus cap. II. 21. „ Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare"? Vid. sup. n. 6.

16. Quæ cum ita sint, recte, sapienterque sic fuit in Conc. Trid. definitum Sess. VI. c. 7. „ Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissime dicitur Jacobi II., fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse; *& ad Gal. V.* in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstante, quam sine spe, & charitate fides præstare non potest; unde statim verbum Christi audiunt, *Matth. XIX.:* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Et can. 9.:* Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur ... anathema sit".

17. Obj. 1. Nihil frequentius apud S. Paulum, quam justificationem soli fidei esse tribuendam: imo priora capitula Epistolæ ad Romanos in hoc unum collimare videntur, ut doceant, nos nonnisi per fidem justificari. Cap. III. 28.: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Cap. IV. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Cap. V. 1. *justificati ergo ex fide.* Idem traditur sexcentis aliis in locis; ad Gal. III. 7. 9. & 26., Jo. III. 15. & 18., Act. XV. 9. &c. quibus coacervatis Lutherus triumphum canit, & pseudo-Jacobum *delirare* dicit, dum ex operibus hominem justificari docet.

18. Resp., in Sacris Litteris peculiarem, & frequentem fidei mentionem fieri, ubi agitur de justificatione, non quasi hæc sola justificet, sed quia hæc totius justificationis primum fundamentum, & a Deo non operum intuitu, sed gratuita bonitate donatur. Ita Apostoli mentem explicat Tridentina Synodus inquiens Sess. VI. cap. 8.: „ Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis". Quam doctrinam Tridentini Patres ex S. Augustino hauserunt, ita de Apostolo Paulo scribente *de præd. Sanct.* cap. 7.: „ Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur".

19. Neque vero Jacobo adversatur S. Paulus, ut somniavit Lutherus. Audiatur S. August., qui Lib. LXXXIII. *Quæstionum* qu. 76. apparentem antilogiam his verbis aufert: „ Non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli, & Jacobi; cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus; quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt, iste de iis, quæ fidem sequuntur, sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit". Et alibi (*de fide, & oper.* c. 14.) idem S. Pater observat, quod cum opinio de sufficientia solius fidei ad salutem ex male intellectis quibusdam subobscuris Apostoli Pauli sententiis exorta esset, *alia Apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementius adstruant, fidem sine operibus non prodesse.*

20. Ceterum eædem sacræ Litteræ etiam timori vim justificandi tribuunt, ut in Ps. CX. 10. Prov. I. 7., & 2. Corinth. VII. 1. (a) Idem dicunt de spe, Prov. XXVIII. 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur;* & Rom. X. 13: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Idem de tristitia, seu dolore de peccatis, 2. Cor. VII. 10.: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Proprie autem vis justificandi charitati adscribitur, ut cum Luc. VII. 47. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* & cum S. Jo. epist. I. c. III. 14. inquit: „ Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet

„ in

(a) Omisimus illud tritum Ecclesiastici I. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari;* ne alias controversias cum morosis adversariis excitemus; primo enim negant, hunc librum esse canonicum; deinde nos provocant ad fontem græcum (cum modo desit primus fons hebraicus) qui ita habet: *οὐ δυνήσεται θυμὸς ἄδικος δικαιωθῆναι: non poterit ira injusta justificari;* vel ut habet editio Complutensis *θυμώδης ἀνὴρ* &c.: *vir iracundus non poterit justificari.*

„ in morte. *Unde Sanct. Augustinus:* Charitas „ inchoata, *inquit* de nat. & gratia *cap. ult.*, inchoata justitia est .... perfecta charitas perfecta „ justitia est". Demum per legis observantiam Apostolus Paulus justificationem obtineri docet: *Factores legis justificabuntur*. Rom. II. 13. Fingere autem cum adversariis, in omnibus his locis sermonem esse tantum de externa justitiæ declaratione, non autem de interna hominis justificatione, est plane totam Scripturam proprio arbitratu, & sine fundamento interpretari, & depravare.

21. Inst. *primo*. Apostolus solam fidem justificare docet per exclusionem quorumcumque operum; inquit enim Roman. III. 24.: *Justificati gratis per gratiam ipsius;* & postea vers. 28. *Per fidem sine operibus legis*. Ad Gal. II. 16. „ Scientes, quod non justificatur homo ex operibus le„ gis ... ut justificemur ex fide Christi, & non ex „ operibus legis &c."

22. Resp., his phrasibus excludi opera facta sine fide, & gratia, vel quæ sint justificationis meritoria; non autem opera facta ex viribus gratiæ, & quæ sint tantum dispositiones præcedaneæ ad justificationem. „ Gratis, inquit Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 8. justificari ideo dici„ mur, quia nihil eorum, quæ justificationem „ præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justi„ ficationis gratiam promerentur (*a*)". Rursus justificari gratis dicimur, quia ipsa bona opera, quæ ad justificationem disponunt, sunt dona Dei, nempe gratiæ ejus effectus.

23. Inst. 2. Si hic esset Apostoli sensus, deberet etiam excludere fidem, quandoquidem & ipsa est donum Dei, & insuper non est causa meritoria justificationis, sed sola dispositio; atqui &c.: ergo &c.

24. Resp. Fidem non excludi, quia hanc sine gratia nunquam esse pro certo habebat Apostolus; opera autem legis, & fieri poterant, & ab aliquibus etiam fiebant sine gratia, & sine fide in venturum Messiam, & tunc erant ad justificationem inutilia. Fidem igitur, seu opera facta ex fide, & cum gratia opponit operibus legis. Ut enim sæpius observavit S. Augustinus, præcipue in Lib. *de spir. & lit.*, hæc maxime est inter vetus Testamentum, novumque distinctio, quod lex vetus impetrabat, non autem gratiam ad obediendum conferebat; unde opera legis appellantur opera sine fide, & sine gratia; contra lex nova, seu fides in Jesum Christum uberrimus est gratiarum fons, ac propterea apposite ait Apostolus ad Gal. II. 16. „ Scientes, quod non justificatur homo ex operi„ bus legis, nisi per fidem Jesu Christi"; quia legis Mosaicæ adimpletio iis solum proderat, qui per fidem in Jesum Christum ad legem gratiæ spectabant. Videatur S. Augustinus *de gratia, & libero arbitrio* cap. 7.

25. Cavillatur iterum Chemnitius. Apostolus de iis etiam loquitur, qui in veteri Testamento fidem habebant in Christum, cujusmodi fuit Abraham, quem tamen dicit fuisse justificatum per solam fidem. „ Si enim Abraham, *inquit Rom. IV.* 2., „ ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, „ sed non apud Deum". Loquitur etiam de iis, qui in nova lege viventes, utique gratiæ donis adjuti bonum operabantur: eorum nihilominus opera excludit. Imo cum opera sua facta ante fidem vocasset *detrimentum* Phil. III. 7. *Arbitratus sum... detrimenta*, opera postea facta, cum jam fidelis esset, vocavit, *stercora* σκύβαλα, seu *quisquilias, & rejectamenta*. *Arbitror ut stercora;* non enim utitur tempore præterito *arbitratus sum*, sed præsenti *arbitror*.

26. Resp. Apostolum utique loqui de operibus credentium, sive in veteri, sive in novo Testamento, consideratis tamen cum præcisione a fide, & gratia. Ut enim S. August. observat lib. LXXXIII. *Quæstion.* quæst. 76., scopus ipsius erat tam Judæos, quam Gentiles edocere, neque opera legis, neque alia opera bona unquam profuisse, aut prodesse, nisi in quantum erant ex fide, & gratiæ dona; ita ut tota illorum utilitas non legi, neque viribus arbitrii, sed fidei, & gratiæ esset adscribenda: unde recte inferebat Apostolus, quod *si Abraham ex operibus &c.*, quæ consecutio optima est, si opera bona considerentur, seposita fide, & gratia; tunc enim posset homo gloriari de iis, *non apud Deum:* nulla autem est consecutio, si opera bona Deo ut auctori eorum tribuantur; tunc enim illud recurrit Apostoli 1. Cor. IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti? ... Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ceterum, si, ut Adversarii fingunt, Apostolus opera excludit etiam ex gratia facta, non video, cur non debeat quoque fidem excludere, quæ in operibus bonis & ipsa numeratur, dicente Domino Jo. VI. 29.: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*. Puerilis autem est illa Chemnitii observatio grammaticalis de tempore præterito, vel præsenti; utrobique enim S. Paulus considerat opera sua facta ante fidem, nam opera facta post fidem ipse Apostolus vocat *fructus spiritus*, ad Gal. V. 22.

27. Dices. Origenes Lib. III. in ep. ad Rom. n. 9. explicans ea verba Apostoli supra laud. ex. c. III. 28. *Arbitramur &c.* hæc habet: „ ita ut cre„ dens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil „ ab eo operis fuerit expletum". Quod postea confirmat exemplo latronis, qui nihil fecisse legitur bo-

(*a*) Theologi quidem fere communiter docent, opera bona præcedentia justificationem esse meritoria *de congruo;* ut enim inquit S. Augustinus ep. CXCIV. n. 9. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*. Sed *primo* meritum *de congruo* non est meritum vere, & proprie tale: *secundo* nullæ est hac de re Ecclesiæ definitio: *tertio* non desunt, qui omne meritum *de congruo* ante justificationem excludant. Confer Dom. Soto Lib. II. *De natura, & gratia* cap. 4.

boni operis, sed solum credidisse in Christum; tum mulieris peccatricis, & aliorum; post autem concludit: „ Ex quibus omnibus claret, quod recte „ arbitratur Apostolus, justificari hominem per fi- „ dem sine operibus legis ". Etiam objectionem sibi proponit, scilicet, his auditis, fortasse aliquos *bene agendi negligentiam capturos, siquidem ad justificandum sola fides sufficiat;* cui objectioni occurrit, docendo opera bona requiri post justificationem ad salutem, non autem ad ipsam justificationem.

28. Resp. Origenem, seu potius Ruffinum, qui hujusmodi Origenis Commentarios non solum in latinam linguam convertit, sed etiam truncavit, & pro suo marte mutavit (*a*), nihil aliud velle nisi fidem ita esse radicem, & fundamentum justificationis, ut sine ipsa nihil prorsus valeant opera legis. Quamobrem ibidem subdit: „ Ubi vero „ fides non est, quæ credentem justificat, etiamsi „ opera quis habeat ex lege, tamen quia non sunt „ ædificata super fundamentum fidei, quamvis vi- „ deantur esse bona, tamen operatorem suum ju- „ stificare non possunt, quod eis desit fides ".

29. Obj. *secundo*. Christus Luc. VIII. 50., & Marc. V. Principi Synagogæ oranti pro filia, dixit: *Crede tantum, & salva erit:* Rursus Philippus ab Eunucho baptismum petente nihil aliud exegit, nisi fidem. Act. VIII. 36. ait Eunuchus: „ Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit „ autem Philippus, si credis ex toto corde, li- „ cet &c. ".

30. Resp. Ad primum, ibi agi non de justificatione, sed de miraculo, ad quod Christus nonnisi fidem exigebat. Imo miracula absolute posse etiam a peccatoribus fieri, vel impetrari aperte nos docuit Christus ipse Matth. VII. 22. inquiens: „ Mul- „ ti dicent mihi in illa die; Domine, Domine, „ nonne in nomine tuo prophetavimus, & in no- „ mine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo „ virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor il- „ lis: quia nunquam novi vos: discedite a me, „ qui operamini iniquitatem ". Et si hoc exemplum valeret, plane sequeretur, ad justificationem sufficere etiam fidem alienam; qualis erat illius Principis pro salute filiæ suæ orantis.

31. Aliud autem ex Act. VIII. ita solvit S. Augustin. *De fide, & operibus* c. 9.: „ Scriptura „ tacuit, atque omisit cetera, quæ cum illo spa- „ done baptizando egit Philippus, atque in eo quod „ ait: baptizavit eum Philippus, intelligi voluit „ impleta omnia, quæ licet taceantur in Scriptu- „ ris gratia brevitatis, tamen serie traditionis sci- „ mus implenda". Addo, Eunuchum illum fuisse virum pium, qui Jerusalem venerat religionis causa ad adorandum Deum.

32. Ceterum sæpius provocati adversarii, ut aliquem Scripturæ locum proferrent, in quo perspicue, & sine ambagibus dicatur, *solam* fidem justificare, nullum hactenus invenire potuerunt. Ausus quidem fuit Lutherus in sua Germanica Bibliorum Versione Apostoli textum Roman. III. 28. adulterare, legens: *arbitramur hominem justificari per solam fidem;* sed non impune; collatis enim illico græcis, latinisque codicibus, fraus detecta est, & audax hominis facinus ab omnibus improbatum (*b*).

33. Obj. *tertio*. Prius in nobis est justificatio, quam charitas, quæ est bonorum operum initium: ergo &c. Prob. antec. ex S. Joann., qui epist. 1. cap. IV. 10. inquit: „ Non quasi nos dilexerimus „ Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos ". Deus autem diligendo justificat.

34. Resp. duplicem esse charitatem, qua Deus nos diligit, aliam scilicet, qua nos sua gratia ad justificationem disponit, alteram, quæ in justificatione diffunditur in nobis per Spiritum Sanctum. De utraque autem verum est dicere, quoniam Deus prior dilexit nos, quia neutra ex meritis præcedentibus diligit nos.

35. Obj. ult. Patres unanimi consensu impios sola fide justificari, docent. S. Hilarius Can. 8. in Matth., *Fides*, inquit, *sola justificat.* Sanct. Ambrosius Comm. in c. III. ad Rom. *Sola fide justificati sunt, dono justitiæ*. Chrysost. Hom. *De fide, & humilit.*. „ Fidelem, *inquit*, sine operi- „ bus possum ostendere & vixisse, & in regnum „ cœlorum ivisse ... latro tantum credidit, & vi- „ tam habuit ". S. Augustin. Lib. I. contra duas ep. Pelagian. cap. 1. „ Quantælibet, *inquit*, fuis- „ se virtutis prædices antiquos justos, non eos sal- „ vos fecit, nisi fides Mediatoris. *Et alibi. Lib.* „ *scilicet LXXXIII.* Quæstion. *quæstion.* 76. Quod „ si, *inquit*, cum crediderit, mox de hac vita de- „ cesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec „ præcedentibus bonis operibus, quia non merito „ ad illam, sed gratia pervenit; nec consequenti- „ bus, quia in hac vita esse non sinitur. *Et ite-* „ *rum in Lib.* de fide, & operibus *cap.* 14. Sciat, „ *inquit*, se quisque per fidem posse justificari, „ etiamsi legis opera non præcesserint; sequuntur „ enim justificatum, non præcedunt justificandum". S. Leo epist. LXXVIII. *Sola fides catholica justificat, & sanctificat;* ac denique pluribus aliis omissis Sanct. Bernardus SS. Patrum agmen claudens,

(*a*) Commentarii Origenis in Epistolas S. Pauli græce non amplius extant, præter pauca fragmenta. Latina ipsorum editio est Ruffini, sed contracta, & truncata, ut Ruffinus ipse fatetur in Epist. ad Heraclium, cujus hortatu eam interpretationem Ruffinus aggressus est. Imo fatetur etiam potuisse hujusmodi operis suum nomen, potius quam Origenis apponi.

(*b*) Lutherus reprehensus, quod aliquid Scripturæ sacræ addere presumpserit, ita respondit Tom. V. pag. 141. edit. Jenensis: *Doctor Marthinus Lutherus vult ita legi, & dicit: Papista, & asinus una res est: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*. Præclara sane responsio, qua omnis difficultas tollitur. Certe multo melior illis omnibus est, quas alii ad excusandum Lutherum attulerunt, ut videri potest apud Jo. Gerhardum T. VII. *Locor. Theol.* c. 3. sect. 5. §. 183.

dens, illa verba Evangelii: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ita commentator epist. LXXVII. „ Caute non repetitit: Qui vero baptizatus non fuerit, condemnabitur; sed tantum: „ Qui vero non crediderit; innuens nimirum, solam fidem interdum sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil ".

36. Resp. Patres asserere, nos sola fide justificari, sensu ab eo admodum diverso, quem adversarii intelligunt; & primo quidem Hilarius fidem sumit, prout opponitur legi, quæ ad justificationem non sufficiebat. Id patet ex contextu; inquit enim, hominem fuisse ab eo peccato liberatum, *quod lex lavare non poterat: fides enim sola justificat*.

37. Ambrosius pariter, seu potius ignotus auctor sub Ambrosii larva (Vid. Ceillier Tom. VII. c. 4. art. 5. n. 2.) excludit opera legis facta sine fide in Christum Jesum, & sine gratia. Ceterum ille idem Auctor, quisquis sit, ad cap. IV. epist. ad Heb. „ Magna res, *inquit*, est fides, & salutaris, „ & sine hac non est salvari possibile; sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem „ necessarium est, & conversari digne Deo ".

38. Chrysostomus tantum de operibus externis loquitur, & vult hoc discrimen inter opera, & fidem esse, quod sine fide nemo possit ad justificationem, & salutem pervenire, bene vero sine operibus externis. Non tamen putandum est, excludi internos spei, & charitatis, aliarumque virtutum actus; contrarium enim patet vel ex solo pii latronis exemplo. Quis enim sibi persuadeat, illum duntaxat credidisse in Christum; non autem sperasse, dilexisse, pœnituisse, & ita animo fuisse comparatum, ut præterita scelera, quibus maxime posset, pietatis operibus compensaret, si longior ei vita obtigisset. Imo extremum crucis supplicium ad criminum expiationem Divinæ justitiæ obtulisse?

39. S. Augustinus in priori loco, aliisque similibus nihil aliud docet, quam justos veteris Testamenti fuisse eadem Christi fide, & gratia justificatos, qua & nos justificamur, non tamen sepositis aliis bonorum operum dispositionibus. Hoc autem docebat, ad convellendum Pelagianorum errorem dicentium, homines primo „ salvos factos „ esse per naturam, deinde per legem, postremo „ per Christum; quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, & in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius; evacuantes quod dictum est 1. ad Timoth. II. unus „ enim Deus, unus mediator Dei, & hominum „ homo Christus Jesus " (Ita in primo loco objecto).

40. In altero autem loco S. Doctor tantum negat, opera præcedentia justificationem esse meritoria, eamdemque vult gratis concedi, quæ est Concilii Tridentini doctrina superius exposita num. 18. Ceterum, ut jam animadvertimus n. 19. in eadem ipsissima quæst. 76. Augustinus totus est, ut probet fidem sine operibus minime prodesse, neque Apostolum Paulum, qui dicit, nos justificari gratis per fidem sine operibus, esse contrarium Jacobo dicenti, fidem sine operibus mortuam esse, & justificari nos ex operibus, non autem ex fide tantum. Quæ responsio etiam adaptanda est verbis depromptis ex Lib. *de fide, & operibus;* ubi totus est S. Pater, ut bonorum operum necessitatem adstruat, & ut S. Paulum cum S. Petro, ac S. Jacobo in hac materia conciliet.

41. S. Leo in ep. CLXII. alias 78. fidem, quæ justificat, & sanctificat, non opponit bonis operibus, sed falsis hæreticorum sectis, in quibus nullam fas est sperare salutem. Ibi enim Leonem Augustinum laudat pro eo, quod gerebat, studio, *ut Catholica fides, quæ humanum genus sola vivificat, sola sanctificat, in una confessione permaneat*.

42. Denique Sanct. Bernardus, cum dicit, solam fidem quandoque sufficere ad salutem, excludit opera subsequentia justificationem, non præcedentia, & de iis loquitur, qui statim ac fide justificati fuerint, ex hac vita feliciter decedunt, & sine bonis operibus salvantur: unde recte infert, majorem esse fidei, quam bonorum operum necessitatem. At vero an fides sine bonis operibus ad justificationem sufficiat, ibi mellifluus Doctor non expendit. Id tamen aperte negat Serm. XXIV. *in Cant.* ubi inquit: „ Non facit hominem rectum „ neque fides etiam recta, quæ non operatur ex „ dilectione: *Et iterum:* Neque opera sine fide, „ neque fides sine operibus sufficit ad æternam „ rectitudinem ".

43. Dices. Sanct. Augustinus non dubitavit hominem vel ex eo solo justum appellare, quod fidem habeat. *Si dixerimus*, inquit Serm. XVI. *De verbis Apost., quia justitiæ nihil habemus, adversus Dei dona mentimur*. „ Si enim justitiæ „ nihil habemus, nec fidem habemus; si fidem „ non habemus, Christiani non sumus: si autem „ fidem habemus, jam aliquid habemus justitiæ. „ Ipsum autem vis nosse, quantum sit? Justus ex „ fide vivit": Habac. II. 4.

44. Resp. a S. Augustino fidem appellari justitiam non perfectam, sed imperfectam, seu ut ipse loquitur, *aliquid justitiæ*. Ceterum idem S. Doctor Lib. XV. *de Trinit.* c. 18., *sine charitate*, inquit, *fides potest quidem esse, sed non & prodesse*.

Quæres, an fides possit ab aliis virtutibus separari?

45. Resp. Id quidem inficiantur Lutherus, & Calvinus, quos hactenus oppugnavimus, verentes, ne, si hoc concedunt, illud consequatur longe absurdissimum, posse aliquem per fidem justificari, qui spe, charitate, aliisque virtutibus destitutus sit, imo qui contrariis vitiis sit coinquinatus. Verumtamen innumeris argumentis evincitur, fidem posse ab aliis virtutibus separari (Vid. Bellarm. Lib. I. *de justif.* c. 15.) Hæc tamen controversia

ad

ad præsens dogma Ecclesiæ vindicandum non est necessaria. Nam etiamsi daretur adversariis (quod nunquam concessero) fidem non posse a ceteris virtutibus sejungi, minime labefactaretur Concilii Tridentini doctrina definientis, sola fide impium non justificari.

CAPUT II.

Demonstratur, fidem, quæ ad justificationem disponit, non illam esse, qua credimus, nobis remissa esse peccata.

46. Heterodoxi, quibuscum hactenus egimus, multas, & varias distinguunt fidei species, ut videre est apud Joannes Gerhardum *Loco theologico* XVII. cap. 3. sect. 2. Tres autem ut præcipuas considerant, scilicet fidem *historicam* vel *dogmaticam*, qua nostræ Religionis dogmata firmissime credimus; fidem *miraculorum*, qua quis potest miracula patrare, de qua Marci XI. 22. & seq.; ac denique fidem *promissionum*; qua credimus per Christi merita nobis dimissa esse peccata. Hanc unam postremam ad justificationem requiri autumant (*a*).

PROPOSITIO.

Fides, quæ ad justificationem requiritur, non illa est, qua homo certo, & sine ulla hæsitatione credat, sibi dimissa esse peccata.

47. Prob. 1. ex sacris Litteris, quæ passim ad justificationem illam fidem requirunt, qua Trinitatem, aliaque Religionis nostræ mysteria credimus. Marci ult. 15. & 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Jo. XX. vers. ult. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Rom. X. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*. In quibus omnibus, aliisque locis nulla alia fides insinuatur, quam theologica, & dogmatica, fides scilicet mysteriorum.

48. Prob. 2. ex Traditione; & quidem a Patrum testimoniis afferendis supersedemus (videri possunt apud Bellarminum Lib. I. *de Justificat.* cap. 9.), cum ipsius irrefragabile testimonium nobis suppeditet antiquissima illa consuetudo a primis usque ducta temporibus, qua a Catechumenis ante baptismum semper exigitur illa fidei professio, qua præcipua nostræ Religionis capita continentur. Contra autem quando, & ubinam legimus, fuisse neophytos interrogatos, an credant, sibi dimissa esse peccata?

49. Ab hac difficultate frustra se liberare conatus est Phil. Melanchthon observans *in Apologia Confessionis Augustanæ* art. *de fide*, in symbolo etiam articulum contineri de remissione peccatorum, unde infert, hanc fidem esse, quæ justificat. Frustra inquam. Nam articulus ille de remissione peccatorum non designat eam fiduciam, vel fidem, qua unusquisque credat, sibi dimissa esse peccata, sed qua creditur, esse in Ecclesia potestatem clavium ad remittenda peccata. Quod adeo verum est, ut Ecclesia hanc fidei professionem exigere soleat a Catechumenis, antequam per baptismum remissionem peccatorum obtinuerint, eo scilicet tempore, quo stultum esset credere sibi dimissa esse peccata.

50. Multo minus vim difficultatis eludit Lutherus, respondens in Comment. ad Cap. III. Epist. ad Gal., fidem remissionis peccatorum contineri iis verbis; „ Credo sanctam Ecclesiam, quod, *in-* „ *quit*, non est aliud, quam credo nullum am- „ plius esse peccatum ". At a vero illorum verborum sensu longe aberrat Lutherus, Ecclesia enim dicitur sancta, non quia ille, qui recitat symbolum, sanctus sit, sed quia caput habet sanctum, leges sanctas, multa membra sancta, & quia extra illam nullus esse potest sanctus.

51. Prob. demum ratione. Nam fiducia remissionis nostrorum criminum justificationem nostram subsequitur, non præcedit, estque illius effectus, non causa: seu, ut accuratius loquar, ideo speramus dimissa nobis esse peccata, quia omnia, quæ Deus ad nostram justificationem exigit, antea diligenter explevimus: unde S. Joannes Epist. I. cap. III. 21. inquit: *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*.

52. Obj. 1. Paulus ad Roman. IV. de fide Abrahæ loquens, qua justificatus fuit, eam non fidem historicam & dogmaticam, sed fidem promissionum fuisse dicit vers. 20. & sequent.: „ In „ repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, „ sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; „ plenissime sciens, quia quæcumque promi- „ sit, poteas est & facere: ideo reputatum est „ illi ad justitiam ". Pergit autem Apostolus, & docet, justificationem Abrahæ esse imaginem nostræ, dicens: „ Non est autem scriptum tantum „ propter ipsum, quia reputatum est illi ad ju- „ stitiam, sed & propter nos &c. "

53. Resp. Fidem, quam Apostolus dicit fuisse reputatam Abrahæ ad justitiam, non esse talem, qua crediderit sibi remissa esse peccata, quamque ad justificationem sufficere adversarii frustra contendunt; sed fidem, qua credidit Deo, promittenti sibi quod futurus esset pater multarum gentium: *nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vul-*

(*a*) In *Apologia Confessionis Augustanæ* art. 2. de justific. ita dicitur: *Illa fides, quæ justificat, non est tantum notitia historiæ, sed est assentiri promissioni Dei, qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum, & justificatio est velle, & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum, & justificationis.*

vulvam Saræ, ibidem vers. 19. Unde concludit & nos justificatum iri, *si crediderimus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis*. Præterea ea verba; *& reputatum est illi ad justitiam* non possunt hoc loco de prima justificatitione intelligi, quam Abraham jam consecutus erat multo antea, quam seminis futuri repromissionem acciperet; sed de argumento justitiæ, quod promptam, & certam fidem Dei promissionibus præstans consecutus est.

54. Obj. 2. Matth. IX. 1. dicitur: „ Offerebant „ ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns „ Jesus fidem illorum dixit paralytico: Confide, „ fili, remittuntur tibi peccata tua ". Et iterum dicebat Jesus Hæmorrhoissæ ibid. vers. 22. *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*. Apostolus etiam Eph. III. 12. de Christo loquens: *In quo habemus fiduciam*, inquit, *& accessum in confidentia per fidem ejus*. Denum Hebr. X. 19. „Habentes fiduciam .... in sanguine Christi .... accedamus cum vero corde in plenitudinem fidei".

55. Resp. ad primum, duplicem in paralytico distinguendam esse fidem; primam, qua ad Jesum se deferri curavit, sperans ab eo sanitatem corporis una cum peccatorum remissione se obtenturum; alteram, cum audivit a Christo sibi remitti peccata: *Confide fili, &c.* Prima erat dispositio ad justificationem, quam Catholici omnes una cum Concil. Tridentino Sess. VI. cap. 6. confitentur, bonis tamen operibus minime exclusis. Altera autem erat certitudo consecutæ jam sanitatis, & justificationis, habita ex ipso Salvatoris ore. Idemque dicendum de Hæmorrhoissa, quanquam in illa de sola corporis sanitate actum fuisse, videtur. Reliqua duo Apostoli loca nihil aliud significant, quam per Christi sanguinem nobis apertum esse accessum ad Deum *cum plenitudine fidei*; quia per fidem cognoscimus, Christum factum esse pro nobis Mediatorem apud Patrem. Imo ex iisdem verbis patet, non idem esse fidem, ac fiduciam, ut adversarii volunt: dicit enim Sanct. Paulus: „ In „ quo habemus fiduciam, & accessum in confi- „ dentia per fidem ejus: & habentes fiduciam ac- „ cedamus in plenitudine fidei"; nempe fiducia „ oritur ex fide.

Obj. 3. Marci XI. 24. dicebat Christus discipulis suis: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*: quilibet ergo remissionem peccatorum consequetur, dummodo eam petat, eamque sibi concessum iri, certo credat.

57. Resp., Fidem, qua impetramus, non esse solam, sed cum oratione conjunctam: *quæcumque orantes petitis*. Rursus non quælibet oratio impetrat, sed quæ fit, *sicut oportet*. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*: Rom. VIII. 26. Ille autem petit remissionem peccatorum, sicut oportet, qui fidei, seu fiduciæ promissionem etiam fidem Mysteriorum, debitasque ad justificationem dispositiones conjungit.

58. Obj. 4. S. Paulus, Act. XIII. 38. & 39. Ita Judæos alloquebatur: „ Notum igitur sit vo- „ bis, viri fratres, quia per hunc (*Jesum*) vo- „ bis remissio peccatorum annunciatur ... In hoc „ omnis, qui credit, justificatur": fides igitur ad justificationem necessaria est illa, qua nobis peccatorum remissio annunciatur.

59. Resp., eo loco sermonem esse de fide theologica, historica, & dogmatica, qua Jesus Christus, & ab ipso instituta Religio creditur, ut ex tota illa S. Pauli oratione, in Synagoga Antiochiæ habita, luculenter apparet; non autem de sola promissionum fiducia. Id est Apostolus Messiam jam advenisse prædicabat ad remissionem peccatorum, a quibus non potuerunt Judæi in lege Moysi justificari. Subdit autem: *In hoc omnis, qui credit, justificatur*, comprehendo sub fide omnia, quæ nova Christi lex præscribit; sicut nomine circumcisionis solet lex Moysis significari.

60. Obj. 5. Fides a Sancto Paulo Hebr. XI. definitur *sperandarum substantia rerum*: ergo non consistit, nisi in fiducia &c.

61. Resp., hunc esse Apostolicæ illius definitionis sensum, quod fides sit nostræ spei substantia, vel fundamentum; quia nisi esset fides, nec ulla spes esse posset. Ceterum objectum nostræ fidei non esse solum bona speranda, sed etiam mysteria credenda, liquet ex sequentibus; mox enim dicitur: „ fide intelligimus aptata esse sæcula ver- „ bo Dei: & accedentem ad Deum oportet crede- „ re, quia est ".

62. Obj. ult. Quotiescumque aliquid nobis vel promissum, vel oblatum est, nihil aliud ex parte nostra requiritur, nisi acceptatio; atqui justificatio nobis ex meritis Christi promissa est, & oblata: nihil igitur aliud ex parte nostrum desideratur, quam acceptatio, quæ fit credendo divinis promissionibus.

63. Resp., Majorem esse veram, cum agitur de promissionibus *absolutis*, non autem quando agitur de promissionibus *conditionatis*; tunc enim præter acceptationem requiritur etiam conditionum adimpletio. Jam vero justificatio per merita Christi nobis promissa est *conditionate*, si nempe debitis dispositionibus ad illam recipiendam nos præparaverimus. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris*, Deut. IV. 29.: *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet*, Ezech. XVIII. 21. *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, Act. II. 28.

64. Maneat igitur Catholica veritas, quam Concilium Trid. his verbis expressit Sess. VI. c. 9. „ Quamvis autem necessarium sit credere, neque „ remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, „ nisi gratis divina misericordia propter Christum; „ nemini tamen fiduciam, & certitudinem remis- „ sionis peccatorum suorum jactanti, & in ea so- „ la quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse „ dicendum est: cum apud hæreticos, & schisma- „ ticos possit esse, imo nostra tempestate sit, &

„ ma-

„ magna contra Ecclesiam Catholicam contentione „ prædicetur vana hæc, & ab omni pietate re- „ mota fiducia. Sed neque illud asserendum est, „ oportere eos, qui vere justificati sunt, absque „ ulla omnino dubitatione apud semetipsos statue- „ re se esse justificatos, neminemque a peccatis „ absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certo cre- „ dat, se absolutum, & justificatum esse: atque „ hac sola fide absolutionem, & justificationem „ perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei pro- „ missis, deque mortis, & resurrectionis Christi „ efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei „ misericordia, de Christi merito, deque Sacra- „ mentorum virtute, & efficacia dubitare debet, „ sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam „ infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua „ gratia formidare, & timere potest; cum nullus „ scire valeat certitudine fidei, cui non potest sub- „ esse falsum; se gratiam Dei esse consecutum: „ *& cohærenter can.* 12. *ita definitum est:* Si „ quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud es- „ se, quam fiduciam divinæ misericordiæ pecca- „ ta remittentis propter Christum, vel eam fidu- „ ciam solam esse, qua justificamur, anathema „ sit. *Can.* 13. Si quis dixerit, omni homini ad „ remissionem peccatorum assequendam, necessa- „ rium esse, ut credat, & absque ulla hæsitatio- „ ne propriæ infirmitatis, & indispositionis pec- „ cata sibi esse remissa, anathema sit. *Ac deni- „ que Can.* 14. Si quis dixerit, hominem a pec- „ catis absolvi, ac justificari ex eo, quod se ab- „ solvi, ac justificari certo credat, aut neminem „ vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse „ justificatum; & hac sola fide absolutionem, & „ justificationem perfici, anathema sit ".

CAPUT III.

De Justificationis essentia. Demonstratur, eam non consistere in sola extrinseca remissione peccatorum, sed in interna gratiæ infusione.

65. Justificationis nomen multiplici sensu in sacris Litteris usurpatum invenitur, & primo quidem δικαῖειν (cui vox hebraica respondet צדק) sumitur non raro in sensu forensi pro extrinseca justitiæ declaratione, quomodo judex aliquem innocentem pronunciat; unde illud Prov. XVII. 15.: „ Qui justificat impium, & condemnat justum, „ uterque est abominatio Domino ". Secundo sumitur δικαιοῦσθαι prout significat reipsa intrinsecus purgari, & id rursus duplici sensu, nempe & pro prima justitiæ acquisitione, cum impius abstersis peccati maculis justus coram Deo efficitur, & pro incremento justitiæ, cum scilicet justus per novos virtutum actus in adepta justitia, & sanctitate crescit, secundum illud Apoc. ult.: *Qui justus est, justificetur adhuc*.

66. Porrò eorum, quos hactenus confutavimus, opinio est, justificationem impii nihil esse aliud, quam externam absolutionem a peccatis, forensi more, ita ut non vere tollantur peccata, sed solum condonentur, tegantur, & non imputentur (*a*). Addunt aliqui, præcipue Calvinistæ, extrinsecam imputationem justitiæ Christi, quam homo, quasi manu apprehendit per eam fidem, qua credit sibi dimissa esse peccata. Nec denique aliquando refugiunt a confitenda vera, & intrinseca virtutum infusione, at vero eam non ad justificationem, sed ad sanctificationem pertinere dicunt, quam a justificatione distingui comminiscuntur. Ita Petrus Molinæus in *Clypeo fidei* sect. 45. Non desunt tamen vel inter Heterodoxos, qui ab hujusmodi suorum Magistrorum erroribus procul recedunt (*b*).

67. Contra vero doctrina Ecclesiæ Catholicæ de justificationis essentia duobus potissimum continetur; primo ita deleri, ac penitus ablui peccata, ut non amplius eorum fœditas, ac turpitudo supersit, & hominem justificatum esse vere, atque intrinsece justum: secundo gratiam Spiritus Sancti in nobis intrinsece recipi, & inhabitare, non autem solum Christi justitiam nobis extrinsecus imputari. Quæ duo paucis verbis complexus est Apostolus ad Coloss. I. 13. inquiens de Deo: „ Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit „ in regnum Filii dilectionis suæ ". Unde etiam justificatio impii, de qua hic loquimur, definiri potest cum S. Thoma 1. 2. quæst. 113. art. 1. *transmutatio quædam de statu injustitiæ ad statum justitiæ*.

PROPOSITIO I.

In justificatione impii peccata non teguntur solum, aut extrinsece condonantur, sed vere remittuntur, ac prorsus delentur.

68. Prob. 1. apertissimis Scripturæ locis, quæ, ut sapienter Bellarminus observat lib. II. *De justi-*

(*a*) *In Apolog. August. Confess.* Art. 3. p. 125. dicitur: „ Justificare vero hoc loco forensi consuetudine „ significat, reum absolvere, & pronunciare justum, „ sed propter alienam justitiam, videlicet Christi, „ quæ aliena justitia communicatur nobis per fidem ". Videri etiam potest Calvinus Lib. III. *Instit.* c. 11. §. 2. Quanquam Card. Richelius in suo opere *De faciliore methodo ad convertendos &c.* Lib. III. c. 2. observat, Calvinum, non minus, quam Petrum Molinæum, ita nonnunquam loqui, ut vix a nobis dissentire videantur.

(*b*) Georgius Bullus *in Exam. Censuræ* ad animad. II. *De imputatione*, inquit: „ Justitiæ Christi ne γρῦ „ quidem reperias vel in nostra Confessione, vel in „ Augustana, Argentinensi, Virtembergica, Bohemi- „ ca, Belgica &c. " & totus est, ut eam explodat. Idem sentit Jo. Ernestus Grabe ibidem in *Annot.* Idem Guillelmus Forbesius in *Considerationibus pacificis, & modestis* Lib. II. *De justif.* cap. 3. §. 8. Idem non pauci alii apud. Chrystoph. Psaffium in *Introd. Hist. Theol.* Lib. III. *De Theol. Polem.* pag. m. 263. & seq.

stificatione cap. 7. „ utitur omni genere vocabu„ lorum, quæ excogitari poterant, ad veram pec„ cati remissionem significandam; ut si quis de „ industria quærat vocabula, quibus perspicue de„ claret, peccatum aliquod vere tolli, & aboleri, „ non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptu„ ra divina antea non occupaverit". Dicit, peccata tolli, & deleri, I. Paralip. XXI. 8. *Aufer iniquitatem servi tui;* & II. Reg. XII. 13.: „ Do„ minus transtulit peccatum tuum. *Joann. I.* 29.: „ Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Psalm.* „ L. 2. Dele iniquitatem meam; *& Isaiæ XLIV.* „ 22.: Delevi ut nubem iniquitates tuas, & qua„ si nebulam peccata tua". Quænam comparatio majori energia significare potest totalem peccatorum extinctionem, ut nullum prorsus eorum vestigium remaneat? Dicit ulterius Scriptura, nos ablui, & mundari. „ *Psalm. L.* 9. Asperges me, „ Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, „ & super nivem dealbabor. 1. *Cor. VI.* 11. A„ bluti estis, sanctificati estis, justificati estis; 1. „ *Joann. I.* 7.: Sanguis Jesu Christi filii ejus e„ mundat nos ab omni peccato". Dicit denique, peccata removeri a nobis quamlongissime. „ *Ps.* „ *CII.* 12. Quantum distat ortus ab occidente, lon„ ge fecit a nobis iniquitates nostras"; & nullus plane esset dicendi finis, si omnia huc spectantia colligere vellem.

69. Nec alius est apud S. Patres loquendi modus. Nam S. Jo. Chrysostomus: „ Corporis, in„ quit Lib. III. *De Sacerdotio* c. 6., lepram pur„ gare, vel, ut verius dicam, purgatum ostende„ re Judæorum Sacerdotibus licebat; at vero no„ stris Sacerdotibus non corporis lepram, sed a„ nimæ sordes, non dico purgatas probare, sed „ purgare prorsus concessum est. *Et iterum* lib. „ II. *De compunctione cordis:* Cordis compun„ ctio, *inquit*, sicut ignis, omne animæ vitium „ perurit, & adimit, & quantacunque in ea re„ pererit mala, abstergit universa, & penitus de„ let".

70. Suffragatur S. Augustinus his verbis Lib. I. ad *Bonifacium* cap. 13. „ Dicimus, baptisma „ omnium dare indulgentiam peccatorum, & au„ ferre crimina, non radere; nec ut omnium pec„ catorum radices in mala carne teneantur, quasi „ rasorum in capite capillorum, unde crescant i„ terum resecanda peccata".

71. Et S. Gregorius Magn. Lib. IX. ep. 59.: „ Si qui sunt, *inquit*, qui dicant peccata in ba„ ptismo superficie tenus dimitti; quid est hac præ„ dicatione infidelius? cum per fidei Sacramentum „ anima peccatis radicitus absoluta soli Deo in„ hæreat". Videatur etiam Catechismus Romanus P. II. *de Sacr. Bapt.* num. 43. Eadem vero ratio est justificationis adultorum, ac baptismi parvulorum, saltem quantum ad delenda peccata (*a*).

72. Hinc jure merito opposita sententia fuit a Concilio Tridentin., saltem ubi sermo est de peccato originali, anathemate damnata Sess. V. cap. 5. „ Si quis per Jesu Christi Domini nostri gra„ tiam, quæ in baptismate confertur, reatum pec„ cati originalis remitti negat, aut etiam asserit, „ non tolli totum id, quod veram, & propriam „ peccati rationem habet, sed illud dicit tantum „ radi, aut non imputari, anathema sit".

73. Colligite. Si adversarii, cum dicunt, peccata in justificatione reipsa non deleri, sed tantum remitti, nihil aliud sibi vellent, quam quod Doctor Molanus declaravit apud Bossuet T. I. *Ooeuvr. posth.* p. 58. scilicet peccatum remanere non *formaliter*, quantum ad reatum culpæ, & pœnæ, sed solum *materialiter*, hoc sensu, quatenus semper verum est, hunc hominem olim legem Dei violasse; si, inquam, id solum sibi vellent, nullum amplius, ut puto, hac in parte superesset dissidium.

74. Obj. primo. Ps. XXXI. dicitur: „ Beati, „ quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum te„ cta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputa„ vit Dominus peccatum". Prov. X. *Universa delicta operit charitas;* cui simile est, quod S. Petrus dicit epist. 1. cap. IV.: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Ezech. XXXIII.: *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei*. Sap. XI.: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Et pluribus aliis omissis, 2. ad Cor. V.: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum:* ergo &c.

75. Resp., omnibus his, aliisque geminis locis designari veram peccatorum remissionem, per internam maculæ abstersionem, non autem puram externam non imputationem; quod luculenter colligitur ex aliis Scripturæ testimoniis, quibus peccata prorsus deleri, & omnino auferri dicuntur. Ita S. Augustinus explicat verba Psalm. XXXI. enarr. 2. n. 2.: „ Cooperta sunt, *inquit*, pecca„ ta, abolita sunt, tecta sunt ... Non sic intelli„ gatis, quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi „ ibi sint, & vivant". Quod autem dicitur, charitatem operire delicta, interprete Sancto Augustino, Tract. I. in epist. 1. Jo. idem est: ac extinguere: *Charitas*, inquit S. Doctor, *extinguit delicta*.

76. Inst. Psalmista dicit Psalm. L.: *Averte faciem tuam a peccatis meis:* quæ verba ita S. Augustinus interpretatur: *Deus avertendo faciem peccata delet:* non alia igitur ratione Deus justifi-

(a) Calvinus in hac parte Augustino valedicere non veretur. Nam Lib. III. *Instit.* c. 11. §. 16. „ Anne „ Augustini, inquit, sententia, vel saltem loquendi „ ratio per omnia accipienda est, tametsi enim egre„ gie hominem omni justitiæ laude spoliat, ac totum „ Dei gratiæ transcribit, gratiam tamen ad sanctifica„ tionem refert, quia in vitæ novitatem per spiritum „ regeneramur".

ficat, nisi non respiciendo, seu non imputando peccata.

77. Resp. Psalmistam seipsum explicare, dum continuo subdit: *Et omnes iniquitates meas dele:* nec aliter intelligendus est S. P. Augustinus. In hoc autem adversarii decipiuntur, quod hujusmodi solum loca considerant, in quibus peccata tegi, vel non imputari dicuntur, aliis prætermissis, in quibus eadem peccata prorsus deleri, & ut ita dicam, radicitus averruncari, perspicue significantur.

78. Obj. secundo. In justis adhuc sunt peccata. Nam Apostolus Paulus ad Rom. VII. 17. dicebat: ,, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum ".

79. Resp., nomine peccati ibi ab Apostolo intelligi concupiscentiam, quæ in justis adhuc remanet, & dicitur peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, quemadmodum ex S. Augustino Tridentina Synodus declaravit Sess. V. can. 5. his verbis: ,, Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis sit peccatum, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat ". Vide, quæ dicta sunt T. IV. Diss. III. n. 5. seq.

80. Dices. Si remanet peccati radix, ergo verum est, quod Protestantes docent, peccata solum radi, & tegi, non vero radicitus tolli, & extirpari.

81. Resp., subtilem hanc esse cavillationem, quæ tota in æquivocatione cubat. Concupiscentia enim dicitur peccati radix non *formalis*, sed *virtualis:* non quasi radix capilli rasi, quæ ex se iterum crescit, & capillum germinat, sed quia ita ad malum inclinat, ut nisi voluntas, gratia Dei opitulante, tota sua vi resistat, homines ad peccata iterum trahat.

82. Obj. 3. Justi nunquam sunt a peccatis immunes: Dicitur enim Isaiæ LXIV. 6.: ,, Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ. *Et Job antiquior Isaia dicebat c. IX.* 2. Vere scio... quod non justificetur homo compositus Deo: *& cap. XXV.* 4. 5.: Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. *Item Psal. CXLII.* 2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: *cui simile est illud Psal. CXXIX.* 3.: Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? *Joan. etiam epist.* 1. *c. I.* 8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est ". Si autem vere tollerentur peccata, saltem aliqui omnino justi, & mundi invenirentur.

83. Resp. ad 1., Isaiam loqui de populo Israelitico sub lege, cujus proinde justitia vocari merito poterat immunditia, quia lex vim justificandi minime habebat. Erant quidem etiam tunc aliqui Sancti, sed paucissimi, qui non ad legem, sed ad spiritum, & gratiam novi Testamenti pertinebant, quique in hac generali sententia non comprehenduntur. Et sane de operibus justorum sub gratia aliter loquitur Scriptura: nam de Christo ita Paulus ad Tit. II. 14. ait: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum ". Et Apoc. XIX. 8. justificationes Sanctorum comparantur *byssino splendenti, & candido*. Attamen quantacumque sit hominum puritas, & sanctitas, verum est, quod dicebat Job, eam in comparatione sanctitatis Dei quasi immunditiam reputari. Unde S. Augustinus in Lib. ad Orosium cap. 10. inquiebat de hominibus: ,, Cujus participatione justi sunt, ejus comparatione nec justi sunt: *& ipse Job* c. *IV*. 17. Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir "? Sic lumen candelæ nullum esse dicimus in comparatione solis.

84. In verbis autem Psalm. CXLII. solum indicantur peccata venialia, quibus nec justi carent, *nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, ut in Conc. Trid. Sess. VI. can. 23. definitum fuit. Unde S. Augustinus, postquam dixisset, Sanctos non ita sanari in hac vita, ut omnibus vitiis, & peccatis immunes sint, ita subdit Lib. II. *de peccatorum meritis* cap. 19.: ,, Ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens ". Ceterum multos esse a lethalibus noxis puros, idem Psalmista declarat Psalm. CXVIII. dicens: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* & Psal. XVII. de se ipso dicit: *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*.

85. Denique S. Joannis testimonium intelligendum est de peccatis venialibus, a quibus nec justi immunes sent; ut enim dicitur Jac. III. *in multis offendimus omnes*, & Job XV. 15.: *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus;* & propterea etiam justi ita Deum orant; *dimitte nobis debita nostra;* unde S. August. epist. CLVIII. al. 89. n. 3. recte inquiebat: ,, Qui misericordia Dei adjutus, & gratia, ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata, sine quibus non hic vivitur, mundare operibus misericordiæ, & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamvis, cum hic viveret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita remedia, quibus purgarentur, affuerunt ".

86. Dices. S. Hieronymus Lib. III. in Jerem. cap. 13. explicans citata verba Psal. CXLII., id dictum esse observat, *non ad comparationem Dei (ut veteres, & novi hæretici volunt, & patroni*

ni hæreticorum), *sed ad scientiam ejus. Homo enim videt in facie, Deus in corde; & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur:* censet ergo, peccata non vere ablata esse, sed duntaxat tecta, ita ut Deus adhuc ea conspiciat.

87. Resp. S. Hieronymum eo loci solum docere, nonnulla opera nobis quandoque justitias videri, quæ in conspectu Dei peccata sunt, & rursus aliquos nobis apparere justos, cum tamen & ipsi in conspectu Dei coinquinati sint; unde inquit: „ vitiis, atque peccatis omnis impletur humana conditio, dicens Propheta: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ".

88. Obj. 4. Saltem ante legem Mosaicam tota hominis justificatio in sola peccatorum non imputatione consistebat, dicente Paulo ad Rom. V. 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur.*

89. Resp., ante legem peccatum non fuisse imputatum, tanquam transgressionem legis scriptæ, quæ nondum lata fuerat, non tamen nullum fuisse; erat enim peccatum tam originale, quam actuale; atque hoc imputabatur tanquam violatio legis naturalis. Hinc etiam gravissimas peccatoribus pœnas inflictas legimus, ut Caino, Sodomitis, ac denique omni carni, diluvio submersæ. Vel etiam, ut alii explicant, peccatum non imputabatur, idest non cognoscebatur propter crassas ignorantiæ tenebras, quibus homines circumfusi erant, & quæ per legem depulsæ fuerunt.

90. Obj. 5. in sacris Litteris verbum *justificare* δικαιῶν sumitur forensi more pro justum censere, sive pronunciare, quod pluribus Scripturæ testimoniis ostendi posset; sed instar omnium sit illud Apostoli Rom. VIII. 33. „ Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat, quis est, qui condemnet "? Atqui in judicio forensi delicta non tolluntur, sed tantum non imputantur, nec homo ex reo justus fit, sed solum justus declaratur: ergo &c. Hinc etiam S. Augustinus in Lib. *de Spiritu, & littera* c. 26. exponens ea Apostoli verba: *Factores legis justificabuntur, dictum est inquit, justificabuntur, ac si diceretur justi habebuntur, justi deputabuntur:* sicut dictum ex Lucæ X.: „ Ille autem volens se justificare, *id est*, ut justus haberetur, & deputaretur ". Addit Chemnitius, apud latinos auctores, vocem *justificare* nunquam pro eo accipi, quod justum facere, sed solum forensi significatione pro eo, quod est *absolvere* (a).

91. Resp., non deesse quoque in sacris Litteris exempla, quibus ostendamus, hoc verbum *justificare* sumi non sensu forensi, sed pro vera peccatorum deletione; ut apud Apostolum 1. Cor. VI. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Præterea insigne est illud Apoc. ult. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Jam vero in hac postrema significatione sumi justificationem impii ex momentis supra allatis evincitur, & ex eo potissimum, quod peccata vere *tolli, remitti, deleri* dicantur: atque hoc sensu videtur etiam Apostolus in loco objecto justificationem usurpare, quasi diceret, *si Deus hominem justificavit, peccata ejus delendo, nemo potest eum condemnare.* Nec aliter eam accepit S. Augustinus, ut ex variis ejus textibus allatis fit manifestum, ut scilicet intelligamus, homines deputari justos ante oculos Dei ipsius, quibus certe apparerent peccatorum sordes, si aliquæ in nobis remanerent.

92. Quod vero Chemnitius addit de significatione hujus vocis *justificare* apud Latinos, nihil nos premit: primo quia hæc vox apud probatos auctores latinos profanos in nulla significatione invenitur, & primus, quod sciam, Tertullianus eam usurpavit *advers. Marc.* c. 4. n. 17.: secundo quia etiamsi profani auctores duntaxat forensi sensu eam adhibuissent, mirabile id videri non deberet, cum modum ignoraverint, quo Deus justificat impios, non solum absolvendo, ut faciunt homines, sed omnem maculam abstergendo, quod ille solus facere potest. Nec novum est, aut insolens, ut verba in Scripturis eleventur ad aliquid significandum multo excellentius, aut augustius, quam in humanis significant.

93. Obj. ult. S. Patres quamsæpissime nos aliquid boni habere negant, sed totam justitiam nostram uni Dei misericordiæ inniti dicunt. Instar omnium sit Sanct. Hieronymus qui in Dial. I. *advers. Pelag. Tunc ergo*, ait, *justi sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia:* Et S. Greg. M. Lib. XXXV. *Moralium*, in homine esse dicit *pura mala; &* in caput IX. Job dicit, *omne virtutis nostræ meritum esse vitium, si ab interno arbitrio districte judicetur.*

94. Resp. his, aliisque id genus Sanctorum Patrum locutionibus non designari, peccata nostra vere remissa non esse, sed dumtaxat nihil in nobis esse boni ex viribus nostris, cum omnia bona nostra debeamus Deo in acceptis referre, secundum illud Apostoli 1. Cor. IV. 7. toties a S. Augu-

(a) Non desunt inter Heterodoxos, qui ingenue fateantur, justificationem in sacris litteris non semper sumi *sensu forensi*. Sic Grotius in Prolegom. ad epist. ad Rom. Sic etiam Georg. Bullus in *Harmonia Apostolica* Dissert. I. c. 1. §. 2., ubi probat, *usitatiore* quidem significatu usurpari in sensu forensi, sumi tamen aliquando etiam in alio sensu; qua in re Ernestus Grabe cum *solita accuratione* locutum dicit, & nonnulla loca addit, quæ de forensi justificatione intelligi nullatenus possunt. Laudat quoque ut sibi consentientes Mart. Borræum, Petrum Martyrem, & Mart. Bucerum. Sed & ipse Phil. Melanchthon in *Apologia Confessionis Augustanæ* hæc habet: *Justificari significat ex injustis justos effici, seu regenerari: significat & justos pronunciari, seu deputari; utroque enim modo loquitur Scriptura.* Ex Lib. *Concordiæ* 1580. pag. 75.

gustino insinuatum: *Qui habes, quod non accepisti?*

PROPOSITIO II.

Impius non justificatur per externam imputationem justitiæ Christi, sed per internam gratiæ infusionem.

95. Prob. 1. ex Sacris Litteris, tam veteris, quam novi Testamenti, in quibus justificatio impii fieri dicitur per internam totius hominis renovationem. „ *Psalm. L.* 12. Cor mundum crea in „ me Deus, & spiritum rectum innova in visce„ribus meis. *Ezech. XXXVI.* 25. Effundam su„per vos aquam mundam, & mundabimini ab „ omnibus inquinamentis vestris ..... Et dabo vo„bis cor novum, & spiritum novum ponam in „ medio vestri. *Ad Tit. III.* 5. Salvos nos fecit „ per lavacrum regenerationis, & renovationis Spi„ritus sancti, quem effudit in nos abunde per Je„sum Christum Salvatorem nostrum, ut justifi„cati gratia ipsius hæredes simus secundum spem „ vitæ æternæ. *Joann. III.* 5. *&* 6. Nisi quis re„natus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non „ potest introire in regnum Dei. Quod natum est „ ex carne, caro est, & quod natum est ex spi„ritu, spiritus est".

96. Porro hæc Scripturarum oracula ipsa rerum experientia comprobata olim sunt, & usu quotidiano adhuc comprobantur. Mirabilis illa Pauli conversio, ut ex persecutore fieret vas electionis, annon internæ mutationis clarissimum argumentum est? Eodem modo, quanquam non ita repente, mutantur quotquot a peccatis convertuntur ad Deum, & justificantur, ita ut plane in novos homines, quasi per novam generationem, & creationem transformentur (*a*). Jam vero si justificatio nonnisi per externam peccatorum remissionem fieret, addita item externa justitiæ Christi imputatione, non autem per gratiæ infusionem, internamque totius hominis renovationem, & sanctificationem, hæc impiorum conversio, & totalis mutatio nec esset, nec intelligi posset: ergo &c.

97. His adjungamus ea Scripturæ loca, quibus dicitur conceptis verbis gratiam Dei diffundi in cordibus nostris. „ *Rom.* V. 5. Charitas Dei diffusa „ est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui „ datus est nobis. *Et ibidem de justis subditur* „ *vers.* 17. Abundantiam gratiæ, & donationis, & „ justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum „ Jesum Christum"; quibus nihil expressius, aut luculentius in rem nostram dici potest. Joann. etiam XIV. 23. dicitur Deus in justis inhabitare: „ Ad eum veniemus, & mansionem apud eum fa„ciemus"; utique per gratiam inhærentem.

98. Neque vero audiendi sunt, qui difficultate rei pressi subtilem excogitarunt distinctionem inter justificationem, & sanctificationem: atque allatos Scripturæ Sacræ textus, non ad justificationem, sed ad sanctificationem spectare docent (Petrus Molinæus in *Clypeo fidei* Sect. 29.).

99. Inanis est enim hæc distinctiuncula, cujus nullum est in Sacris Litteris, aut in aliis Ecclesiasticis monumentis fundamentum; nec peccata ab impiis tolluntur, nisi renovato per gratiam infusam, & sanctificantem eorumdem spiritu; quemadmodum in naturæ effectibus non tollitur una forma, nisi per alterius adventum. Adde S. Augustinum, qui vanam hanc subtilitatem explodit, inquiens *De peccato Orig.* cap. 39. „ Regeneratione „ modo fit, ut peccata omnia præterita remittan„tur; *& iterum.* In damnatione hominem prima „ nativitas tenet, unde nisi secunda non liberat"; & pluribus aliis in locis regenerationem a justificatione minime secernit. Vid. Lib. I. *de peccat. meritis & remissione* cap. 10.

100. Allatis Scripturæ testimoniis addi potest etiam Ss. Patrum auctoritas, quorum omnium instar sit magnus Augustinus. Hic *Lib. de Spir. & litt.* cap. 9. n. 15. postquam probavit ex Apostolo hominem non justificari ex operibus legis, sed per fidem, qua creditur in Christum, ita pergit: „ Sic„ ut autem ista fides Christi dicta est, non qua „ credit Christus; sic & illa justitia Dei, non qua „ justus est Deus; utrumque enim nostrum est; „ sed ideo Dei & Christi dicitur, quod ejus no„bis largitate donatur; *& c.* 32. *n.* 56. Charitas „ quippe Dei dicta est diffundi in cordibus no„stris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos fa„cit dilectores suos, sicut justitia Dei, qua justi „ ejus munere efficimur, & Domini salus, qua „ nos salvos facit, & fides Jesu Christi, qua nos „ fideles facit. Idque tam sæpe repetit, & tam cla„re, ut vel ipse Calvinus Augustinum sibi ad„versari confessus fuerit (*b*)".

101. Denique audiendus est etiam Angelicus, qui 1. 2. quæst. 113. art. 2. hac ratione theologica probat, non posse remitti culpam sine infusione gratiæ: „ Homo peccando Deum offendit. Offen„sa autem non remittitur alicui, nisi per hoc; „ quod animus offensi pacatur offendenti. Et ideo „ secundum hoc peccatum nobis remitti dicitur, „ quod Deus nobis pacatur; quæ quidem pax con„sistit in dilectione, qua Deus diligit nos. Dile„ctio autem Dei, quantum est ex parte actus di„vini, est æterna, & immutabilis; sed quantum „ ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque „ in-

(*a*) Videri potest de hujusmodi mutationibus Fleury *Meurs de Chret.* art. 4. Lectu etiam dignissima est epistola 1. Sancti Cypriani ad Donatum, in qua Sanct. Martyr sui mutationem, quæ sibi ipsi incredibilis videbatur, gratiæ ope facta eleganter discribit.

(*b*) Vide supra in nota ad n. 71. Phil. etiam Melanchthon idipsum confiteri debuit, ut bene observavit Jac. Ben. Bossuet in *Hist. variat. Eccl. Protest.* Lib. V. n. 29. & seq.

„ interrumpitur; prout scilicet ab ipso quandoque „ deficimus, & quandoque iterum recuperamus. „ Effectus autem divinæ dilectionis in nobis, qui „ per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit „ dignus vita æterna, a qua peccatum mortale ex- „ cludit. Et ideo non posset intelligi remissio cul- „ pæ, si non adesset infusio gratiæ".

102. Scripturis itaque, & Sanctis Patribus sacra Tridentina Synodus inhærens ita definivit Sess. VI. cap. 7. „ Justificatio ... non est sola peccato- „ rum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio „ interioris hominis per voluntariam susceptionem „ gratiæ, & donorum; unde homo ex injusto fit „ justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres se- „ cundum spem vitæ æternæ ... Unica formalis „ causa (*justificationis*), est justitia Dei, non „ qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; „ qua videlicet ab eo donati renovamus spiritu „ mentis nostræ, & non modo reputamur, sed „ vere justi nominamur, & sumus, justitiam in „ nobis recipientes, unusquisque suam secundum „ mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, „ prout vult, & secundum propriam cujusque di- „ spositionem, & cooperationem. Quanquam enim „ nemo possit esse justus, nisi cui merita passio- „ nis Domini nostri Jesu Christi communicantur; „ id tamen in hac impii justificatione fit, dum e- „ jusdem sanctissimæ passionis merito per Spiri- „ tum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eo- „ rum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: un- „ de in ipsa justificatione cum remissione pecca- „ torum hæc omnia simul infusa accipit homo „ per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, „ & charitatem".

103. Et ulterius can. 10. „ Si quis dixerit, ho- „ mines sine Christi justitia, per quam nobis me- „ ruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter „ justos esse, anathema sit. *Can. insuper* 11. „ Si quis dixerit, homines justificari, vel sola „ imputatione justitiæ Christi, vel sola peccato- „ rum remissione, exclusa gratia, & charitate, „ quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffun- „ datur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, „ qua justificamur, esse tantum favorem Dei, a- „ nathema sit". Cujus postremi Canonis non ille sensus est, quem fingit Chemnitius, scilicet quod justificemur quidem imputatione justitiæ Christi, sed non sola, nempe partim renovatione interna, partim imputatione justitiæ Christi. Hunc enim sensum Patres can. 10. jam exploserant.

104. Obj. primo. Rom. V. 19. dicit Apostolus: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi:* ergo impii justificantur per imputationem justitiæ Christi.

105. Resp. Christi obedientiam esse causam *meritoriam* nostræ justificationis, non *formalem*; ut enim Concilium Trident. recte statuit Sess. VI. cap. 7. plures nostræ justificationis causæ: „ finalis qui- „ dem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: „ efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito „ abluit, & sanctificat, signans, & ungens Spi- „ ritu promissionis sancto, qui est pignus hære- „ ditatis nostræ: meritoria autem dilectissimus u- „ nigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, „ qui, cum essemus inimici, propter nimiam cha- „ ritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima pas- „ sione in ligno crucis nobis justificationem me- „ ruit, & pro nobis satisfecit".

106. Ceterum allatum S. Pauli testimonium nedum dogma nostrum non labefactat, verum etiam mirifice confirmat, ut Sanct. Augustinus Lib. I. *De peccat. meritis & remissione* c. 15. perspicue probat. Ibi enim Paulus antithesi proposita dicit, eodem modo fieri nos justos per Christi obeditionem, quo facti sumus peccatores per inobedientiam Adami: atqui nemo negaverit, per Adami inobedientiam nos factos esse vere, & intrinsece peccatores, nec ullus id explicabit per solam extrinsecam imputationem peccati Adami: ergo &c. Vide dicta T. IV. Diss. III. Sect. III. n. 58. & seq.

107. Et sane, nisi hoc sensu intelligatur Apostoli comparatio, facile erit in Huberianorum stultitiam delabi, qui hinc colligebant, „ omnes o- „ mnino homines per Christi obedientiam in statu „ salutis actu constitui, plane quemadmodum o- „ mnes per Adami inobedientiam in statu mortis „ constituuntur (*ap. Bullum in* Examine censur. „ animadv. XI. *n.* 9.)", aut Antinomis consentire, qui sine operibus homines per Christi obedientiam salvari, comminiscuntur.

108. Obj. secundo. Paulus 1. ad Corinth. I. 30. de Christo inquit: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*. Quod prius dixit Jerem. Propheta cap. XXIII. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, vel potius ut Hebræus legit אלהך *justitia nostra*. Item ad Eph. I. 6. *Gratificavit nos in dilecto filio suo*. Item Philipp. III. 6. *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide*.

109. Resp., hæc omnia, & si quæ sunt hujus generis alia Scripturarum oracula, non sensu *formali*, sed in sensu *causali*, & *meritorio* esse intelligenda: quia nempe Christus promeruit nobis liberationem a peccato, & gratia sua nobis donavit, ut justificaremur. Nec insolens est in Sacris Litteris figurata hæc, & metonymica locutio, effecti scilicet pro causa; ut cum Deus dicitur fortitudo, & patientia nostra: *Diligam te Domine fortitudo mea*, Psalm. XVII. 1. *Tu es patientia mea, Domine*, Ps. LXX. 5. & alibi *pax nostra* Eph. II. 14. *nostra spes*, *salus*, *vita*, *protectio*. Imo ex ipso S. Pauli loco epist. I. ad Corinth. idipsum satis luculenter colligitur. Eodem enim sensu dicitur Christus *justitia*, *et sanctificatio nostra*, quo dicitur *sapientia nostra et redemptio*; sed hæc duo postrema intelligi certe nequeunt, nisi in sensu *causali*, *et meritorio*, nullatenus autem in sen-

su

su *formali*. Alia autem verba Apostoli Pauli ad Philipp. III, ita explicantur à S. Augustino *de grat. & liber. arb.* cap. 12. ut justitia legis sit falsa justitia quorumdam Judæorum, qui præsumebant se ex operibus legis sine gratia factis justificari; contra autem justitia per fidem Christi Jesu sit justitia fidelium ex operibus factis ex fide, & gratia Jesu Christi.

110. Inst. Idem Apostolus 2. Corinth. cap. V.21. dicit: *Eum* (a), *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*: eodem igitur modo nobis imputatur justitia Dei, quo Christo imputatum est nostrum peccatum; atqui Christo nonnisi externe nostrum peccatum imputari potuit: ergo &c. Porro hæc Apostoli verba ita S. Augustinus, explicat in *Enchiridio* cap. 41. „ Ipse ergo peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum ".

111. Resp., ibi peccatum sumi pro hostia, ut sensus sit, Christum factum esse a Deo Patre hostiam, seu sacrificium pro peccatis nostris; quod perquam frequenter in veteri Testamento occurrit. Hanc interpretationem & sæpe alias adhibet S. Augustinus (*De peccat. origin.* cap. 32. Lib. III. *contra duas epist. Pelag.* cap. 6. & alibi), & in ipso *Enchiridii* loco nobis objecto, observans *in veteri lege peccata vocari sacrificia pro peccatis*. Antithesis autem, quam ibidem facit S. Doctor, in eo solum consistit, ut quemadmodum causa meritoria mortis Christi fuere peccata nostra in eum translata; ita causa meritoria nostræ justificationis fuit Christi justitia; non autem in eo fit comparatio, ut Christi justitia nobis tantum extrinsece imputetur, quemadmodum extrinsece solum Christo fuere nostra peccata imputata; nam id prorsus a mente S. Augustini alienum est, qui sæpius docet, nos esse justos justitia nobis inhærente. *Sicut enim*, inquit in ep. CXL. al. 120. c. 30. *quod legitur Psalm. III. Domini est salus, non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est; sed qua hi salvi sunt, quos ipse salvos facit; sic cum legitur Dei justitia .... non est illa intelligenda, qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines, quos gratia sua justificat* (vid. sup. num. 98.).

112. Obj. 3. Eph. IV. 24. inquit Apostolus: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*; quibus verbis S. Paulus alludit David dicenti in Ps. CXXXI. *Sacerdotes tui induantur justitiam*; unde Rom. XIII. 14., & ad Gal. III. 27. dicuntur homines *Christum induere*; atqui indumentum est aliquid extrinsecum: ergo &c.

113. Resp., Apostolum loqui figurate, non de indumento extrinseco, sed intrinseco justitiæ, & sanctitatis, quod patet ex contextu; dixerat enim antea vers. 22. deponendum esse *veterem hominem*, quod utique intelligitur de intrinseca peccati macula; consequenter igitur *induere novum hominem* designat intrinsecam spiritus renovationem. Observante autem S. Augustino, Apostolus, & David similitudine indumenti utuntur, ut innuant, nostram justitiam in nobis non esse ex nobis, sed ex Dei dono. „ Justitia, *inquit S. Doctor Serm. XV.* De verbis Apostoli, sit, sed ex gratia sit, non tua sit. Sacerdotes, inquit, induantur justitiam; vestis accipitur, non cum capillis nascitur: pecora de suo vestiuntur ".

114. Obj. 4. Idem Apostolus Rom. IV. 3. *Credidit Abraham Deo*, inquit, *& reputatum est illi ad justitiam* (quæ verba repetit etiam S. Jacobus c. II. 23. subdens: *& amicus Dei appellatus est*); & rursus idem Paulus vers. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*. Idipsum invenitur dictum etiam de Phinees Ps. CV. 31. *& reputatum est ei ad justitiam*. Ac denique de Job idem habet Sanct. Augustinus in Tract. *De urbis excidio* cap. 4., *sustinuit tribulationem, & deputatum est illi ad magnam justitiam*: tota ergo nostra justitia est imputativa, eo fere modo, quo in rationibus debita dicuntur non imputari, etiamsi non sint vere soluta, sed duntaxat remissa.

115. Resp., imputationem justitiæ in his locis sumi pro vera, & reali justitia inhærente; quomodo ab opposito opera mala dicuntur imputari ad peccatum. Deut. XXIII. 21. *Si moratus fueris* (reddere votum), *reputabitur tibi in peccatum*; & cap. XXIV. 15. præcipitur, ut reddatur merces pro labore, *ne reputetur tibi in peccatum*. Nec alia fuit unquam hujus phrasis apud veteres Patres interpretatio: *Si Abraham*, inquit Sanct. Cyprianus (Lib. II. ep. 3. ad Cæcil.), *Deo credidit, & deputatum est ei ad justitiam, utique quisque Deo credit, & fide vivit, justus invenitur*. Imo in sacris etiam litteris hoc ipsum explicatur: ut cum Judith VIII. 22. dicitur: „ Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est ".

116. Ob. ult. Non levis Jesu Christo irrogari videtur injuria, dum præter ipsius gratiam, atque justitiam alia admittitur nobis intrinsece inhærens; propter quam hominibus pronum est superbiæ vitio inflari (*b*).

117. Resp., aut imperite certe, aut calumniose facere adversarios, dum hæc nobis objiciunt; cum profiteamur aperte, totam, quanta in nobis est, justitiam ex Dei munere promanare. Et si quis di-

(*a*) Observat S. Augustinus in *Enchiridio* c. 41., & Lib. II. contra Maximinum cap. 2., in mendosis quibusdam codicibus ipsius ætate lectum fuisse: *is, qui non noverat &c.*

(*b*) Quod argumentum Chemnitius oratoris more admodum exaggerat, quasi nos operibus nostris, non autem Christi passioni vim tribuamus justificandi.

dixerit, *homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari ... anathema sit*, Concilium Triden. Sess. VI. c. 10. Et rursus: „ Si „ quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de „ justificatione, a sancta Synodo hoc præsenti de„ creto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, „ vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, „ & non potius veritatem fidei nostræ, Dei deni„ que, ac Christi Jesu gloriam illustrari, anathe„ ma sit ", ibidem can. ult. Imo multo magis secundum doctrinam Ecclesiæ Catholicæ gloria Christi elucet, cum dicitur, merito ejus passionis peccata non abscondi solum, vel solum tegi, aut tantummodo non imputari; sed plane deleri, & auferri: atque ejus beneficio non solum nos consequi, ut justi reputemur; sed omnino ut justi, & sancti simus. Atque ut hoc majori in luce ponatur, sit

APPENDIX

In qua Doctrina Catholica de justificatione defenditur contra Hæreticorum calumnias.

118. In *Apologia Confessionis Augustanæ* articulus de justificatione proponitur tanquam „ præ„ cipuus locus doctrinæ Christianæ, qui recte in„ tellectus illustrat, & amplificat honorem Chri„ sti, & affert necessariam consolationem piis con„ scientiis "; nos autem Catholici accusamur, quod misere contaminaverimus hunc locum: „ cum ne„ que quid remissio peccatorum, neque quid fi„ des, neque quid gratia, neque quid justitia sit, „ intelligamus ". Ut autem id in propatulo fiat, vix dici potest quam insidiose, & calumniose nostra doctrina exponatur.

119. Et primo ibidem accusamur pagin. 63.: „ quod, cum Scriptura alias tradat legem, alias „ promissionem de Christo, nos sumamus legem, „ & per legem (non autem per promissionem de „ Christo, quam a nobis simpliciter aboleri dicunt „ pag. 95.) quæramus remissionem peccatorum, „ & justificationem; quod nostri Scholastici secuti „ Philosophos, tantum doceant justitiam rationis, „ & affingant, quod ratio sine Spiritu Sancto pos„ sit diligere Deum super omnia; & homines me„ reri remissionem peccatorum, faciendo quod in „ se est. Hanc opinionem, addunt, quia natura„ liter blanditur hominibus, peperisse, & auxisse „ multos cultus in Ecclesia, vota Monastica, a„ busus Missæ, ec. ec. Denique nos sepelisse Chri„ stum, ne eo mediatore utantur homines, & pro„ pter ipsum sentiant, se gratis accipere remissio„ nem peccatorum, & reconciliationem, sed so„ mnient, se propria impletione legis mereri re„ missionem peccatorum ".

120. At vero quantum sit, semperque fuerit ab hujusmodi erroribus Ecclesia Catholica aliena, satis expositum fuit in Conc. Triden. Sess. VI., ubi capit. 1. expresse definitur: „ non modo Gen„ tes per vim naturæ, sed nec Judæos quidem „ per ipsam litteram legis Moysis (a peccato) „ liberari, aut surgere potuisse ". En, quomodo verum sit, nos quærere remissionem peccatorum, & justificationem per legem, & per gratiam Jesu Christi. Pergit autem sancta Synodus, & c. 2. declarat, missum tandem in plenitudine temporum Jesum Christum, *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*. Hoc modo Catholici sepeliverunt Christum, ne eo mediatore utantur homines &c. Sed adhuc expressius cap. 3. explicatur, quod sicuti homines, „ nisi ex semine Adæ pro„ pagati nascerentur, non nascerentur injusti: i„ ta, nisi in Christo renascerentur, nunquam ju„ stificarentur, cum ea renascentia per meritum „ passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tri„ buatur ": unde excitemur ad gratias pro tanto beneficio Deo semper agendas.

121. In cap. 4. insinuatur, hominis regenerationem post Evangelium promulgatum sine baptismo, aut ejus voto fieri non posse; & in cap. 5. justificationis exordium *in adultis a Deo per Christum Jesum, præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*. In 6. autem *cap.* enumerantur diversæ dispositiones ad justificationem, scilicet *primo* fides, ut credatur, „ vera „ esse, quæ divinitus revelata, & promissa fue„ runt; atque illud imprimis, a Deo justificari im„ pium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ „ est in Christo Jesu ": *secundo* timor, quo utiliter peccatores concutiuntur: *tertio* spes, quam concipiunt, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore: *quarto* charitas, non *habitualis*, quæ in ipsa justificatione infunditur, sed *actualis*, qua Deum *tamquam omnem justitiæ fontem diligere incipiunt: quinto* detestatio, & odium peccatorum: *sexto* propositum inchoandi novam vitam, & servandi divina mandata.

122. Tantum vero abest, ut putavit sancta Synodus, hæc omnia propriis viribus præstari, ut can. 3. anathema illi comminetur: „ qui dixerit, „ sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, „ atque ejus adjutorio, hominem credere, spera„ re, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, „ ut eis justificationis gratia conferatur ". Insuper cap. 8. decernit, etiam positis hisce dispositionibus, adhuc tamen nos gratis justificari, *quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*. Facessant igitur putidæ istæ calumniæ, quibus tam immerito accusamur, quasi philosophicam, aut judaicam justitiam prædicemus (*a*).

123.

(*a*) Calumnia pariter est, quod dicitur in eadem *Apologia* p. 99.: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Fran-*

123. Nihil autem falsius, quam quod subditur in eadem *Apologia* pag. 123., quod nos nomine gratiæ non intelligamus cum Veteribus misericordiam Dei, sed dilectionem, qua nos Deus diligimus. Quisnam enim quæso Catholicorum hanc perversam gratiæ notionem tradidit, aut secutus est? Nemo rudis ignorat, quid gratia actualis, & quid habitualis sit, & quomodo utraque necessaria sit justificatis, ut opera eorum sint bona, & vere, & proprie meritoria.

124. Sic pariter quis æquo animo ferat, quod in eadem *Apologia* scribitur pag. 105., docere nos, *hominem justificari dilectione, & operibus; de fide autem, qua apprehendimus Christum propitiatorem, nihil dicere?* Atque ut magis reddatur nostra sententia odiosa, sic additur: „ Imo „ hanc fidem (Catholici) improbant, neque improbant tantum sententiis, aut scriptis, sed etiam ferro, suppliciis conantur in Ecclesia delere ". Ita ne vero? Quorsum autem spectant ea Trident. Patrum verba cap. 6.: „ *peccatores* „ a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam „ se convertendo, in spem eriguntur, fidentes. „ Deum sibi propter Christum propitium fore ec."? Quorsum hæc alia cap. 7.: causa justificationis meritoria est: „ Dominus noster Jesus Christus, „ qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit "? Legatur Canon 12., ubi damnantur ii, qui dixerint: „ fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur ". His enim verbis non negatur fiducia in Christum fidejussorem nostrum, sed damnantur ii, qui eam *solam* ad justificationem sufficere dogmatizant.

125. Demum ne nimis multa congeram, aperta calumnia est, quod in sæpius cit. *Apologia* de nobis exponitur pag. 85. „ Adversarii nostri sunt „ suaves Theologi. Intuentur secundam tabulam, „ & politica opera; primam nihil curant, quasi „ nihil pertineat ad rem, aut certe tantum externos actus requirunt. Illam æternam legem, & „ longe positam supra omnium creaturarum sensum, atque intellectum, diliges Dominum Deum „ tuum ex toto corde, prorsus non considerant ". Quasi vero totam sanctissimæ nostræ Religionis ideam amiserimus. Sed hæc satis sint speciminis loco: nullus enim esset dicendi finis, si omnia afferre vellemus.

CAPUT IV.

Ostenditur, neminem sine speciali Dei revelatione posse de sua justificatione certum esse, (S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5.).

126. Lutherus postquam docuit, impios sola fide justificari, aliud addit dogma non minus absurdum, quemlibet scilicet posse de sua justificatione ita certum esse, quemadmodum de aliis fidei articulis certus est. Placuit hoc dogma etiam Calvino, qui ulterius addidit, posse hominem non tantum de sua justificatione, sed etiam de sua prædestinatione, & salute certum esse (Lib. III. *Institutionum* cap. 2. n. 16.: tum in *Antidoto Concilii Trid.* Sess. VI. cap. 13. &c.). Id fuit quoque in Synodo Dordrectana claris, conceptisque verbis definitum (anno 1618. puncto 5.) (*a*).

127. In eumdem errorem turpiter lapsum esse Ambrosium Catharinum, a nonnullis creditum est post Paulum Sarpium (*Hist. Conc. Trid.* Lib. II. pag. 221.). Veruntamen Card. Pallavicinus tantum virum, sin minus ab omni errore, saltem ab hæresi in Novatoribus damnata purgat (*Hist. Conc. Trid.* Lib. VIII. c. 12.). Contendebat nempe Catharinus, posse hominem certum esse de sua justificatione, non ea certitudine fidei, cui falsum subesse nequit, sed alia fide, quæ ex theologico discursu promanaret; sicuti aliquis certus esse potest, puerum baptizatum esse gratia sanctificante exornatum (*b*). Communis autem Catholicorum Theo-

ciscus, & alii Sancti Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter studium, vel propter alia utilia exercitia. Interim sentiebant, se fide propter Christum justos reputari, & habere Deum propitium propter Christum, non propter illa exercitia. Sed multitudo deinceps imitata est non fidem Patrum, sed exempla sine fide, ut per illa opera mererentur remissionem peccatorum, & propter illa opera reputarentur justi coram Deo. Acceptamus, quod de Sanctis Ordinum Religiosorum Institutionibus merito dictum est; sed quod additur de eorum asseclis, mera est calumnia: omnibus enim nota est doctrina Ecclesiæ, quod, & quale sit bonorum operum meritum.

(*a*) Hanc doctrinam Calvinistis calumniose affingi olim conquestus est quidam Minister Sedanensis le Blanc de Beaulieu in thesibus an. 1665.: sed eum Arnaldus in suo opere: *Le renversement de la morale de J. C. par les erreurs des Calvinistes touchant la justification* Lib. X. cap. 4. adductis plurimis Bezæ, Zanchii, Camierii, Patræi, aliorumque Calvinistarum testimoniis uberrime confutavit; præcipue autem ex celebri controversia, quæ hac de re inter Cottiby ad Catholicam fidem jam conversum, & Ministrum Dallæum olim exarsit. Vid. etiam *la Replique de M. Arnauld pour la defense des motifs invincibles*. Est quoque lectu digna Confessio Friderici III. Comitis Palatini in *Collectione Genevensi Synt. Gen.* II. Part. p. 149., & 156. Quanquam mirandum non est, aliquos non solum in hoc, sed in pluribus aliis capitibus a suis Magistris discessisse, cum liceat unicuique Scripturas proprio arbitratu interpretari. Nec enim mirandum est, vel ipsos Antesignanos sibimet quandoque repugnare. Sic Calvinus in *Concilii Antidoto* ad Sess. VI. aliquam in justis diffidentiam suæ justificationis admittere videtur; contradictio enim haud rara in iis esse solet, qui a veritate aberrant.

(*b*) Legatur tota Apologia Ambrosii Catharini, quam Pallavicinus loc. cit. adornavit; imo & ejusdem Ca-

Theologorum sententia est, quam contra Catharinum P. Dominicus Soto acriter defendit, neminem seclusa speciali Dei revelatione certum esse de sua justitia posse, nedum certitudine fidei, ut contra hæreticos definitum est, verum neque certitudine alia omnino firma, sed solum probabilius conjecturis, vel ad summum certitudine morali, quæ sententia

128. Prob. primo ex Scripturis; ex quibus cum innumera pene sese offerant testimonia, paucis tamen contenti erimus, ne si omnia a pravis adversariorum interpretationibus vindicare cogamur, nimium, quam par est, nostra excrescat oratio. Ex veteri Testam. decretorius est ille locus Ecclesiastis IX. 1. „ Sunt justi, atque sapientes, & opera eo„ rum in manu Dei, & tamen nescit homo, u„ trum amore, an odio dignus sit". Ex novo autem ille Apostoli I. Corinth. IV. 4. de se ipso dicentis: „ Nihil mihi conscius sum, sed non in „ hoc justificatus sum: qui autem judicat me, „ Dominus est". Quæ verba sic commentatur Angelicus (Lect. I.): „ Non habet mortalis pecca„ ti conscientiam, sed non in hoc justificatus sum, „ idest non sufficit ad hoc, ut me justum pronun„ ciem, quia possunt aliqua peccata in me late„ re, quæ ignoro, secundum illud Psal. XVIII. „ Delicta quis intelligit? & Job IX. 21. dicitur: „ etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit a„ nima mea ". Idem autem Apostolus in eadem epist. cap. X. 12., *qui se existimat stare, videat, ne cadat;* quæ verba ita exponit S. Leo M. Serm. V. *de Quadrag.: Nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus.*

129. Contra primum locum Eccles. IX. hæc fere reponere solent adversarii: *primo* ex hebraico textu ita esse legendum: *Et amorem, & odium non sciens homo, omnia ante eos: secundo* id dici de amore, & odio hominum, de quorum amicitia nimium difficile est judicare: *tertio*, Salomonem non negare omnino id posse sciri, sed solum id posse sciri ex eventis externis, quod indicat, rationem hanc afferens. *Eo quod universa æque eveniant justo, & impio, bono, & malo &c.;* eo ferme modo, quo cap. III. ejusdem libri negat posse cognosci, *si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum;* non quidem absolute, sed solum ex eventu, quia *unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: quarto*, posse eum locum exponi de cognitione, quam habet homo ex conditione suæ naturæ, non autem de ea, quam habere potest ex interno testimonio Spiritus S. habitantis in eo: *quinto*, si textus crude accipiatur, ne insignes quoque peccatores certos futuros, odio se esse dignos: *demum* hunc locum fuisse a S. Bernardo Serm. I. *de Septuag.* de prædestinatione explicatum, & non de gratia. (Alias hujus loci expositiones vide, si lubet, apud Matth. Poli *in Synopsi Criticorum Sacrorum*).

130. Veruntamen haud difficile est contra has omnes evasiones vim argumenti nostri tueri; & contra *primam*, etiamsi illa versio admittatur, a nostra Vulgata non discrepat. Nam S. Hieronymus hebraicæ linguæ peritissimus, postquam laudatum locum ita ex Hebræo latine expressit: „ Et „ quidem charitatem, & quidem odium non est „ cognoscens homo, omnia ante facies eorum"; id cum nostra Vulgata concordare ostendit, atque ita commentatur: „ Utrum amentur a Deo, an „ non, nunc eos scire non posse, & ambigue flu„ ctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ „ sustinent, an ad supplicium (a)". *Secunda* interpretatio aliena est a contextu; dicitur enim immediate ante: *Et opera eorum in manu Dei:* ergo etiam odium, & amor debet respectu Dei considerari, non respectu hominum. *Tertiam* explicationem falsam esse ostendunt ea verba subjecta: *Sed omnia in futurum servantur incerta;* quod verum non esset, si justi quocumque tandem modo possent esse de sua justitia securi. Quæ verborum adjectio propter eamdem rationem etiam *quartam* interpretationem explodit. *Quinta* levissima est cavillatio, quæ facile dispungitur, si observemus, ibi tantum de justis, non autem de peccatoribus sermonem esse: *Sunt justi &c. Postrema* nullum facessit negotium, neque enim pugnat, quod ex ipso Scripturæ loco tum prædestinationis, tum gratiæ, & justitiæ præsentis incertitudo colligatur; cum hæc duo sibi non opponantur, sed unum sit alterius effectus.

131. Aliud Apostoli testimonium his interpretationibus depravare nituntur, vel quod Paulus dicat, se fuisse suæ justificationis incertum, attentis duntaxat operibus suis, quæ justificandi vim utique non habebant, non autem attenta gratuita Dei bonitate; vel quod ea verba: *Sed non in hoc justificatus sum*, sint referenda ad hominum opinionem, qui ejus justitiam credere nolebant, unde apposite antea dixerat: *mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*, & postea subdit: *Qui autem judicat me, Dominus est:* quasi diceret: Dominus in extremo judicio me innocentem declarabit. Postremo certum est, inquiunt, Apostolum Paulum fuisse de sua justi-

tharini Apologia, quam Præsidibus Conc. Trid. dedicavit, & insuper Echard in *Scriptor. Ord.* Tom. II. p. 146., Nat. Alex. Diss. XII. in Sæc. XV. & XVI. art. 4., & P. A. Touron *Hist. des hommes illustres de l' Ordre de S. Dominique* T. IV. Lib. XXVI. pag. 139.

(a) Textus hebræus sic habet: תאוט חכר לבניחם נמחכח נמ שנטח איר שׁרע; quem ita vertit Car. Houbigant: *Quomodo in manu Dei sunt justi, & sapientes, & opera eorum: sicut homo penitus ignoret an amori, an odio sit futurus. Omnia coram eis vanitas.* LXX. vero Interpretes ita habent; καί γε ἀγάπην, καί γε μῖσος οὐκ ἔστιν εἰδὼς ὁ ἄνθρωπος.

stificatione, immo de sua salute securum, quod S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5. ex iis Christi verbis Apostolo respondentis colligit 2. Corinth. XII. 9. *Sufficit tibi gratia mea*.

132. Sed neutrum effugium valet: non primum; antea enim Apostolus dixerat: *Sed neque me ipsum judico;* quibus verbis ostendit, tantas esse cordis humani latebras, ut nemo certum de sua justitia judicium ferre queat; at vero si saltem, attenta gratuita Dei misericordia, fuisset de sua justitia securus, potuisset seipsum judicare: ergo &c. Hinc etiam alia interpretatio corruit; si enim Apostolus de sua justificatione externa coram aliis loqueretur, non diceret: „ Sed neque me ipsum „ judico .. qui autem judicat me, Dominus est". Quibus luce clarius ostendit, nonnisi Deo, cui nuda, & aperta sunt omnia, certo de sua justitia constare potuisse. Quod autem additur, Paulum fuisse de sua justitia, & de sua prædestinatione securum, etiamsi concedatur (quod tamen aliqui id esse incertum contendunt), facile potest cum aliis Apostoli verbis conciliari: *Nihil mihi conscius sum &c.* vel quod cum *primam* epistolam ad Corinthios scripsit, nondum fuerit de sua justitia per revelationem edoctus, vel quod id dixerit duntaxat attenta humanæ infirmitatis conditione, quæ neminem securum esse sinit, nisi divina revelatio accedat.

133. Sed ulterius sanctorum Patrum traditio nostræ Paulini textus interpretationi suffragatur. Nam Sanct. Hieronymus *Dial. II. contra Pelagianos:* „ Qui hoc dicebat, *inquit*, nullius utique peccati „ sibi conscius erat, sed quia legerat: Delicta quis „ intelligit? Idcirco temperabat sententiam, ne for„ te per ignorantiam deliquisset ". Et S. Augustinus in Psal. XLI. num. 13. exponens verba Apostoli præcedentia, & connexa cum iis, quæ attulimus: „ Quanta, inquit, abyssus sit, audite „ amplius: *Neque enim ego meipsum dijudico:* „ tantamne profunditatem creditis esse in homine, „ quæ lateat ipsum hominem, in quo est? ... er„ go omnis homo, licet sanctus, licet justus, licet „ in multis proficiens, abyssus est, & abyssum „ invocat &c. ". Ac denique quia longum esset singulos recensere, Sanct. Bernardus, qui Patrum agmen claudit, ita verba Apostoli commentatur epist. XLII. n. 22.: „ Non ex toto credo me vel „ ipsi conscientiæ meæ; quippe cum ne ipsa qui„ dem queat me comprehendere totum. Neque „ potest judicare de toto, qui totum non audit. „ Qui autem judicat me, Dominus est ". (Vid. etiam in Serm. *de convers. ad Clericos* cap. 16.).

134. Demum vel ex ipsis Adversariorum principiis facile est ostendere, seclusa Dei revelatione, neminem esse de sua justitia securum. Quanquam enim docent nos sola fide justificari, non ita tamen se bonorum operum inimicos dicunt, quin ea quoque saltem concomitanter ad justificationem requirant, præcipue autem sinceram contritionem, & pœnitentiam (*a*). At vero hoc ipso quilibet debet de sua justificatione prudenter dubitare, cum nemo certus esse possit, se aliam contritionem, & pœnitentiam habere, quæ ad veram justificationem est necessaria; sive postea necessaria dicatur, tamquam pars Sacramenti essentialis, ut nostra sententia est: sive etiam dicatur tantummodo necessaria ut conditio, dispositio, vel præparatio, perinde est; quidquid enim dicatur, certum est, deficiente vera contritione, nullam sequi justificationem.

135. Merito itaque Conc. Trid. Sess. VI. c. 9. ita definivit: „ Sed neque illud asserendum est, „ oportere eos, qui vere justificati sunt, absque „ ulla omnino dubitatione apud semetipsos statue„ re, se esse justificatos ... Nam sicut nemo pius „ de Dei misericordia, de Christi merito, deque „ Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare de„ bet; sic quilibet dum se ipsum suamque pro„ priam infirmitatem, & indispositionem respicit, „ de sua gratia formidare, & timere potest, cum „ nullus scire valeat certitudine fidei, cui non po„ test subesse falsum, se gratiam Dei esse conse„ cutum ".

136. Obj. 1., S. Paulus Rom. VIII. 16. ait: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;* atqui testimonium Spiritus Sancti certum est, & infallibile; ergo &c. Hæc autem Apostoli verba ita S. Jo. Chrysostomus commentatur Hom. XIV. in ep. ad Rom. *Cum Spiritus Sanctus testatur, quæ tandem est ambiguitas?* Et Sanct. Bernardus Serm. I. de Annunt. „ Hoc est testimonium, *inquit*, quod perhibet in „ corde nostro Spiritus Sanctus dicens: Dimissa „ sunt tibi peccata ".

137. Resp., testimonium, quod nobis Spiritus Sanctus reddit, seclusa speciali revelatione, qualem Davidi (II. Reg. XII.), Peccatrici, Zachæo, Latroni, aliisque paucis factam legimus, esse obscurum, & incertum: consistit enim plerumque in quadam suavitate, & tranquillitate conscientiæ non remordentis, in quibusdam piis motibus, & affectibus in Deum, aliique hujus generis signis, quæ magnam quidem spem, & fiduciam in nobis excitare possunt, secundum illud Joann. in epist. III. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*, non possunt tamen in nobis nostræ justificationis plenam, & omnimodam certitudinem gignere. Hinc etiam illi, qui magna san-

(*a*) In *Apol.* art. 2. *de justificat.* ita habetur: *Nos quoque dicimus, quod dilectio fidem sequi debeat;* art. 3. *de dilect. & adimplet. legis: Vera, & salvans fides in iis non est, qui contritione carent, & proposi-tum in peccatis pergendi, & perseverandi habent:* & in solidis, & plana declarat p. 701. *Impossibile est, bona opera a fide vera separare, quemadmodum calor urens, & lux ab igne separari non potest.*

sanctitatis laude floruerunt, quamquam nihil sibi conscii essent, pavidi tamen, & trepidi semper erant, ac de sua salute solliciti. Testis sit admirabilis ille Anachoreta S. Hilarion, qui referente S. Hieronymo in vita ipsius, morti proximus his verbis timorem suum deponere conabatur: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? 70. prope annis servisti Christo, & mortem times?* Ita omnes Sancti, qui sibi dictum ab Apostolo noverant Phil. II. 20. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*.

138. Verba autem S. Joann. Chrysostomi spectant ad totum Christifidelium cœtum, cui certo facta est a Spiritu Sancto revelatio, quod sit populus electus, & divinarum promissionum hæres, si tamen ea, quæ ad regnum Dei obtinendum necessario requiruntur, adimpleverit. Ceterum, seclusa speciali revelatione, nemini constare posse ex testimonio Spiritus Sancti inhabitantis, se esse in gratia, non semel, nec obscure docuit Chrysostomus, ut cum S. Petrum ita loquentem inducit Hom. LXXXVII. in Jo.: „ Propterea contristatus „ sum, ne forte me amare arbitratus, non amem, „ ut ante cum me fortem, & constantem putarem, „ imbecillis inventus sum ". Vid. etiam Hom. XI. in ep. 1. *ad Corinth*.

139. Sanct. Bernardus loquitur *conditionate*; nempe certos nos esse de remissione peccatorum, si nos ex toto corde pœniteat: id enim Deus non semel promisit; sed adhuc dubium superest, an pœnitentia nostra sit vera, qualis ad justificationem requiritur. Quamobrem idem Sanctus alibi dicit Serm. I. in Septuag.: „ Certitudinem non ha„ bemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne du„ bitationis hujus anxietate penitus cruciemur ".

140. Inst. 1. Idem Apostolus ep. 2. ad Cor. cap. ult. 5. inquit: „ Vosmetipsos tentate, si estis in „ fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vos„ metipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis ". Et Sanct. Joann. in prima epist. cap. V. 12. „ Hæc scribo vobis, ut scia„ tis, quoniam vitam habetis æternam, qui cre„ ditis in nomine filii Dei ". Quibus verbis declarat uterque Apostolus, posse nos cognoscere Christum esse in nobis, si sumus certi de nostra fide; atqui de hac certi esse possumus ex doctrina Sancti Augustini Lib. XIII. *de Trinit.* cap. 1., & S. Thomæ 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2.

141. Resp. dist. maj. Si sumus certi de nostra fide, quæ per dilectionem operatur, *conc.* de fide sola a charitate sejuncta, *nego*. Sancti Augustinus, & Thomas solum docent, posse nos certos esse de nostra fide, qua mysteria Religionis credimus; hoc enim intima conscientia cuilibet innotescit; non autem de ea fide, quæ per dilectionem operatur, & est cum gratia sanctificante conjuncta. Et quidem cum Apostolus Corinthios moneat, ut seipsos probent, ac tentent, utrum sint in fide, manifeste indicat, eos non fuisse de hac re certos. Neque experimento capto certi esse poterant, certitudine fidei, sed solum certitudine spei, quæ magnam habeat probabilitatem, ut hunc locum explicat S. Thomas in *Commen*. Verba autem illa: *Nisi forte reprobi estis*, intelligi debent hoc sensu, nisi omnino mali estis, ut proinde de Christo inhabitante nec probabilia signa, & argumenta habere possitis. Unde etiam textus græcus habet: *Nisi quod reprobi estis*. Εἰ μήτι ἄρα ἀδόκιμοί ἐστε.

142. Inst. 2. Idem Apostolus Rom. VIII. 38. „ Certus sum, *inquit*, quia neque mors, neque „ vita ... neque creatura alia poterit nos separare „ a charitate Dei "; atqui Sanct. Augustinus in Exposit. propos. 58. censet, hic sermonem esse de certitudine fidei; ergo &c.

143. Respond. Apostolum loqui de electis, quorum perseverantia certissima est, attenta Dei prædestinatione; non autem dicit, posse quemlibet sine Dei revelatione certo scire se esse de numero electorum (*a*).

144. Obj. 2. S. Jo. ep. I. Cap. III. vers. ult. inquit: „ Qui servat mandata ejus, in illo ma„ net, & ipse in eo, & in hoc scimus, quoniam „ manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. „ *Quod repetitur cap. IV.* 13., *Et c. V.* 12. Hæc „ scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis „ æternam, qui creditis in nomine filii Dei. *Et* „ *iterum;* Scimus quoniam ex Deo sumus. *Addi* „ *possunt & illa I. Corinth. II.* 12. Accepimus ... „ Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a „ Deo donata sunt nobis. *II. Corinth. I.* 12. Glo„ ria nostra hæc est testimonium conscientiæ no„ stræ, *I. Joann. III.* 14. Scimus, quoniam trans„ lati sumus de morte ad vitam, quoniam diligi„ mus fratres. *Apoc. II.* 17. Vincenti dabo man„ na absconditum ... quod nemo scit, nisi qui ac„ cipit ". Alia hujusmodi videri possunt ap. Bellarminum Lib. III. cap. 9., & Sylvium in 1. 2. qu. 112. art. 5.

145. Resp., fide certo constare eum, qui servat mandata Dei, manere in Christo, & Christum in se manentem habere: ut enim inquit S. Augustinus hunc locum exponens: „ Si inveneris te ha„ bere charitatem, habes Spiritum Dei, & inha„ bitaris a tota Trinitate ". Sed difficultatis cardo in eo situs est, an quis cognoscere possit, se man-

(*a*) Ita hunc locum explicat S. Thomas in Comment. Lect. VII. in fine inquiens: *Apostolus non loquitur singulariter de se ipso, sed loquitur in persona omnium prædestinatorum, de quibus propter certitudinem prædestinationis annuntiat, quod nihil eos a caritate possit separare; potest etiam ista certitudo causari ex virtute caritatis, quæ quantum in se est, ab aliquibus non potest separari, cum Deum super omnia diligat. Quod autem aliquis interdum a caritate recedat, non est propter defectum caritatis, sed propter defectum liberi arbitrii.*

mandata Dei ad strictos juris apices servare, atque adeo charitatem habere; qua de re spem quidem, & fiduciam probabilibus conjecturis innixam, & si placet ut pluribus placet, moralem certitudinem habere possumus, non autem certam, & infallibilem scientiam. Eademque interpretatione explicanda sunt verba objecta ex Cap. V. epist. primæ S. Joannis: *Hæc scribo vobis &c.*, & alia hujus generis. Postremum vero hunc habet sensum: *Scimus quoniam ex Deo sumus;* idest boni fidentes ex Deo sunt, & quidem soli: *nam*; ut illico subditur, *mundus totus in maligno positus est*, videlicet homines mundani ex Deo non sunt. At vero simus necne nos ex bonorum fidelium numero, alia quæstio est, quæ potest quidem probabilius, non autem certis argumentis dijudicari.

146. Locus Apostoli I. Corinth. II. 12. intelligitur *primo* de solis Apostolis, de quibus ibi sermo est, non de singulis fidelibus: *secundo* non spectat ad donum charitatis, & justitiæ, sed ad mysteria, quæ fuerant Apostolis revelata, non per spiritum mundi, sed per Spiritum Dei. Alia vero Scripturarum testimonia adjecta facile explicantur de certitudine spei, qua scimus, seu speramus, in nobis esse dona, quæ Deus suis filiis promisit; qua confidimus nos dilectionem Dei habere, & qua demum testimonio nostræ conscientiæ acquiescimus.

147. Obj. *tertio*. Christus nos monuit Marc. XI. 24. „ Quæcumque orantes petitis, credite, „ quia accipietis, & evenient vobis. *Idem Jo.* „ *XIV.* 13. Quodcumque petieritis Patrem in no„ mine meo, hoc faciam ". Quibus cohærenter Sanct. Jacobus cap. I. 6. unicuique præcipit, ut *postulet in fide nihil hæsitans:* atqui aliquis certus esse potest, se orare, & petere a Deo remissionem peccatorum: ergo etiam certus esse potest, se eam esse consecutum.

148. Resp. Utique promissum est, nos consecuturos, quæcumque orando petierimus, non tamen oratione quomodocumque facta, sed oratione facta, sicut oportet, & ceteris dispositionibus etiam adjectis, quæ præter orationem ad justificationem requiruntur: hæc autem utrum præstiterimus necne, certo dijudicare non possumus, quamvis probabili fiducia id sperare possimus.

149. Obj. *quarto*. S. Cyprianus in Lib. *ad Demetrianum:* „ Viget apud nos, *inquit*, spei ro„ bur, & firmitas fidei ... & nunquam non læta „ patientia, & de Deo suo semper anima secura; „ *& in lib.* de Mortalitate: Quis, *inquit*, anxie„ tatis, & sollicitudinis locus est? Quis inter hæc „ trepidus, & mœstus est, nisi cui spes, & fides „ deest? ... justus ex fide vivit; si justus es, ex „ fide vivis: si vere in Christum credis, cur non „ cum Christo futurus, & de Domini pollicitatio„ ne securus, quod ad Christum voceris, ample„ cteris, & quod Diabolo careas, gratularis? *E*„ *tiam S. Gregorius Papa Lib. I.* Dialogorum „ *cap.* 1. Mens, *inquit*, quæ divino Spiritu im„ pletur, habet evidentissima signa sua, virtutes „ scilicet, & humilitatem; quæ si utraque in una „ mente conveniunt, liquet, quod de præsentia „ sancti Spiritus testimonium ferunt ". Denique, multis aliis omissis, S. Bernardus Serm. I. de Annunt. „ Si credis, *inquit*, peccata tua non posse „ deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti ... bene fa„ cis; sed adde adhuc, ut credas, quia per ipsum „ tibi peccata donantur ".

150. Resp., S. Cyprianum utrobique spem nostram erigere, quia sumus certi, ea nos a Deo consecuturos, quæ fidelibus suis promisit; non autem quasi etiam certi eodem modo simus, nos ea præstare, quæ ad consequendas has promissiones ex parte nostra Deus exigit. Primum est certum certitudine fidei, alterum est certum duntaxat probabilibus conjecturis: unde *conditionate* concludit: *Si vere in Christum credis &c.*, fide scilicet viva, quæ per charitatem operatur; an vero hanc fidem habeamus, certi omnino esse non possumus.

151. Eodem modo exponendus est S. Gregorius, qui in lib. IX. *Moralium* cap. 19.: „ Sæpe, *in*„ *quit*, dum de virtutis severitate resolvitur, in„ sidiante adversario, inopinatæ culpæ telo per„ foratur; & quod gratiam putat, sæpe divinæ „ districtionis ira est. *Unde concludit*, *quod* ac„ cessus, recessusque Dei a mente nostra minime „ cognoscitur, quousque rerum alternantium finis „ ignoratur ".

152. Nec alter esse potest S. Bernardi sensus; siquidem in Serm. I. *de Septuag.* aperte nostrum, & Catholicæ Ecclesiæ dogma his verbis declarat: „ Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de „ prædestinatis ad vitam æternam, ego de nume„ ro filiorum? Quis inquam hæc dicere potest, „ reclamitante Scriptura: Nescit homo, si sit a„ more dignus, an odio: certitudinem utique non „ habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne „ dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur".

153. Sic etiam intelligi debent alii Patres, dum nobis quædam signa proponunt, quibus possimus dignoscere, an in nobis regnet charitas Dei. Speciminis loco ea sint, quæ habet Sanctus Leo in Serm. XXXVIII. „ Qui autem experiri cupit, an „ in ipso Deus habitet ... sincero examine cordis „ sua interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua „ humilitate resistat superbiæ, qua benevolentia „ obluctetur invidiæ, quam non capiatur adulan„ tium linguis, quamque donis delectetur alienis „ &c. &c. An ne multis laboret sollicitæ discre„ tionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium „ charitatem in secretis suæ mentis inquirat &c." Porro quilibet videt, in accurato harum rerum examine quam facile possit error obrepere, ut nulla veri nominis certitudo obtineri queat, sed sola fiducia spei, aut ad summum moralis quædam securitas.

154. Dices. Annon in Symbolo profitemur nos credere *remissionem peccatorum?*

155.

155. Resp., per hæc verba intelligi potestatem clavium, quæ in Ecclesia est remittendi omnia peccata, si tamen debitæ dispositiones in pœnitente præcesserint.

156. Obj. *quinto* (cum Catharino ap. Sarpi pag. 221.). Concilium Tridentinum Sess. VI. can. 26. hæc habet: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem ... si bene agendo .... usque in finem perseveraverint, anathema sit:* atqui nemo ut justus sperare id potest, nisi talem esse se sciverit: ergo &c. Rursus in eadem Sess. cap. 7. definitum est, justificationem esse sanctificationem, & renovationem interioris hominis *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*. Sed nemo potest voluntarie recipere gratiam, nisi etiam eam se recepisse sciat: ergo &c. Accedit, a sacris Litteris, & a sanctis Patribus nobis frequenter inculcari, ut Deo pro accepta justitia debitas agamus gratias; atqui id foret ineptissimum, nisi de accepto beneficio essemus securi: ergo &c.

157. Resp. ad primum, ut quis concipiat spem æternæ retributionis, non requiri certitudinem omnimodam de præsenti justitia, sed sufficere probabilem conjecturam, quam, ut explicatum est, justi habere possunt.

158. Resp. ad secundum. Ea verba *per voluntariam &c.* non hunc habent sensum, quasi positis dispositionibus necessariis a nostra voluntate pendeat gratiam sanctificantem recipere; sed quod a nostra voluntate sub auxilio gratiæ divinæ pendeat eas dispositiones ponere, ad quas infusio gratiæ sanctificantis consequitur. Unde can. 4. definitum fuit: „ Si quis dixerit, liberum arbitrium „ motum, & excitatum nihil cooperari assentien„ do Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obti„ nendam justificationis gratiam se disponat, ac „ præparet ... anathema sit ". Sed quia homo certo scire non potest, utrum has dispositiones recte præmiserit, ideo etiam semper incertus de sua justificatione manet.

159. Ad tertium eadem est responsio, quæ ad primum; nam probabilitas acceptæ justificationis abunde sufficit, ut quis possit, ac debeat debitas Deo gratias reddere.

160. Obj. *sexto*. Hæc nostra sententia homines perpetuo anxios, ac trepidos faciet, contra id quod Apostolus jubet Rom. V. 1. *justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*.

161. Resp., utrumque nobis suaderi in Scripturis, tranquillitatem, & pacem, simulque metum, & pavorem; immo hunc frequentius, quam alteram. Prov. XXVIII. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Phil. II. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Ecclesiastici V. 6. *De propitiato peccato noli esse sine metu;* & alia id genus. Quæ tamen sibi contraria non sunt, si recte accipiantur. Jubemur enim timere, ut vitemus præsumptionem, & desidiam, quæ ex certitudine facile oriri potest; & iterum jubemur cum tranquillitate sperare, ad quod nonnulla nobis præsto sunt signa, quibus possimus non quidem certitudine fidei, sed fiduciæ, & spei, pacem, & tranquillitatem habere. Quanquam verborum Apostoli longe alius est sensus; hortatur enim fideles, ut pacem cum Deo conservent, in ejus gratia perseverantes.

162. Obj. ultim. Homo ea cognoscit, quæ in ipsius anima per essentiam sunt: ergo etiam cognoscere debet, utrum habeat gratiam, cum hæc per essentiam suam in anima sit. Præterea non minus scientia, & fides sunt dona Dei, quam gratia; sed duo priora certo cognoscuntur: ergo & gratia. Tertio: si homo potest cognoscere se esse in peccato, multo magis cognoscere potest, se esse in gratia, quia lumen potest magis cognosci, quam tenebræ; peccatum autem assimilatur tenebris, & gratia luci.

163. Resp. cum S. Thoma 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 1. *Quæ sunt per essentiam sui in anima, cognosci experimentali cognitione, in quantum homo experitur per actus principia intrinseca; sicut voluntatem perspicimus volendo, & vitam in operibus vitæ*. Ita etiam ex quibusdam signis possumus nos connoscere gratiam; quæ tamen signa, ut dictum est sæpe, non talia sunt, ut omni formidine seposita plenam suppeditent certitudinem.

164. Ad secundum. S. Thomas discrimen assignat, quod scientia, & fides sunt in intellectu, ad cujus perfectionem pertinet certitudo; gratia autem, charitas, & alia hujusmodi perficiunt vim appetitivam; atque adeo non est similis ratio.

165. Ad tertium ita respondet S. Thomas: *Peccatum habet pro principio, & pro objecto bonum commutabile, quod nobis est notum. Objectum autem, vel finis gratiæ est nobis ignotum, propter sui luminis immensitatem secundum illud* I. Tim. ult. *lucem habitat inaccessibilem*.

CAPUT V.

Demonstratur, justitiam, & gratiam sanctificantem amitti posse.

166. Calviniani postquam docuerunt, nos nonnisi per eam fidem justificari, qua nobis remissa esse peccata certo, atque infallibiliter credimus, illud etiam addiderunt, posse justum nedum de sua justitia, verum etiam de sua æterna prædestinatione securum esse: unde aliud inferebant longe absurdissimum, justitiam semel adeptam amitti omnino non posse; non quidem eo sensu, quasi homo justificatus labi in peccata nequeat; sed quia scelera, in quæ prolabitur, utut gravissima, ipsi a Deo non imputantur, eo ferme pacto, quo non

non imputarentur homini dormienti, stulto, vel puero ante rationis usum (*a*).

167. Hinc propterea, & non aliunde petendam esse docent peccati mortalis, & venialis distinctionem, non quasi aliqua sint peccata, quæ uno ictu animam perimunt, alia vero, quæ animam duntaxat lædunt, vel leviter commaculant, quemadmodum Catholici profitentur; sed omnia peccata volunt esse genere suo, & natura mortalia; æternamque damnationem mereri; in justis autem, & prædestinatis hæc appellari solum venialia, in reprobis vero mortalia.

168. Hic tamen error est Calvinistis antiquior; referente enim S. Augustino *De Hæresibus* n. 82. Jovinianus Sæcul. IV. hæreticus dicebat, *non posse peccare hominem lavacro regenerationis acceptọ:* imo ante Jovinianum hoc somniasse Valentinianos: auctor est Sanctus Iræneus Lib. I. cap. 6. (*b*). Eumdem errorem Gotteschalco tribuebat Hincmarus in ep. ad Nicol. Papam ap. Flodoardum Lib. III. cap. 14., jure ne, an injuria, alii viderint.

PROPOSITIO.

Justificatio non est immutabilis, seu inamissibilis (S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 11. & 12. & in III. Sent. Dist. 31. qu. 1. art. 1.).

169. Prob. 1. ex veteri Testamento. Deus ore Prophetæ Ezechielis c. III. XVIII. & XXXIII. justos comminatur, quod *si conversus a justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem .... in peccato suo morietur, & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit;* potest igitur justus a justitia sua decidere, & mori in peccato suo; alias frustranea esset hæc Dei comminatio.

170. Calvinistæ hoc loco valide pressi communi fere calculo respondere solent, aut Prophetam loqui de falsis justis, scilicet de hypocritis, aut si de veris justis, loqui in hypothesi impossibili: eo sensu, quo Apostolus dicit Galat. I. 8. „ Licet „ nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, „ præter quam quod evangelizavimus vobis, ana„ thema sit ". Ita David Paræus *De justif.* Lib. III. c. 4., Amesius *Antisynod.* p. 308. aliique.

171. Sed utraque responsio cum sensu Prophetæ e diametro pugnat. *Primo* enim ibi sermonem esse, non de falsis, & hypocritis, sed de veris justis, tam clarum est, quam quod maxime; ita quippe ibi habet textus cap. III. 21. *Si autem tu annunciaveris justo, ut non pecet justus, & ille non peccaverit, vivens vivet.* Ut manifestum est, in eodem sensu sumi justum, & quando a justitia sua recedit, & quando in eadem perseverat; atqui secundum dicitur de vero justo: ergo & primum. Ulterius dicitur c. XVIII. 24. *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem ... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur,* eo modo, quo ibidem paulo antea dictum fuerat: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... omnium iniquitatum ejus ... non recordabor.* Ut ergo antithesis recte fluat, quemadmodum Deus in conversione impii veras ejus iniquitates oblivione delet, ita in prævaricatione justi veras ejus justitias pro nihilo reputat. Accedit,

(*a*) Hanc, & non aliam fuisse Calvinistarum doctrinam (quidquid aliqui eorum mentiantur) invicte demonstravit Arnaldus in opere: *Le renversement de la morale de J. C. par les erreurs des Calvinistes touchant la justification*, Lib. II. cap. 1. ex testimoniis eorum, qui inter Pseudo-reformatos prima, ut ita dicam, subsellia occupant; videlicet Theodori Bezæ, qui hoc ipsum dogma coram Principe Wirtembergensi in quodam colloquio contra Jacobum Andream, & Osiandrum Lutheranos apud montem Belligardum mordicus defendere conatus est; Windelini, qui totam Calvinianam Theologiam exacte in compendium redegit, Melinii, Charmierii, Piscatoris, aliorumque. Capite autem secundo idipsum ostendit ex celebri eorum Synodo Dordrectana ann. 1618. quæ can. 6. contra Remonstrantes ita definit: *Deus .... Spiritum Sanctum etiam in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert, nec eo usque eos prolabi sinit, ut a gratia adoptionis, ac justificationis statu excidant.* Idemque sancitum fuit can. 7. 8. 9. 10. & 11. Deinde cap. tertio hanc ipsam Synodi Dordrectanæ doctrinam fuisse a Pseudo-reformatis Gallis communi consensu receptam, probat ex eorum Synodo Alessii habita anno 1620. Videntur quidem non raro Calviniani asserere, hominem gravioribus peccatis gratiam Dei amittere, sed subtili tegmine errorem his verbis occultant, dicentes gratiam Dei amitti, non *reipsa, & effective*, sed *demeritorie* tantum, quatenus homo ruens in graviora crimina mereretur gratiam adoptionis, & justificationis amittere; id tamen ne fiat, Dei misericordiam, Christi intercessionem, & Spiritus Sancti operationem impedire. Ita Rivetus in *Examine animadversionum Grotii art. de discrimine pecc.* & Ministri Angli Legati ad Synodum Dordrectanam in suis thesibus. Arminiani hoc erroris portentum exhorruere, atque inter alios illud acriter confutavit Grotius in *notis ad consultationem Cassandri art. de discrimine pecc. mort. & ven.* ac in pluribus opusculis contra Rivetum, ubi & indubitanter pronuntiat, *nullum in Christianismum potuisse dogma perniciosius introduci, quam hoc*. Etiam Gerhardus Jo. Vossius *Hist. Pel.* Lib. VI. Augustinum, & totam antiquitatem *indeficibilitati* adversari probat. Denique Georgius Bullus *in Apologia pro Harmonia &c.* Sect. VII. contra Tullium hunc errorem, quo vix alium pestilentiorem esse putat, & veteri Patrum Traditioni, & Ecclesiæ Anglicanæ fidei repugnare ostendit. Lutheranos prætereo, qui *in Conf. Aug.* hoc Calvinistarum dogma in Anabaptistis expresse condemnarunt. Vid. Bossuet Lib. III. *Hist. des Variat.* n. 37.

(*b*) *Quemadmodum aurum in cæno positum*, inquiebant, *pulchritudinem suam haud proinde amittit, verum naturam suam incolumem servat, nec detrimenti quidquam ei a cæno afferri potest, eodem modo se se quoque, quibuslibet tandem in materialibus operibus sint, nihil sibimetipsis nocere, neque amittere spiritualem substantiam.*

dit, quod si de hypocrita ibi sermo esset, recte dici non posset, falsas ejus justitias, seu hypocrises pro nihilo reputatum iri, semel ac a justitia recessisset, hoc est in aperta scelera fuisset prolapsus; idem enim esset ac dicere, obliterandas esse priores ejus culpas secretas, quando in aperta scelera prolabitur; quemadmodum, cum dicitur, Deum non recordari iniquitatum impii, quotiescumque ille ad pœnitentiam convertitur, significatur ejusdem peccata deleri.

172. Secunda autem evasio multo absurdior est; nam *primo* Deus in iisdem locis, & eodem prorsus sensu, quo justis comminatur æternam mortem, si a justitia recesserint, comminatur etiam peccatoribus eamdem mortem, si in peccatis perseveraverint; contra autem eisdem vitam promittit, si pœnitentiam egerint, non minus ac justis, si justitiam fideliter custodierint, atque istæ omnes promissiones, & comminationes conditionem involvunt omnino possibilem: ergo etiam prima &c. *Secundo*, consideranda sunt ea verba c. III. 20., quibus Deus Prophetæ declarat, se sanguinem justi prævaricantis de manu ipsius requisiturum, nisi ipsum monuerit, *sanguinem ejus de manu tua requiram:* quæ comminatio clare ostendit, posse justum a justitia quandoque excidere; præsertim cum eadem prorsus phrasi comminetur Deus Prophetæ, se requisiturum sanguinem peccatoris perseverantis in iniquitate, nisi ipsi annuntiaverit.

173. Addo ex veteri Testam. celebrem illum locum Sap. IV. 11. *Raptus est*, *ne malitia immutaret intellectum ejus*, *& ne fictio deciperet animam illius*, quod inutiliter factum esset, si justus non posset a gratia adoptionis excidere.

174. Addo demum exempla Angelorum, Adami, Saulis, Davidis, Salomonis, aliorumque, quos ex amicis Dei factos esse inimicos Scriptura Sacra manifestissime docet, ex quibus tamen aliqui, ut Adam, & David, erant in æternam vitam prædestinati.

175. In Novo autem Testamento simile luculentissimum exemplum suppeditatur in persona Petri, qui certe justus erat; & tamen in fœdissimum illud apostasiæ crimen lapsus est, de quo S. Augustinus Tract. LXXVII. in Joann. *Mortuus est*, inquit, *negando*, *& revixit plorando*, *sed mortuus est*, *quia superbe præsumpsit*, *revixit autem*, *quia benigne ille respexit*. Et S. Bernardus Serm. I. in festo Petri, & Pauli: *Peccavit peccatum grande Petrus Apostolus*, *& fortasse quo gravius nullum est*. Aliud exemplum est in Juda, de quo S. Joannes Chrysostomus Hom. XXVII. in Matth. *Filius*, inquit, *regni erat .... Factus est autem gehennæ filius*. Et infinitus essem, si omnia huc spectantia afferrem.

176. Eadem veritas a J. C. declaratur in parabola seminis Luc. VIII., ex quo aliud „ cecidit „ secus viam, & conculcatum est; aliud cecidit „ super petram, & natum aruit, quia non habe„ bat humorem; aliud cecidit inter spinas, & si„ mul exortæ spinæ suffocaverunt illud; aliud ce„ cidit in terram bonam, & ortum fecit fructum „ centuplum ". Jam vero & ex contextu, & ex communi interpretum sensu per illud semen, quod inter spinas cecidit, intelliguntur ii, qui verbum Dei susceperunt, credentes recta fide, & etiam bene operantes, sed *a sollicitudinibus*, *& divitiis*, *& voluptatibus vitæ euntes suffocantur*, *& non referunt fructum;* idest in accepta justitia non perseverant.

177. Id ipsum etiam indigitat parabola spiritus immundi, qui ejectus fuerat e domo, quam postea postliminio repetens cum aliis septem spiritibus nequioribus se inhabitat Matth. XII. 43. & sequ.; designatur nempe, peccatores aliquando liberari a dæmonis captivitate; & postea in eamdem captivitatem, etiam duriorem, relabi.

178. Ulterius infinita sunt loca in sacris litteris, quibus admonentur justi, ne a justitia excidant: *Qui se existimat stare*, *videat*, *ne cadat* 1. Cor. X. 12.: *Vigilate*, *& orate*, *ne intretis in tentationem*, Matth. XXVI. 41., & alia hujusmodi notissima, quæ inutilia plane forent, si apprehensa semel justitia amitti numquam posset.

179. Huc etiam spectat locus Sancti Pauli 1. Cor. VI. 15. „ Nescitis, quoniam corpora vestra mem„ bra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, „ faciam membra meretricis, absit &c." Hic certe Apostolus definit, hominem per peccatum fornicationis ex membro Christi fieri membrum meretricis infamis. At vero quid aliud id est, quam a justitia excidere? Ita certe hæc verba intellexit S. Augustinus Lib. XXI. *de Civ. Dei* c. 25. inquiens: „ Non itaque manent in Christo, qui non „ sunt membra Christi. Non sunt autem membra „ Christi, qui se faciunt membra meretricis. *Eo„ dem cap. antea dixerat idem Apostolus:* An „ nescitis quia iniqui regnum Dei non posside„ bunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque i„ dolis servientes, neque adulteri, neque molles, „ neque masculorum concubitores, neque fures, „ neque avari, neque ebriosi, neque maledici, „ neque rapaces regnum Dei possidebunt ". Si justi in hujusmodi crimina labentes, justitiam non amitterent, neque amitterent jus ad regnum cœlorum, verum foret, quod fornicarii, aliique vitiis hujusmodi coinquinati possent regnum Dei possidere.

180. Prob. ulterius nostra propositio ex SS. PP. quorum omnium instar unus erit Augustinus, cui maxime Adversarii fidere videntur, *De corrept. & grat.* c. 6. multis probat, hominem, *si jam regeneratus*, *& justificatus*, *in malam vitam sua voluntate relabitur*, esse corripiendum, *quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio;* & capit. 13. „ Credendum est, *ait*, quos„ dam de filiis perditionis non accepto dono perse„ verandi usque in finem, in fide, quæ per di„ lectionem operatur, incipere vivere, & aliquam„ diu fideliter, ac juste vivere, & postea cade-

„ re

„ re". Ac demum, quia longum esset singula recensere, *De dono persever.* cap. 9. „ Ex duobus „ piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora „ sunt judicia Dei". Pro certo igitur habet Sanct. Doctor, pios, hoc est justos, a gratia excidere, & quidem ita, ut etiam excidant a vita æterna.

181. Adjungi potest illa Ecclesiæ totius doctrina, qua rejectus est error Joviniani, inter alia effutientis (apud Sanct. Hierony. Lib. II. *adv. Jovin.*) eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari, ita nempe, ut tentationi succumbant: tum illa, qua contra Novatianos a Catholicis propugnatum est, peccata post baptismum commissa per Sacramentum pœnitentiæ deleri; in quo dogmate asserendo Cypriani, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, aliorumque desudavit industria.

182. Demum absurda hæc Calvinistarum opinio etiam rationibus facile convellitur. *Primo* enim ex ea consequitur, vel parvulos omnes per baptismi lavacrum non justificari, vel nullos ex ipsis postea in peccata labi posse: utrumque autem perquam absurdum est: *secundo* frustra Christum nos monuisse, ut æternum inferni supplicium metuamus iis verbis Matth. X. 26. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Si enim justificatus non potest a justitia excidere, nihil habet, quod metuat. *Tertio* sequeretur, perseverantiam non esse magnum, & singulare donum; quemadmodum a Sanct. Augustino, aliisque Patribus appellatur, cum secundum doctrinam Calvinistarum sit omnibus justis communis.

183. Neque vero putent Calvinistæ, omnia hæc, & alia, a quibus afferendis supersedimus, momenta eludi posse celebri illa eorum distinctiuncula, qua dicunt, justos in peccata prolabentes utique a justitia decidere, & damnabiles esse, si demeritum spectemus, *ex speciali tamen Dei amore, divina operatione, Christique intercessione & custodia*, a sanctitate, & adoptione Dei minime excidere.

184. Non inquam: *primo* enim vana hæc est, ac futilis distinctiuncula omni prorsus fundamento destituta: *secundo*, quomodo potest iis textibus aptari, quibus Deus comminatur, in quacumque die justus a justitia sua conversus fuerit, & fecerit iniquitatem, esse omnes justitias illius oblivione delendas (Vid. sup. n. 169.)? Quomodo cum Apostolo dicente: *Iniqui regnum Dei non possidebunt* (n. 179.) *&c.?* Quomodo cum iis S. Augustini verbis, quibus declarat, ad inscrutabiliora Dei judicia pertinere, quod e duobus justis uni perseverantia donetur, alter autem cadat, & pereat (n. 180.)?

185. Doctrinam, quam hactenus omni argumentorum genere stabilivimus, sæpius inculcat Sacrosancta Trident. Synodus, præcipue Sess. VI. cap. 15. his verbis: „ Adversus hominum quorumdam „ callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate... sed etiam quocumque alio mortali peccato... acceptam justificationis gratiam amitti: & *Can.* 23. Si quis „ hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque „ ideo eum, qui labitur, & peccat, numquam „ vere fuisse justificatum ... anathema sit".

186. Obj. primo. Cant. VIII. 6., & 7. dicitur: *Fortis est, ut mors dilectio: & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, quibus gemina habet Apostolus dicens Rom. VIII. 35.: *Qui nos separabit a charitate Christi?* Quæ omnia divin. scripturarum oracula etiam a Sanct. Augustino eo sensu intellecta fuere, ut charitas numquam amitti possit. „ Magnificentius, *inquit, in Psalm. CXXI.* „ exprimi non potuit fortitudo charitatis, quam ut „ diceret: valida est, ut mors, dilectio; quis enim resistit morti? .... Nihil illa fortius, propterea viribus ejus charitas comparata est". Addi possunt, quæ habentur 1. Corint. XIII. 8. *Charitas numquam excidit;* & quæ dixit Christus ipse Jo. IV. 13. *Qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum;* ubi nomine aquæ certum est intelligi charitatem, & gratiam. Hinc cohærenter Apostolus Rom. VIII. 30. inquit: *Quos justificavit, hos & glorificavit;* quia primum sine altero esse nequit.

187. Resp., priora testimonia ex Canticis, sicut etiam verba Apostoli ad Roman. VIII. una cum explicatione S. Augustini tantum innuere, magnam esse vim charitatis ad superandas tentationes, & nihil esse, quod justum a charitate valeat superare, nisi ipse sua mala voluntate, in peccata ruendo, eam amittere voluerit; unde S. Paulus 1. Cor. XIII. 4., & seq. *Charitas*, inquit, *patiens est ... omnia suffert ... omnia sustinet.*

188. Possunt etiam (cum Estio in III. Dist. 32. §. 2.) hujusmodi oracula de prædestinatis intelligi, qui utique in sensu composito cum prædestinatione nequeunt in fine vitæ a charitate Dei separari. Certe illud Apostoli: *Quos justificavit &c.* de prædestinatis accipi debet, quos Deus vocavit, justificavit, & glorificavit; quamquam fieri potest, ut etiam prædestinati aliquando a justitia excidant; ad quam tamen ante mortem Dei misericordia infabiliter revocantur (*a*).

189. Quando vero Apostolus dicit: *Charitas numquam excidit*, sensus est, charitatem non esse in altera vita destruendam; cum scilicet prophetiæ, & alia hujus vitæ dona cessabunt; unde prosequitur: „ Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ „ cessabunt, sive scientia destruetur".

190. Demum quod ex Evangelio S. Joannis alla-

(*a*) Estius verba allata ex c. VIII. Cantic. intelligit de ea dilectione, qua Christus Ecclesiam, & Ecclesia vicissim Sponsum suum diligit; quæ certe dilectio inviolabilis est.

latum est, debet sic explicari, solam æternam beatitudinem posse nostram sitim extinguere, quam certe hujus mundi bona extinguere nequeunt; unde David in Ps. XXXV. 10. „ Apud te est fons vi„ tæ, *& Ps. XVI.* Satiabor, cum apparuerit glo„ ria tua ".

191. Obj. 2. Psalm. XXXVI. 24. dicitur de homine justo: *Cum ceciderit, non collidetur;* & Jer. XXXII. 40. dicit Deus: „ Timorem meum dabo „ in corda eorum, ut non recedant a me ".

192. Resp. verba Psalmi intelligi de tribulationibus, quibus premuntur justi, sed non colliduntur, quia Dominus supponit manum suam. Aliud vero Jeremiæ propheticum dictum non ad gratiam sanctificantem, & habitualem, sed ad gratiam actualem referendum est, qua Deus operatur in cordibus hominum, ut a mandatis ejus non recedant.

193. Obj. 3. S. Joannes epist. 1. cap. III. 6. „ O„ mnis, *inquit*, qui in eo manet, non peccat; *&* „ *postea:* Omnis, qui natus est ex Deo, pecca„ tum non fecit, quoniam semen ipsius manet in „ eo, & non potest peccare, quoniam ex Deo na„ tus est ". Quæ verba iterum repetit Apostolus dilectus cap. V. 18. inquiens: „ Scimus, quia o„ mnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed „ generatio Dei conservat eum, & malignus non „ tangit eum (a)". Huic sententiæ etiam illud consonat, quod Christus dicit ap. Matt. VII. 18.: *Non potest arbor bona malos fructus facere;* & quod prius dictum fuerat Prov. XVII. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est*, quæ verba S. Augustinus explicans in Lib. *de amicitia* cap. 2. „ Ami„ citiam, dicit esse æternam, si vera est, si au„ tem desierit numquam veram fuisse ".

194. Resp. Justos non prolabi in peccata, quamdium justitiam conservant, seu in sensu composito cum justitia, prolabi tamen absolute justitiam amittentes, eo plane modo, quo dicitur: „ Hone„ sta femina nulli umquam impudicitiæ consen„ tiet; fidelis subditus debitam Regi suo semper „ obedientiam præstabit; æquus judex pecuniis „ non corrumpetur "; quorum omnium non ille sensus est, quod femina honesta non possit absolute impudicitiis coinquinari, aut subditus perduellionis reus fieri, aut judex justitiam vendere; sed quod hæc peragi non possint in sensu composito cum honestate feminæ, fidelitate subditi, & judicis integritate. Hanc S. Joann. esse mentem Tertullianus jam olim observavit in Lib. *de pudicitia*, ubi c. 19. de gravioribus delictis loquens: „ Hæc non admittet omnino, *inquit*, qui natus „ ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admi„ serit "; & post eum S. Augustinus in ep. 1. Jo. III. n. 8. de justo inquit: *Inquantum in ipso* (Christo) *manet, intantum non peccat*. Imo id apertissime ex ipso contextu apparet; dicit enim v. 7. *Filioli, nemo vos seducat;* & antea c. II. sic exorsus fuerat: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis*. At vero, ut jam antea notavit Sanct. Hieronymus Lib. II. *adv. Jovin.* „ Si omnis, qui natus est ex Deo, „ non peccat, & a diabolo tentari potest, quomo„ do præcipit, ut caveant, ne tententur "?

195. Sententia Salomonis in Proverbiis solum ostendit, veram amicitiam debere esse perpetuam, nec dissolvi ingruentibus infortuniis. Liber autem de *amicitia* Augustino perperam tribuitur; est enim compendium quoddam male consarcinatum cujusdam libri sub eodem titulo editi ab Aelredo Rhievallensi in Anglia Abbate, & in plerisque vitiatum.

196. Inst. 1. S. Bernardus in Tract. *de grat. et lib. arbitr.* citans hæc ipsa S. Joan. verba, „ Hoc, „ *inquit*, dictum est de prædestinatis ad vitam, „ non quod omnino non peccent: sed quod pec„ catum ipsis non imputetur, quia vel punitur con„ digna pœnitentia, vel in charitate absconditur ".

197. Resp., hæc dicere S. Bernardum de levibus peccatis, in quæ etiam justi aliquando labuntur, quin a justitia excidant. Ceterum alibi (Serm. I. in Septuag.) hunc eumdem Apostoli locum sic explicat: „ Non peccat, idest non permanet in pec„ cato, quia conservat eum, ut perire non possit „ ea, quæ falli non potest, generatio cœlestis ".

198. Inst. 2. Si Sanctus Joannes nihil aliud docere nos voluisset, quam justum in sensu composito cum justitia injustum esse non posse in ineptam battologiam incidisset, afferens οὐδὲν πρὸς ἔπος *nihil præter verba;* atqui in absurdum est de scriptore θεοπνεύστῳ suspicari; ergo &c.

199. Resp., S. Joannem voluisse designare discrimen, quod inter filios Dei est, & filios Diaboli, ut possimus ex operibus utrosque cognoscere; si enim non faciunt peccatum; nati sunt ex Deo; contra vero &c.; unde prosequitur: „ In hoc „ manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli: omnis, „ qui non est justus, non est ex Deo "; quasi dicat. Non possunt hæc duo stare simul, peccare, & esse filium Dei; quo eodem sensu dicebat Paulus Rom. VIII. 8. „ Qui in carne sunt, Deo placa„ re non possunt, *et Christus ipse Matt. VI. 24.* „ non potestis Deo servire, & mammonæ ".

200. Obj. 4. Nonnulla sunt Sacr. Scripturarum loca, quibus declaratur, eos, qui peccant, numquam fuisse justos, quamvis esse viderentur. Ps. CXVIII. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Et ep. 1. Jo. II. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Id confirmatur etiam ex iis, quæ habet S. Augustinus Lib. V. cont. Jul. cap. 4. n. 14. ubi de reprobis loquens, *Istorum*, inquit, *neminem adducit ad pœnitentiam salubrem, et spiritualem, qua homo in Christo reconciliatur Deo.* Quorum si-

(a) Locus hic S. Joan. in græco paullo aliter habet: ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν. *Sed genitus ex Deo conservat seipsum.*

similia etiam tradit Sanct. Gregorius Magnus Lib. XXXIV. Moralium cap. 13. asserens, *Reprobos ante oculos Dei numquam veram sanctitatem habere*.

201. Ad 1. resp., præteritum ibi poni pro præsenti, idest *non ambulant*, quod in Sacris litteris insolens non est. Imo textus hebr. sic habet: חלתי אש רא זורעץ חרנח חוניך. *Nec operantur iniquitatem, & in viis ejus ambulant*. Atque ita hunc locum interpretatur etiam S. Augustinus Serm. II. in eumdem Psalm. n. 2. inquiens: *Si ambulant, non operantur iniquitatem: si non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quia peccatum iniquitas est*. Secundo dici etiam potest, hæc Psalmistæ verba non carere mysterio; significari nempe, per peccatum omnia bonorum operum merita antea coacervata deleri: quod Ezechiel Propheta clarius expressit dicens cap. XVIII. 24. *Si averterit se justus a justitia sua ... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*.

202. Alter locus intelligendus est cum S. Augustino *de don. persev. cap.* 8. de æterna prædestinatione, non de temporali sanctificatione, idest *exierunt ex nobis*, quia non erant ex nobis secundum æternam & gratuitam electionem, quamvis essent ex nobis secundum temporalem gratiam. Audiatur S. Doctor. „ Quid est, quæso, non e„ rant ex nobis? Nonne vocati fuerunt, ex impiis „ justificati, & per lavacrum regenerationis reno„ vati? Sed si audiret ille, qui sciebat procul du„ bio, quod dicebat, respondere posset: Vera sunt „ hæc omnia: erant ex nobis; verum tamen se„ cundum aliam discretionem non erant ex no„ bis ".

203. Sententiæ autem allatæ ex Sanctis Patribus, Augustino, & Gregorio debent hoc sensu accipi, ut reprobi non habeant eam *pœnitentiam*; vel *sanctitatem*, quæ usque ad extremum vitæ momentum duratura sit, eosque debeat perpetuo cum Deo conjungere. Nam S. Augustinus in Lib. *de corrept. & gratia* cap. 9. de iisdem reprobis loquens, *Non erant*, inquit, *filii, etiam quando erant in professione, & nomine filiorum; non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt*. Et iterum cap. 13. de reprobis item loquens, *Gratiam Dei suscipiunt*, inquit, *sed temporales sunt, nec perseverant: deserunt, & deseruntur*. S. tamen Gregorius fortasse loquitur de quibusdam falsis justis, qui tales apparent ante oculos hominum, cum apud Deum sint mali; ibi enim subdit: *Sæpe namque homo multis occulte peccatis involvitur*.

204. Ob. 5. nonnulla S. Augustini testimonia. *Unctio invisibilis*, inquit Tract. III. in epist. I. S. Joann. num. 12. Tom. III., *charitas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit; quamvis ardente sole arescere non potest*. Et Tract. VIII. n. 9. *Radicata est charitas? securus esto, nihil mali procedere potest*. Etiam in Lib. II. *cont. epist. Permeniani* cap. 13. explicans illa verba S. Pauli: *Spiritum nolite extinguere*, Spiritum proprie extingui posse negat; sed inquit: *Quantum in vobis est, nolite sic agere, tamquam conemini Spiritum extinguere, aut tamquam Spiritum extinctum deputetis*. Hinc Magister sententiarum Augustino adhærens: *Perfecta charitas*, inquit in III. Sent. dist. 31. *sic radicata est, ut amitti nequeat, incipiens tamen, & provecta amitti potest, & sæpe amittitur*. Magistro Sent. etiam Gratianus consentit Part. II. causa 33. q. 3. *de Pœnit.* dist. 2. can. 2.

205. Resp. S. Augustinum loqui de fructibus charitatis, qui arescere, & deficere non possunt, quousque remanserit eorum radix charitas: unde etiam hanc rationem affert: *Omne, quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit*. Ita Augustinum explicat Correptio Gregoriana ad locum Gratiani citatum; nec aliam esse S. Doctoris mentem, liquet ex laudato Tract. VIII., ubi inquit: „ Radicata est cupiditas? species potest esse „ bonorum factorum, vera opera bona esse non „ possunt. Radicata est charitas? securus esto, „ nihil mali procedere potest ". Ceterum charitate utut radicata deficere posse per peccatum, ita sæpe, & luculenter Augustinus tradidit; ut plane cæcus sit, qui id non videat. Vid. sup. n. 180.

206. Spiritum autem S. extingui posse, merito negat S. Pater, *in seipso*, quamquam homines ad id conentur peccatis suis: non negat tamen posse ipsius Spiritus Sancti dona *in nobis* extingui, cum gratiam sanctificantem culpa nostra amittimus.

207. Ad auctoritatem vero Magistri Sent., & Gratiani resp. cum Estio in III. Sent. dist. 31. §. 2. Si id intellexerunt de charitate hujus vitæ, nævum hunc esse ab eorum libris merito expungendum. Sicut etiam certum est, deceptum fuisse Gratianum, quando loc. cit. cap. 2. hæc verba tamquam Augustini citavit in epist. ad Julianum: *Charitas, quæ deseri potest, numquam vera fuit*; nam ut Editores Benedictini recte observarunt, hæc epistola, quæ idem est cum libro *de salutaribus documentis ad quemdam Comitem* (in append. Tom. VI.), opus spurium est, & Paulo, seu Paulino Patriarchæ Aquilejensi, qui ineunte Sæculo IX. floruit, adjudicandum.

208. Obj. sexto. S. Hieronymus in fine ep. ad Ruffinum. *Amicitia*, inquit, *quæ desinere potest, vera numquam fuit*; si ergo homines in justificatione vere facti sunt amici Dei, numquam possunt ab ejus amicitia excidere.

209. Resp., Hieronym. locutum esse emphatice, & oratorio more ad imitationem illius Tullianæ sententiæ in Lib. *de amicitia* cap. 9. *Veræ amicitiæ sempiternæ sunt*; hoc est, sempiternæ esse deberent. Ceterum posse veram amicitiam cessare, & tolli, vel ipso suo exemplo scire potuit S. Hieronymus, cujus diutinam, & sinceram amicitiam

cum

sum Ruffino disruptam fuisse, nemo ignorat, quod olim S. Augustinus deplorabat (*a*).

210. Obj. *septimo*. S. Bernardus Lib. II. *de amore Dei* cap. 6. dicit: *Petrus, cum peccavit, charitatem non amisit ... sic & David, cum peccavit, charitatem non perdidit:* ergo similiter alii justi &c.

211. Resp. *primo*, opus illud esse supposititium. Præterea S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 12. ad 2. ita hunc locum explicat, quod Petrus (idem est de Davide) non amiserit charitatem *directe* per actualem contemptum, sed *indirecte*, propter passionem timoris (David autem propter concupiscentiam); eam tamen uterque cito recuperavit.

212. Obj. ult. Si electi aliquando a justitia exciderent, essent simul objectum odii Dei, & amoris; sed id videtur absurdum; ergo &c.

213. Resp., Electos in peccata delapsos esse utique simul odii divini, & amoris objectum, sed sub diverso respectu: nempe ut actu peccatores sunt Deo odibiles; nam *odio sunt Deo impius, & impietas ejus* Sap. XIV. 9.; ut vero sunt ad vitam æternam electi, diliguntur a Deo, cujus dilectionis effectus est, ut tandem a peccato liberati usque in finem in gratia sanctificante perseverent. Non vero hinc ulla in Deo mutatio fit, sed solum in hominibus. Ut enim inquit Sanctus Augustinus Lib. II. ad *Simplicianum quæst.* 3., *Deus cuncta mutabilia immutabili voluntate disponit*.

214. Quæres, an de potentia Dei absoluta possit gratia sanctificans cum peccato permanere?

215. Respond. Quamquam, ut vidimus, Catholicum dogma est, gratiam per peccatum lethale amitti, controversia tamen mota est inter Scholasticos, quæ adhuc viget, an gratia ex natura sua, an vero ex quadam Dei ordinatione tantum opponatur peccato? Secundum placet Scotistis, primum autem Thomistis, quibus bona, & melior Theologorum pars assentitur.

216. Rursus quæritur, an tali oppositione non obstante, saltem de potentia Dei absoluta possit in homine simul cum peccato gratia habitualis permanere? Affirmat cum Scotistis Suarez Lib. VII. *de sanctific. homini* cap. 17.: repugnant autem Thomistæ, & alii bene multi, quorum sententia primo videtur conformis Apostolo dicenti 2. ad Corinth. VI. 14.: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial?* Etiam S. Joannes cum dicit in prima ep. III. 9.: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (nempe gratia habitualis) *in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, satis clare innuit, fieri non posse, ut aliquis simul cum gratia Dei sanctificante peccatum conjungat. Sed & illud accedit, quod gratia, & peccatum inducunt effectus secum ipsis adversa fronte pugnantes: gratia scilicet facit hominem Dei filium hæredem regni cælestis, divinæque naturæ consortem. Contra per peccatum fit homo exosus Deo, filius Diaboli, æternaque damnatione dignus. Sed id satis; ut enim notat etiam P. Card. Renatus Billuart Tom. VI. Diss. VII. art. 7. §. 2. *Istæ quæstiones de potentia Dei absoluta sunt magis subtiles, quam utiles*.

DISSERTATIO III.

De Merito.

1. Si Heterodoxi, sepositis tantisper præjudiciis, pacatoque animo considerare vellent, & quod ipsi olim in hac materia docuerunt, & quo modo unanimiter Catholici docent, vix ullus fortasse relinqueretur, dissentiendi locus, quod etiam Molanus confessus est in „ Cogitationibus privatis *ap.* „ *Bossuet* Oeuvr. Posth. *Tom. I. pag.* 61. *Certe* „ *in* Apologia Confessionis Augustanæ art. 2. de „ dilect. & implet. legis *aperte docetur*, bona o„ pera meritoria esse præmiorum corporalium, „ & spiritualium in hac vita, & post hanc vi„ tam, quia Paulus inquit: Unusquisque recipiet „ mercedem secundum laborem suum ". Quia tamen nonnulli sunt, qui Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, vel non satis perspectam habent, vel aperte inficiari non erubescunt, ideo de hac materia accurate simul, & breviter, quoad fieri poterit, tractandum est.

CAPUT I.

Exponitur, quænam sit doctrina Ecclesiæ Catholicæ de merito justorum; & quænam opiniones Theologorum.

2. Quia maximi interest, fidei dogmata ab opinionibus Theologorum secernere, ideo in ipso initio ob oculos ponendum est, quidquid in hac materia, tamquam ad fidem spectans a Trid. Synodo definitum fuit. Primo itaque Sess. VI. c. 16. statuitur, credendum esse: „ Nihil ipsis justi„ ficatis amplius deesse, quo minus plene illis „ quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, & „ divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & „ vitam æternam suo etiam tempore (si tamen „ in gratia decesserint) consequendam vere pro„ meruisse censeantur ".

3. Præterea ad evitandum omnem superbiæ, & præsumptionis statum, ibidem hæc adjecta sunt: „ Neque vero illud omittendum est, quod licet „ bo-

(*a*) *Quis amicus*, ajebat S. Doctor Epist. LXXIII. ad Hieronymum, *non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum, & Ruffinum hoc, quod plangimus, exoriri? O miseranda conditio! O infida in voluntatibus amicorum scientia præsentium, ubi nulla est præscientia futurorum!*

„ bonis operibus in sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis; absit tamen, ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona ".

4. Et cohærenter ad hanc doctrinam Can. 26. statutum fuit: „ Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare, & sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit. *Et Can.* 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit ".

5. Porro ex doctrina hactenus exposita *primo* liquet, pro fidei dogmate habendum esse, justos suis bonis operibus vere mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam: *secundo*, hanc merendi virtutem inniti Dei misericordiæ, qui nostris bonis operibus æternam retributionem promittere dignatus est, cum potuisset etiam sine ulla spe retributionis illa a nobis exigere, unde S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 1. ad 3. docet, *Deum non esse factum simpliciter nobis debitorem, sed sibi ipsi, inquantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur: tertio*, inniti præterea hanc promerendi virtutem meritis Jesu Christi, a quibus nostra bona opera totum suum meritum trahunt: *quarto* demum, merita omnia nostra esse dona Dei, quia tota quanta sunt, a Dei gratia tum sanctificante, & habituali, tum actuali promanant: unde etiam S. Augustinus: *Cum Deus*, inquit epist. CXCIV. alias CV. cap. 5., *coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua;* & hæc ad fidem spectare nemo dubitet.

6. Theologi autem, ut totam hanc doctrinam uberius explicent, post Sanctum Thomam 1. 2. qu. 114. art. 3., & in II. Dist. 27. quæst. 1. art. 3. duplex distinguunt meritum, aliud, quod vocant *de condigno*, aliud *de congruo*. Primum est meritum proprie tale, cui scilicet merces, vel præmium ex justitia debetur, seu, ut inquit S. Thomas (loc. cit. ex II. Sent.), *quando invenitur æqualitas inter præmium, & meritum secundum rectam æstimationem*. Alterum est meritum minus proprie sumptum, quando scilicet operi non est promissa retributio, atque adeo ex strictis juris apicibus ei minime debetur, attenta tamen ipsius operis bonitate congruum videtur, ac decens, ut aliqua ei remuneratio tribuatur.

7. Aptissimum ad hanc duplicem meriti speciem explicandam est exemplum militis, qui quotidiana sua stipendia ex justitia, & *de condigno* meretur, aliquid tamen etiam præter stipendium *de congruo* ei deberi videtur, dum strenuo aliquo facinore se ab aliis distinguit: quatenus decet, & congruum est, ut singulares actus virtutis singularibus præmiis remunerentur. Hac posita meriti divisione, Theologi meritum *de condigno* non tribuunt nisi actionibus in gratia sanctificante factis, & quæ ad vitam æternam referuntur; meritum vero *de congruo* tribuunt actionibus etiam peccatorum, quando actuali Dei gratia moti, & adjuti ad justificationem sese præparant, ac disponunt.

8. Hæc duplicis meriti distinctio omnibus ferme probatur, magnumque habet tum in sacris litteris, tum in Sanctis Patribus fundamentum. Ut enim breviter dicam, eam expressissime tradit Sanctus Augustinus epist. CXCIV. alias CV. cap. 3., ubi impios per fidem mereri docet remissionem peccatorum: „ Sed nec ipsa remissio peccatorum, „ *inquit*, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat *Lucæ XVIII.* 13.: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus, merito fidei humiliatus ". At vero hujusmodi meritum vere, & proprie tale, seu *de condigno* non est, dicente ibidem Sanct. Doctore: *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt:* meritum ergo hominis nondum justificati, quo remissionem peccatorum impetrat, est meritum *de congruo*. Fatendum est tamen, hæc, utut apud Theologos fere communiter certa, ad fidem minime pertinere; nam Concilii Tridentini definitio solum de justificatis loquitur, nullatenus de peccatoribus.

9. Imo celebris Franciscus Veronius in sua *Regula fidei* (ap. Fratres de Walemburch in fin. Tom. II.) (a) c. II. §. 1. fidenter asserit, non esse de fide catholica, *primo* dari meritum *de congruo: secundo* nec dari *de condigno; tertio* nec merita esse ex justitia potius, quam ex fideli-

(a) Hæc *regula fidei* Veroniana probata fuit ab omnibus Sorbonæ Doctoribus in plena Facultatis Theologiæ congregatione, necnon adoptata a Clero Gallicano in Comitiis anno 1645.: tanti vero facta a duobus fratribus de Walenburch, ut ea visa, a constituenda simili fidei regula, quod in animo habebant, supersedendum duxerint.

litate: *quarto* multo minus dari ex justitiæ rigore. Hæc enim omnia etiam apud Catholicos aliquos in controversiam vocantur. Audiatur Bellarminus Lib. V. *de justific.* cap. 16.: „ Sunt autem, *inquit*, tres de hac re quæstiones: una, sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex „ congruo? Altera, sitne condignum ratione promissionis tantum, aut etiam ratione operis? Tertia, num Deus remuneret opera justorum supra „ condignum, & impiorum citra condignum? Quod „ attinet ad primam quæstionem, Catholici omnes „ agnoscunt, opera bona justorum esse meritoria „ vitæ æternæ; sed tamen aliqui censent, non „ esse utendum his vocibus de condigno, & de „ congruo, sed absolute dicendum, opera bona „ justorum esse meritoria vitæ æternæ. Ita docet „ Thomas Waldensis *T. III.* de Sacrament. *cap.* „ 7. cui subscribere visus est Paulus Burgensis in „ Addit. ad Comment. *Nicol. Lyrani in Psalm.* „ *XXXV.* Alii volunt, opera bona justorum esse „ meritoria de condigno, largo modo, itaut hoc „ condignum respectu condigni proprie sumpti possit dici congruum; respectu congrui proprie sumpti possit dici condignum. Ita docent Durandus „ *in II.* Sent. *dist.* 27. *q.* 2., & Gregorius *in* 1. „ Sentent. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 1. "

10. Idem Bellarminus cap. 17. sic pergit: „ Altera quæstio sequitur, utrum opera bona sint „ meritoria ex condigno ratione pacti tantum, an „ ratione operis tantum, an ratione utriusque? ... „ Non desunt, qui censeant, opera bona justorum „ esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione „ operis, etiamsi nulla extaret divina conventio. „ Ita enim docet Cajetanus *in* 1. 2. *quæst.* 114. „ *art.* 3. & idem videtur sensisse Dominicus a Soto *Lib. III.* De nat. & gratia *c.* 7. Alii contra „ existimant, opera bona ex gratia procedentia „ non esse meritoria ex condigno ratione operis, „ sed tantum ratione pacti, & acceptationis divinæ. Ita docet Scotus *in I. Sent. Dist.* 17. *q.* „ 2. quem alii quoque sequuntur ex veteribus Scholasticis, & ex recentioribus Andreas Vega *in opusc. de justifi. qu. V.* ... Nobis media sententia probabilior esse videtur, quæ docet, opera „ bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex „ condigno ratione pacti, & operis simul, non quidem quod sine pacto, vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad „ illam mercedem opus bonum, quamvis par & „ æquale mercedi, nisi conventio interveniat ".

11. De postrema quæstione, num Deus opera bona remuneret ex mera liberalitate supra condignum, Bellarminus hæc habet c. 19. *Communis Theologorum sententia id constanter affirmat, ut perspicuum est ex S. Thoma, S. Bonaventura, Scoto, Durando, & aliis* in IV. Sent. dist. 46. *Contrarium docuit Andreas Vega*, in Opusc. de justificatione, *& Doctor ille Lovaniensis cujus multas sententias Pius V. Pontifex damnavit. Est enim inter damnatas sententias quarta, his verbis expressa: Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.* Hactenus Bellarminus.

12. Veronius autem ulterius animadvertit, nec esse de fide: „ omnia bona opera justorum esse „ æternæ vitæ meritoria, seu quænam in specie „ opera mereantur gloriam, an opera temperantiæ, spei, fidei, & alia præter charitatem ": quia Trid. Concilium non definivit talia opera in specie mereri; ac propterea Doctores Scholastici in varias abeunt sententias. Bellarmino Lib. V. c. 15. visum est, *bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat*, quæ sententia est etiam Scoti, Gabrielis, Durandi, aliorum. Contraria placet Vasquezio in 1. 2. Disp. 217. cap. 2., contendenti: „ quolibet opus hominis justi bonum, & secundum virtutem moralem meritorium esse vitæ æternæ "; & hanc sententiam esse dicit Bonaventuræ, Capreoli, & Soto (Vid. inf. num. 50.).

13. Demum nec de fide est: „ justum posse „ mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem „ de congruo, nec conversionem peccatoris, nec „ etiam gratiam "; tum quia Tridentinum nullam hujus meriti mentionem fecit; tum etiam quia variant in hac re Doctorum opiniones (Vid. inf. n. 45.). Nos Scholasticis hisce quæstionibus prætermissis, quæ apud Auctores citatos videri poterunt, ad dogma fidei defendendum unice contra Sectarios aggredimur.

CAPUT II.

Doctrina Concilii Tridentini de merito justorum asseritur, & vindicatur.

14. Quamquam tam Lutherani, quam Pseudoreformati, controversia de merito magis dilucidata, non admodum a sententia Catholica abhorrere videntur, quod observatum a pluribus fuit (Vid. Petrus, & Adrianus Fratres de Walemburch. T. II. *Controv.* 8. de *mer.* c. 19. & seq.); Concilium tamen Tridentinum necessarium duxit hanc etiam materiam definire; tum quia nonnulli erant pertinaciores, qui verum meritum inficiabantur; tum etiam, ut plano constaret, quænam esset Ecclesiæ Catholicæ fides; ac quibusdam calumniandi ansa auferretur, qui privatas Scholasticorum opiniones, quas Synodus de more dirimere noluit, ut Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ dogmata impugnabant.

PROPOSITIO.

Justi operibus piis ex gratia factis vere merentur vitam æternam (S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 3.).

15. Prob. ex Scripura Sacra, ex qua etiam plura loca allegata sunt a Patribus Tridentinis Sess. VI. c. 16. In ea enim vita æterna appellatur *merces*, *corona*, *& bravium*. Genes. XV. 1. dixit Deus Abraham: *Ego protector tuus sum*, *& merces tua magna nimis*. Matth. V. 12. *Merces vestra copiosa est in cælis*. 1. Cor. III. 8.: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet*, *secundum suum laborem*. 2. Timoth. IV. 8. dicebat Paulus: *Reposita est mihi corona justitiæ*, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi*, *sed & iis*, *qui diligunt adventum ejus*. Cui simile est illud Jac. I. 12. *Beatus vir*, *qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit*, *accipiet coronam vitæ*, *quam repromisit Deus diligentibus se*. Idem Paulus 1. Cor. IX. 24. vitam æternam vocat *bravium*; jam vero *merces*, *corona*, *bravium* non redditur nisi veris meritis; ergo &c.

16. Hæc eadem veritas probatur ex Sanctorum Patrum traditione. S. Cyprianus: *Accipiunt*, inquit Lib. *de unit. Ecclesiæ*, *merita nostra mercedem*. S. Joann. Chrysostomus: *Quia in nostra voluntate*, inquit Hom. XXII. in Genesim, *totum post gratiam Dei relictum est*, *ideo & peccantibus supplicia proposita sunt*, *& bene viventibus præmia*. Et Homil. IV. de Lazaro: *Si justus est Deus*, *& his*, *& illis pro meritis reddet*. Et pluribus aliis omissis, S. Aug. Tract. III. in Jo. explicans illa Apostoli verba: *Reposita est mihi corona* &c. *Jam debitum flagitat*, inquit, *jam debitum exigit*. *Ut antea susciperet gratiam*, *misericordem Patrem opus habebat*, *ut præmium gratiæ*, *justum judicem*. Demum S. Leo Magnus: *Non enim dormientibus*, inquit Serm. II. de *Epiphania*, *provenit regnum cælorum*, *sed in mandatis Dei laborantibus*, *atque vigilantibus*, *ut*, *si dona ipsius non irrita fecerimus*, *per ea*, *quæ dedit*, *mereamur accipere*, *quod promisit*. Quibus inhærens Synodus Arausicana II. can. 8. ita definit: *Debetur merces bonis operibus*, *si fiant*, *sed gratia*, *quæ non debetur*, *præcedit*, *ut fiant*.

17. Obj. primo multa Scripturæ loca, in quibus vita æterna dicitur *misericordia*, *gratia*, *hæreditas*. Psal. CII. 4. *Qui coronat te in misericordia*, *& miserationibus*. Ad Tit. III. 5.: *Non ex operibus justitiæ*, *quæ fecimus nos*, *sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Roman. VI. 23. *Gratia Dei vita æterna*. Et c. VIII. 17. *Si filii*, *& hæredes*, *hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi*; tum Psalm. XVI. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ*. Contra vero idem Apostolus mortem vocat stipendium peccati. *Stipendia enim peccati mors* Rom. VI. 23. Huc etiam spectat illud Isaiæ LV. 1. *Venite*, *emite absque argento*, *& absque ulla commutatione*; quibus significatur gratuita donatio, non pro meritis recompensatio.

18. Resp. cum Concilio Trid. Sess. VI. c. 16. vitam æternam esse simul *& mercedem*, *& gratiam*; *mercedem*, quia nonnisi bonis operibus redditur; *gratiam* autem, tum quia gratuita Dei bonitate bonis promissa est, tum etiam quia merita nostra, quanta sunt, nonnisi ex Dei gratia sobolescunt. *Proponenda est*, inquiunt Patres, *vita æterna*, *& tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa*, *& tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus*, *& meritis fideliter reddenda*. Cavere etiam voluerunt iidem Patres, ne quis inde ansam præsumptionis, & superbiæ arriperet, unde subdunt: „ Absit tamen, ut Christianus homo in se„ ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Do„ mino, cujus tanta est erga omnes homines bo„ nitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt i„ psius dona ". Quæ verba sunt ex Sanct. Augustino deprompta in epistol. CXCIV. ad Sixtum (vid. sup. num. 8.). Ubi etiam observat Sanctus Doctor, utique potuisse Apostolum appellare vitam æternam stipendium: „ quia sicuti merito „ peccati tamquam stipendium redditur mors, ita „ merito justitiæ tamquam stipendium vita æter„ na ": noluisse tamen Apostolum hac voce uti ad compescendam humanam superbiam; ac propterea concludit, vitam æternam fuisse appellatam *gratiam*; „ non ideo quia meritis non detur, sed „ quia data sunt & ipsa merita, quibus datur ".

19. Obj. secundo. Christus Dominus Lucæ XVII. 9., & seq. de servo, qui operam suam præstitit, ut debebat, inquit: *Numquid* (Dominus) „ gra„ tiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei im„ peraverat? Non puto. Sic & vos, cum feceri„ tis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: „ Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, „ fecimus": quibus verbis perspicue significatur, nullum in nobis meritum esse, etiamsi totam legem adimpleamus; quod luculentius Theophilactus declarat, inquiens: „ Servus, si non opera„ bitur, dignus est multis plagis; cum autem o„ peratus fuerit, contentus sit, quod plagas effu„ gerit ".

20. Resp., Christi verba eo spectare, ut omnem a nobis superbiæ, & arrogantiæ radicem evellant; non autem ut a nostris bonis operibus rationem meriti demant. Hinc non dicit Christus, nos, cum fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, servos inutiles esse; nam potius contra dicit Joan. Joan. XV. 14.: *Vos amici meis estis*, *si feceritis*, *quæ ego præcipio vobis*; sed tantum vult, ut nos ipsos reputemus tamquam servos inutiles: *dicite*, *servi inutiles sumus*. Quod quidem duabus de causis vere dicendum est, *primo*, quia ex no-

nostris operibus bonis nihil utilitatis in Deum redundat; *secundo*, quia opera nostra, si in seipsis spectentur, Dei promissione seposita, nullam plane merentur retributionem, cum infinitis titulis Deo sint debita, & nonnisi eo adjuvante, & donante perficiantur. Et hac etiam de causa recte dicere potuit Theophilactus, contentos nos esse debere, quod plagas operando effugerimus, quia nempe, seclusa Dei promissione, nulla nostris operibus merces deberetur. Hinc damnata fuit a Roman. Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII. illa propositio Bajana num. secundo: ,, Sicut opus malum est sua natura mortis æternæ meritorium, ,, sic bonum opus ex sua natura est vitæ æternæ ,, meritorium ".

21. Ob. *tertio*. Ut justi mererentur vitam æternam, deberet esse inter ipsam, eorumque opera proportio; hanc autem proportionem non esse constat *primo* ex Apostolo dicente Roman. VIII. 18.: ,, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in ,, nobis. ,, Secundo, quia ut commune fere habet Theologorum proloquium, *Deus remunerat ultra condignum*, quod etiam significari videtur iis Christi verbis Matth. XXV. 21.: ,, Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; *&* *Lucæ VI.* 38. Mensuram bonam, & ,, confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum ".

22. Resp. non esse quidem inter bona justorum opera, & vitam æternam proportionem æqualitatis, quam exigit justitia commutativa; esse tamen proportionem aliquam ex divina ordinatione derivatam, quæ satis est ad constituendam justitiam distributivam. Cum enim Deus bonis nostris operibus præmium promittere dignatus sit, etiam debitor factus est sibi ipsi, ut ea remuneret. Unde S. Aug. Serm. CLVIII. alias 16. de verbis Apostoli c. 2.: ,, Illo ergo modo, *inquit*, possumus ,, exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde ,, quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, & ,, hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti ".

23. Quæ autem allata sunt tum ex sacris paginis, tum ex theologico effato, tantum probant, non esse inter opera nostra, & præmium proportionem æqualitatis, quod libenter fatemur dicente Apostolo 2. ad Cor. IV. 17. ,, Quod in præsenti ,, est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, ,, supra modum in sublimitate æternum gloriæ ,, pondus operatur in nobis ".

24. Ulterius quamvis opera nostra bona considerata secundum se, proportionem ad gloriam æternam non habeant, illam tamen habent, si considerentur, prout a gratia sanctificante procedunt. Hanc enim Christus Dominus Jo. IV. 14. comparat fonti aquæ salientis in vitam æternam, quo fit, ut opera nostra bona virtute gratiæ sanctificantis quamdam proportionem ad æternam beatitudinem acquirant; ut enim S. Thomas observat 1. P. quæst. 62. art. 3.: ,, gratia gratum faciens ,, comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem: unde 1. ,, *Jo. III.* 9. gratia semen Dei nominatur ".

25. Obj. *quarto*. Nihil in sacris Litteris frequentius, quam omnia hominum opera esse mala. Ecclesiastes VII. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Ps. XIII. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* unde David Dominum rogabat Ps. CXLII. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* at vero qui in omnibus ita male operatur, ut nihil facere possit, quod sit undequaque bonum, haud mereri potest; ergo &c.

26. Resp., hæc & id genus similia Scripturæ loca esse intelligenda *figurate* de maxima hominum parte, non autem *absolute* de omnibus; alias Scriptura sibi minime constaret; nam de Noe ex. grat. scriptum est Gen. VI. 9. *Noe vir justus atque perfectus fuit;* Job vocatur *vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo* Job II. 3., de Zacharia autem, & Elisabeth Lucæ I. 6. dicitur: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela:* & de multis aliis idem dici potest; nam Apostolus Eph. I. 4. nos electos esse dicit, *ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*.

27. Quod autem dicitur: *Non intres* &c. cui simile est etiam illud Ps. CXXIX. 3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* explicatur de peccatis venialibus, a quibus citra specialissimum privilegium nemo immunis est. *Ut quantum*, inquit S. Augustinus Lib. II. *de peccat. meritis, & remissione* c. 19., *pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens*.

28. Obj. *quinto* plura veterum Patrum testimonia. S. Irenæus Lib. IV. c. 36. al. 70. n. 6. ,, *Deus*, inquit, gratuito quidem donat, in quos ,, oportet; secundum autem meritum dignissime ,, distribuit adversus ingratos, & non sentientes benignitatem ejus justissimus retributor. *S. Hieronymus ad c. XLVI. Ezech.* Perspicuum est, ,, *inquit*, omnem hominem, & universam creaturam, quamvis ad perfectionem venerit, tamen ,, indigere misericordia Dei; & plenam perfectionem ex gratia, & non ex merito possidere. *Augustinus ad illa verba Ps. CXXXIX.* justi confitebuntur nomini tuo: Tuo nomini, *inquit*, confitebuntur: meritis suis nihil tribuent, non tribuent totum, nisi misericordiæ tuæ. *Et Serm.* ,, *XV.* de verbis Apostoli *Deum alloquens*. Nihil ,, invenis, *inquit*, unde salves, & multum invenis, unde damnes. *S. Gregorius Lib. V.* Moralium *cap.* 2. *explicans ea verba Job:* Non ,, justificabitur homo compositus Deo, *inquit:* quia ,, omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte judicetur, ,, recte subjungit: si voluerit contendere cum eo,

,, non

,, non poterit respondere ei unum pro mille. *Demum S. Bern. Serm. I.* De Annunt. Neque enim, *inquit*, talia sunt hominum merita, ut ,, propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus ,, injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret ".

29. Confirm. Sententia est plurimorum Patrum, posse omnino Deum, si vellet, etiam hominem justum damnare. Nam S. Augustinus in Ps. LXX. Serm. I. n. 1. inquit: *Quis ei diceret, quid fecisti, si damnaret justum? Quanta ergo misericordia est, ut justificet injustum?* S. Jo. Chrysostomus Lib. II. *de compunct. cordis* n. 6. ,, Si ,, te, *inquit*, agentem, quod tibi præceptum est, ,, conjici jubeat Dominus tuus in gehennam, a- ,, liqua tibi erit contradicenti potestas "?

30. Resp. ad 1., S. Irenæum loqui de gratuita vocatione ad gratiam, & de justa eorum punitione, qui gratiæ rebelles obsistunt; unde ibidem paullo antea dixerat: ,, Indignos quidem convo- ,, cans, propter immensam benignitatem; eos ve- ,, ro qui convocati sunt, inspiciens, si conveniens ,, habeant indumentum, & congruens nuptiis filii ,, sui &c. "

31. SS. Hieronymus, & Augustinus excludunt merita hominum, qualia comminiscebantur superbi Pelagiani ex naturæ viribus promanantia. Hæc procul facessant, illaque solum maneant, quæ ex Dei gratia sobolescunt. Ceterum S. Hieronymus Lib. II. *cont. Jovinianum*. *Nostri*, inquit, *laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare*. De S. Augustini sententia vide sup. n. 16.

32. S. autem Gregorius Papa loquitur de nostris bonis operibus, si tantummodo considerentur, prout a nobis sunt, seu prout aliquis ea sibi arroganter tribuit, quo certe pacto omne virtutis nostræ meritum vitium fit. Hanc esse S. Gregorii mentem ex contextu satis claret; ita enim pergit de Job loquens: ,, Recte subjungit: *Si voluerit contende-* ,, *re cum eo, non poterit respondere ei unum* ,, *pro mille* ... Cum Deo autem contendere est, ,, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis ,, arrogare ".

33. Demum S. Bernardus nihil aliud docet, nisi merita nostra non eam habere dignitatem, ut eis, seclusa Dei promissione, vita æterna debeatur. Divina autem promissione supposita, verum meritum S. Bernardus agnoscit, ut cum dicit Serm. LXXXI. *in Cantica: Omne, quod feceris, bonum, malumve, quod quidem non facere liberum fuerit, merito ad meritum reputatur*.

34. Ad Confirm. resp., S. Augustini locum vitiatum esse, & juxta MS. Corbejense optimæ notræ legi debere: *Quis enim ei diceret, quid fecisti, si damnaret injustum?* quæ verba desumta videntur ex Sap. XII. 12. ,, Quis enim dicet tibi; ,, Quid fecisti? .... aut quis in conspectu tuo ve- ,, niet vindex iniquorum hominum? *Et concor-* ,, *dant cum iis, quæ iterum subdit S. Doctor* ,, *eodem in loco* n. 15. Quid ergo tu, si massam ,, istam iniquitatis damnes, quisquam tibi dicet, ,, injuste fecisti? esses plane sic justus, & omnis ,, esset ista laus tua: sed quia liberasti & ipsum ,, peccatorem, justificando impium, adjiciam su- ,, per omnem laudem tuam. *Hæc etiam conso-* ,, *nant cum aliis S. Augustini locis, in quibus di-* ,, *cit:* Deus potest aliquos sine bonis meritis libe- ,, rare, quia bonus est; non potest quemquam si- ,, ne malis meritis damnare, quia justus est, *Lib.* ,, *III.* cont. Julian. c. 18. ".

35. S. Jo. Chrysost. etiam verba vitiose ex græco in latinum conversa sunt; ita enim habent: ,, Si ,, post peractam rem in gehennam conjiciendum ,, esses, an detrectandum esset? nonne tunc etiam ,, magna cum alacritate manum bonis operibus ad- ,, movere par esset? Rem Deo acceptam facis, & ,, aliam mercedem requiris? Vere ignoras, quan- ,, tum boni sit placere Deo &c." Quorum verborum hic unicus scopus est, ut ostendatur, Deo serviendum a nobis fore, etiamsi nulla esset spes præmii imo etiamsi in gehennam essemus conjiciendi.

36. Obj. sexto. S. Th. 1. 2. q. 114. art. 1. non aliud admittere videtur meritum, nisi secundum quid, ait enim: ,, In his, in quibus est simpliciter justum, est ,, etiam simpliciter ratio meriti, & mercedis. In qui- ,, bus autem est secundum quid justum, & non sim- ,, pliciter, in his etiam non simpliciter est ratio me- ,, riti, sed secundum quid, in quantum salvatur ,, ibi justitiæ ratio; sic enim & filius meretur a- ,, liquid a patre, & servus a domino. Manife- ,, stum est autem, quod inter Deum, & hominem ,, est maxima inæqualitas (in infinitum enim di- ,, stant), & totum, quod est hominis bonum, est ,, a Deo; unde non potest hominis ad Deum esse ,, justitia secundum absolutam æqualitatem, sed ,, secundum proportionem quamdam, inquantum ,, scilicet uterque operatur secundum modum suum. ,, Modus autem, & mensura humanæ virtutis ho- ,, minis est a Deo; & ideo meritum hominis a- ,, pud Deum esse non potest, nisi secundum præ- ,, suppositionem divinæ ordinationis; ita scilicet, ,, ut id homo consequatur a Deo per suam ope- ,, rationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei ,, virtutem operandi deputavit ".

37. Resp., hanc doctrinam intelligendam esse de operibus bonis, inquantum fiunt ex sola gratia actuali movente cor hominis ad bonum. Sic enim certum est, hominem non mereri, nisi *secundum quid*, seu, ut Theologi loquuntur, *de congruo;* non autem de operibus bonis factis in gratia sanctificante; nam S. Doctor ibid. art. 3. quærens, *an homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam de condigno?* Ita suam mentem explicat: ,, Opus meritorium hominis dupliciter ,, considerari potest: uno modo secundum quod ,, procedit ex libero arbitrio: alio modo secundum ,, quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si con- ,, sideretur secundum substantiam operis, & se- ,, cundum quod procedit ex libero arbitrio, sic ,, non potest ibi esse condignitas, propter maxi-

,, mam

„ mam inequalitatem ... Si autem loquamur de o-
„ pere meritorio, secundum quod procedit ex gra-
„ tia Spiritus S. (*scilicet habituali*, *& sanctifi-*
„ *cante*), sic est meritorium vitæ æternæ ex con-
„ digno. Sic enim valor meriti attenditur secun-
„ dum virtutem Spiritus S. moventis nos in vitam
„ æternam, secundum illud *Jo.* IV. Fiet in eo fons
„ aquæ salientis in vitam æternam. Attenditur et-
„ iam pretium operis secundum dignitatem gra-
„ tiæ, per quam homo consors factus divinæ na-
„ turæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæ-
„ reditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud
„ Rom. VIII. Si filii, & hæredes".

38. Obj. septimo. Ad verum meritum requiritur plena, & integra legis observatio; atqui hæc impossibilis est, dicente Jacobo III. 2. *In multis offendimus omnes:* ergo etiam impossibile est verum meritum.

39. Resp. S. Jacobum loqui de peccatis venialibus, quæ plenam, & integram legis observationem non tollunt.

40. Simile est etiam illud, quod objiciunt de præcepto dilectionis Dei, quod accurate observari posse, negant. Falluntur autem; ad hoc enim præceptum observandum tria requiruntur: *primo*, ut Deum rebus omnibus præferamus: *secundo*, ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus: *tertio*, ut ad majorem semper in Dei amore perfectionem conemur; quæ tria cum Deo utique præstare possumus.

41. Obj. ult. Christus pro nobis omnibus infinite promeruit: ergo ipsi injuria irrogatur; dum præter ipsius merita etiam nostra statuuntur.

42. Resp., Christum infinitis suis meritis nobis obtinuisse gratiam sanctificantem, quæ est omnis nostri meriti origo: nulla autem ipsi injuria fit, immo potius ejus gloriæ aliquid accrescit, dum virtute ejus passionis nobis etiam vis promerendi conceditur. Unde ipse Christus Jo. XV. 5. dicebat: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Ut quemadmodum tota vis fructificandi in palmite est a vite, cui manet conjunctus, ita etiam &c.

43. Corollarium. Quamquam contra Novatores cum Synodo Trid. hoc unum demonstrare voluimus, justos vere promereri, facile tamen etiam fuisset ostendere, justorum meritum esse *de condigno*, quod Apostolus Paulus satis clare expressisse videtur 11. Thess. I. 5. dicens: *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini*. Hæc autem condignitas non desumitur ex operibus solum, quæ præmio infinite sunt inferiora; sed ex gratia habituali, ex qua tanquam ex principio oriuntur. Vid. S. Thomas cit. n. 37. (*a*).

CAPUT III.

De conditionibus ad meritum requisitis.

44. Protestantes, quibuscum hactenus disputavimus, eas conditiones exigunt ad meritum, quibus positis, nulla amplius opera nostra meritoria esse possunt. Volunt enim *primo*, ut opera sint undequaque bona, & ita suis omnibus numeris absoluta, ut ne minimo quidem nævo coinquinentur; *secundo*, ut nullo titulo sint Deo debita: *tertio*, ut nostra sint, non aliena; *quarto* demum, ut proportionem æqualitatis habeant cum mercede. Hinc inferunt, opera nostra bona meritoria vere esse non posse; *primo*, quia vix, ac ne vix quidem fieri potest, ut non sint aliqua imperfectionis veluti scoria polluta; *secundo*, quia pluribus titulis Deo debentur; *tertio*, quia non ex nostris viribus, sed ex gratia procedunt. *Demum*, quia nullam habent cum æterna vita proportionem. Ita Forbesius *De justif.* Lib. V. Cap. 3. Vossius Disput. IV. *Leidensi* &c.

44. Catholici has conditiones communi calculo rejiciunt; quanquam in veris conditionibus statuendis inter se non omnino conveniant. Præcipuæ tamen hæ sunt: *primo*, ut opus ex gratia sanctificante procedat, quæ est fundamentum, & radix totius meriti; unde Apostolus ajebat 1. Corinth. XIII. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum .. si habuero prophetiam ... omnem scientiam .... & omnem fidem .... charitatem autem non habuero, nihil sum &c.* Contraria autem sententia fuit a summis Pontificibus Pio V., & Gregorio XIII. merito damnata (Vid. propos. Baji 12. 13. 14. & 17.).

46. Altera conditio ad meritum requisita, est operis rectitudo; ut enim dicitur ad Gal. VI. 8. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

47. Tertia est, ut opus sit liberum, nedum immunitate a coactione, sed etiam a simplici necessitate: quare proscripta fuit ab Innocentio X. tertia propositio Jansenii: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

48. Quarta conditio ad meritum necessaria est status viatoris; nam Ecclesiastes IX. 10. dicitur: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

49.

(*a*) Sunt, qui hanc vocem *de condigno* ablegandam esse cuperent, ne offendantur hæretici; præcipue quia in sacris litteris non invenitur. Sed vanus est iste timor; cum enim in Scriptura sacra, & in sanct. Patrum traditione hujus vocis significatio apertissime contineatur, non sunt deserendi Scholastici, qui eam usurparunt, ut Hæreticis gratificemur.

49. Quinta conditio est promissio divina; ut enim inquit Sanct. Augustinus Serm. XVI. *De verbis Apostoli: Deus debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod placuerit, promittendo.* Et Sanctus Thomas ejus vestigiis inhærens 1. 2. qu. 114. art. 1. ad 3. *Actio nostra*, inquit, *non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis*.

50. Postremo bene multi post Sanct. Thomam contendunt, ad veram rationem meriti requiri, ut actus ex charitatis, aut actualis, aut saltem virtualis imperio, & influxu procedat, dicente Jacobo I. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Idipsum hac ratione probat Sanct. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 4.: „ Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate: & ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur. Similiter etiam manifestum est, quod id, quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus. Unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur, quod sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur ". De his postremis duabus conditionibus vid. Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Lib. VIII. Dissert. IV. cap. 2. spec. 2.

CAPUT ULTIMUM.

De objecto meriti.

51. Primo fide certum est, neminem posse primam vocationis gratiam, sive ad fidem, sive ad justificationem mereri, unde Concilium Tridentinum Sess. VI. c. 5. declaravit: „ Justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum, prævenientes gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur &c. ".

52. Ulterius nullus dubitat, peccatorem per actus pœnitentiæ, quibus se convertit ad Deum, non posse de condigno justificationis gratiam promereri; sumus enim, ut inquit Apostolus Rom. III. 24., *justificati gratis per gratiam ipsius*; quæ verba Synodus Trident. expendens (Sess. VI. cap. 8.), eo sensu explicat, *ut gratis justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.* Unde illud Theologorum effatum: *Principium meriti non cadit sub merito.* Disputant tamen Theologi inter se, an saltem de congruo possit quis justificationem promereri, quæ controversia, ut puto, facile tolli potest, sublata æquivocatione, quæ huic voci de *congruo* aliquando subest.

53. Tertio certum etiam videtur, non posse justum ex condigno mereri perseverantiam, ut Sanct. Thomas ostendit 1. 2. qu. 114. art. 9., inquiens: „ Omne, quod quis meretur, a Deo consequitur, nisi impediatur per peccatum: sed multi habent opera meritoria, qui non consequuntur perseverantiam; nec potest dici, quod hoc fiat propter impedimentum peccati, quia hoc ipsum quod est peccare, opponitur perseverantiæ, ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret eum cadere in peccatum: non igitur perseverantia cadit sub merito". Hinc etiam Apostolus dicit ad Philip. II. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, scilicet sua, ut explicat Angelicus, ut quemadmodum boni initium, ita & consummatio non a nostris meritis, sed unice ex Dei gratia repeti debeat.

54. Nullibi etiam invenitur, Deum promisisse justis perseverantiam, quæ tamen promissio in conditionibus meriti numeratur. Sylvius satis probabiliter opinatur (Comment. in hunc art. S. Thomæ), posse justum saltem de congruo perseverantiam promereri, secundum illud Sanct. Augustini *De dono perseverant.* cap. 6. *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest.* Id demum eruitur ex precibus Ecclesiæ, quibus perseverantia a Deo postulatur, & potissimum ex iis verbis orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*, quibus nihil aliud, quam perseverantiam posci Sanct. Augustinus ibidem observat. Quamobrem & eam a Deo sperare possumus; secundum illud Apostoli Philip. I. 6. *Confidens hoc ipsum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.*

55. Quarto. „ Nemo potest merito condigni alteri mereri primam gratiam, nisi solus Christus ... inquantum est caput Ecclesiæ, & auctor salutis humanæ .... Sed merito congrui potest alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat." Ita Sanct. Thomas art. 6. Hinc Sanct. Jacobus fideles hortabatur c. V. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Hujus rei exemplum esse possunt Sancti Paulus, & Augustinus, quorum prior S. Stephani precibus, alter S. Monacæ lacrymis conversus putatur.

56. Quinto. Sanctus Thomas artic. 7. ostendit, neminem posse sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui; non merito condigni: „ Quia ratio hujus meriti dependet ex motione divinæ gratiæ quæ quidem motio interrumpitur per sequens

„ pec-

„ peccatum; unde omnia beneficia, qua postmo„ dum aliquis a Deo consequitur, quibus reparatur, non cadunt sub merito, tanquam motione „ prioris gratiæ usque ad hæc non se extendente. „ Meritum etiam congrui, quo quis alteri primam „ gratiam meretur, impeditur, ne consequatur effectum, propter impedimentum peccati in eo, „ cui quis meretur. Multo igitur magis impeditur „ talis meriti efficacia per impedimentum, quod „ est & in eo, qui meretur, & in eo, cui meretur. Hic enim utrumque in unam personam concurrit, & ideo &c.". Id tamen petere debent justi, ad instar Davidis in Psalm. LXX.: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* quia quamvis id mereri non possint, impetrare possunt.

57. Demum Angelicus art. ult. probat, bona temporalia: „ si considerentur, prout sunt utilia ad „ opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, secundum hoc directe, & simpliciter cadere sub merito... Tantum enim dat Deus viris „ justis de bonis temporalibus, & etiam de malis, „ quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam „ æternam... unde dicitur in Ps. XXXIII. Timentes autem Dominum non minuentur omni bono; „ & alibi (Ps. XXXVI.): Non vidi justum derelictum &c. Si autem considerentur hujusmodi „ temporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid: & ita „ non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum „ quid: inquantum scilicet homines moventur a „ Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus „ suum propositum consequuntur, Deo favente, ut „ sicut vita æterna est simpliciter præmium operum justitiæ, per relationem ad motionem divinam: ita temporalia bona in se considerata „ habeant rationem mercedis, habito respectu ad „ motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad hæc prosequenda: licet interdum in „ his non habeant homines rectam intentionem". Et de merito hactenus; hoc solum addentes dandam esse potissimum operam, ut cælestem gloriam mereamur; de ceteris non admodum sollicitos nos esse oportere; vel enim inutilia sunt, & a nobis debent negligi, vel utilia, & hæc nobis procul dubio adjicientur Dei liberalitate. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus*, inquit Christus Matth. VI. 33., *& hæc omnia adjicientur vobis.* Fiat.

FINIS TOMI SEXTI.

FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS SEPTIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE VII. CONTINENTUR

****

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS

1. Nihil est tam necessarium illi Theologiæ parti, quæ mores respicit, quam tractatio de actibus humanis. Porro, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1., „ actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, quæ „ sunt propriæ hominis, inquantum est homo. „ Differt autem homo ab aliis irrationabilibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie „ humanæ, quorum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem, unde & liberum arbitrium „ esse dicitur facultas voluntatis, & rationis. Illæ „ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ „ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt „ dici quidem hominis actiones, sed non proprie „ humanæ, cum non sint hominis, inquantum „ est homo “. Hujusmodi sunt actiones vitales, vel etiam quæ a pueris, & amentibus fiunt. Omissio inter actiones humanas numeratur, quia semper est cum aliquo actu conjuncta.

2. Actus humani alii sunt eliciti, alii sunt imperati. Primi sunt, qui a sola voluntate immediate procedunt, ut virtutis amor, & odium vitii. Actus imperati dicuntur illi, qui per alias potentias ex voluntatis imperio exercentur, ut loqui, ambulare, &c. De istis agemus in prima Dissert. in qua nempe disputabimus de voluntario, & involuntario. Dispertiri etiam solent actus humani in bonos, & malos, qui scilicet regulis boni conformes sunt, vel difformes; de quibus in altera Diss. tractabitur. Tertia autem Dissertatio erit de conscientia, in qua celeberrimam controversiam de Probabilismo pro viribus accurate expendemus. Quibus omnibus quarta accedet Dissertatio *de ultimo fine hominis*, in qua etiam gravissimum nostræ fidei articulum de universæ carnis resurrectione diligenter, copioseque exponemus, & vindicabimus.

DISSERTATIO PRIMA.

De voluntario, & involuntario.

3. Voluntarium, quod Græci dicunt ἑκούσιον definiri potest ex S. Th. 1. 2. qu. 7. art. 1. *quod procedit a principio intrinseco, cum aliqua notitia finis;* unde patet, non esse voluntarium, *primo* omne illud, quod a principio extrinseco oritur; *secundo* omne illud, quod cognitionem aufert, vel perturbat (*a*).

4. Multiplex est voluntarii diviso. *Primo* aliud est voluntarium *simplex, & purum*, quod ex sola voluntatis inclinatione procedit; aliud *mixtum*, quod fit quidem ex voluntatis consensu, sed non sine aliqua repugnantia, ut confessio criminis vi tormentorum a reo extorta, projectio mercium tempestuoso mari ad vitandum naufragium &c. Hinc etiam aliud dicitur voluntarium *perfectum*, & est illud, quod omnino, seu absolute volumus; aliud *imperfectum*, quod volumus, non *absolute, & simpliciter*, sed *secundum quid*, seu quadam velleitate potius, quam voluntate; quod maxime in iis pœnitentibus attendendum est, qui in eadem peccata, quæ detestari se dicunt, sæpius relabuntur.

5.

(*a*) Scholastici inter se acriter disputant utrum *omissio pura*, ut vocant, seu *negativa* solum (quando scilicet sine ullo positivo voluntatis actu aliquid omittitur) sit voluntaria. Immo prius aliquam controversiam excitant, an talis omissio *pura* possibilis sit; & in varias, ut fieri solet, sententias distrahuntur. *Nos ommissis his tricis*, inquit P. Concina Lib. I. *de Jure Nat. & Gen.* Dissert. I. cap. 5. n. 7. *absolute evincimus, nunquam voluntariam reperiri omissionem, quin aliquis actus voluntatis præcedat, vel comitetur*; id autem breviter vir clarissimus præstat, nec tanti momenti hanc quæstionem reputat, ut ea omnia, quæ in utramque partem adduci solent, expendantur.

5. Ulterius aliud est voluntarium *directe*, & *in se*, quod nempe immediate voluntas imperat, vel intendit: aliud *indirecte* tantum, & *in causa*, quod ex eo resultat, quod directe, & in se est volitum; ut qui vino se ingurgitare ad ebrietatem vult, vult etiam impotentiam, quæ inde consequitur ad studia, preces &c. Ut aliquid tamen sit voluntarium in causa, communiter *tres* requiruntur conditiones. *Prima*, ut agens potuerit, ac debuerit illius effectus consecutionem prævidere, cujus conditionis defectu ebrietatem Noe à culpa excusare possumus, ut ex SS. PP. Nat. Alexander ostendit Diss. III. *Hist. vet. test. Secunda*, ut in ejus potestate fuerit causam ponere, vel non ponere. *Tertia*, ut causam, ex qua sequitur effectus malus, teneatur auferre. Quamobrem non est justis indirecte voluntaria invidia, quam impii contra eos concipiunt, quia hujus invidiæ causam non tenentur auferre. Contra vero qui colloquia de rebus venereis sine necessitate habent, aut obscœnas imagines aspiciunt, aut lubricas materias legunt, indirecte volunt etiam motus carnis, & tentationes inde sequentes.

6. Nonnunquam haud facile est determinare, quandonam aliquis teneatur causam illam auferre, ex qua sequitur effectus malus. Sed in re explodenda omnino est falsa illa nonnullorum regula: *Deum causa habet duos effectus, unum bonum, & alterum malum, licet eam ponere, intendendo effectum bonum, & permissive se habendo ad malum*. Explodenda, inquam est, illique hæc duo principia, vel ipso naturali lumine nota, subroganda. Primo: *Bonum majus præferendum est minori*. Secundo. *Bona æterna multo majora sunt temporalibus; spiritualia corporalibus; publica privatis*. Ex his duobus principiis colligi potest, quandonam teneatur quis causam effectus mali auferre; & quandonam, si non auferat, censeatur indirecte etiam malum effectum velle. Sic ex. gr. dicimus, Parochum, qui mulierum confessiones ex officio suo excipiens carnis patitur tentationes, eas indirecte velle; contra, eum, qui ad conservanda bona temporalia furem lethaliter percuteret, licet nonnisi bonorum conservationem intenderet, censeretur tamen furis mortem indirecte velle (*a*).

7. Est & alia partitio voluntarii, quæ accuratam, & longiorem exposceret explicationem, scilicet in voluntarium *expressum*, & *tacitum*. Quid primum sit, facile patet. De secundo autem est celebris illa regula juris: *Qui tacet, consentire videtur;* cui tamen alia contraria opponitur: *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*. Ad has duas regulas conciliandas opus est eas circumstantias inspicere, in quibus silentium pro approbatione sumi prudenter potest; neque enim semper approbantur, quæ Pastores Ecclesiastici, aut etiam Principes sæculares nonnunquam tolerare coguntur, ne majora oriantur mala. Metus autem, & aliæ causæ efficere possunt, ut aliquis taceat, nec tamen consentiat; quæ res ex mox dicendis majori in luce collocabitur.

8. Voluntario opponitur involuntarium, quod duplex est; aliud involuntarium *privative;* & in sola negatione actus voluntatis consistens; aliud involuntarium *positivum*, quando voluntas expresse renititur. Quadruplex a S. Th. 1. 2. qu. 6. art. 4. & seq. involuntarii causa affertur, nempe violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia, de quibus omnibus dicendum est.

CAPUT I.

De Violentia.

9. Violentum, quod Græci dicunt κατὰ βίαν, definitur a S. Thoma 2. 2. q. 175. art. 1. *Cujus principium est extra, nihil conferente eo, quod vim patitur;* unde patet, ad violentiam duo requiri: *primo*, ut vis cogens ab externo principio oriatur; *secundo*, ut patiens externo principio cogenti pro viribus renitatur; si enim patiens non resistat, vim non patitur; & si ex parte solum resistat, ex parte autem se vinci patiatur, actus, non erit omnino violentus; nam, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. ad 2. „ Voluntarium potest aliquid dici dupliciter, uno modo secundum „ actionem, puta, cum aliquis vult aliquid agere: alio modo secundum passionem, scilicet cum „ aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui „ patitur, voluntate patiendi, non est simpliciter „ violentum; quia licet ille qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati: unde non potest dici involuntarium ".

10. Porro voluntati nulla inferri potest violentia, quantum ad actus internos, & immediate ab ipsa voluntate elicitos, ut sunt actus odii, amoris, imperii &c. quia actus isti immediate procedunt a principio intrinseco, nempe voluntate ipsa. Id adeo verum est, ut contradictionem plane involvat, voluntatem *proprie* cogi; vellet enim simul, & non vellet, unde mirari subiit, Christianum Thomassium Lib. I. c. 1. *de natura hominis moralis* communem hanc Theologorum doctrinam improbare potuisse. Hinc qui vi tormentorum in persecutionibus a fide defecerunt, non propterea a culpa excusati sunt; quia violentia proprie dicta in iis locum non habuit. Est tamen aliqua violentia minus propria, quam voluntas pati potest, quan-

(*a*) De variis regulis cognoscendi voluntarium indirectum dignus est, qui legatur P. Vinc. Patuzzi *in Ethica Christ.* Tom. II. tract. 3. cap. 3. §. 5. Alia celebris divisio voluntarii in liberum, & necessarium copiose explicabitur inferius Cap. IV.

quando scilicet agit sine cognitione finis sed potius agitata imaginatione phantasiæ; ut contingit in infantibus, amentibus, phræneticis &c. tale quid etiam deprehenditur in motibus primo primis, a quibus voluntas sine ullo rationis judicio abripitur.

11. Actus contra externi, qui per alias potentias exercentur, sunt obnoxii violentiæ, & tunc omnino sunt involuntarii, qui propterea nec vitio verti possunt, nec laudi. Quamobrem Patres Concilii Ancyrani an. 314. Can. 3. nos ab omni culpa immunes declararunt, qui ad idolothyta deglutienda, ad thus in ignem coram idolo projiciendum, & id genus alia externa vi adacti sunt (a); & Innocentio III. cap. *Majore* extra de Bapt. docet, eum, *qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem sacramenti suscipere* (b).

12. In praxi tamen duo sunt advertenda. *Primum* est, ne qui dicitur violentiam passus, aliquid contulerit, saltem indirecte, vel omittendo quod facere tenebatur, & poterat, vel aliquam violentiæ causam præbendo. *Alterum*, ut resistat, quantum potest. Hinc motus venerei non censentur omnino violenti, & involuntarii in iis, qui iisdem non omnibus viribus resistunt. Quæ duo sunt præcipue Confessariis quam diligenter observanda (c). Contra vero cruciatus, & mors, quæ Sancti Martyres pro Jesu Christi fide confitenda invicte sustinuerunt, quamvis essent a principio extrinseco, erant ipsis voluntaria, quia voluntarie ea tolerare maluerunt, quam a Christi fide deficere.

13. Ex hac doctrina de violentia perperam aliqui physicam Thomistarum præmotionem impugnare conantur, quia hæc est a principio extrinseco, nempe Deo. At vero, si res bene consideretur, hæc præmotio potius voluntarium efficit, quam tollat. Deus enim, qui nobis liberam volendi potestatem dedit, potest etiam nostram voluntatem, sarta, tectaque ejus libertate manente, interius immutare. Audiatur S. Thomas, qui Qu. XXII. *De verit.* art. 8. ita rem breviter exponit: „ Cum Deus voluntatem immutat, facit ut præ„ cedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & „ ita quod prima aufertur, & secunda manet. „ Unde illud, ad quod inducit voluntatem, non „ est contrarium inclinationi jam existenti, sed in„ clinationi, quæ prius, inerat; unde non est vio„ lentia, nec coactio ". Et 1. 2. quæst. 109. „ art. 2. ad 1. Homo, *inquit*, est dominus suo„ rum actuum, & volendi, & non volendi, pro„ pter deliberationem rationis, quæ potest flecti „ ad unam partem, vel ad aliam. Sed quod de„ liberet, vel non deliberet, etsi hujusmodi et„ iam sit dominus, oportet, quod hoc sit per de„ liberationem præcedentem; & cum hoc non pro„ cedat in infinitum, oportet, quod finaliter de„ veniatur ad hoc, quod liberum arbitrium mo„ veatur ab aliquo exteriori principio, quod est „ supra mentem humanam, scilicet a Deo ".

CAPUT II.

An metus causet involuntarium?

14. Metus definitur in jure Lib. IV. *Digest.* tit. 2. l. 1. *Instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio:* cui definitioni ea consonat, quam Aristoteles tradit Lib. II. *Rethor.* cap. 4. dicens: *Timorem esse perturbationem ex imaginatione futuri mali corruptivi; vel dolorem, seu molestiam inferentis.* Porro hæc mentis trepidatio, vel perturbatio, tam vehemens quandoque esse potest, ut rationem e statu suo dimoveat, & tunc metus sine ulla controversia voluntarium tollit.

15. Sed alius est metus, qui hominem quidem perturbat, sui tamen ipsius compotem relinquit. Duplex autem est; alius gravis, seu ut dici solet, *cadens in constantem virum* in cap. X. de *his, quæ vi, metusque causa*, quo nempe etiam viri fortes commoveri solent; alius levis procedens ex causa levi, quæ a viro forti contemni debet, & solet; cujus proinde metus jura nullam habent rationem. In gradibus autem hujus timoris constituendis etiam persona ipsa consideranda est, qui enim timor est levis respectu unius, potest esse gravis respectu alterius.

16. Sed & illud observandum est, alium esse metum, qui in actionem influit, seu ex quo actiones procedunt, & fiunt; alium, qui actionem tan-

(a) Vid. S. Augustinus Lib. I. *De Civ. Dei* c. 16. & seq. ubi probat, „ Virtutem, qua recte vivitur, ab „ animi sede membris corporis imperare, sanctumque „ corpus usu fieri sanctæ voluntatis; qua inconcussa, „ ac stabili permanente, quidquid alius de corpore, „ vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non „ valeat evitari, præter culpam esse patientis ... & „ non amitti corporis sanctitatem manente animi san„ ctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur cor„ poris sanctitas violata animi sanctitate, etiam cor„ pore intacto ".

(b) Neque huic R. P. decisioni repugnat Concilium IV. Toletanum, quod declaravit, eos, qui regnante Sisebuto coacti ad baptismum fuere, illum valide recepisse, & cogendos esse ad Christianam religionem servandam. Hoc enim decretum de iis intelligendum est, qui timore pœnarum ad baptismum adacti sunt; timor voluntarium penitus non tollit, ut infra ostendetur.

(c) Inter laxas Probabilistarum opiniones enumerari meretur, quod post Cornelium a Lapide in Cap. XIII. 22. Danielis nonnulli docuerunt, potuisse Susannam lascivorum senum violentiam tacite pati, modo in eam interno actu non consensisset; ne scilicet clamando periculo infamiæ, & mortis sese exponeret. *Poterat*, inquit laud. Cornelius, *Susanna dicere: non consentio actui, sed patiar, & tacebo, ne me infametis, & adigatis ad mortem.* At vero tunc, ut equidem reor, Susanna senibus non restitisset, quantum poterat; adeoque in actum pravum aliqua ex parte consensisset.

tantummodo comitatur, quod aliquid fit cum metu. Christi Martyres (exemplum est S. Ambrosii in Ps. CXVIII.) tormenta sibi a tyrannis parata non poterant non timere, sed iste timor nihil in actionem influebat; neque enim tormentis deterrebantur a fide Christi confitenda; sed alius erat in ipsis timor Dei, quo ad constantem perseverantiam in fide mirifice confirmabantur. His expositis, sit

PROPOSITIO.

Quae ex metu fiunt, simpliciter, & absolute voluntaria sunt, involuntaria autem secundum quid, & conditionate, S. *Thomas* 1. 2. *q*. 6. *art*. 6., & 2. 2. *qu*. 125. *art*. 4. (*a*).

17. Prob. prima pars. Illud est voluntarium, quod agitur, vel imperatur a voluntate, praelucente cognitione finis; at vero quod fit ex metu hujusmodi est; nam certe mercator ingruente procella, circumstantiis bene perpensis, ex metu naufragii absolute, & simpliciter vult jacturam mercium: ergo &c. Quamobrem Concilium Ancyranum Can. sexennii poenitentiam iis etiam decernit, qui *supplicii minis, & bonorum oblationi, vel exterminationi tantum cesserunt, & sacrificaverunt*. Et S. Leo P. Epist. CLIX. alias CXXIX. ad Nicetam Episc. Aquilejensem c. 5. eos Christianos, qui in captivitate cibis immolatitiis se polluerunt, *sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit*, poenitentiae satisfactione purgandos esse, statuit.

18. Prob. altera pars. Quod fit ex metu, spectatur ut malum, & eligitur tantum ut gravius malum vitetur; adeoque eligitur quidem, sed semper repugnante, saltem inefficaciter, voluntate, ut patet in exemplo mercatoris allato; jactura enim mercium in mare non apprehenditur a voluntate ut bonum absolute, sed ut minus malum.

19. Et quidem utraque pars magis etiam declarabitur, si timoris originem consideremus. Oritur enim ex amore: sic qui timet mortem, quia vitam amat, unde quod fit ex timore mortis, fit ex amore vitae. Sed simul cum amore, ex quo procedit metus, est etiam alius amor alterius objecti, quod propter metum deserimus. Sic qui propter metum mortis fidem Christianam abnegabant, eam diligebant, minus tamen quam vitam; ac propterea illam isti infeliciter postponebant (*b*).

20. Qualis autem debeat esse noster timor, ut sit ordinatus, & salutaris, ita praeclare explicat S. Thomas 2. 2. qu. 125. art. 4. inquiens: „ Timor intantum habet rationem peccati, inquantum est contra ordinem rationis. Ratio autem judicat, quaedam mala esse aliis magis fugienda; & ideo quicumque ut fugiat mala, quae sunt minus fugienda, non incurrit peccatum: sicut magis est fugienda mors corporalis, quam amissio rerum temporalium: unde si quis propter timorem mortis latronibus aliquid promitteret, aut daret, excusaretur a peccato, quod incurreret, si sine causa legitima, praetermissis bonis, quibus esset magis dandum, peccatoribus largiretur. Si autem aliquis per timorem fugiens mala, quae secundum rationem sunt minus fugienda, incurrat mala, quae secundum rationem sunt magis fugienda, non posset a peccato totaliter excusari: quia timor talis inordinatus esset. Sunt autem magis timenda mala animae, quam mala corporis; corporis autem magis, quam mala exteriorum rerum: & ideo si quis incurrat mala animae, idest peccata, fugiens mala corporis, puta flagella, vel mortem, aut mala exteriorum rerum (puta damnum pecuniae); aut si sustineat mala corporis; ut vitet damnum pecuniae, non excusatur totaliter a peccato. Diminuitur tamen secundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium est, quod ex timore agitur: imponitur enim homini quaedam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminentem ".

21. Obj. 1. S. Thomas 2. 2. qu. 142. art. 3. dicit: „ Ea quae per timorem fiunt, principium habent ab exteriore impellente, unde non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta "; ut dicitur in 3. *Ethic*. cap. 1. & iterum in resp. ad 3. „ In timiditate consideratur magis voluntarium in universali, minus tamen in particulari; & ideo in ea est magis voluntarium secundum quid, & non simpliciter ".

22. Resp. Hoc loco S. Thomas per voluntarium *simpliciter* intelligit voluntarium purum, & simplex; per voluntarium autem *secundum quid* intelligit voluntarium mixtum, quod nempe cum aliqua repugnantia conjunctum est. Hanc esse S. Thomae mentem patet primo ex eo, quod loco supra citato 1. 2. qu. 6. art. 6. nostram propositionem expresse, & data opera defendit. *Secundo*, quia in locis objectis hoc unum demonstrare intendit, intemperantiam majus esse vitium, quam timiditatem, quia timiditas habet aliquid de involuntario

(*a*) Puffendorfius tum Lib. I. *de Jure nat. & gent.* cap. 5. §. 4. tum Lib. I. *de Off.* cap. I. §. 24. docet, metum tollere imputabilitatem. Reprehenditur jure merito a Finetti *De prin. juris nat., & gent.* Lib. IV. cap. 4.

(*b*) Hac de re legi meretur S. Bern. *De gratia, & lib. arb.* cap. 12. ubi ad hanc duplicem voluntatem explicandam utitur aptissimo exemplo S. Petri & postquam ostendisset, S. Petrum visum fuisse ex metu negare veritatem contra propriam voluntatem, ita de eo concludit: *Quatenus Christum diligebat, eum prorsus (quod negandum non est) passa est illa voluntas, ut contra se loqueretur: quatenus vero se, voluntarie procul dubio consensit, ut pro se loqueretur. Si Christum non amasset, non negasset invitus: verum si se amplius non amasset, non aliquatenus negasset.*

rio admixtum: *ea autem, quæ per delectationem fiunt, sunt simpliciter voluntaria*.

23. Obj. 2. Contractus ex metu extorti sunt irriti, Alexandro III. cap. *Abbas*, tit. *de his, quæ vi*, dicente: *Quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari;* & Innocentio III. cap. *Ad audientiam* ibid. *Quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis;* atque idipsum peculiariter etiam de contractu matrimonii statutum est in cap. XV. & XXVIII. Extra *De sponsalibus*. Id vero non alia certe de causa, nisi quia simpliciter, & absolute involuntarii sunt, unde etiam in *Regulis juris* (Reg. 116.) dicitur: *Nihil consensui tam contrarium, quam vis, atque metus:* ergo &c. (*a*).

24. Resp., hujusmodi contractus natura sua esse voluntarios, adeoque ratos, & validos, eorum tamen aliquos jure positivo, tum civili, tum ecclesiastico irritos factos esse, & quidem merito: nam interest Reipubl. in quibusdam præcipue contractibus libertatem tueri, ut injuria arceatur, & lites, aliaque incommoda amoveantur. Ulterius etiam æquum videtur, ut qui alium ad paciscendum, vel contrahendum metu injusto compulit, nullum ex actione injusta fructum percipiat. Ceterum si ille, cui metus injuste incussus fuit, nolit a contractu recedere, docet Sylvius in Comment. ad hunc art. 6. concl. 2., contractum esse validum, quoadusque rescindatur per eum., qui injuriam passus est, aut per potestatem superiorem. De Matrimonio autem alia est ratio; quia ad ipsum rite contrahendum requiritur, inter alia spontaneus, & liber consensus, cujus ratio indicatur in cap. XVII. Extra *de sponsalibus*, quod nempe libera debeant esse matrimonia, & coactiones soleant frequenter difficiles exitus habere. Hinc matrimonia ex gravi metu contracta in citatis supra decretis irrita, & invalida declarata sunt (*b*).

25. Obj. *tertio*. Sicut violentia est de malo præsenti, quod repugnat voluntati, ita metus est de malo futuro, quod pariter voluntati repugnat: ergo quemadmodum violentia tollit voluntarium, ita & metus.

26. Resp. cum S. Thoma 1. 2. qu. 6. art. 6. ad 7., in eo esse discrimen, quod id, quod agitur ex metu, sit voluntarium, non quidem propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur. „ Sufficit autem ad „ rationem voluntarii, quod sit propter aliud vo„ luntarium; voluntarium enim est, non solum „ quod propter seipsum volumus, sed etiam quod „ propter aliud volumus, ut propter finem “. Res aliter se habet in violentia, cui voluntas semper contranititur.

27. Ob. *quarto*. Communiter a peccato excusatur, qui ex gravi metu præcepta etiam juris naturalis, aut divini non servat; ergo videtur metu tolli omnino voluntarium.

28. Resp. neg. cons. Ratio enim excusans a peccato in hujusmodi casibus, non est voluntarii defectus; sed quia leges intelliguntur cessare. Hinc metus gravis excusat solummodo in præceptis affirmativis, quæ non obligant quovis tempore, nec in quavis circumstantia. Secus est in præceptis negativis, unde qui metu mortis fidem ejurarunt, gravissimi criminis rei habiti sunt. Addo, etiam in præceptis affirmativis metum gravem quandoque non excusare; ut si transgressio legis vergeret in contemptum religionis. Quamobrem Martyres Machabæi potius mori elegerunt, quam carnes suillas in contemptum legis comedere.

29. Ob. *quinto* contra secundam partem. Synodus Trident. Sess. XIV. cap. 4. *De contritione* definivit contra Lutherum, attritionem, *quæ ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur ... non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum &c.:* atqui si metus causaret involuntarium secundum quid, & conditionate, hæc doctrina falsa esset; sequeretur enim, attritionem ex metu conceptam relinquere voluntatem, & affectum ad peccatum, saltem secundum quid, & conditionate: ergo &c.

30. Resp. illam attritionem, de qua loquitur Tridentina Synodus, talem esse, ut omnem affectum ad peccatum excludat, etiam conditionatum; quia nedum peccatum, sed etiam affectus ad peccatum a Deo prohibetur proposito gehennæ supplicio: quo fit ut homo ex timore gehennæ nedum peccatum, sed etiam peccati affectum & voluntatem detestetur. Equidem difficile puto, metum amore omni destitutum sufficere ad excludendum omnem penitus peccati affectum, etiam conditionatum; unde vel ex hoc ipso argumentum satis validum prodit ad necessitatem alicujus amoris in Sacramento Pœnitentiæ adstruendam. Vid. P. Dan. Concina Lib. I. *de re Natur.* Diss. I. cap. 5. num. 18.

31. Quæres: An juramentum metu extortum obliget?

32. Resp. S. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. „ In juramento, *inquit*, quod quis coactus „ facit, duplex est obligatio, una quidem, qua „ obligatur homini, cui aliquid promittit, & ta„ lis

(*a*) De contractibus metu extortis, qui legibus positivis irriti facti sunt, videri potest P. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christ.* Tom. II. Tract. 2. cap. 5. §. 2. ubi etiam exponit doctrinam S. Thomæ de servandis contractibus metu extortis, si juramento firmati sunt.

(*b*) Hoc intelligitur de metu *injuste* incusso; res enim aliter se habet, quando metus juste incussus est; ut si Judex carcerem, vel exilium minitetur juveni, nisi nubat puellæ, quam spe matrimonii stupravit; hujusmodi metus matrimonium non irritabit. Multo minus irritaretur matrimonium, quod quis metu incontinentiæ, paupertatis &c. contraheret.

„ lis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, „ qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum „ non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis „ Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen e- „ jus promisit, & talis obligatio non tollitur in „ foro conscientiæ, quia magis debet damnum „ temporale sustinere, quam juramentum viola- „ re. Potest tamen repetere in judicio, quod sol- „ vit, vel Prælato denunciare, non obstante, quod „ contrarium juravit, quia tale juramentum ver- „ geret in deteriorem exitum; esset enim contra „ justitiam publicam. Romani autem Pontifices „ ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, „ non quasi decernentes hujusmodi juramenta non „ esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obbliga- „ tiones ex justa causa relaxantes ". Quod idem confirmat Angelicus q. 98. art. 3. ad 1.

CAPUT III.

De Concupiscentia.

33. Concupiscentia, teste S. Joanne epist. 1. cap. II. 16., est omnis peccati causa. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Definitur autem a S. Thoma 1. 2. qu. 30. art. 1. *appetitus delectabilis*, qui quidem duplici modo spectari potest: *primo*, ut est habitualis, seu constans, & perpetua animi inclinatio in ea, quæ sensum, vel imaginationem oblectant: *secundo*, ut est actualis, nempe extraordinarius animi motus, cum insolitis fluidarum, solidarumque partium motibus conjunctus, qui affectus, passio, vel perturbatio appellatur; & hoc secundo modo tantum hic concupiscentia consideratur.

34. Hæc porro dividitur in antecedentem, & consequentem. Prima definiri potest *motus appetitus sensitivi, voluntatem inclinans in objectum delectabile.* Hæc voluntatis actum præcedit, in eumque influit: ut cum quis viso pulchro objecto ad illud appetendum excitatur: altera est *motus appetitus sensitivi a voluntate excitatus*, & actum voluntatis consequitur, ab eoque pendet; ut cum ex intensa voluntate circa objectum excitatur passio in appetitu inferiore; motus enim virium superiorum, si sunt vehementes, redundat in inferiores. Vid. S. Thomas 1. 2. qu. 77. art. 6. De antecedente nobis unice sermo est.

35. Dico *primo*. „ Concupiscentia antecedens „ non causat involuntarium. Dicitur enim aliquid „ voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur; „ per concupiscentiam autem voluntas inclinatur „ ad volendum id, quod concupiscit, & ideo con- „ cupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid „ sit voluntarium, quam quod sit involuntarium. ". Hactenus S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 7.

36. Contra hanc doctrinam objici potest *primo*. Sicut metus est quædam passio, ita concupiscentia; sed metus, ut supra dictum est, voluntarium saltem minuit; ergo &c. *Secundo* Concupiscentia diminuit cognitionem, quia rationem perturbat: ergo minuit etiam voluntarium; quia voluntarium non modo inclinationem voluntatis continet, sed etiam cognitionem finis.

37. Resp. ad *primum* cum S. Thoma ad 1., hoc esse inter concupiscentiam, & timorem discrimen, *quod timor est de malo, concupiscentia autem respicit bonum;* malum autem secundum se adversatur voluntati consonum; unde magis se habet timor ad efficiendum involuntarium, quam concupiscentia.

38. Ad *secundum*. Concupiscentia minuit quidem cognitionem motivorum, quæ possunt voluntatem avertere a re delectabili ipsi proposita, magis tamen adauget cognitionem aliorum motivorum, quæ ad rem ipsam inclinant. Hinc efficitur, ut per concupiscentiam minuatur quidem indifferentia judicii, adeoque libertas, ut mox dicetur, non autem voluntarium. Vid. Sylvius in 1. q. 6. art. 7. concl. 3.

39. Dico *secundo: Concupiscentia antecedens facit actum minus liberum: adeoque culpam minuit.* Concupiscentia enim turbidos motus in anima excitans; eamque vehementer concutiens, non permittit rationi motiva agendi, & non agendi pacate, ut deberet, perpendere, adeoque judicii indifferentiam perturbat, in quo sita est libertas, ut ostendetur inferius; hinc etiam peccati gravitatem minuit. „ Passio, *inquit S. Thomas Qu. III. „ De malo art.* 11., diminuit rationem meriti, „ & rationem demeriti, quia meritum, & deme- „ ritum in electione consistit ex ratione proceden- „ te. Passio autem obnubilat, vel etiam ligat ju- „ dicium rationis. Quanto autem judicium ratio- „ nis fuerit purius, tanto electio est perspicacior „ ad merendum, vel demerendum. " (Vid. totus ille art.). Hinc peccata ex passione orta vocantur peccata infirmitatis per similitudinem corporis infirmi, cum debilitatur, vel impeditur ab executione propriæ operationis, ut explicat S. Doctor 1. 2. quæst. 77. art. 3.

40. Huic doctrinæ videtur obstare, quod concupiscentia, quæ a consuetudine oritur, peccati gravitatem non minuit, sed auget.

41. Resp., concupiscentiam, quæ ex consuetudine oritur, non esse antecedentem, sed consequentem; oritur enim ex actibus illis repetitis, qui habitum, seu consuetudinem efficiunt. Porro cum actus isti sint voluntarii, & liberi, etiam concupiscentia, quæ inde oritur, est voluntaria, & libera. Secus est de concupiscentia antecedente, de qua hic loquitur.

42. Dico *tertio:* „ Concupiscentia antecedens „ non ita minuit libertatem, ut tollat peccatum; „ vel quod mortale est, reddat veniale. *Id pro- „ bat S. Thomas* 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 8. *in- „ quiens:* Solummodo potest contingere, quod in- „ clinatio animæ in aliquid, quod contrariatur „ ultimo fini, non sit peccatum mortale, quia „ ra-

,, ratio deliberans non potest occurrere, quod contingit in subitis motibus. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad ,, consensum deliberatum, hoc non fit subito, unde ratio deliberans potest huic occurrere: potest ,, enim excludere, vel saltem impedire passionem; ,, unde si non occurrat, est peccatum mortale: ,, sicut videmus, quod multa homicidia, & multa ,, adulteria per passionem committuntur ".

43. Notanda est etiam alia ejusdem S. Præceptoris doctrina art. præced. ubi *distinguendum est*, inquit, ,, quia passio quandoque quidem est ,, tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram ,, insaniunt; & tunc si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, ,, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam ,, de ebrietate dictum est. Si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis ... actus omnino redditur involuntarius, ac per consequens totaliter ,, excusatur a peccato ". Vid. etiam quæst. 6. art. 7. ad 3.

44. Sed ad omnem evitandum errorem illud quoque est animadvertendum, quid proprie sit consentire concupiscentiæ; nam aliquando fit illud, ad quod concupiscentia instigat, quin tamen illi consentiamus. Puta cum homo a concupiscentia excitatur ad dandam eleemosinam propter inanem gloriam aucupandam. Si eleemosina detur, & non ex malo fine inanis gloriæ, fit illud, ad quod concupiscentia excitabat, nec tamen illi consentitur.

45. Quæres, an sit peccatum mortale consensus in delectationem veneream?

46. Resp., omnino rejiciendam esse illam celebris Ant. Arnaldi doctrinam, qui in quadam *Decisione supra impudicas delectationes* (Tom. XXVI. *Oper.* Arnaldi pag. 25.) delectationes morosas in materia venerea, dummodo absit desiderium actus, vult non esse nisi peccata venialia. Quam doctrinam a S. Augustino Lib. II. *Contra Julianum* cap. 10. num. 33. traditam esse putavit.

47. Veruntamen S. Thomas optimus Augustini interpres 1. 2. quæst. 74. art. 8. ubi inquirit, *utrum consensus in delectationem sit peccatum mortale*, ita resolvit: ,, Aliquis de fornicatione ,, cogitans de duobus potest delectari; uno modo ,, de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ,, ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam; *cogitatio autem ipsa secundum se* ,, *non est peccatum mortale*: imo quandoque est ,, veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea: *quandoque autem sine peccato omnino*, quia cum aliquis utiliter de ea cogitat ... Quod autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus inclinata est ,, in hunc actum. Unde quod aliquis consentiat ,, in talem delectationem, hoc nihil aliud est, ,, quam quod ipse consentiat in hoc, *quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem*: nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis ex ,, deliberatione eligat, quod effectus suus conformetur his, quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale ". *Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale*.

48. Quantum vero pertinet ad S. August., decretoria videntur hujus Sanct. Doctoris verba Lib. XII. *de Trinit.* cap. 12. ab Angelico ibid. allata. *Totus homo*, inquit, *damnabitur*, *nisi hæc*, *quæ sine voluntate operandi*, *sed tamen cum voluntate animam talibus oblectandi*, *solius cogitationis sentiuntur esse peccata*, *per Mediatoris gratiam remittantur*.

49. Legendum consulo integrum S. Thomæ articulum, ubi notandum præcipue, quod ad 2. ait: ,, Consensus in peccatum, quod est veniale ex genere, est veniale peccatum; & secundum hoc ,, potest concludi, quod consensus in delectationem, quæ est de ipsa vana cogitatione fornicationis, est peccatum veniale. Sed delectatio, ,, quæ est in ipso actu fornicationis, de genere ,, suo est peccatum mortale; sed quod ante consensum sit veniale peccatum tantum, hoc est ,, per accidens, scilicet propter imperfectionem ,, actus; quæ quidem imperfectio tollitur per consensum deliberatum supervenientem: unde ex ,, hoc adducitur in suam naturam, ut sit peccatum mortale ".

CAPUT IV.

An Ignorantia causet involuntarium?

50. S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 2. ignorantiam in eo a nescientia distinguit, quod hæc dicit simplicem scientiæ negationem circa ea, quæ homo scire non tenetur; ignorantia vero, quam solummodo Theologi considerant, est *privatio scientiæ debitæ*, nempe eorum, quæ homo scire tenetur.

51. Multiplex afferri solet ignorantiæ divisio, sed nobis, qui brevitatem sectamur, satis erit eam considerare vel respectu objecti quod ignoratur, vel respectu actionis, seu hominis ex ignorantia operantis.

52. Ignorantia respectu objecti duplex est, alia juris, alia facti: *Prima* est, qua lex ignoratur, ut cum Jonathas, I. Reg. XIV. præceptum patris Saulis ignorans mel comedit. Ad hanc reducitur etiam ignorantia pœnæ contra violatores legis comminatæ. Alia est ignorantia solius facti, ut cum Jacob credens se concubere cum Rachele, Liam sibi suppositam fuisse invenit Gen. XXIV.; vel cum Judas Gen. XXXXIII. ingressus est ad Thamar, quam putabat scortum, ignorans esse nurum suam.

53. Respectu autem operis, ut observat Angelicus

cus 1. 2. quæst. 6. art. 8., ignorantia tripliciter se habere potest, nempe *concomitanter*, *consequenter*, & *antecedenter*; unde triplex distinguitur ignorantia *concomitans*, *consequens*, & *antecedens*. *Prima* est, quando quis aliquid ignorans facit, idem tamen facturus, etiamsi nulla intercederet ignorantia; ut si quis vehementer cupiens inimicum de medio tollere, ipsum insperato occideret, putans se occidere feram: & *hæc ignorantia*, inquit Angelicus, *non facit involuntarium*, *ut Philosophus dicit*, *quia non causat aliquid*, *quod sit repugnans voluntati*, *sed facit non voluntarium*, *quia non potest esse actu volitum*, *quod ignoratum est*. Hanc ignorantiam concomitantem a peccato totaliter, & omnino non excusare contendunt aliqui, nec ignobiles Theologi. Cajetanus tamen, & Medina in 2. quæst. 76. art. 3. multo probabilius docent, hanc ignorantiam neque excusare a peccato, neque accusare, quod clare etiam S. Thomas docuisse videtur, inquiens ibid. art. 4.: „ Ignorantia, quæ non est „ causa peccati, sed concomitanter se habet ad „ peccatum, nec minuit peccatum, nec auget ". Vid. Estius in II. Dist. 22. §. 13.

54. Ignorantia *antecedens* illa est, quæ omnem actum voluntatis antecedit, & propterea nullo modo est voluntaria. Hæc etiam *invincibilis* dici solet, quia adhibita diligentia vinci, & superari non potest: *& talis ignorantia*, inquit Angelicus, *causat involuntarium*, & consequenter ab omni peccato excusat.

55. Demum ignorantia *consequens* est, quæ actum voluntaria consequitur, & hæc *vincibilis* est *quia est voluntaria*, *vel directe*, *sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua*, *ut liberius peccet*; *vel indirecte*, *sicut cum aliquis propter laborem*, *vel propter alias occupationes negligit addiscere id*, *per quod a peccato retraheretur*. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 3. Hanc secundam S. Augustinus *de gratia*, *& libero arbitrio* cap. 3. appellat eorum, *qui tamquam simpliciter nesciunt*. Ignorantia autem directe volita, dicitur *affectata*, seu, ut loquitur S. Augustinus, *eorum*, *qui scire nolunt*; & hæc non solum non minuit, sed potius auget gravitatem peccati: „ Ex „ intentione enim voluntatis ad peccandum pro„ venit, quod aliquis vult subire ignorantiæ da„ mnum, propter libertatem peccandi "; ut ait noster S. Præceptor ibid. art. 4. Ignorantia vero indirecte volita diminuit voluntarium, ac per consequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici, quod voluntas directe, & per se feratur in peccatum, sed per accidens, unde est ibi minor contemptus, adeoque minus peccatum. S. Thomas ibidem.

56. Ex his, quæ dicta sunt, apparet, duos contrarios errores esse declinandos, eorum nempe, qui omnem ignorantiam, etiam consequentem, & vincibilem (excepta tamen ignorantia affectata, & directe volita) a peccato excusare dixerunt, & aliorum, qui in oppositum scopulum incidentes neque ignorantiam invincibilem, & antecedentem a peccato eximere docent. Utrumquo confutare operæ pretium est

PROPOSITIO I.

Ignorantia eorum, *quæ quis scire tenetur*, *speciale quoddam peccatum est*, *quando aliquo modo est voluntaria*, *& vincibilis*.

57. Supervacaneum videtur id probare de illa ignorantia, quam Theologi *affectatam* vocant; illorum nempe, qui dicunt Deo: *Recede a nobis*, *scientiam viarum tuarum nolumus*, Job XXI. 14.; & etiam illorum, qui juxta prædictionem Apostoli 2. ad Timoth. IV. 3. *sanam doctrinam non sustinebunt*, *sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus*, *& a veritate quidem auditum avertent*; nemo enim talem ignorantiam excusandam unquam censuit; hæc quippe nascitur ex pessima cordis corruptione, qua veritas ipsa odio habetur. Difficultas si qua est in hac materia, solum versatur circa ignorantiam crassam, quæ non *directe*, sed *indirecte* saltem voluntaria est.

58. Hanc autem ignorantiam peccatum esse Sanct. Bernardus in Tract. ad Hugonem de S. Victore (olim epist. LXXVII.) c. 4. variis sac. Scripturarum locis ita probat. „ Is forsitan, qui as„ serit, non posse peccari per ignorantiam, nun„ quam pro suis ignorantiis deprecetur, sed po„ tius Prophetam irrideat deprecantem, & dicen„ tem: *Delicta juventutis meæ*, *& ignorantias* „ *meas ne memineris*. Psal. XXIV. Forsitan & „ reprehendet Deum exigentem pro peccato igno„ rantiæ satisfactionem Levit. V. 18. sequ. ... Si „ ignorantia nunquam peccatum est, cur dictum „ est in epist. ad Hebr. IX. 7., quia in secundo „ tabernaculo semel in anno solus Pontifex intra„ ret, non sine sanguine, quam offerret pro sui, „ & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ „ nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod „ persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem „ ignorans hoc fecit, manens in incredulitate 1. „ ad Timoth. I. 13. .... Si ex ignorantia nunquam „ peccatur, quid ergo causamur adversus occiso„ res Apostolorum, quandoquidem non solum ma„ lum esse nescierunt, interficere illos, sed insu„ per quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium „ se præstare Deo? Sed & frustra in cruce Sal„ vator pro suis orabat crucifixoribus, quippe ne„ scientibus ipso teste, quid facerent (Lucæ „ XXIII. 34.), & ita nequaquam peccantibus ... „ Numquid non ex his satis apparet, in quantis „ jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat, pecca„ ri posse interdum per ignorantiam "? Multa alia sunt his similia, quibus manifeste edocemur, homines sæpe peccare peccato ignorantiæ, utique vincibilis, & voluntariæ.

59.

59. Iisdem sacrarum litterarum testimoniis usi sunt etiam veteres Ecclesiæ Patres, ac præcipue Augustinus contra Pelagianos ignorantiæ patronos, qui bene observabat, non solum dari peccata ignorantiæ, sed ipsam ignorantiam, vel infirmitatem duas esse omnium nostrarum causas. Sic in Lib. I. ad Bonifacium c. 3. peccatum voluntate committi dicit, *vel ignorantia veritatis*, *vel delectatione iniquitatis*, *vel utroque malo*, *& cæcitatis*, *& infirmitatis*. Et in *Enchiridio* c. 81. „ Duabus, *inquit*, de causis peccamus, aut non „ videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri, jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc „ infirmitatis “. Unde infert Deum rogandum esse, qui dicitur in Psalmo *Dominus illuminatio mea*, *& salus mea*, *ut illuminatio detrahat ignorantiam; salus infirmitatem*. Aliorum Patrum testimonia brevitatis gratia omittimus: facile enim esset plura alia ejusdem generis agglomerare ex S. Gregorio Nazianzeno Hom. I., S. Basilio *in Regula breviore*, Sanct. Gregorio Papa Lib. XXV. *Moralium* cap. 16., aliisque.

60. Prætereundus tamen non est eloquentissimus Chrysostomus, qui Hom. IV. in Matth. „ Non de „ his, *inquit*, tantummodo puniendi sumus, quæ „ sciendo peccamus, verum etiam pro illis, quæ „ ignorando committimus. *Nihil*, inquit Aposto„ lus, *mihi conscius sum*, *sed non in hoc ju„ stificatus sum*. Et hoc dicit ille, qui conscien„ tiam jugiter ponderabat, quique maxima scien„ tiæ luce refulgebat ...... Sed & Corinthiis scri„ bens “, *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua*, *ita corrumpantur sensus vestri*, *& excidatis a simplicitate*, *quæ est in Christo Jesu*. „ Pro tantis igitur peccatis pœ„ nas daturus, securus tui sedes? miserabilis ri„ su &c.! “

61. Demum & ipse Pelagius in Synodo Diospolitana inter alias impias Cœlestii propositiones hanc etiam num. 7. anathematizare coactus est. „ Obli„ vionem, & ignorantiam non subjacere peccato; „ quoniam non eveniunt secundum voluntatem, „ sed secundum necessitatem, *ut S. Augustinus „ narrat* de *Gestis Pelagii* cap. 18. „. Quamquam idem S. Pater *de natura*, *& gratia* cap. 17. bene observavit, Pelagium voluisse quidem adhibendam esse diligentiam, non autem Deum orandum ad peccata ignorantiæ vitanda, cum tamen admoneamur, a Deo petere sapientiam, „ qui „ dat omnibus affluenter; utique his omnibus, „ qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & „ quantum res tanta petenda est “. Ex defectu enim non solum vigilantiæ, diligentiæ, & studii sed etiam debitæ ad Deum orationis sæpe contingit, ignorantiam esse vincibilem, & culpabilem.

62. Sed præstat audire Angelicum nostrum Præceptorem, qui 1. 2. qu. 76. art. 2. data opera inquirit, utrum ignorantia sit peccatum? Atque ita resolvit: „ Manifestum est, quod quicumque „ negligit habere, vel facere id, quod tenetur ha„ bere, vel facere, peccat peccato omissionis. „ Unde propter negligentiam ignorantia eorum, „ quæ aliquis scire tenetur, est peccatum. Non „ autem imputatur homini ad negligentiam, si „ nesciat ea, quæ scire non potest. Unde eorum „ ignorantia *invincibilis* dicitur, *quia studio su„ perari non potest*. Et propter hoc talis igno„ rantia, cum non sit voluntaria, eo quod non „ est in potestate nostra eam repellere, non est „ peccatum &c. “

63. Brevius exponit Angelicus, quænam ignorantia sit culpabilis Lect. VIII. In Cap. I. epist. ad Rom., inquiens: „ Tunc ignorantia aliquem „ excusat, quando sic præcedit, & causat cul„ pam, quod non causatur a culpa .... Si vero i„ gnorantia causetur ex culpa, non potest subse„ quentem culpam ignorantia excusare; unde si „ quis per ebrietatem homicidium committit, non „ excusatur a culpa, quia peccavit, se inebrian„ do “. Qua regula generali plures possunt casus in praxi definiri.

64. Obj. *primo*. Peccatum definitur ex S. Augustino Lib. XXII. *Contra Faustum* c. 27. *Dictum*, *vel factum*, *vel concupitum contra legem Dei*, sed ignorantia neque est factum, neque dictum, nec concupitum: ergo non potest esse peccatum.

65. Resp. cum S. Thoma in hoc art. 2. ad. 1., in illa definitione peccati intelligi debere etiam negationes oppositas, quando omissio habet rationem peccati: & ita negligentia secundum quam ignorantia est peccatum, continetur in generali illa definitione peccati, inquantum prætermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupisci ad scientiam debitam acquirendam.

66. Obj. *secundo*. Peccatum magis opponitur gratiæ, quam scientiæ; sed privatio gratiæ non est peccatum, cum sit potius peccati pœna: ergo ignorantia, quæ est privatio scientiæ, peccatum non est.

67. Resp. S. Doctor ad 2.: „ Privatio gratiæ, „ etsi secundum se non sit peccatum, tamen ra„ tione negligentiæ præparandi se ad gratiam po„ test habere rationem peccati, sicuti & ignoran„ tia. Et tamen quantum ad hoc est dissimile; „ quia homo potest aliquam scientiam acquirere „ per suos actus; gratia vero non acquiritur ex „ nostris actibus, sed ex Dei munere “. Illa ergo negligentia addiscendi, quæ nobis necessaria sunt, est culpabilis; unde etiam ignorantia inde consequens culpabilis est.

68. Dices. Ignorantia diminuit peccatum; si autem ipsa esset peccatum, potius culpa peccantis augeretur; nam transgressioni legis adderetur etiam peccatum negligentiæ: ergo &c.

69. Resp., Ignorantiam diminuere peccatum transgressionis legis, quatenus ipsum facit minus voluntarium; sed peccatum ignorantiæ tunc proprie contrahitur, quando urget præceptum addiscen-

scendi legem; postea manens habitu minuit voluntariam legis transgressionem.

70. Obj. *tertio*. Ignorantia non potest esse peccatum, nisi quatenus est voluntaria: ergo peccatum, non consistit in ipsa ignorantia, sed potius in actu voluntatis.

Respondet Angelicus ad 3.: „ quod sicut in peccato transgressionis peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus a voluntate: ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, inquantum est aliqualiter voluntaria; & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum ".

71. Obj. *quarto*. Omne peccatum tollitur per pœnitentiam; sed ignorantia non tollitur per pœnitentiam: ergo &c.

72. Resp. cum Sanct. Thoma ad 4., post pœnitentiam remanere quidem ignorantiam, prout est privatio scientiæ, quæ unico actu tolli non potest: non tamen remanere negligentiam, secundum quam ignorantia peccatum dicitur; hæc enim per efficax propositum addiscendi quæ sunt necessaria, intelligitur penitus sublata.

73. Observat insuper ibidem Sanct. Doctor ad 5., *quod sicut in aliis peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat; ita est etiam de peccato ignorantiæ*. „ Non enim continuo ignorans actu peccat, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur ".

74. Huc etiam pertinet doctrina ejusdem Angelici 2. 2. quæst. 54. art. 1. de negligentia, quæ est *defectus debitæ sollicitudinis*. Hanc vero negligentiam probat esse peccatum, quia *omnis defectus debiti actus habet rationem peccati*. In art. autem 3. inquirit S. Doctor, utrum negligentia possit esse peccatum mortale, & respondet, dupliciter posse contingere, quod negligentia sit peccatum mortale. „ Uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam, quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte causæ. Si enim voluntas intantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, ut totaliter a Dei charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale: & hoc præcipue contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu. Alioquin si negligentia consistat in prætermissione alicujus actus, vel circumstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non est mortale peccatum, sed veniale ". Ex qua Angelici doctrina manifestum fit, quomodo ignorantia sit culpabilis, ratione videlicet negligentiæ adnexæ: unde aliqui contendunt, hujusmodi peccatum potius *negligentiæ*, quam *ignorantiæ*, esse dicendum.

75. Ex hactenus dictis sequitur, *errorem* magis culpabilem esse, quam vincibilem ignorantiam. Ita S. Thomas Quæst. III. *De malo* artic. 7. inquiens: „ Quando aliquis falsam sententiam fert de iis, quæ nescit, tunc proprie dicitur errare. Et quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati. Non enim est absque præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime in quibus periculum existit ".

PROPOSITIO II.

Ignorantia vere invincibilis, etiam juris naturalis, a peccato omnino excusat (*a*).

76. Prob. ratione prorsus invicta, quam duo Scholæ nostræ magistri Augustinus, & Thomas nobis suppeditant. Ignorantia invincibilis tollit voluntarium; sed ubi libera voluntas non est, nullum potest esse peccatum: ergo &c. Major constat ex definitione ignorantiæ invincibilis supra allata num. 53.; & commune est apud Theologos, & Philosophos effatum: *Nihil volitum, quin præcognitum:* ac proinde quod nullo modo ab intellectu cognosci potest, nec potest esse liberæ voluntatis objectum.

77. Minor autem prob. *primo* ex S. Augustino, qui *De vera Religione* cap. 14. Tom. I. „ Si (*peccatum*), *inquit*, tanquam febris invictum occuparet, recte injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla huic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat ". Et lib. III. *De lib. arbitrio* cap. 18. & seq. Tom. I. postquam docuit, ita peccatum a voluntate pende-

(*a*) Hæc propositio est contra Mart. Lutherum, Hieron. Zanchium, & Corn. Jansenium. Primus enim in Comment. ad cap. I. Genes. ita solita sua ferocia contra nos pronunciat: *Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles. Tanta cæcitas est in Papa Scholis, & Ecclesiis*. Hieronim. Zanchius, qui quamvis Calvini discipulus, Lutherum tamen etiam sequi amabat, in Lib. I. *Tract. Theol.* cap. 12. thesi 1. post multa de ignorantia simul coacervata concludit, *omnem ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, peccatum esse, quia cum lege, qua jubemur illa cognoscere, pugnat, sive ea cognoscere jam possis, sive non possis. Quod enim jam non possis, peccato Adæ, quod tuum est, quia omnes in eo peccaverunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo a peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur*.

Ex impuris hisce fontibus Jansenius suam hausit sen-

dere, ut ubi nulla est voluntas, nullum possit esse peccatum, ita concludit: ,, Reminiscere superiorum, quæ a nobis tam multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est, omnia mandare memoriæ; hoc brevissimum tene: quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur... An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest "? Et cum postea sibi objecisset querelas hominum dicentium: ,, Si Adam, & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur? *Quas hominum querelas ita compescit:* Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras ". Quibus verbis cæcus est, qui non videat, duplicem a profundissimo Doctore distingui ignorantiam, aliam scilicet, quæ nobis *invitis* accedit, seu invincibilem, & hanc non deputari ad culpam, aliam *vincibilem*, & *culpabilem*, quæ ex nostra negligentia oritur.

78. Et quamquam hæc ita clara sunt, ut nullo indigeant glossemate, placet tamen adjungere interpretationem ejus fidelissimi Discipuli Thomæ Aquinatis Quæst. III. *De malo* art. 7. ad 7., ubi hæc ipsa Magistri sui Augustini verba sic exponit: ,, Ignorantia, quæ est omnino involuntaria, non est peccatum, & hoc est, quod Augustinus dicit: *Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras*. Per hoc autem, quod addit: *Sed si scire neglexeris*, dat intelligere, quod ignorantia habet, quod sit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil est aliud, quam non applicare animam ad sciendum ea, quæ quis debet scire ". Nihil disertius aut expressius desiderari potest.

79. Veruntamen his acriter occurrit Jansenius, omnesque exserit nervos, ut ostendat ex doctrina sublimissima, & arcana S. Augustini; etiam ignorantiam, quæ invincibilis, & necessaria est, esse peccatum, quia illius peccati pœna est, quod voluntarie in Adamo commisimus. ,, Multum erras inquit S. Doctor Julianum alloquens in Lib. I. *Oper. imperf.* cap. 105., qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est ". Hanc vero necessitatem peccandi idem S. Doctor ex ignorantia repetit, subdens: ,, Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi, malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim, ut peccet, qui nesciendo, quid facere debeat, quod non debet, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis: *Et iterum* cap. 107. Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur justitia: numquid ideo cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit?... Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi: sed ut non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur: De necessitatibus meis eripe me ". Loqui autem S. Augustinum non de ignorantia vincibili, sed de invincibili, ex eo liquido patet, quod ignorantiam negligentiæ, seu vincibilem, culpabilem esse, vel ipsi Pelagiani concedebant; quamobrem frustra contra eosdem evincere conatus esset, eumdem ignorantiam esse culpabilem. Ita Jansenius.

80. Qui tamen si diligentius S. Patris doctrinam rimatus esset, haud difficulter vidisset, eum non loqui de ignorantia prorsus invincibili, quæ veram violandi præcepti necessitatem infert, sed de vincibili, quæ nonnisi moralem necessitatem peccandi, eamque voluntariam in nobis producit. Ibidem enim hanc necessitatem comparat cum ea, quæ a violenta oritur peccandi consuetudine; quæ utique necessitas tantummodo moralis, non autem vera, & absoluta est: atque ita Pelagianos urget: ,, Ac per hoc, etiam secundum vos, peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, a quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat. Cur ergo non creditis, tantum saltem valuisse illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura universa, quantum valet nunc in homine uno secunda natura? Sic enim a doctis appellari consuetudinem, nos commonendos putasti ". Nihil igitur aliud voluit S. Pater, quam id, quod verissimum esse, unusquisque in se ipso experitur, tantas esse igno-

ran-

tentiam, quam in Lib. II. *De statu naturæ lapsæ* cap. 2. & *seq.* fuse explicat, & mordicus defendit. ,, Generale, inquit, videtur Scholasticorum pronunciatum esse, quod *quid ex invincibili sit ignorantia, hoc ipso culpa vacat*. Quæ sane doctrina, quamvis humanæ rationi, qua nititur, valde plausibilis esse videatur, difficile tamen est eam cum Augustini doctrina conciliare, quam contra Pelagianos constanter asseruit ". Quod innumeris, ut ipse solet, congestis hujus Sanctissimi Doctoris testimoniis se luculentissime demonstrasse gloriatur. Post autem c. 4. sibi opponit *giganteam illam molem, & insolubilem nodum ut ipse loquitur, qui fieri possit, ut ex invincibili ignorantia peccatum possit proficisci?* Sed hæc dicit *rationis humanæ, plerumque vanæ, esse....... Catholicam doctrinam, non Aristotelicis argumentis, & argutiis niti, vel terreri .... hanc difficultàtem non terruisse Augustinum, & antiquam Ecclesiam* &c.; ac demum concludit, *pœnalem ignorantiam nostram, in qua nati sumus, etiam invincibilem, & incavibilem, nullo modo excusare peccatum... Hoc si lector capit, gratuletur sibi: si non capit, adhuc difficilius captu, & cauta esse cogitet originale peccatum*. Ita fidenter communem Theologorum, & Ecclesiæ Catholicæ dogma contemnit.

rantiæ tenebras ex peccato originali in nobis effusas, ut non sine magna difficultate, studio, diligentia, atque oratione possimus eas depellere; non autem quod absoluta inducatur peccandi necessitas: unde in ipso loco objecto Julianum monet, ut cogitet, *quanto labore discatur*, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita. Et Lib. III. *De lib. arb.* cap. 19. postquam dixisset: „ An tanta fallacia est, ut caveri peccatum omni„ no non possit? Si ita est, nulla peccata sunt "; subdit postea: *Peccatur autem: caveri igitur potest*, manifeste innuens, illam *fallaciam*, quamvis magnam, non esse invincibilem. Hoc ulterius patet ex alia peccandi necessitate ibidem a S. Augustino commemorata, quæ scilicet oritur ex rebelli concupiscentia, a qua unusquisque tentatur *abstractus*, *& illectus;* ut dicitur Jac. I. 14., non autem vera necessitate adstrictus.

81. Inst. S. Doctor ideo vult, ignorantiam etiam invincibilem esse peccatum, quia illius peccati pœna est, quod in Adamo nobis voluntarium fuit. Nam in laud. Lib. III. *De lib. arb.* c. 18., postquam hanc regulam statuisset: „ Illa est peccati „ pœna justissima, ut amittat unusquisque, quo „ bene uti noluit, cum sine ulla posset difficulta„ te, si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte „ non facit, amittat scire, quod rectum sit; *ita* „ *infert*: Approbare falsa pro veris, ut erret in„ vitus, non est natura instituti hominis; sed pœ„ na damnati ". Vult igitur S. Doctor, ignorantiam invincibilem esse peccatum, quia est pœna illius peccati, quo in Adamo nos voluntarie obstrinximus; dixerat enim paulo superius de ejusdem ignorantiæ peccatis: *Si non est ista pœna hominis*, *sed natura*, *nulla ista peccata sunt:* ignorantia igitur etiam invincibilis peccatum est, quia nobis ea voluntate supervenit, qua peccatum Adami incurrimus.

82. Resp., Si ita est, ut errans Jansenius ratiocinatur, non solum culpabilis erit quæcumque ignorantia juris naturalis, sed etiam culpa non vacabunt motus concupiscentiæ involuntarii, qui rationem præveniunt; cum ista concupiscentia rebellis pœna sit peccati originalis. Idem dicendum de phrenesi, de amentia, aliisque pœnalitatibus, quarum causa fuit Adami peccatum. Idem potiore jure dicendum de infidelitate negativa, quam S. Augustinus vocat peccati pœnam (*a*); & quam non esse peccatum, certissimum omnibus est, proscripta contraria propositione Baji: *Infidelitas pure negativa in his*, *quibus Christus non est prædicatus*, *peccatum est*. Præterea Sanct. Augustinus ad peccatum actuale requirit voluntatem personæ, quemadmodum ad peccatum originale sufficit voluntas naturæ. Ita in Lib. LXXXIII. *Quæstionum*, quæst. 24. *Nec peccatum*, inquit, *nec recte factum imputari cuiquam juste potest*, *qui nihil fecerit propria voluntate*. *Est igitur & peccatum*, *& recte factum in libero voluntatis arbitrio*.

83. Hanc doctrinam manifeste explicat S. Thomas in II. *Sentent.* Dist. 30. quæst. 1. art. 3. ubi errorem Jansenii in antecessum præoccupavit dicens: „ Sicut est quoddam bonum, quod respi„ cit naturam, & quoddam bonum, quod respi„ cit personam, ita est quædam culpa naturæ, „ quædam personæ. Unde ad culpam personæ „ requiritur voluntas personæ; sicut patet in cul„ pa actuali, quæ per actum personæ committi„ tur: ad culpam vero naturæ non requiritur, ni„ si voluntas in natura illa ". Ad peccatum igitur ignorantiæ contrahendum non sufficit voluntas illa naturæ, quæ sufficit ad contrahendum peccatum originale, sed requiritur voluntas personæ, vel directa, vel indirecta; cumque hujusmodi voluntas non inveniatur in ignorantia vere invincibili, manifeste sequitur, hanc ignorantiam non esse culpabilem.

84. Quæ cum ita sint, jure meritoque a Romano Pontifice Alexandro VIII. proscripta fuit illa propositio num. 1.: „ In statu naturæ lapsæ „ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa „ libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in „ causa sua, peccato originali, & libertate Ada„ mi peccantis: *tum alia num.* 2. Tametsi detur „ ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in sta„ tu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excu„ sat a peccato formali ".

85. Obj. *primo* ex sacris litteris. Nullam ignorantiam etiam invincibilem a peccato excusare patet ex Gen. cap. XX., ubi Deus mortem Abimelech comminatus est, eo quod Saram tulisset, ignorans eam esse uxorem Abrahæ; nec aliter hanc pœnam Deus illi condonavit, quam ex Abrahæ orationibus. Præterea Christus Dominus Lucæ XII. 48. „ Servus, *inquit*, qui cognovit voluntatem Do„ mini sui ... & non fecit secundum voluntatem „ ejus, vapulabit multis. Qui autem non co„ gnovit, & fecit digna plagis, vapulabit pau„ cis ". Ubi sine discrimine omnem ignorantiam puniendam esse, significatur, ac proinde omnem esse culpabilem. *Tertio* S. Paulus ad Hebr. IX. 7. dicit, summum Pontificem consuevisse semel in anno intrare in secundum tabernaculum *non sine sanguine*, quem offerebat *pro sua*, *& populi ignorantia*, nulla facta distinctione ignorantiæ vincibilis: omnis ergo ignorantia &c.

86. Resp. primæ parti objectionis, ignorantiam Abimelech non fuisse juris naturalis, sed facti: ignorantiam autem factorum posse invincibilem esse, lubens concedit ipse Jansenius. Quod si ignorantia illa non excusavit Abimelech ab omni culpa

(*a*) In epist. CXCIV., olim 105. ad Sixtum cap. 6., ubi ait. *Ipsa ignorantia in eis*, *qui intelligere noluerunt*, *sine dubitatione peccatum est; in eis autem*, *qui non potuerunt*, *pœna peccati*.

pa signum est, eamdem non fuisse omnino invincibilem ob aliquas circumstantias, quas Scriptura non memorat. Vid. Hugo Cardinalis in Comment. ad hunc locum.

87. Ad secundam partem facilior est responsio, nempe laud. in loco sermonem esse de servo, qui sua culpa non cognovit voluntatem Domini sui, qui propterea dignus est plagis, quamvis paucioribus, quia ignorantia etiam culpabilis excusat, non quidem omnino, sed aliqua saltem ex parte. Theodoretus allatus a S. Thoma in Catena aurea ita hunc locum explicat: ,, Hic objiciunt aliqui: ,, merito punitur, qui sciens voluntatem Domini, ,, non persequitur. Sed cur ponitur ignorans? Quia ,, cum ipse scire potuisset, noluit: sed pigritans ,, ipse fuit ignorantiæ suæ causa ".

88. Ad tertium S. Thomas Lect. II. in hunc locum *ignorantiam* interpretatur omne peccatum, inquiens, Pontificem obtulisse sanguinem *pro sua & populi ignorantia*, *idest pro peccatis nostris*. Proverb. XV. *Errant*, *qui operantur malum; omnis enim malus ignorat* &c. Quamvis, etiamsi locus ille intelligeretur proprie de peccatis ignorantiæ, nihil obesset; quia deberet referri ad illam ignorantiam, quæ vere peccatum est, nempe ignorantiam vincibilem.

89. Obj. *secundo* definitionem Concilii Diospolitani, in quo damnata fuit illa propositio: Cœlestii: *Oblivio*, *& ignorantia non subjacent peccato*, *quoniam non secundum voluntatem eveniunt*, *sed secundum necessitatem*. Ibi autem sermonem esse de ignorantia invincibili patet *primo* ex iis verbis: *quoniam non secundum voluntatem*, *sed secundum necessitatem eveniunt;* oblivio autem, & ignorantia vincibilis eveniunt secundum voluntatem. *Secundo*, quia nunquam Pelagiani eo dementiæ pervenerunt, ut a peccato excusarent oblivionem, & ignorantiam vincibilem, quæ est voluntaria.

90. Resp., bene ponderanda esse verba illius definitionis, una cum scopo Patrum illius Synodi. Neque enim dicebat Cœlestius, *Oblivionem*, *& ignorantiam non esse peccata*, *sed non subjacere peccato*, seu non esse peccati originalis effectus, & pœnas. Ulterius, quando Cœlestius causalem addebat, *quoniam non secundum voluntatem*, *sed secundum naturæ necessitatem eveniunt*, nihil aliud volebat, quam oblivionem, & ignorantiam esse necessaria naturæ hominis consectaria, quæ etiam Adamo non peccante in nobis fuissent. Hoc igitur paradoxum Cœlestii, quo peccati originalis dogma evertebatur, a Patribus Diospolitanis proscriptum est.

91. Quod si quis omnino contendat, definitum fuisse, oblivionem, & ignorantiam, quamvis ex necessitate eveniant, peccatum vere & proprie esse, propter illam rationem, quæ a Patribus immediate subditur: *Cum David dicat: Delicta juventutis meæ*, *& ignorantiæ meæ ne memineris; & cum in Lege sacrificia pro ignorantia*, *sicut pro peccato offerantur;* quæ ratio manifeste indicat, ibi definitum fuisse, ignorantiam non solum esse primi peccati pœnam, sed esse vere, & proprie peccatum, pœnitentiæ operibus expiandum.

92. Si quis, inquam, id omnino contendat, tunc respondeo, juste Cœlestii propositionem fuisse proscriptam, quia indefinita erat, & a peccato eximebat non solum ignorantiam vere invincibilem, sed etiam absolute vincibilem, quamvis aliquo sensu, prout Pelagiani male opinabantur, dici posset, *non secundum voluntatem*, *sed secundum necessitatem evenire*. Id fuit observatum ab acutissimo S. Augustino, qui cum in Lib. *De natura*, *& gratia* cap. 17. ita de Pelagio scripsisset: ,, Tractat ipse de peccatis ignorantiæ, & dicit, ,, hominem pervigilare debere ne ignoret, ideoque ,, esse culpandam ignorantiam; quia id homo nescit negligentia, quod adhibita diligentia sua scire debuisset, *illico de eodem Pelagio subdit:* ,, Dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret, & dicat: Da mihi intellectum, ut discam ,, mandata tua "; manifeste indicans, Pelagianos non alias agnovisse in voluntate vires, quam naturales, non autem illas, quas nobis gratia Dei confert, & secundum quas S. Paulus dicebat ad Philipp. IV. 13. *Omnia possum in eo*, *qui me confortat*. Quia ergo Pelagiani inter diligentias necessarias ad verum investigandum non agnoscebant debitas ad Deum preces, hinc ignorantiam invincibilem, & necessariam eam etiam reputabant, ad quam repellendam solæ naturæ vires sine gratiæ adjutorio non sufficiebant. Ecclesia autem una cum S. Augustino illud nobis esse possibile credit, quod cum Dei adjutorio possumus. ,, Deus, inquit Concil. Trident. Sess. VI. c. 11., impossibilia non ,, jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut ,, possis ". Qui ergo aut desidia, aut arrogantia ,, ad Dei opem confugere negligit, injuste conqueritur, sibi impossibilia a Deo præcipi, ut injuste conquerebantur Pelagiani, dicentes apud Hieronym. Lib. I. Dialog. adv. Pelag.: ,, Rogo, quæ est ista ,, justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo? Et ,, quid plus faciam, si sponte peccavero? His autem respondens Augustin. *De natura*, *& gratia* cap. 17. Admonemur, *inquiebat*, a Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum ,, petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda ,, est (a) ".

93. Dices. Laud. S. Hieronymus huic Pelagiano-

(a) Piaculum foret illud prœmium omittere, quo non minus humilis, ac pius, quam doctus S. Thomas difficilem materiam de usuris exponere aggressus est Opusc. LXXIII. ,, Omnis homo a natura degenerans ve-

norum querelæ compescendæ non confugit ad voluntatis inertiam, vel orandi negligentiam, sed potius ad profunditatem judiciorum Dei inquiens: „ Anne sententiæ, & dispositionis Dei causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tuæ Liber „ Sapientiæ: *Altiora te ne quæsiveris*. " Et quia Pelagiani Librum Sapientiæ repudiare solebant, ita pergit: „ Ac ne forte huic volumini contradicas, audi Apostolum evangelica clangentem tuba: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ „ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & „ investigabiles viæ ejus! Quis cognovit sensum „ Domini "? Quæ doctoris maximi responsio, inquit Jansenius, esset ineptissima, si de ignorantia, cui voluntas causam, & culpam dedit, controversia verteretur: non igitur &c.

94. Resp., potuisse quidem S. Doctorem injustas Pelagianorum querelas compescere, ostendendo, ignorantiam esse culpabilem, saltem ea de causa, quod adhibitis ad Deum precibus negligerent utiliter quærere, quod ignorabant. Sed bene S. Doctor advertebat, hac responsione viam aperire aliis quæstionibus de naturæ infirmitate, de gratiæ necessitate, de orationis efficacia, aliisque similibus, quibus solvendis non parum temporis opus erat; & in quibus tandem oportebat ad profundam divinorum judiciorum abyssum devenire. Ut itaque compendio rem finiret S. Hieronymus, notissimo illo S. Pauli oraculo Pelagianorum ora obstruenda putavit. Quod tandem facere coactus est etiam S. Augustinus.

95. Obj. *tertio*. S. Augustinus ep. CXCIV. ad Sixtum c. 6. ita de ignorantia cujuscumque generis pronunciat: „ Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis; sive qui novit, sive qui ignorat..... Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati: ergo in utrisque non est „ justa excusatio, sed justa damnatio ". Si autem sunt inexcusabiles, qui intelligere non potuerunt, manifeste liquet, ignorantiam invincibilem esse peccatum. Adhuc clarius *De gratia & lib. arb.* c. 3. „ Sed & illa ignorantia, *inquit*, quæ non est „ eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, „ quid crederet; sed fortasse ut mitius ardeat ".

96. Resp., *primo* in utroque loco S. Augustinum loqui non de ignorantia juris naturæ, sed de ignorantia legis evangelicæ, quam invincibilem aliquando esse, & inculpabilem, ut in infidelibus negativis, fide certum est; nec inficiatur ipse Jansenius. Præterea bene attendenda sunt Sancti Doctoris verba; in iis enim, qui intelligere noluerunt, dicit ignorantiam *sine dubitatione peccatum esse*; in iis autem, qui non potuerunt, non dicit esse peccatum, sed *pœnam peccati*, nempe originalis; nam infidelitas negativa est quidem peccati originalis pœna, non autem verum peccatum. Concludit autem, in utrisque esse justam damnationem; nam etiam infideles negativi juste damnantur, non quidem propter infidelitatem, sed propter alia peccata, vel saltem propter peccatum originale, quod sine fide remitti non potest.

97. Obj. *quarto*. Idem Sanct. Doctor in ep. XLVII. ad Publicolam „ Si quis; *inquit*, bonum „ putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc „ putando, utique peccat; & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod male fit ": nulla igitur ignorantia a peccato excusat.

98. Resp., peccata, de quibus loquitur S. Augustinus in ea epistola ad Publicolam, nasci ex ignorantia vincibili, & culpabili. Quæstio a Publicola proposita non erat de ignorantia juris naturalis, sed de ignorantia facti circa escas immolatas idolis; quam ita resolvit Sanct. Doctor. „ Si „ quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit, & non est immolatitia, si eam cognitionem tenuerit, quod immolatitia non sit, & „ ea escatur, non utique peccat: quia nec est, „ nec jam putatur immolatitia, etsi antea putabatur... Si quis autem bonum putaverit esse, „ quod malum est, & fecerit, hoc putando, utique peccat &c. " scilicet si putaverit, omissa debita diligentia, circa hoc factum. Certe neque Jansenius, nec aliquis alius, quod sciam, negavit, dari ignorantiam invincibilem factorum, aut juris positivi: ignorantia igitur factorum culpabilis non potest esse, nisi vincibilis.

99. Obj. *quinto*. S. Pater sæpius asserit, ignorantiam, non secus ac concupiscentiam, esse omnium peccatorum causam. Sic in Lib. I. *De peccatorum meritis, & remiss.* c. ult. de concupiscentia loquens: *Fit*, inquit, *ut per ignorantiam, vel infirmitatem, non exsertis adversus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus*.

110. Resp., verissime a S. Augustino statui duas com-

„ ritatem amat, & eam scire super omnia desiderat. „ Quam si quis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis sui, ipsa seipsam manifestabit, & Deus, qui hoc promittit, verax est, sicut scriptum est Sap. VI. 14. *Præoccupat eos, qui se concupiscunt*, ut illis se prior ostendat, Ecclesiastici I. 33. *Fili, concupisces sapientiam, conserva justitiam, & Dominus præbebit eam tibi*. Invoco ergo ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ & in laqueum aliorum, sed illuminare „ dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo „ nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Amen ". Sunt tamen, qui hoc opusculum S. Thomæ abjudicant. Vid. P. Bern. de Rubeis de Scriptis S. Thomæ Dissert. XX. cap. 5.

communes, & frequentissimas nostrorum peccatorum causas, concupiscentiam, & ignorantiam; ita tamen, ut peccata, quæ inde consequuntur, nobis non imputentur, nisi accedente libero voluntatis consensu. Suam mentem clare exponit S. Doctor in Lib. III. *De libero arbitrio* cap. 19. inquiens: „ Illud, quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit, ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, idest formam, tenoremque verborum; secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est &c." Recolantur, quæ de concupiscentia dicta sunt T. IV.

101. Obj. ult. S. Thomas *Quodlibeto* VIII. art. 13. hæc habet: „ Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam. *Et* Quæst. IX. *art.* 15. Error, *inquit*, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto".

102. Resp. S. Thomam loqui de ignorantia vincibili, non autem de ignorantia invincibili, quam ab omni culpa excusare, nimis manifeste docet. Vide sup. num. 75. Unde etiam in cit. *Quodlibeto* VIII. hæc addit. *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*, quando nempe ignorantia nullo modo est voluntaria.

Quæres, an detur ignorantia invincibilis juris naturæ?

103. Hæc quæstio diversa omnino est a præcedenti. Aliud est enim dicere, nullam esse ignorantiam juris naturæ invincibilem, quod non pauci, nec ignobiles Theologi docent (a): aliud asserere, hanc invincibilem ignorantiam, etiamsi detur, a peccato non excusare; quæ propositio ab Alexandro VIII. condemnata fuit. Vid. sup. num. 81. Quamobrem non inepte Contensonius Lib. VI. *Theol. Mentis, & cordis* Dissert. III. c. 1. *Quæres quinto*, vocat *importunos*, & *impertinentes* quosdam recentiores, qui sententiam negantem dari ignorantiam invincibilem juris naturalis *Jansenismi pueriliter insimulant*. Contendit enim, eam esse veterum Theologorum, Hugonis a S. Victore, S. Bonaventuræ, Gersonis, Adriani, aliorumque, qui longe ante Jansenium floruerunt.

104. De hac autem materia potissimum legendum consulo Angelicum nostrum Præceptorem 1. 2. quæst. 94. art. 4. ubi quærit, utrum lex naturæ sit una apud omnes? Ita autem respondet: „ Lex naturæ, quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam. Sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes, ut in pluribus, & secundum rectitudinem & secundum notitiam. Sed ut in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta.... & etiam quantum ad notitiam. Et hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ: sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ, ut refert Julius Cæsar Lib. VI. De bello gallico".

105. Sed adhuc clarius rem explicat art. 6., ubi quærit, an lex naturæ possit a corde hominum aboleri? „ Respondet autem, quod ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: secundario autem quædam secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. *Hac posita distinctione bene notanda ita pergit:* Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali, deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones.... vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit Rom. I.".

106.

(a) Inter hos celebris P. Vinc. Patuzzi in sua *Ethica Christiana, sive Theologia Morali* T. I. Tract. II. cap. 7. §. 5. defendit, *absolute, & generatim loquendo nullam admitti debere ignorantiam invincibilem, & inculpatam juris naturæ, sive præceptorum ejusdem;* quam sententiam contendit, probatam fuisse etiam ab antiquis Theologis, S. Thoma, Alberto Magno, S. Bonaventura, S. Antonino, Hugone a S. Victore, Alexandro, Alensi, Guill. Parisiensi, Durando, Adriano, Gersonio, Cajetano &c. Idem docet P. Vinc. Contensonius Lib. IV. *Theol. mentis, & cordis* Dissert. III. cap. 1. & seq.; qui etiam Julio Mercoro, & Joan. Bapt. Gonet subirascitur, quod in suis adv. Probabilistas Dissert. supponant, dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis. Demum, ne omnes numerando recenseam, doctissimus Petrus Ballerinius in variis opusculis, quibus Probabilismum confutavit, nullam juris naturalis ignorantiam vere invincibilem, & inculpabilem dare posse, arbitratur.

106. Ex hac Angelici Præceptoris doctrina manifeste sequitur, nullam esse posse ignorantiam omnino invincibilem, & inculpatam juris naturæ, saltem quantum ad principia communissima, quæ sunt omnibus nota, & etiam quantum ad præcepta secundaria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ primis, & universalibus principiis; quia talis ignorantia semper oritur ex concupiscentia, vel ex aliqua alia passione, vel ex malis persuasionibus, vel ex pravis consuetudinibus, & habitibus corruptis. Unde idem Angelicus 1. 2. q. 77. art. 7. ad 2. „ Ignorantia, *inquit*, particularis, quæ totaliter excusat, est ignorantia circumstantiæ, quam quidem quis scire non potest, debita diligentia adhibita. Sed passio causat ignorantiam juris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiæ ad particularem actum, quam quidem passionem ratio repellere potest ".

107. Hinc apparet discrimen inter præcepta juris naturalis, & juris positivi, sive divini, sive humani. Hæc enim cum pendeant a libera voluntate legislatoris divini, aut humani, non possunt a nobis cognosci, nisi extrinsecus manifestentur. Præcepta autem juris naturæ nobis ab ipso Deo insculpta sunt, neque a cordibus nostris in particulari abolentur, nisi nostra culpa, scilicet per passiones, vel pravas consuetudines &c.

108. Doctrina tamen hactenus exposita intelligi debet de iis præceptis, quæ proxime ex primariis principiis juris naturæ, & luculenter deducuntur. Fatendum est enim, quasdam nonnunquam occurrere circumstantias, ut facile non sit, certum de bonitate, vel malitia actionis ferre judicium, & de quibus vel ipsi sapientes inter se vehementer disputant. Exempli loco sit illa quæstio, quam movet Sanct. Augustinus Lib. I. *De serm. Domini in Monte*, *utrum si uxoris permissu*, *sive sterilis*, *sive quæ concubitum pati non vult*, *adhibuerit sibi alteram vir*, *non alienam*, *neque a viro sejunctam*, *possit esse sine crimine fornicationis?* Postquam autem resolvit, in novo testamento, *ubi præcepta majora sunt*, id minime licere, multoque minus hoc posse feminam, permittente marito facere, ita pergit c. 17.: *Quamquam nonnullæ causæ possunt existere*, *cur & uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur* (*a*).

109. Multo plura, & difficilioris solutionis afferri possent exempla, quibus ostenditur, etiam doctissimos, ac solertissimos viros haud facile posse veritatem absque omni errandi formidine determinare. Porro, qui nullam prorsus juris naturalis ignorantiam invincibilem admittunt, quando hujusmodi exemplis premuntur, varias excogitarunt elabendi vias; sed hanc potissimum, ut dicant, has, quæ aliquando inter doctissimos viros excitantur, controversias, non esse de juris naturalis præceptis, sed potius de factis, in quibus factis aliquando esse posse concedunt ignorantiam invincibilem. Exemplum sit in usura, quam juri naturæ repugnare nemo ignorat, aut invincibiliter ignorare potest. Possunt tamen emergere casus, in quibus invincibiliter ignoretur, hunc, vel illum contractum esse usurarium; & in quibus graves, & docti viri innocue decipiantur; quæ tamen deceptio nullo modo pertinet ad jus ipsum naturæ, quo edocemur, unicuique tribuendum, quod suum est, & justitiam servandam; sed solum respicit ipsum factum, seu contractum, qui justus putatur, cum sit reipsa injustus. Idemque contingere dicunt in aliis casibus abstrusioribus (*b*).

110.

(*a*) Historiam autem hanc narrat memoratu dignam, „ Acyndinus (Antiochiæ) præfectus, qui etiam Consul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quod libet, licet, aut potius putatur licere, comminatus est jurans, & vehementer affirmans, quod si certo die, quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere, & propinquare cœpit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ, qua subveniret viro: cujus mulieris pulchritudine cum quidam dives esset accensus, & cognovisset, maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa, quæ se sciret, non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tamquam de re sua, pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & ut fieret, imperavit, nullo modo judicans, adulterinum esse concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti caritas, se jubente, & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit, quod voluit impudicus: sed illa corpus nonnisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum. Sed ille, qui dedit, fraude subtraxit, quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum eadem mariti caritate clamatura, quod fecerat, facere coacta est: interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset, ostendit. Tum vero Præfectus primo se reum, quod suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tamquam in alium sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam: illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hinc in aliquam partem disputo: libeat cuique æstimare, quod velit &c. ".

(*b*) De hac re legi meretur P. Vinc. Patuzzi in *Ethica*, *seu Morali Christ.* Tom. I. Tract. II. cap. 7., qui sapienter monet, nullum ex hac doctrina posse a Probabilistis trahi argumentum; ubi enim adest suspicio, vel dubium, nullam ignorantiam sive juris naturalis, aut positivi, vel etiam facti, dici posse invincibilem, aut inculpabilem; tunc enim tenemur tutiorem partem sequi, aut saltem, quæ multis gradibus sit probabilior. Sed de hoc inferius suo loco.

110. Alii tamen multo probabilius, & communius non duo tantum, sed tria distinguunt genera veritatum ad jus naturæ spectantium; scilicet præter prima, & universalissima principia, ac conclusiones immediate deductas, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, alias dicunt esse veritates longis, acutis & implexis ratiocinis deductas; atque in his ignorantiam invincibilem quandoque reperiri posse, concedunt. Cui sententiæ aperte patrocinari videtur S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 1. inquiens: „ Sicuti omne judicium rationis speculativæ procedit a naturali cognitione primorum principiorum; ita etiam omne judicium rationis practicæ procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis, ex quibus diversimode procedi potest ad judicium de diversis. Quædam enim sunt in humanis actibus adeo explicata, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos". Concludunt itaque, hæc postrema aliquando invincibiliter, & inculpate ignorari posse (a).

111. Quanquam hac in re cautissimos nos esse oportet, ne facile quamcumque ignorantiam ut invincibilem, & inculpatam excusemus; *non enim*, inquit S. Thomas Quæst. III. *De malo* art. 7. *est absque præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat; & maxime in quibus periculum existit*; & plerumque talis ignorantia ex culpabili negligentia oritur: *ignorantia autem*, rursus inquit S. Thomas, *quæ causatur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare*. Improbandi propterea sunt non pauci Casuistæ, & Probabilistæ, qui invincibilis ignorantiæ confinia latissime extenderunt (b).

APPENDIX.

In qua explolitur inculpata veri Dei ignorantia.

112. Quanquam aliquam Divinitatem ab omnibus agnitam semper fuisse, demonstratum sit Tom. I. pag. 39. seq., certum est tamen, verum Deum ab admodum paucis olim cognitum, & adoratum fuisse; unde etiam regius Psaltes postquam dixerit Psalm. LXXV.: *Notus in Judæa Deus*, alio in loco (Psalm. CXLVII.) subdit: *Non fecit taliter omni nationi*; & Apostolus 1. Thessal. IV. 5. Gentes *Deum ignorare*, dicit; & alibi (Ephes. II. 12.) Gentiles alloquens: *eratis*, inquit, *illo tempore sine Christo ..... & sine Deo* (ἄθεοι) *in hoc mundo*. Hinc quæstio nata est, an in ea infinitá pene hominum multitudine, qui verum Deum ignorabant, & adhuc ignorant, aliqui fuerint, & sint, ab omni culpa in hac ignorantia immunes?

113. Prænotandum est autem, hic non agi de cognitione Dei sub ratione dumtaxat generali, & confusa communis boni, tum quia, ut recte docet Angelicus I. P. quæst. 2. art. 1. ad 1. „ hoc non est simpliciter cognoscere, Deum esse; sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam autem aliquid aliud". Tum etiam, quia inutile, immo ridiculum esset quærere, an *inculpate* ignorari possit Deus sub ea ratione, sub qua a nemine prorsus ignoratur; ut enim S. Thomas mox laudatus observat: „ cognoscere, Deum esse in aliquo communi, sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, inquantum scilicet Deus est hominis beatitudo; homo enim naturaliter desiderat beatitudinem; & quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem".

114. Notandum ulterius, non hic agi de ea cognitione Dei perfectiore, quam actu Philosophi suis meditationibus asseculi sunt, & multo minus de ea, quam Sacræ Litteræ utriusque Testamenti nobis exhibent; sed de cognitione Dei naturali, & quæ ingenio, & diligentiæ uniuscujusque respondeat.

(a) Ita plures gravissimi Theologi ex Thomistica schola, quibus adstipulatur doctissimus P. Laur. Berti L. XXI. *De theol. disciplinis* cap. 10., qui etiam laudat Sylvium, Lud. Habert, Nicol. l' Herminier &c.

(b) Horum aberrationum specimen exhibeat ille recens auctor Dissert. adv. Petrum Ballerinium, qui, ut idem Ballerinius refert, in c. 1. sect. 1. non est veritus probare, dari ignorantiam invincibilem plurium juris naturæ præceptorum: „ quia ex mutuo usuram, & mutuum exigere, proprias injurias ulcisci, plures uxores habere, repudiare uxorem legitimam, furari ad succurrendum egenis, surripere aliquid inimico, tyrannum occidere propria auctoritate, ad scortum accedere, mentiri propter salutem alterius, vel ob malum gravius cavendum, carnibus humanis vesci, metu mortis mali aliquid committere, sororem in uxorem ducere, & alia hujusmodi mala, juri naturali contraria, licet ex principiis per se notis deducantur; cum tamen non deducantur immediate, & clare, sed mediate tantum, & per discursus difficiles, & illationes multas, dubitari non potest, quin ad ea sic dedocenda opus sit magna rationis intelligentia, qua multi carent absque culpa". Sed hoc, ut dixi, speciminis loco.

deat. Ac denum hic sermonem esse de iis tantum, qui ratione uti possunt, ac debent.

115. Fuerunt autem Theologi, qui ab hominibus ratione utentibus verum Deum inculpate ignorari posse docuerunt (*a*). Alii id possibile quidem dixerunt brevi temporis intervallo, non autem longiore, & multo minus toto vitæ suæ decursu (*b*). Nostra vero, imo communior saniorum Theologorum sententia est, ab homine rationis compote, neque toto vitæ suæ decursu, neque brevi temporis spatio posse verum Deum *inculpate* ignorari.

116. Prob. autem hæc sententia primo ex Sacris Litteris, quæ Gentes verum Deum ignorantes generaliter, & sine ulla distinctione Dei ira, & punitione dignas pronunciant. Psal. 78. 6., & Jerem. X. 25. *effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*. Et Paulus Apostolus 2. ad Thes. 1. 8. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*. Quem utrumque locum S. Augustinus simul conjungens *de gratia, & lib. arbitr.* c. 3. ad eos etiam extendit, qui Deum *simpliciter nesciunt*, quorum proinde ignorantia videri posset inculpata, si ulla esset Dei ignoratio inculpata, inquiens: „ Sed & illa ignorantia, quæ „ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, „ qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic „ excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si pro„ pterea non credidit, quia non audivit omnino, „ quid crederet; sed fortassis ut mitius ardeat; „ non enim sine causa dictum est: effunde iram „ tuam &c. & illud, quod ait Apostolus: cum ve„ nerit in flamma ignis &c.

117. Accedit & illud Sap. 13. 1. „ Vani au„ tem sunt omnes homines, in quibus non sub„ est scientia Dei, & de his, quæ videntur bo„ na, non potuerunt intelligere eum, qui est, „ neque operibus attendentes agnoverunt, quis es„ set artifex ... nec his debet ignosci &c. " Ubi iterum nulla facta, nec subindicatá distinctione, omnes verum Deum ignorantes venia indigni pronuntiantur.

118. Prob. 2. ex S. Patrum doctrina, qui docent, adeo in cordibus nostris insculptam esse Dei notitiam, ut nemo, nisi ad naturæ voces aures obturare culpabili stupiditate velit, Deum ignorare possit. S. Justinus in *Apologia* prima (quæ tamen secunda dici deberet) *Dei*, inquit, *appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis naturæ omnium insita opinio*. Si autem Dei opinio omnium naturæ est insita, facile apparet a nemine posse sine maxima negligentia, & culpa ignorari.

119. Minutius Felix in *Octavio* n. 17. „ Nobis, inquit, quibus vultus erectus, quibus su„ spectus in cœlum datus est, sermo, & ratio, „ per quæ Deum agnoscimus, sentimus, imita„ mur, ignorare nec licet ingerentem se oculis, „ & sensibus nostris cœlestem claritatem. *Et num.* „ 35. Eos autem merito torqueri, qui Deum ne„ sciunt, ut impios, & injustos, nisi profanus ne„ mo deliberat, cum parentem omnium, & o„ mnium Deum non minoris sceleris sit ignorare, „ quam lædere ".

120. Clemens Alexandr. in *Proptetrico*, seu admonitione ad Gentes: „ Omnibus, *inquit*, simpli„ citer hominibus, maxime autem iis, qui ver„ santur in doctrina, & litteris, instillatus est qui„ dam divinus influxus; qua de causa vel inviti „ qui-

(*a*) P. Lud. Molina in Comment. ad I. P. S. Thomæ q. 2. art. 1. ait, „ tam rudes, & incultos posse ali„ quos homines esse, ut maxima cum probabilitate „ affimare possimus, in eis ignorantiam invincibilem „ Dei posse reperiri .... Porro ea ignorantia excusa„ buntur a peccato infidelitatis; & quod Deum non „ colant, nec ei debitum honorem exhibeant, non e„ rit eis culpæ tribuendum. " Hunc secutus est P. Gregorius de Valentia Tom. II. disp. 6. q. 6. puncto 1. dicens, forte posse ab aliquibus ignorari, „ quod uni„ cus sit Deus ..... ex quo sequitur, idololatriam pos„ se ad aliquod saltem tempus per ignorantiam invin„ cibilem in aliquo homine rudiore excusari ". Indefinite autem P. Ariaga, & sine ulla hæsitatione pronuntiat, *multos posse habere ignorantiam invincibilem Dei*, Tom. I. Disput. 2. Sect. 3. n. 17.; ubi data opera hanc quæstionem pertractat, & contrariis argumentis satisfacere conatur. Neque his contentus ita subinde colligit: *etiamsi aliquod dubium suboriatur in multis barbaris hominibus; an sit aliqua causa v. g., quæ produxit cælos, non tamen propterea excitatur species, quod illa sit legislator, vel veneratione digna; quod illa dederit præcepta, quæ ego debeam adimplere .... Unde infertur, non esse culpabiles in tali ignorantia, etiamsi fuerit vincibilis physice*. P. Dom. Navarette celebris Dominicanæ Familiæ in Sinarum regno Missionarius, postea ad Archiepiscopatum in insula S. Dominici evectus, in prima Parte suorum Operum (quæ sola lucem aspexit) Tract. VII. p. 503. refert epistolam quinque Episcoporum ad Clementem X. R. P., in qua conquerebantur, quosdam Sinenses Missionarios eo laxitatis devenisse, ut negarent, Infideles præcepta naturalia transgredientes pœnas æternas promereri, *quia ignorantia Dei, & legislatoris a tam gravi pœna excusantur*. Nonnullos alios prætereo hujus sententiæ patronos. Non tamen Caramueli consenserim, qui in *Apologia contra Fagnanum* solita sua confidentia ita pronuntiat: *posse invincibiliter nesciri Deum, Theologi nobiliores affirmant*. Vid. P. Dan. Concina in *Hist. Probabilismi, & rigorismi* Tom. I. c. 5. & 3. Nec commemorari meretur J. Rousseavius, qui in suo *Emile* T. 2. p. 325. hominem in sylvis enutritum non posse cognoscere Deum, nec propterea esse punitione dignum, audacter pronunciat; quoniam in T. 3. p. 163. sui immemor contrarium asserit.

(*b*) Ita inter alios P. Martinonus, ob controversias habitas cum Jansenistis celebratissimus, Disp. XV. *de peccatis* sect. 12. n. 117. In thesibus etiam P. de Reux Lovanii Mense Decembri 2688., ac in pluribus aliis postea subsecutis idipsum repetitum invenies apud Arnaldum in opere: *Nouvelle Héresie dans la Morale denoncée au Pape &c.* art. 1., & dans la *seconde denontiation de la nouvelle héresie &c.* art. 2.

„ quidem fatentur, unum esse Deum ab interitu „ alienum, & ingenitum ".

121. Tertullianus in *Apologetico* cap. 17.: *Hæc est summa delicti*, ait, *nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt* (quæ Magistri sui verba etiam S. Cyprianus usurpat in Libro *de idolorum vanitate*); *&* alibi (*de Pœnitent.* c. 5.) „ ignorantes Dominum, *ait*, nulla exceptio „ tuetur a pœna, quia Deum in aperto constitu„ tum ... ignorare non licet ".

122. Lactantius lib. 1. *Div. Instit.* cap. 5. „ Ve„ ritatis ipsius, *inquit*, tanta vis est, ut nemo „ possit esse tam cæcus, qui non videat ingeren„ tem se oculis divinam claritatem ".

123. S. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Galatas expendens ea verba (Joann. 1.): „ erat lux „ vera, quæ illuminat omnem hominem venien„ tem in hunc mundum; ex quo, *inquit*, perspi„ cuum fit, natura, omnibus Dei inesse notitiam". Quomodo igitur ignorari inculpate potest, quod natura ipsa nos docet?

124. S. Augustinus in Psalm. 74. *Deus*, inquit, *ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare*.

125. Denium, ne longior sim, S. Gregorius M. lib. 27. *Moralium* cap. 5. exponens illud Jobi 36. 25. „ Omnes homines vident Deum: *ait:* „ Omnis homo ex hoc ipso, quod rationalis est „ conditus, debet ex ratione intelligere eum, qui „ se condidit, Deum. *Et S. Jo. Damascenus* „ *lib.* 1. Orthodoxæ fidei c. 1. Nemo mortalium „ est, *inquit*, cui hoc non ab eo naturaliter sit „ insitum, ut Deum esse cognoscat (*a*) ".

126. Prob. tertio ratione theologica. Si qui invincibiliter omnino Deum ignoraret, quamvis omni scelere se pollueret, reus tamen offensæ Dei non esset; quomodo enim censeretur injuriam irrogare ei, quem sine ulla sua culpa ignorat? Atqui nemo propter ignorantiam Dei a peccato vere & proprie tali excusatur. Nam Alexander VIII. (anno 1692. die 24. Augusti) apostolico fulmine celebrem illam propositionem confixit: „ Pecca„ tum philosophicum, seu morale, est actus hu„ manus disconveniens naturæ rationali, & rectæ „ rationi: theologicum vero, & mortale est trans„ gressio libera divinæ legis. Philosophicum, quan„ tumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel „ de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed „ non est offensa Dei, neque peccatum mortale, „ dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna „ dignum ". Quæ propositio, ni fallor, ex eo potissimum proscripta videtur, quod possibilis ponatur ignorantia Dei invincibilis, ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 20. art. 3., *si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale* (*b*).

127. Hæc ratio manifeste evincit, nullo ne brevissimo quidem tempore posse Deum invincibiliter ignorari; si enim id fieri posset, puer baptizatus, atque in sylvis cum invincibili Dei ignorantia educatus, si post aliquod grave peccatum admissum moreretur, posset ita inquinatus intrare in regnum cœlorum: quo quid dici potest absurdius? (*c*).

128. Addo, si ut Adversarii docent, vel brevissimo tempore posset Deus inculpate ignorari, manifeste consequi; posse Deum etiam toto vitæ decursu inculpate pariter ignorari. Quomodo enim, quæso, illa ignorantia, quæ prius erat sine culpa, culpabilis fieret, nisi per negligentiam culpabilem inde subsecutam? Atqui in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, nulla negligentia *theologice* culpabilis esse potest, cum nullum in eo esse possit peccatum *theologicum:* ergo &c. (*d*).

129. Dices. Propositio illa damnata fuit, quia generalis erat, atque hunc sensum reddebat: *Omnis ignorantia Dei, sive vincibilis ea sit, sive invincibilis, ab offensa Dei excusat operantem contra rectam rationem*. Ita P. Daniel in suo Tract. gallico *de ignorantia*, latine verso a P. Herculano Vogl. §. 12.

130. Resp. hoc totum nullo plane fundamento inniti; immo inverisimile plane esse, eousque insaniæ aliquos devenisse, ut contenderent, ignorantiam Dei vincibilem non esse peccatum, aut a pec-

(*a*) Multo plura S. Patrum testimonia inveniuntur apud Car. Witasse Tom. I. *Tract. theol.* Quæst. II. art. 1., & apud P. Ludov. Thomassinum T. II. *Dogmatum theol.* lib. 1. c. 3. & seq.

(*b*) Huc etiam facit, quod S. Præceptor habet Lect. II. in cap. VII. epist. ad Rom., ubi explicans illud S. Pauli: *Peccatum non cognovi, nisi per legem*, inquit: *Dicendum est ergo, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, idest contra rationem existens; non autem secundum quod importat offensam divinam; quia per legem manifestatur homini, quod Deo displiceant peccata humana in hoc, quod ea prohibet, & mandat puniri.*

(c) P. Caramuel in *Apologia contra Fagnanum* hoc inter alia paradoxa habet: *Nascitur puer, baptizatur, antequam loqui sciat, capitur a barbaris, in sylvam inducitur, & atheismum positive docetur, ad usum rationis pervenit ... Moriatur iste puer, antequam ignoret vincibiliter Deum, & aliquod committat mortale. Quo puerum D. Fagnanus mittet? Non ad infernum, quia originali illo, & actuali mortifero caret. Ad cœlum ergo.* En janua cœlorum atheis reserata.

(*d*) Putant aliqui, etiam in hypothesi impossibili invincibilis ignorantiæ Dei, peccata perpetrata veras futuras offensas Dei, & peccata formalia, ac theologica, non materialia solum, & philosophica. Vid. Arnaldi *la seconde demonstration d'une nouvelle heresie &c.* art. 6. & 12. Non attinet, hanc opinionem ad examen revocare; quandoquidem ea etiam posita, nostra ratio suo robore non careret, saltem contra nostros Adversarios, qui aperte docent, nullum esse posse peccatum formale, & theologicum in eo, qui Deum invincibiliter ignorat.

peccato excusare; ut proinde obrutum fuisset apostolicum fulmen, fictitium errorem tanta solemnitate proscribens.

131. Obj. primo. Lactanctius lib. 2. *Divin. Instit.* c. 1. loquens de idololatria: *& tamen*, inquit, *huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia divini nominis veniret hic error:* censet ergo aliquam esse posse Dei ignorantiam venia dignam.

132. Resp., Lactantium loqui in hypothesi, quam ipse falsam, imo plane impossibilem reputat; nam e vestigio subdit: „ Quam veniam sperare possunt impietatis suæ, qui non agnoscunt „ cultum ejus, quem prorsus ignorari, ab homine, fas non est? *Et alibi* (in Epitome Div. „ Inst. cap. 1.) Quid enim tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium „ ad salutem, quam Deum cognoscere ut parentem, venerari ut Dominum, ejusque legi, aut „ præceptis obtemperare "?

133. Obj. secundo. Deum existere, non est per se notum, saltem quantum ad nos, ut docent Thomistæ cum Angelico I. P. quæst. 2. art. 1.; neque etiam certum est, Dei ideam esse nobis ingenitam, cum id negetur a pluribus: ergo cognitio Dei solum comparari potest, aut revelatione externa vel interna, aut naturali ratiocinio; atqui utrumque hoc medium non paucis deest, aut saltem deesse potest. Prob. prima pars minoris. Sunt aliqui infideles, quibus externa Dei revelatio, qualis nobis in sacris litteris exhibetur, nunquam innotuit, aut innotescere potuit. Insuper nos ipsi cum non paucis, nec ignobilibus Theologis docuimus, istis infidelibus nulla prorsus concedi auxilia gratiæ, sine quibus nulla interna Dei revelatio fieri potest (Vid. T. VI.): ergo &c. Prob. secunda pars ejusdem minoris. Aliqui sunt populi agrestes, obtusi, & plumbei ingenii, ferarum potius, quam hominum more viventes, qui nullius prorsus ratiocinii, quo supra sensus attollantur, capaces videntur; cujusmodi esse Tartaros, Carabaitas, Drusios, Hottentotos, Canarienses &c. illi testantur, qui in eas regiones penetrarunt: ergo &c.

134. Resp. neg. min. subsumptam; ad cujus primam probat. dico, gratiam non esse necessariam ad Deum, ut auctorem naturæ cognoscendum; ut enim docet Sanct. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 3. ad 2., *intellectus noster naturali cognitione potest aliqua cognoscere, quæ sunt supra seipsum, ut patet in cognitione Dei* (*a*). Quantum ad secundam probationis partem dico, neminem adeo hebtem, & tardum esse, qui si attendere velit, non possit ex rebus creatis, quæ eum circumstant, aliquam Dei cognitionem, aut saltem suspicionem concipere; cujus beneficio adhibita postea majori diligentia poterit ad clariorem, certioremque Dei notitiam pertingere; quod si negligat, Deum propria culpa ignorabit (*b*).

135. Ceterum hæc difficultas nulla esse potest in sententia Adversariorum, quam bene multi etiam Thomistarum amplectuntur, scilicet Deum, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joann. 1. 9.) beneficia gratiæ suæ etiam Infidelibus elargiri, maxime autem dum ad usum rationis perveniunt, atque ad Deum se convertere tenentur; cui gratiæ si obtemperassent, Sanct. Thomas Lect. 3. in cap. 10. epist. ad Roman.) non dubitat affirmare, quod *Dominus eis secundum suam misericordiam providisset*, *mittendo eis prædicatorem fidei*, *sicut Petrum Cornelio* (Act. X.), *& Paulum Macedonibus* (Act. XVI.). Et alibi (Quæst. XIV. *De verit.* art. 11. ad 1.) „ Si aliquis, *ait*, in sylvis, vel inter bruta animalia enutritus ductum naturalis rationis „ sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad „ credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum „ ad Cornelium ".

136. Dices. Sunt Infideles *negativi*, qui nempe, cum nihil de fide, & Evangelio audierint, inculpabili ignorantia laborant; oppositum enim fuit in Bajo damnatum (Proposit. LXV.): eadem ergo ratione possunt esse Athæi *negativi*, & inculpati, ii scilicet, qui nihil unquam de Deo audierunt.

137. Resp. neg. conseq. Quæ enim in Evangelio continentur, sine docente intelligi nequeunt; quamobrem Apostolus dicebat Rom. X. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Deum vero existere, potest quilibet rationis compos, sin minus *demonstrative*, saltem *probabiliter* cognoscere, magisterio utens creaturarum. Hinc communem semper fuisse omnibus gentibus de Deo persuasionem, superius ostensum est Tom. 1.

138. Obj. tertio. Puer in sylvis, vel inter Atheos

(*a*) Vid. Guill. Estius in Lib. I. *Sent.* Dist. 3. §. 5. & 6., ubi fuse ostendit, posse nos sine gratia ad Dei cognitionem pervenire.

(*b*) Hæc est Sanct. Patrum doctrina, quorum testimonia supra attulimus, & quibus addere possumus emphaticam Arnobii locutionem, qui postquam lib. 1. *adv. Gentes* dixisset, nullum plane esse hominem, *cui non sit ingenitum ..... esse regem, ac dominum cunctorum, quæcumque sunt, moderatorem*, ita subdit: *Ipsa denique discere, si animantia muta potuissent ... Immo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali, vocis sonitum quirent, & verborum articulos integrare, ita non duce natura, & magistra ..... & intelligerent esse Deum, & cunctorum dominum solum esse clamarent?* S. etiam Hilarius in Ps. LII. *Quis*, inquit, *mundum intuens, Deum esse non sentiat?* Et S. Thomas explicans illud Job cap. XXXVI. 25. *Omnes homines vident eum*, scilicet Deum, inquit Lect. 2.: *Nullus enim adeo in sapientia deficit, quin aliqua divinorum operum percipiat.*

theos educatus, aliquo temporis intervallo indiget, ut Deum esse ex creaturis colligat. Ulterius illi plura occurrere possunt dubia, & pravæ educationis præjudicia, quibus exuendis non unicum instans sufficiat: ergo brevi saltem tempore &c.

139. Respond. Puerum illum posse statim Deum cognoscere, sin minus perfecte, saltem imperfecte. Neque vero hic quæstio est de instanti matematico, vel etiam physico; sed de tempore morali, quando scilicet puer ad usum rationis pervenit, & quando incipit deliberare de se ipso, ut debet. Non est autem putandum, usum rationis in instanti acquiri, quemadmodum aperta fenestra lux solis tota ingreditur; sed sensim, ac pedetentim rationis usus perficitur, eo quasi dixerim modo, quo aurora solet paulatim crescere, & dies tandem clarius elucescit.

140. Inst. Fieri potest, ut tali puero illecebris, vel negotiis vitæ occupato aut nulla occurrat cogitatio de auctore hujus universi inquirendo; aut etiamsi aliqua hujus rei suspicio illi oriatur, ignoret tamen, teneri se ad creatorem suum investigandum: ergo tantisper saltem ignorare poterit Deum citra culpam.

141. Resp. ad primum neg. ant., si puer ille faciat, quod in se est; ut enim docet Angelicus 1. 2. quæst. 89. art. 6.; cum puer usum rationis habere incipit; *primum, quod tunc illi cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso*. Quod si vitæ negotiis, vel quod pejus est, *illecebris* distractus de se ipso deliberare omittat, ipse negligentia sua efficit, ut nulla ei de auctore hujus universi inquirendo cogitatio occurrat; adeoque ejus ignorantia est culpabilis; unde subdit idem Angelicus: „ Si vero non ordinet seipsum ad debitum „ finem secundum quod in illa ætate est capax „ discretionis, peccabit mortaliter, non faciens „ quod in se est “.

142. Sed iterum audiatur Sanct. Thomas, qui duplicem ignorantiam utramque culpabilem ita accurate distinguit 1. 2. q. 76. art. 2. „ Ignorantia est voluntaria, vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius „ peccet; vel indirecte, sicut cum aliquis propter „ laborem, vel propter alias occupationes (*multo magis propter illecebras*) negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur. Talis „ enim negligentia facit, ignorantiam ipsam esse „ voluntariam, & peccatum dummodo sit eorum, „ quæ quis scire tenetur, & potest “.

143. Alterum etiam falsum est, scilicet ut ignorantia Dei sit culpabilis, necessarium esse, ut homo sciat, se teneri ad eum cognoscendum; iterum enim respondetur, hominem ex negligentia sua hoc debitum ignorare; si enim attenderet, & hoc debitum, quod naturæ insitum est, plane cognosceret. Illa itaque ignorantia non erit quidem *affectata*, ut eam vocat S. Thomas I. 2. quæst. 6. art. 8., cum scilicet aliquis ignorare vult; sed erit *crassa*, quia ex negligentia provenit (*a*).

CAPUT V.

De Voluntario Libero.

144. Maximi momenti quæstionem aggredimur, quæ non solum ad Religionem, sed ad ipsam societatem humanam pertinet, quæque nullo unquam tempore magis fuit necessaria, quam nostro, quo novos quotidie libertatis osores prodere videmus. Et primo quidem duplex distinguitur libertas, alia *voluntatis*, seu naturæ, alia *arbitrii*, seu indifferentiæ. Prima excludit solam coactionem, non autem simplicem necessitatem, ita sic Beati in cœlis amant Deum, voluntarie quidem, sed necessario, & ut non possint non amare; & nos bonum in communi volumus non coacti, sed ita necessario, ut malum sub ratione mali velle non possimus. Libertas indifferentiæ (*b*), seu arbitrii etiam a necessitate absoluta immunis est, & definiri potest cum Sancto Thoma I. P. quæst. 83. art. 4. *Vis electiva:* hoc est, ut dixerat artic. 1., „ potentia, sive facultas ad opposita, quatenus judicium rationis ad diversa se habet, & „ non est determinatum ad unum “. Dicitur autem *potentia*, non habitus, quia etiam sub habitu manet per liberum arbitrium potentia ad oppositum. Neque dicitur actus, quia homo manet liber, etiam si non agat (*c*).

145. Libertas arbitrii alia est *specificationis*, seu

(*a*) De hac controversia præter Theol. Schol. Tractatores, consuli possunt Arnaldus in opere: *La nouvelle hérésie dans la Morale denoncée au Pape* &c.; ubi occasione impugnandi peccatum philosophicum plura habet huc spectantia; tum P. Michael Elizalde *De forma religionis;* P. Pius Thomas Milante *Exercitation. dogmatico-moralium* T. III. in prop. secundam damnatam ab Alexandro VIII., qui etiam pag. 13. & seq. edit. Neap. in quarto an. 1740. ostendere nititur, ex mente Angelici Præceptoris admittendam esse ideam Dei ingenitam; ac P. Vinc. Patuzzi in sua *Ethica Christiana* T. II. Diss. 3. cap. 5.

(*b*) Hanc vocem sumimus in sensu apud Theologos usitato, prout excludit necessitatem absolutam, non autem in sensu grammaticali, & vulgari, prout denotat æquilibrium in utramque partem: unde libertatem indifferentiæ etiam in eis esse dicimus, qui ad aliquid agendum maxime inclinati sunt. Nec prætereundum est, nunquam a S. Thoma fuisse hoc vocabulum in Summa Theolog. usurpatum. Vide dicta in Tom. II.

(*c*) Sylvius in P. S. Thomæ qu. 83. art. 3., & 4., qu. 3. explicat, in quonam sensu intelligi debeat illa definitio liberi arbitrii, quod sit *potentia, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, & non agere*. Quædam enim sunt ab ipsa actione inseparabilia, saltem in sensu composito, ut ex gr. ultimum judicium rationis practicæ; determinatio item, qua voluntas seipsam movet? & ad Thomistarum mentem præmotio physica; nam ut dicit S. Thomas P. 2. qu. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid*,

seu *contrarietatis*, alia *contradictionis*, seu *exercitii*. Prima est potentia ad actus specie diversos, sive contrarii illi sint, ut amor, & odium; sive tantum disparati, ut scribere, vel ambulare. Libertas autem *exercitii*, seu *contradictionis* respicit actum, & ejus omissionem, ut scribere, vel non scribere.

146. Libertatem voluntatis nemo, quod sciam, inficiatus est, sed libertas arbitrii omni fere ætate osores, & adversarios habuit. Ac *primo* quidem eam sustulerunt veteres illi Philosophi, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles, qui Cicerone teste Lib. *de fato* cap. 17. *censebant, omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret*. In eumdem censum veniunt vani illi Astrologi judiciarii, seu Planetarii, vel Genethliaci omnia ex inevitabili siderum influxu pendere dictitantes (*a*). *Secundo* inter Christianos Manichæi, qui ut duo rerum principia bonum, & malum, ita duas esse in homine animas, alteram necessitate bonam, alteram necessitate malam comminiscebantur (*b*). *Tertio* Wicleffus, Sæc. XIV.; & post ipsum Lutherus, & Calvinus eumdem errorem suscitarunt, quamquam Lutherus sententiam postea mutavit (*c*). *Quarto* plures propositiones Baji, Jansenii, & Quesnelli tamquam libertatem arbitrii evertentes a Rom. Pontificibus Pio V., Gregorio XIII., Innocent. X., Alexandro VII., & Clemente XI. merito damnatæ sunt (*d*).

147. Demum nostra, & Patrum nostrorum ætate multi extiterunt humanæ libertatis inimici, ut Hobbes, Spinoza, Antonius Collins, & hujus furfuris alii non pauci (*e*), contra quos omnes omni argumentorum genere libertatem indifferentiæ vindicare aggredimur.

148. Notandum tamen prius est, nos hic eam quæ-

impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur. Potest etiam eo sensu liberum definiri *potentia, qui positis omnibus* &c.; quatenus etsi cum præmotione physica conjungi non possit non actus, componi tamen potest potentia ad non agendum, quæ in nobis semper manet, etiam quando agimus. Vid. Massoulie Diss. *de liber.* q. I. art. 3., ubi varias libertatis definitiones accurate expendit.

(*a*) De veteribus Philosophis, qui liberum arbitrium negarunt, videri possunt Tertullianus Lib. II. *Cont. Marcionem*, Eusebius Lib. VI. *de præparat. Evang.*, & S. Augustinus Lib. V. *de Civ. Dei*, De variis autem fati speciebus agit inter alios Leibnitius in *Theodicæa*; & ante eum S. Thomas Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 93., ubi observat, aliquos nomine *fati* intellexisse Providentiam divinam. *Sed puta cum infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex consortio nominum possit sumi erroris occasio, nomine fati non est a fidelibus libere utendum, ne videamur illis assentire, qui male de fato senserunt, omnia necessitati siderum subjicientes, unde S. Augustinus dicit in Lib. de Civ. Dei c.* I. *Si quis virtutem, vel potestatem Dei nomine fati appellat, sententiam teneat, linguam corrigat*. Sed ad rem, Astrologis Priscillianus Hæreticus Sæc. IV., ut colligitur ex verbis Concilii Bracarensis Can. 5.: *Si quis animas, & corpora fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus, anathema sit*. Quis ferat Petrum Bælium, qui in art. *Priscillian.* Rem. II. dicere ausus est, doctrinam in Priscillianistis damnatam, fuisse postea in S. Augustino probatam, ac veluti in Canonem erectam? *Annon justius os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur?* S. Bernardus in ep. ad Innocentium.

(*b*) Frustra Beausorbius contra Irenæi, Clementis Alexand., Epiphanii, & Augustini potissimum testimonia Manichæos ab hac labe purgare nititur *Hist. des Dogmes des Manichées* Lib. VII. c. 2.

(*c*) Docuerat Lutherus in detestabilis sui schismatis initio, liberum arbitrium esse *titulum sine re*. Contra eum calamum strinxit Desiderius Erasmus edito libro *de libero arbitrio* an. 1524. Lutherus anno sequenti acerrimo stylo Erasmum refutavit in opusculo, cui titulus *de servo arbitrio*. Postea tamen æstu disputationis sedato Lutherus libertatem arbitrii confessus est ad art. 4. *Confessionis August.*, immo ut Bossuetus notat in Lib. III. *Hist. des Variat. des Eglises des Protestans* cap. 19. seq. in oppositum Semipelagianorum errorem declinare visus est insinuans, liberum arbitrium saltem ad incipiendum bonum ex se sufficere. Hinc ejus asseclas apertius postea ad Pelagianismum deflexisse idem Bossuetus observat VI. *Avertissemens aux Protestans* num. 36. Calviniani recentiores plerique a magistri sui sententia recedunt, docentes esse in homine veram arbitrii libertatem, ut inter alios plurimos fidem facit Bossuetus in sententiis Ecclesiæ reformatæ versatissimus *Præf. de l'exposition de la Foi, & Hist. des Variat.* Lib. VIII. cap. 24. & 51. Vid. quæ diximus Tomo VI. pag. 114.

(*d*) Doctissimus P. Laurentius Berti in *Syst. Aug. Vindic.* Dissert. IV. cap. 1. invictis argumentis ostendit, hæresim in Jansenio ab Ecclesia damnatam in eo potissimum sitam esse, quod talis in ejus systemate statuatur vel cælestis, vel terrena delectationis vis, ut nulla alia libertate relicta, quam quæ opponitur coactioni, fatalis inducatur necessitas.

(*e*) Thomas Hobbesius sæc. elapso, ut materialismi, ita & necessitatis patronus fuit, opusc. *De libert., & necessitate*; contra quem inter alios pugnavit Doctor Harris in opere: *Réponse aux difficultés, qui forment les Athées sur l'existence, & sur lex attributs de Dieu* T. II. *Collectionis* a Burneto factæ *Scriptorum, qui Religionem naturalem, & revelatam defenderunt*. Spinoza quidem nonnullis in locis libertatem tueri simulat; sed ad eam nihil aliud requiri vult, quam cognitionem motuum suorum, quæ certe etiam in homine catenis vincto inveniri potest. Et ep. 62. concedit quidem, nos quibusdam in rebus nullatenus cogi, si per hominem coactum intelligatur, qui agit invitus; non autem si intelligatur, qui quamvis non invitus, necessario tamen agit. Antonius Collins sine ulla larva apertius libertatem arbitrii impugnavit in opere, cui titulus: *Récherches philosoph. sur la liberté de l'homme*, cui plures observationes Samuel Clarcke opposuit *Recueil de diverses Pièces sur la Philosophie &c.* T. I. Helvetius in pestilenti libro *de l'Esprit* Disc. I. cap. 4. nonnullis cavillationibus libertatem tollere conatur. Thomasius etiam in *Fundamentis juris naturalis, & gentium* cap. 2. 66. & seqq. tanta confidentia asserit, nullam esse electionem voluntatis liberam, ut subdere non dubitaverit: *Qui hæc cognoscit, nec putat se libere agere ... is jam desiit desipere*. Ubi etiam Cocceium cit. Disput. II. *De dolo, & culpa* damnan-

quæstionem minime attingere, quam aliqui Catholici post Jansenium suscitarunt, præsertim in Academia Lovaniensi, an ad libertatis essentiam, prout in se ipsa sumitur, pertineat immunitas a necessitate. Nos loquimur de libertate in præsenti statu, eamque excludere nedum coactionem, sed etiam necessitatem ostendemus. *Et si quidem* (Jansenius) inquit Massoulié in Opere *D. Thomas sui interpres* T. II. Dissert. *de grat. Alami* quæst. 3. art. 6., *in ea solum metaphysica quæstione versatus fuisset, utrum scilicet ad naturam libertatis indifferentia pertineat, parum forsitan ea quæstio spectasset ad fidem.*

PROPOSITIO.

In statu naturæ lapsæ homo pollet vera libertate indifferentiæ.

149. Prob. *primo* ex sacris Litteris. Deut. XXX. 19. Moyses populo Israelitico mandata Dei proponens: *Testes invoco*, ait, *hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem; elige ergo vitam, ut tu vivas, & semen tuum.* Jam vero electio in libertate indifferentiæ consistit, nam ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 13. art 2., „ cum electio sit præacceptio unius respectu alterius, necesse est, quod electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt; & ideo in his, quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet ". Ejusdem generis est illud testimonium Divinum Eccli. XV. 14. „ Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi ". Quanquam autem hoc videri potest dictum de homine innocente, idipsum tamen etiam spectare ad statum naturæ lapsæ, patet *primo*, quia eamdem phrasim adhibuit Moyses populum Israeliticum alloquens; *secundo*, quia S. Augustinus *de grat. & lib. arbitr.* ex iisdem verbis sic colligit: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ejusdem generis inveniuntur in sacris litteris bene multa, quæ liberam electionem, adeoque perfectam indifferentiæ potestatem in homine esse significant.

150. Prob. *secundo* ex SS. Patribus. Et quidem infiniti propemodum occurrunt, qui Fatalistis, Manichæis, ceterisque liberi arbitrii eversoribus se valide opposuerunt, qui procul dubio non existimabant, duram, & violentam in nobis esse coactionem, quæ intimæ conscientiæ plane repugnat, sed solum simplicem voluntatis necessitatem. Sed, ut rem, quantum fieri potest, pressius agamus, tantum duo præclarissima Ecclesiæ lumina Augustinum, & Thomam afferemus, de quorum mente maxime disputare solent Adversarii (*a*).

151. S. Augustinus libertatem arbitrii tam contra Manichæos, qui eam evertebant, quam contra Pelagianos eam nimium dilatantes disputans, luculenter, ac constantissime vindicavit, ac prædicavit. Et primo contra Faustum Lib. II. cap. 5., se a fato abhorrere dicit, *ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus;* talem igitur vindicabat voluntatis libertatem, quæ ab omni necessitatis vinculo immunis esset, & ut infinita alia prætereain, in Lib. *de duabus animabus contra Manich.* cap. 11. ita peccatum definit: *Est voluntas retinendi, & consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.*

152. Cum vero orta postea esset Pelagiana hæresis, quæ arbitrium extollens, gratiam deprimebat, ita gratiæ vindicias suscepit S. Pater, ut tamen liberum arbitrium se minime negare profiteretur. Cum enim Pelagius testimonium S. Hieronymi attulisset, dicentis Lib. II. cont. Jovinianum: „ Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est; *ita respondet Augustinus* de Nat. & grat. c. 65.: Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat; quis aliter conditam humanam neget esse naturam? *Et Lib.* de grat. Christi c. 47. Ista quæstio, *inquit*, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asse-

„ ri-

tem erroris *Philosophos, tum veteres, tum neotericos, quod hominum meritum, & demeritum æstiment ex eo, quod cum electione agant.* Præter hos negatæ libertatis accusantur Joann. Lockius in opere *De intellectu humano*; Leibnitius propter suum systema *Harmoniæ præstabilitæ*, & propter principium *rationis sufficientis*; Petrus Bælius propter ea, quæ Manichæorum causa scripsit, ut ostendit Jaquelotius in *examine Theologiæ Bælii* P. II. cap. 2., & alii; adversus quos præter innumeros alios videri possunt P. Thomas Vinc. Moniglia *Dissertazione contro i Fatalisti*, item *Dissertazione contro i Materialisti*; P. Antonius Valsecchius *Dei Fondamenti della Religione* Lib. I. cap. 6., P. Thomas Maria Cerboni in *Theol. Naturali* Lib. II. q. V. art. 6., Finetti *De Princ. Juris nat. & gent.* Lib. IV. cap. 3., *Examen du Fatalisme*, & Lucas Joseph Hooke *Relig. nat. & revel. principia* Part. II.

(*a*) *Hic fons est, a quo post Canonicas Scripturas Tridentinum Concilium, & sentiendi de libero arbitrio formam, & loquendi regulam accipit.* Verba sunt Petavii Lib. VI. *De Op. f. ex dier.* c. 5. n. 9.; ac propterea æquum non censui disputationem de mente S. Augustini a quæst. de dogmate fidei separare. Sed recolantur, quæ Tomo IV. de utroque S. Doctore dicta sunt.

„ ritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri ". In quibus verbis duo sunt animadversione digna; *primum*, ab Augustino utrumque defendi, gratiam, & liberum arbitrium. *Secundum*, fateri tamen S. Patrem, difficillimum esse utrumque conciliare. Unde patet, eos decipi, qui non aliam libertatem concedunt, quam voluntatis, seu immunitatem a coactione: tunc enim perquam facillimum esset gratiam Dei cum nostra libertate conciliare. Demum scribens ad Valentinum Ep. CCXV. al. XLVII. ita concludit: *Fides sancta Catholica neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in vitam bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid &c.*

153. Magistro suo de more S. Thomas consensit, imo clarius etiam, si fieri potest, errorem oppositum explodit, ostendens, eum nedum Fidei dogmatibus, sed vel ipsi Philosophiæ adversari, Qu. VI. de malo „ Quidam, *inquit*, posuerunt, „ quod voluntas hominis ex necessitate movetur „ ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod „ voluntas cogeretur, non enim omne necessarium „ est violentum ". Annon ista eorum est, qui liberum tollunt arbitrium, sententia? „ Hæc autem opinio, *subdit Angelicus*, est hæretica, „ tollit enim rationem meriti, vel demeriti in humanis actibus, non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex „ necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam adnumeranda inter extraneas Philosophiæ „ opiniones, quia non solum contrariatur Fidei, „ sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis; si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, „ tollitur deliberatio, præceptum, & punitio, & „ laus, & vituperium, circa quæ moralis Philosophia consistit ". Nihil in his verbis ambigui.

154. Nec vero satis est respondere cum Vincentio Lenis in *Theriaca* Lib. II. cap. 8., S. Thomam excludere solum cæcam, & brutam necessitatem sine ulla cognitione finis, cujusmodi est ex. gr. in motibus indeliberatis concupiscentiæ, & *primo primis*, rationem prævenientibus, in somniantibus, infantibus, aut amentibus. Non inquam, nam S. Doctor, dum inquit; *non videtur esse meritorium &c.*, quamcumque necessitatem excludit, sive eam, quæ caret cognitione finis, sive eam, quæ cum cognitione finis conjuncta est. Et certe posita fatali necessitate, etiam cum finis cognitione conjuncta, tollitur deliberatio, præceptum &c., & scelera quæque gravissima humanæ vitæ infortunia potius essent, quam culpæ, commiseratione digna, non pæna.

155. Prob. *tertio* ratione, quam suppeditat S. Thomas (*a*), ita demonstrans hominem non ex necessitate eligere 1. 2. quæst. 13. art. 6. „ Potest homo velle, & non velle, agere, & non „ agere; potest etiam velle hoc, aut illud, cujus „ ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, „ in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere ut bonum, non solum hoc, „ quod est velle, aut agere, sed hoc etiam, quod „ est non velle, & non agere. Et rursum in omnibus particularibus bonis potest considerare „ rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali, & secundum „ hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum „ apprehendere, ut eligibile, vel fugibile. Solum „ autem perfectum bonum quod est beatitudo, non „ potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut „ alicujus defectus; & ideo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem cum non sit „ de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, non „ est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum: & ideo homo non „ ex necessitate, sed libere eligit ". Ita præclare „ S. Thomas libertatem arbitrii non solum asseserit, sed solidissime tuetur, & vindicat (*b*).

156. Ex his colligitur *primo*, juste damnatam esse in Concilio Constantiensi propositionem Wicleffi n. 27.: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*.

157. *Secundo*, jure pariter Lutheri, & Calvini hæresim proscriptam fuisse in Concil. Trid. Sess. VI. can. 4. his verbis: „ Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque „ posse dissentire, si velit, anathema sit. *Et can.* „ 5.: Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum „ sine re, figmentum denique a Satana invectum „ in Ecclesiam, anathema sit. *Et can.* 6. Si quis „ dixerit, non esse in potestate hominis vias suas „ malas facere, sed mala opera, ita ut bona, „ Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium „ opus ejus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit ".

158. *Tertio*, merito fuisse a Pio V., & Gregorio XIII. has propositiones Michaelis Baji Apostolica censura confixas, 39.: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fiat:* 66.

(*a*) Qui teste Antonio Genuensi *Elem. Met.* P. ult. n. 13. *de libertate acutissime, & ceteris accuratius, & solidius disputavit*.

(*b*) A rationibus aliis temperamus brevitati studio, Sed hæ videri possunt apud Lucam Josephum Hooke *Relig. nat. & mor. Philosophiæ principia* Tom. I. Part. 2. Sect. 1. art. 1. de libertate, apud Bossuet *Traité du libre arbitre* ch. 2., *Examen du Fatalisme* Tom. III. Lib. III. Sect. 2. ch. 2., P. Thomam Mariam Cerboni *Theol. Nat.* Lib. II. q. V. art. 6., aliosque.

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali:* & 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

159. Denique æquissimam esse hæreseos notam, quam Innocentius X., & Alexander VII. tertiæ Jansenii propositioni inusserunt: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Quam proposit. S. Thomas antea jam damnaverat Qu. XXV. *De veritate* art. 1., inquiens: *Absque omni dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet. Ad hoc enim fides adstringit, cum sine libero arbitrio non possit esse meritum, vel demeritum, justa pœna, vel præmium* (a).

160. Obj. 1. Allata quæcumque cum Scripturarum, tum SS. PP., tum etiam Conciliorum testimonia facile explicantur de libertate hominis hypothetica, non absoluta; nempe possumus utique unum, vel aliud agere, si voluerimus: sed absolute falsum est, velle nos libertate arbitrii, & indifferentiæ, cum voluntas nostra sit simplici necessitate ad hæc, & non ad alia volenda determinata. Eodem modo dici etiam posset, Beatos in cœlo posse Deum non amare, si vellent non amare; & S. Thomas docet Quodl. V. qu. 2. art. 4., hanc propositionem: *Deus potest peccare, si vult*, saltem in ordine consequentiæ esse veram.

161. Resp., distortam plane esse adversariorum interpretationem; frustra enim Scripturæ, S. Patres, & Concilia nos nostræ libertati admonerent, ut malum declinare, & bonum persequi velimus, si ipsa voluntas in nostra potestate non esset: tunc enim fuga mali, & amor boni a conditione nobis impossibilis pendens, impossibilis nobis esset; quemadmodum si cœco dicerem: *invenies thesaurum*, si bene oculis usus fueris: ac surdo: pulchram intelliges fabulam, si auribus attendas. Sane S. Thomas cum opposuisset sibi Quæst. XVI. *De dæmonibus* art. 5. num. 7.: *Ista consequentia valet: possum currere, si volo: ergo possum currere; sed diabolus potest converti ad bonum, si vult, quia in ipso velle consistit conversio: ergo diabolus potest converti;* respondet: *Cum dico: possum currere, si volo, antecedens est possibile; & ideo consequens est possibile; sed cum dico: Diabolus potest reverti ad bonum, si vult: antecedens est impossibile, unde non est similis ratio.* Ex quibus patet responsio ad exempla Beatorum, & Dei. Eadem enim fere verba habet in cit. *Quodl.: Cum dicitur, si Deus vult peccare, potest peccare, antecedens est impossibile &c.*

162. Dices *primo*. Jerem. c. X. 23. inquit: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos:* ergo non habet electionem, ac consequenter &c.

163. Resp. S. Thomam Qu. VI. *De electione* ad 1., id dupliciter intelligi posse: „ Uno modo, „ ut loquitur Propheta, quantum ad executionem „ electionis; non enim est in potestate hominis, „ ut expleat in effectu, quod mente deliberat: a„ lio modo potest intelligi quantum ad hoc, quod „ etiam interior voluntas movetur ab aliquo su„ periori principio, quod est Deus; & secundum „ hoc Apostolus dicit, quod non est volentis, sci„ licet velle, neque currentis currere, sicut pri„ mi principii, sed Dei miserentis “.

164. Obj. *secundo*. Sanct. P. Augustinus in Lib. V. *De Civ. Dei* c. „ Si necessitas nostra, *inquit*, „ illa dicenda est, quæ non est in nostra pote„ state, sed etiamsi nolimus, efficit, quod potest, „ sicut est necessitas mortis: manifestum est, vo„ luntates nostras, quibus recte, vel perperam vi„ vitur, sub tali necessitate non esse; multa e„ nim facimus, quæ si nollemus, non utique fa„ ceremus ...... Si autem illa definitur necessitas, „ secundum quam dicimus, necesse esse, ut ita „ sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timea„ mus, ne nobis libertatem auferat, voluntatis. „ Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei „ sub necessitate ponimus, si dicamus necesse es„ se Deum semper vivere, & cuncta præscire; „ sicuti nec potestas ejus minuitur, cum dicitur „ mori, fallique non posse “. Ubi S. Augustinus *primo* expressis verbis solam coactionem, non autem simplicem necessitatem a nostra voluntate excludit: *secundo* talem necessitatem in nobis admittit, qualis est in vita, & præscientia Dei: quis autem neget, Deum necessitate absoluta, & proprie tali, vivere, & præscire?

165. Resp., Augustinum hic loqui de necessitate præscientiæ consequenti, & hypothetica, quæ libertatem haud tollit, non autem de necessitate absoluta, & libertatis inimica. Nam contra Ciceronem, & Stoicos (b) demonstrat præscientiam Dei libertati hominum non adversari, quia tametsi ali-

(a) Eodem brevitatis amore omittimus nonnulla argumenta, quibus aliqui ex Scripturis Sanctisque Patribus, ac potissimum ex S. Augustino probare nisi sunt, liberum arbitrium homini in prima creatione concessum, fuisse primo Adami peccato amissum, quia hæc in Tom. IV. accurate exposita, & diluta sunt.

(b) Dubitari fortasse poterit, an Stoici voluntatis libertatem omnino sustulerint, cum ibidem S. Augustinus inquiat: „ Nec illa necessitas formidanda est, quam „ formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita di„ stinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quas„ dam subderent: atque in his, quas esse sub neces„ sitate noluerunt, posuerunt etiam nostras volunta„ tes, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur „ necessitati “. Sed jam observatum est ab eruditis, Stoicos libertatis nomen dolose admisisse, non rem ipsam. Hinc Cleanthes apud Senecam Ep. 107., & apud Epictetum in *Enchiridio* cap. 52. inquiebat: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt*. Vid. etiam S. Augustinus Lib. cit. cap. 8., tum Vossius *Theol. Gentilium* Lib. II., Cudworthus in *Syst. mundi intell.* cap.

liquam necessitatem rebus prævisis affert; hæc non est necessitas absoluta, sed hypothetica. Porro si concessisset Sanct. Doctor, ex præscientia Dei sequi necessitatem absolutam, & solam excludi coactionem, nulla ipsi fuisset cum Cicerone controversia, qui certe non adeo desipiebat, ut nos a divina præscientia violenter cogi doceret.

166. Nec vero officit exemplum allatum vitæ Dei; sumit enim ibi S. Pater vitam Dei pro actionibus ipsius liberis ad extra, quæ necessariæ sunt tantum *hypothetice*, & *consequenter*, non autem *absolute*, quomodo necessariæ sunt actiones ejusdem Dei ad intra; eodemque pacto sumit præscientiam, eam nempe, quæ est rerum contingentium, quas Deus præscit, non necessitate absoluta, sed ex hypothesi, quod eas esse voluerit. Id patet, quia ibidem hoc aliud exemplum addit: „ Sic etiam cum dicimus, necesse esse, ut cum „ volumus, libero velimus arbitrio; & verum pro„ cul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum „ arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit „ libertatem ". Ubi certe necessitas tantum hypothetica designatur.

167. Dices. S. Augustinus sæpius docet, nos ex eo præcise liberos esse, quod volumus, & tam non posse actum nostrum non esse liberum, quam non esse voluntarium. Ita præcipue Lib. III. *De libero arbitrio* cap. 3., & Lib. V. *de Civ. Dei* cap. 10. „ Necesse est, *inquit*, ut quod volumus, „ libero velimus arbitrio; *item* De Nat. & Gra„ tia c. 46. Perquam absurdum est, non perti„ nere ad voluntatem nostram, quod beati esse „ volumus, quia id omnino nolle non possumus: „ *tum in* Enchiridio cap. 105. Voluntas aut vo„ luntas non est, aut libera dicenda est, qua bea„ ti esse sic volumus, ut esse miseri non solum „ nolimus, sed nequaquam prorsus velle possi„ mus ". Et alibi quamsæpissime ad sartam, tectamque servandam libertatem solum requirit, ut lubentes velimus. Unde etiam S. Thomas: *Necessitas*, inquit Quæst. XXIV. *de Verit.* art. 1. ad 20., & I. P. qu. 80. art. 1. ad 1., *naturalis inclinationis libertatis non repugnat secundum Augustinum*.

168. Resp., hæc, & alia hujus generis testimonia intelligenda esse de libertate voluntatis, quæ solam excludit coactionem, non autem de libertate arbitrii; quæ etiam a simplici absoluta necessitate immunis est. Audiatur S. Thomas loc. cit. *de veritate*: „ Sicut de primis principiis non ju„ dicamus ea examinantes, sed naturaliter iis as„ sentimur, & secundum ea alia omnia examina„ mus, ita & in appetibilibus de fine ultimo non „ judicamus judicio discussionis, vel examinatio„ nis, sed naturaliter approbamus, propter quod „ de eo non est electio, sed voluntas. Habemus „ ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum „ necessitas naturalis inclinationis libertati non re„ pugnat secundum Augustinum *de Civ Dei*: non „ autem liberum judicium, proprie loquendo, „ cum non cadat sub electione ". Ita Angelicus nedum suam, sed etiam Augustini mentem luculenter exponit. At vero Sanctus Augustinus præter hanc libertatem arbitrii, & indifferentiæ, in hoc etiam naturæ corruptæ statu admisit, ut ex locis supra allatis constat. Vid. n. 151.

169. Imo S. Doctor sæpius voluntatem sumit pro libero arbitrio; ut cum cit. Lib. III. *de lib. arb.* c. 3. inquit, *nos non necessitate; sed voluntate* (idest libero arbitrio) *peccare*; & rursus: „ Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa „ voluntas est .... Voluntas nostra nec voluntas es„ set, nisi esset in nostra potestate. Porro quia „ est in potestate, libera est nobis; non enim est „ nobis liberum, quod in potestate non habemus, „ aut potest non esse, quod habemus ". Quibus verbis cum non solum coatio, sed etiam quæcumque necessitas absoluta excluditur, patet, S. Augustinum aliquando voluntatis nomine significasse liberum arbitrium.

170. Dices *secundo*. S. Doctor in Lib. *de duab. anim.* cap. 10. eam voluntatem, qua peccatur, ita definivit: *est animi motus*, *cogente nullo*; cui definitioni & illa consonat tradita a S. Prospero contra Collatorem cap. 9., ubi *liberum arbitrium*, inquit, *id est rei sibi placitæ spontaneus appetitus*; & illa S. Thomæ in II. Dist. 25. quæst. 1. art. 4. *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest*; & art. 5. *Libertas*, *in sui ratione negationem coactionis includit*. Quibus omnibus sola a libertate excluditur coactio, non simplex necessitas.

171. Resp. his, aliisque similibus loquendi formulis coactionem sumi minus proprie pro quacumque absoluta necessitate; unde quando Sancti Patres a libero arbitrio coactionem excludunt, hoc ipso intelliguntur excludere quamcumque absolutam necessitatem. Sane S. Augustinus Lib. I. *Retract.* cap. 15. hanc suam definitionem voluntatis ad nostros protoparentes maxime spectare, dicit: „ qui primi in paradiso fuerunt humano generi „ origo mali, nullo cogente peccando, hoc est „ libera voluntate peccando, quia & scientes con„ tra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit, „ ut hoc fieret, non coegit ". Ubi nemo non videt, a S. Doctore coactionem sumi, prout nedum necessitati absolutæ, sed etiam ignorantiæ opponitur.

172.

3. §. I. cum notis Laur. Moshemii, aliique recentiores, quibus præluxit Cicero *de Finibus* cap. 9., inquiens: *Qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciunt*: & cap. 17. de Chrysippo loquens *Stoicorum somniorum interprete vaferrimo* (ut eum alibi vocat): *Dum*, inquit, *verbis utitur suis*, *delabitur in eas difficultates*, *ut necessitatem fati confirmet invitus*.

172. Nec diverso sensu S. Prosper *spontaneum appetitum* sumit; nempe prout est a quacumque absoluta necessitate immunis; loquitur enim ibi de eo libero arbitrio, quo Adam usus est ad peccandum, quodque vel ipsis adversariis fatentibus ab omni necessitate erat immune.

173. S. autem Thomas sumit coactionem, prout complectitur tam violentiam, quam simplicem necessitatem. Nempe docuerat ibidem art. 3., duplicem esse coactionem, alteram *sufficientem*, *quæ compulsio vocatur*, seu *violentia*, & hoc modo compelli posse dicit eas vires, quæ sunt organis affixæ, earum actibus violenter *extortis*; alteram *insufficientem*, *quæ vocatur impulsio*, seu *simplex necessitas*, ut ex. gr. intellectus *demonstrationis vi cogitur*, eodemque modo cogitur voluntas a bono in communi, quod non potest non velle. Recte igitur Angelicus docet, liberum arbitrium dici ex eo, *quod cogi non potest*, nempe neque coactione compellente, seu violentia; neque impellente, seu necessitate.

174. Eadem ratione, ni fallor, commodum erit explicare alias non dissimiles Patrum locutiones, qui coactionem aliquando minus proprie sumpserunt pro simplici necessitate (*a*), quandoque etiam latissime pro quadam necessitate morali, seu magna difficultate. Similiter etiam voluntatem aliquando sumpserunt pro sola immunitate a coactione, aliquando latius pro immunitate a necessitate, quandoque etiam potissime pro immunitate ab omni difficultate.

175. Obj. *tertio*. S. Bernardus *Ubi voluntas*, inquit Lib. *de grat. & lib. arb.* cap. 1, *ibi libertas*, *& hoc est*, *quod dici puto liberum arbitrium:* cap. autem 2. probat, voluntatem non posse sua libertate privari, *quia impossibile est*, *sibi non obedire de se ipsa; nemo quippe aut non vult*, *quod vult*, *aut vult*, *quod non vult*. Similia repetit quamsæpissime, quæ ostendunt solam voluntatis, non autem arbitrii libertatem fuisse a S. Bernardo admissam.

176. Resp., Mellifluum Doctorem a voluntate, quam liberum arbitrium nominat, non tantum rigidam coactionem, sed etiam absolutam quamcumque necessitatem submovere; ac proinde intelligere non voluntatem præcise, ut facultas est volendi quomodocumque, sed ut est facultas volendi cum electione, & indifferentia. Et quidem quamcumque absolutam necessitatem a S. Bernardo excludi, pluribus ejus verbis manifestum fit. Ibidem enim: „ Est vero, *inquit*, ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat, destrueret autem, si necessitatem ullam ei imponere, quominus libere pro arbitrio se volveret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui ..... sive ad bonum, gratiam sequens: Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas jam non esset; ubi quippe necessitas, jam non voluntas “. Tum postea subdit: *Voluntatis consensus utique voluntarius*, *non necessarius*, *non incongrue dicitur liberum arbitrium*, *ipse liber sui propter voluntatem*, *ipse judex sui propter rationem*. Et similia habet satis multa, quibus ostendit, se liberum, & voluntarium tamquam duo synonima sumere, quacumque absoluta necessitate semota.

177. His accedit, quod S. Pater ibidem cap. 7. triplicem distinguit libertatem, a necessitate, a peccato, a miseria; & duas posteriores amisisse Adam peccato suo docet, non autem primam. *Arbitrii utique libertatem*, *tam post peccatum*, *quam ante semper tenuit inconcussam*. Certe libertas arbitrii in Adamo nulla erat necessitate adstricta: pari ergo ratione ad mentem S. Abbatis Claraevallensis etiam in nobis remansit, quamvis non omnino integra & sana, ut in illo erat. Demum exclusionem cujuscumque absolutæ necessitatis ad meritum, & demeritum requiri in eodem libro luculenter docet S. Bernardus, inquiens: *Hinc est*, *quod insanis*, *vel infantibus*, *itemque dormientibus*, *nihil*, *quod faciunt*, *vel bonum*, *vel malum imputatur: quia nimirum*, *sicut suæ non sunt compotes rationis*, *sic nec usum retinet propriæ voluntatis; ac per hoc nec judicium libertatis*.

178. Dices. Idem S. Bernardus: „ Nemo putet, *inquit ibid. cap.* 10. *n.* 35., ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum, & malum potestate, aut facilitate versetur ..... Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse mali, nec prævaricatores item Angeli, cum ita sint mali, ut jam non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicentur ..... Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio “. Putavit ergo S. Bernardus, sola immunitate a coactione liberum arbitrium servari.

179. Resp. His verbis videtur S. Bernardus solum excludere a libero arbitrio Dei, & Sanctorum eam indifferentiam, immo proclivitatem, quæ est ad malum, quam nostræ libertatis defectum esse & ad ipsius essentiam minime requiri, inferius ostendemus, non autem indifferentiam contradictionis, quæ est ad unum actum, vel alium, serva-

(*a*) Vel ipse Julianus coactionem aliquando sumere visus est pro simplici necessitate, ut cum apud Sanct. Augustinum Libro I. *Operis Imperf.* caq. 82. inquit: *Libertas arbitrii possibilitas est*, *vel admittendi*, *vel vitandi peccati*, *expers cogentis necessitatis*.

vato ordine finis; & sic Deum, ac Beati liberi dicuntur, quia quamquam velle non possunt nisi bonum, possunt tamen hoc, vel illud bonum eligere: & dæmones pariter, ac damnati, tametsi nonnisi ad malum sunt sua obstinatione determinati, possunt tamen quodcumque malum in particulari vel amplecti, vel declinare.

180. Ceterum quidquid de Dei, Beatorum, dæmonumque libertate S. Bernardus senserit, eodem in loco aliud omnino statuit de libertate nostra; ita enim prosequitur: *Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æque liberam faciat voluntatem;* non tamen quasi homo in æquilibrio constitutus æqualem habeat ad utrumque facilitatem, ut quidam somniant: unde S. Pater concludit: *Tali jam ratione non incongrue dicetur ad bonum se, & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.*

181. Obj. *quarto*. S. Thomas solam violentiam, & coactionem libertati repugnare docet, inquiens Quæst. III. *de potentia* art. 7. ad 14.: *Non quælibet causa excludit libertatem, sed solum causa cogens*. Clarius etiam Quæst. X. *de potentia* art. 2. ad 5., ubi inquit: „Naturalis necessitas, „ secundum quam voluntas aliquid ex necessitate „ velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis „ non repugnat, ut Augustinus docet *Lib. V.* de „ Civ. Dei; libertas enim voluntatis violentiæ, vel „ coactioni opponitur. *Ex qua doctrina infert*, & „ voluntatem libere appetere felicitatem, licet ne„ cessario appetat illam: & Deum libere amare „ se ipsum, licet necessario amet; *ac demum* li„ bere Spiritum S. procedere a Patre, non ta„ men possibiliter, sed ex necessitate“.

182. Resp. primo loco nomine *coactionis* S. Thomam intelligere etiam simplicem, & absolutam necessitatem. Id patet ex scopo, qui est conciliandi libertatem nostram cum efficaci Divina motione; unde etiam subdit: *Sic autem Deus non est causa operationis nostræ;* quia nempe Deus movendo voluntatem ita se nobis accommodat, ut judicii indifferentiam non tollat, qua remanente remanet etiam libertas.

183. Alio autem in loco de libertate solius voluntatis loquitur; non arbitrii, & indifferentiæ. Sed præter hanc libertatem, quam solam circa finem habemus, quia de eo non est electio, sed sola voluntas, S. Thomas plenam arbitrii, & indifferentiæ admittit libertatem circa media, ut patet ex locis supra citatis n. 155., aliisque multo pluribus (*a*).

184. Ob. *quinto*. Christus Dominus liber non erat libertate indifferentiæ ad mortem subeundam; cum enim natura impeccabilis esset propter unionem hypostaticam, & beatificam visionem, non poterat non adimplere præceptum Patris sibi impositum moriendi: atqui tamen morte sua sibi quidem immensam gloriam, nobis autem gratiam, & salutem promeruit: ergo ad merendum, vel demerendum &c.

185. Resp. Theologos hac difficultate pressos in varias abire sententias; nos autem cum Thomistis dicimus, Christum in morte subeunda fuisse omnino liberum, utpote qui poterat non mori, sin minus in sensu composito cum præcepto; saltem absolute, & in sensu diviso, quod ita explico: Christus ratione unionis hypostaticæ, & beatificæ visionis certe nullo modo peccare poterat, adeoque nec conjungere potuit non mortem cum præcepto Patris de morte subeunda; hæc tamen impotentia Christi libertatem minime lædebat, quia potentia peccandi defectus libertatis est, non essentia, ut declarabitur infra. Poterat autem absolute, aut non mori, aut aliud diversum mortis genus eligere; quia absolute non deerant ei alia media, quibus justitiæ Divinæ satisfaceret, & humanum genus redimeret.

186. Et sane si sola consideretur Christi voluntas, facile intelligitur potuisse eum, vel aliud genus mortis seligere, vel plane velle non mori. Si consideretur deinde præceptum Patris illi impositum de morte crucis subeunda, iterum clare patet, eam potentiam, quæ in Christo prius erat, absolute remansisse, cum hoc præceptum Patris nullam Christo mutationem attulerit; & solum ex eo præcepto consecutum est, ut ita voluntas Christi moveretur a Verbo, ut nihil aliud seligeret, quam mortem crucis. Sed hæc latius ex-

(*a*) Observo tamen, S. Thomam in *Summa Theol.* nunquam dixisse, Spiritum Sanctum libere a Patre procedere. Immo id videtur improbare I. P. qu. 41. art. 2., ubi quærit, an actus rationales sint voluntarii, resolvit enim, posse aliquo sensu dici, Patrem voluntate genuisse Filium, si voluntas sumatur tantum concomitanter, non autem si sumatur per modum principii; *cujus ratio est*, inquit, *quia voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum, sed voluntas non est determinata ad unum .... Eorum igitur voluntas est principium, quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est.* Quare Thomistæ aliqui dupliciter considerant voluntatem; prout est natura, & prout reduplicative est voluntas, primo modo non est immunis a necessitate, sed a coactione tantum: secundo autem modo est liberrima. Hæc responsio nonnisi verbis a nostra differt, traditurque a S. Thoma Qu. XXII. *de verit.* art. 5. ad 5. argum. *Sed contra*, ubi inquit: *Voluntas, inquantum est rationalis, ad opposita se habet: .... sed prout est natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad unum*. Et 3. P. Qu. 18. art. 14. inquit: *Differt electio a voluntate in hoc, quod voluntas per se loquendo, est ipsius finis; electio autem eorum, quæ sunt ad finem. Et sic simpliciter voluntas est idem, quod voluntas ut natura; electio autem est idem, quod voluntas, ut ratio, & est proprius actus liberi arbitrii*. Vid. Massoulie *De motione physica* & Dissert. II. qu. 2. art. 3.

explicata fuere Tomo V. Dissertatio IV. cap. 6.

187. Dices *primo*. S. Thomas cum hoc idem argumentum sibi objecisset, ita respondet in III. Dist. XVIII. quæst. 1. art. 2. ad 5.: „ Quod si „ etiam liberum arbitrium Christi esset determi- „ natum ad unum numero, sicut ad diligendum „ Deum, quod non facere non potest: tamen ex „ hoc non amittit libertatem, aut rationem lau- „ dis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed „ sponte tendit, & ita est actus sui dominus “; ergo censet Angelicus, ad meritum, & demeritum non aliam requiri libertatem, quam immunitatem a coactione.

188. Resp., S. Thomam hanc doctrinam non ex propria, sed ex aliena sententia tradidisse, aut saltem postea reprobasse. Cujus ratio est, quia ibidem primo difficultatem eadem ipsa, qua nos usi sumus, ratione solvit, dicens: „ Liberum ar- „ bitrium Christi non erat determinatum ad unum „ secundum numerum: sed ad unum secundum ge- „ nus, scilicet ad bonum, quia in malum non „ potest: sed tamen hoc potest facere, & non fa- „ cere, & hoc non excludit libertatem arbitrii, „ quia posse peccare nec est libertas arbitrii, nec „ pars libertatis, ut dicit Anselmus in Dial. de „ lib. arb. *cap.* 1. “. Quamquam vero postea aliam responsionem subdit, alibi tamen quotiescumque idem argumentum tractavit, semper primam illam responsionem constantissime tenuit; alterius vero mentionem quidem fecit (*a*).

189. Addunt alii, Christum etiam actionibus necessariis meruisse, merito *dignitatis*, quod ab infinitate Personæ in eas redundabat, aliam autem esse rationem meriti *infirmitatis*, cujusmodi in nobis est, quod nonnisi actionibus liberis comparari potest.

190. Dices *secundo*. Idem S. Thomas in III. Distinct. XII. q. 2. art. 1. ad 2. inquit: „ Quam- „ vis removeatur a Christo potentia peccandi, non „ tamen ponitur coactio, quæ voluntario contra- „ riatur, & laudis rationem tollit; *&* *ad* 3. Im- „ potentia coactionis, quæ opponitur voluntario, „ tollit rationem meriti, & demeriti; non impo- „ tentia, quæ est ex perfectione in bonitate, vel „ malitia, quia hæc voluntarium non tollit, sed „ ponit voluntatem confirmatam ad unum: *er-* „ *go &c.* “.

191. Resp. S. Thomam nomine *coactionis* intelligere tum violentiam, tum etiam simplicem necessitatem; per impotentiam autem ex perfectione in bonitate, vel malitia, necessitatem improprie talem, seu voluntariam. Id colligo *primo*, quia alias nimis aperte S. Doctor iis adversaretur, quæ habet in Quæst. VI. *de malo* (Vid. num. 153.): *Secundo* ex scopo, qui erat ostendendi in Christum fuisse meritum, quamquam peccare non poterat. At vero tametsi nulla erat in Christo potentia peccandi, nulla tamen erat in eo necessitas operandi, sed plena libertas faciendi hoc, vel illud servato ordine finis: Quemadmodum etiam obduratis non aufertur potestas faciendi hoc, vel illud malum, licet fortasse ex propria culpa in iis potestas non esset resipiscendi. Quando ergo dixit Angelicus, solam *coactionem*, quæ voluntario opponitur, tollere rationem meriti, & laudis, idem est ac si dicat, *absolutam necessitatem* tollere rationem laudis, & meriti.

192. Obj. *sexto* ex ratione. Nihil fit sine ratione sufficiente; hoc ipso autem voluntas nostra non potest aliud eligere, quam quod reipsa eligit: si enim quod voluntas eligit, rationem habet sufficientem, illius contrarium ratione sufficiente careat, necesse est, adeoque nullo modo eligi potest; nisi dicamus, aliquid esse posse sine ratione sufficiente, quod esset fortuitum casum una cum Epicureis introducere.

193. Resp., *primo* aliqua occurrere exempla liberæ electionis, in quibus ratio sufficiens vix ac ne vix quidem locum habere potest: ex. gr. optio alicui detur unam eligendi ex duabus margaritis, quas non videt, sed perfectissime æquales esse illi pro certo dicitur; unam profecto seliget sine ulla ratione sufficiente, quam pro sua libertate; nisi fingere velimus, eum in æquilibrio mansurum sine ulla electione, uti de asino Buridani aliqui fabulati sunt (*b*).

194. Sed ulterius licet demus, electionum nostrarum semper rationem esse sufficientem, id tamen arbitrii libertatem minime lædit. Ratio enim sufficiens aliquid eligendi, vel respuendi est bonum, vel malum in eo apparens; at vero, ut supra cum S. Thoma (*c*) dictum est, in omnibus particularibus bonis potest homo etiam multa mala

la

(*a*) Ita Quæst. XXIX. *De verit.* art. 6. ad 7., 3. P. Quæst. XVIII. art. 4. ad 3. & P. Qu. LXXII. art. 1. ad 3. generaliter statuit, *nos domini esse nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere*; quod iterum repetit 1. 2. Quæst. 6 art. 2. ad 2., & alibi. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. II. P. I. Tract. V. cap. 12. n. 123. contendit, verba S. Thomæ ita esse explicanda, ut excludendo coactionem, censeatur excludere omnem prorsus necessitatem; & quando dicit, Christum exercuisse actum dilectionis Dei *sponte*, idem sit, ac prorsus libere, loquendo tamen de dilectione Dei, quam Christus habuit ut *viator*, quæ libera erat; quamvis dilectio, quam habuit Christus, ut *comprehensor*, non erat libera.

(*b*) Bened. Spinoza P. II. *Ethicæ* proposito exemplo hominis, qui eodem tempore fame, & siti æqualiter cruciaretur, positusque esset inter cibum, & potum æqualiter distantes, fidenter pronunciat, eum in tali æquilibrio constitutum, fame, & siti periturum. Multa de hac re invenies apud Petrum Bayle in *Diction.* art. *Buridan.* rem. c. Sed Sanctus Thomas missis Philosophorum argutiis simili difficultati ita respondet 1. 2. q. 13. art. 6. ad 3.: „ Nihil prohibet, si aliquando „ æqualia proponantur secundum unam considera- „ tionem, quin circa alterum consideretur aliqua con- „ ditio, per quam emineat, & magis flectatur volun- „ tas in ipsum, quam in aliud “.

(*c*) Vide S. Thomam supra cit. num. 153. & etiam

la considerare; itaque in ipsius libertate positum est, vel motiva considerare, in quibus ratio sufficiens continetur objectum illud amplectendi, vel alia opposita, quæ rationem continent sufficientem id ipsum respuendi. Quod quidem quotidiano rerum usu experimur; eamdem enim rem sub diverso adspectu consideratam modo cupimus, modo adversamur.

195. *Dices*. Considerare in objectis diversas vel boni, vel mali rationes, non a nostra libertate pendet, sed ab impressione, quam ipsa objecta in nobis faciunt, quæque major etiam, vel minor est, prout nostrorum corporum temperies, tum etiam animi nostri habitus, aut affectus diversi sunt, unde videmus ex eodem omnino objecto, vel in diversis hominibus, vel in iisdem prorsus, sed diversis temporibus diversas impressiones oriri.

196. Resp. negari certe non posse hujusmodi impressiones externorum objectorum magna quandoque vi pollere ad nostras voluntates inclinandas, ita tamen ut integra semper in nobis supersit dissentiendi facultas; quia nunquam tales sunt impressiones, ut nobis repræsentent objectum sub omnimoda ratione boni, quodque proinde nostram voluntatem ad se necessario rapiat: unde haud raro contingit, nos utut erga aliquod objectum magna inclinatione delatos, facta tamen seria quarumdam circumstantiarum consideratione, illud ipsum aversari. At vero semper in nostra potestate est objectum a sensibus propositum diligentius omni ex parte examinare, ut quantum in eo boni, malique sit, perpendamus.

197. Sed ut ejusmodi sophismata facilius dissolvantur, nostræ libertatis notio paucis exponenda est ex S. Thoma 1. 2. qu. 13. art. 6.: *Primo* voluntas nostra ad bonum in genere ita necessario determinata est, ut nonnisi id amplecti possit, quod ipsi sub ratione boni proponitur, & malum ut malum nullatenus velle possit. *Secundo*, nihil in hoc rerum statu ipsi proponitur sub omnimoda ratione boni, sed in omni objecto creato, utpote finito, & limitato, innumeri propemodum defectus detegi possunt, nempe perfectiones omnes, quæ ipsi desunt. *Tertio*, hinc sequitur, voluntatem nulli peculiari objecto creato esse necessario addictam, quia in unoquoque potest semper rationes considerare, & invenire, quibus objectum illi videatur malum, & adversandum, adeo ut, docente S. Thoma 2. 2. quæst. 34. art. 1. *ab aliquibus etiam Deus odio haberi possit, inquantum scilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor* (a).

198. Ob. *septimo*. Actiones voluntariæ, quæ liberæ a nobis dicuntur, *suas causas habent, & causæ illæ alias causas, & sic perpetuo usque ad causarum omnium primam, nempe divinam voluntatem:* ergo necessariæ sunt.... *Nisi enim voluntas Dei necessitatem voluntati humanæ imponeret..... libertas voluntatis humanæ omnipotentiam, & omniscientiam, & libertatem Dei tolleret*. Ita Hobbesius in Leviathan cap. 21.

199. Resp., hanc difficultatem jamdiu fuisse a S. Thoma præoccupatam, atque his paucis verbis solutam Quæst. VI. *de malo* art. undec.: „ Id „ quod primo movet voluntatem, & intellectum, „ est aliquid supra voluntatem, & intellectum, „ scilicet Deus: qui cum omnia moveat secundum „ rationem mobilium.... etiam voluntatem movet „ secundum ejus conditionem, non ut ex necessi„ tate, sed ut indeterminate se habentem ad multa: „ *& iterum ibid. ad* 3. Deus movet quidem volun„ tatem immutabiliter propter efficaciam virtutis „ moventis; quæ deficere non potest; sed propter „ naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se „ habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed „ manet libertas ".

200. Eademque prorsus ratione jam fuerat a Thoma præoccupatum aliud ejusdem Hobbesii, Collinsii, aliorumque recentiorum sophisma dicentium: Voluntas est causa sufficiens suorum actuum; hoc ipso autem debet esse causa necessaria, quia posita causa sufficienti, necessario poni debet effectus; alias causæ aliquid deesset, & sic non esset causa sufficiens. Porro S. Thomas hanc difficultatem, iisdem fere verbis sibi oppositam, ita expedit laudata Quæst. VI. *de malo* ad 15. *Non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri ut quandoque effectum suum non consequatur*. Explicat postea Angelicus, quomodo possit voluntas seipsam retrahere a prosecutione alicujus boni, nempe vel removendo ipsius considerationem, vel considerando oppositum, scilicet de-

1. 2. qu. 10. art. 2. ubi inquit: „ Illud solum bonum, „ quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bo„ num, quod voluntas non potest non velle, quod est „ beatitudo. Alia vero particularia, in quantum defi„ ciunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona, „ & secundum hanc considerationem possunt repudia„ ri, vel approbari a voluntate, quæ potest in idem „ ferri secundum diversas considerationes ". Quam doctrinam sæpissime S. Doctor ingeminat; præcipue Q. VI. *De malo* art. un.; ubi acute observat, *quod objectum movens voluntatem est bonum conveniens apprehensum; unde si sit aliquod bonum, quod apprehendatur sub ratione boni, non autem sua ratione convincentis, non movebit voluntatem*. Observat rursus Angelicus, requiri, ut id, *quod apprehenditur, ut bonum, & conveniens, apprehendatur ut bonum, & conveniens in particulari, & non in universali tantum*. Ceterum de principio rationis sufficientis vid. inter alios P. Thoma Vinc. Moniglia in Dissert. *Contro i Fatalisti* P. I. Sez. 2., e *contro i Materialisti* P. I. Sez. 1. §. 2. & seq.

(a) Videri potest de hac difficultate Duguet *Lettre sur la grace générale* n. 61. & seq. ubi ex principiis S. Thomæ claram libertatis notionem exhibet. Id agunt, sed multo fusius etiam P. Antoninus Massoulié Tom. I. *De Div. motione* Dissert. II. *De lib. creata*, & P. Thomas de Lemos *in Panoplia gratiæ* T. III. Tract. II.

defectus, qui in omni bono particulari inveniuntur.

201. Dices (cum Helvetio *de l' Esprit* Disc. I. cap. 4.): Nobis ipsis fatentibus desiderium felicitatis est cuilibet necessario inditum, nec nulla est in eo libertas; atqui hoc desiderium est omnium nostrarum actionum principium, ex eo enim perpetuo movemur in bonum, aut verum, aut apparens: ergo &c.

202. Resp. cum S. Thoma Quæst. VI. *de malo* ad 9. (Vid. etiam 1. 2. quæst. 13. art. 6. ad 1. & 2.). *Quando ad finem non posset perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset, volendi finem, & ea, quæ sunt ad finem:* & quemadmodum felicitatem necessario volumus, ita necessario etiam bonum verum, aut apparens vellemus: sed ita non est in proposito; nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest; & ideo licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult.

203. Dices *secundo*. Voluntas in agendo semper sequitur judicium intellectus, qui causa est necessaria: nulla ergo pollet libertate.

204. Resp., ipsum ultimum rationis judicium nobis esse liberum, utpote quod, ut S. Thomas recte observat I. P. Quæst. 83. art. 1., *non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis*. Nempe in nostra potestate est objectum sub diversa facie considerare, ut ultimum judicium rationis de eo feramus, quod voluntas postea sequitur.

205. Neque verum est, quod aliqui dicunt, nostram voluntatem esse instar bilancis, cujus ea pars inclinatur, quæ majori pondere premitur, ut nempe & nos semper illud amplectamur, quod omnibus consideratis melius apparet, illudque declinemus, quod minus bonum, aut omnino malum videtur (*a*). Hæc similitudo a re nostra quamlongissime abest; nam, ut sæpius dictum est, a nostra voluntate pendet, in objecto considerare plures, aut minores rationes boni, illudque proinde appetere, vel respuere. Hinc frequentissime contingit, ut idem objectum modo prosequamur, modo aversemur, prout scilicet diversa facie nobis objicitur. Hinc detestamur peccata, quæ prius amavimus, & concupivimus, ut sensui delectabilia; postquam scilicet Divina gratia mentem illustraverit ad eorum deformitatem noscendam, & cor inflammaverit, ut magis Creatorem diligamus, quam creaturam.

206. Obj. *octavo*. Nos arbitramur libere agere, intima nostra conscientia decepti; quod mirabile videri non debet: nihil enim facilius, quam nos decipi in nostris facultatibus, ac potentiis cognoscendis: sic si intimum conscientiæ sensum consulere duntaxat velimus, facile judicabimus, nos existere, conservari, atque etiam operari a nobismetipsis, quin ullo Dei concursu, aut auxilio indigeamus, quæ tamen falsa esse nedum revelatio, sed vel ipsa recta ratio nobis suadet. Insuper si experientiam recte examinemus, nullam prorsus in nobis esse arbitrii libertatem deprehendemus. Et *primo* in nostra potestate non est intellectus, tum quia plura sunt, quæ omni adhibita diligentia, intelligere non possumus, tum quia sæpe fallimur; & nemo est, qui quamvis maxime cupiat, omnes possit declinare errores. *Secundo* in nostra potestate non est memoria, cum nec possimus recordari, nec oblivisci, quando volumus. *Tertio* nec ipsa voluntas est in nostra potestate, quandoquidem ea adeo mutabilis est, ut nemo sit, qui possit, etiamsi id omnino statuat, eamdem voluntatem immutabiliter diu conservare; alia vult puer, alia adultus, alia senex, & quotidie mutamur. Confer S. Thomam Lib. III. *contra Gentiles* cap. 155. *Quarto* multo minus in nostra potestate sunt appetitus nostri; hinc cupiditatibus abrepti multa agimus, quorum postea nos pœnitet, & quorum antea pœnituit, iterum facimus.

207. Respond. ad *primum*, nec intimo sensui omnem cæco modo esse adhibendam fidem; neque omnem esse pyrrhonico furore adimendam; sed experientiæ, & conscientiæ esse etiam rationis lumen conjungendum; quod sit fiat, cognoscemus facile, nos a nobismetipsis nec existentiam primo habuisse, nec conservari, aut operari posse, nisi Deo volente, atque opem ferente. Certe multa sunt, in quibus recta ratio sensuum testimonia merito refellit; at vero nondum ab adversariis firmam aliquam rationem audivimus, qua possimus, & debeamus respuere testimonium conscientiæ nostræ, quo de vera libertate voluntatis certi efficimur. Vid. de hoc argum. Bossuet, *Traité du libre arbitre* cap. 2.

208. Quæ autem objiciuntur *primo*, & *secundo* loco, probant solum, omnia non esse in nostra potestate; non autem nullam nobis libertatem inesse. Non possum omnia cognoscere, possum tamen plura, si volo (*b*). In multos labi errores est naturæ corruptæ defectus; sed qui diligentia, at-

(*a*) Cicero Lib. IV. *Academ. Quæst.* cap. 13. *Ut enim necesse est*, inquit, *lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere; nam quomodo non potest animal ullum non appetere id, quod accomodatum ad naturam appareat* &c. Hoc libræ exemplo etiam utuntur Leibnitius *Essai de Theodicée* 3. P. §. 324. & seq. Baylius *Response aux Quest. d' un Provincial.* cap. 139. aliique; sed certe minus proprie.

(*b*) S. Thomas 1. 2. q. 17. art. 6. ubi quærit, *an actus rationis imperetur?* observat, duos actus rationis esse distinguendos respectu objecti: „ primo quidem „ ut veritatem circa aliquid apprehendat, & hoc non „ est in potestate nostra: hoc enim contingit per vir„ tutem alicujus luminis, vel naturalis, vel superna„ turalis, & id o quantum ad hoc actus rationis non „ est in potestate nostra, nec imperari potest. Alius „ autem actus rationis est, dum iis, quæ apprehen„ dit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa,

attentione, industria utuntur, in pauciores incurrunt, quam alii. Non est in nostra potestate oblivisci, nec omnium, quorum volumus, recordari, plura sunt tamen ad memoriam excolendam media, quibus pro nostra libertate uti possumus. Vero, multa sunt, in quibus possumus nostram libertatem exercere, quamvis non omnia posita sint a Deo in nostra potestate.

209. Quæ *tertio*, & *quarto* loco objecta sunt, probant quidem, in hoc corruptæ naturæ statu magnam esse difficultatem ad constantiam servandam, tentationes vincendas, & nostrorum appetituum motus coercendos, atque adeo esse arbitrii nostri vires peccato primi hominis fractas, & admodum diminutas; nemo tamen inde inferat, liberum arbitrium extinctum prorsus esse; nam opitulante Dei gratia bene multi, & constantiam in suis propositis servant; & perduellis concupiscentiæ motibus resistunt. Et ipsi, qui tentationibus cedunt, dum postea eos mali perpetrati pœnitet, satis indicant, se libere potuisse ab eodem malo abstinere, si voluissent. Nam eorum, quæ nobis necessario eveniunt, nos nunquam pœnitet; sic homo affligitur quidem morbis, aliisque infortuniis, quæ patitur necessitate naturæ; eorum tamen non pœnitet. Pœnitentia proprie eorum tantummodo est, quæ nostra culpa contraximus, & a quibus liberum erat abstinere (*a*).

210. Inst. In somniis videmur nobis libere agere, quia volentes agimus: ergo idem fortasse nobis contingit vigilantibus, ut credamus nos libere operari, cum tamen operemur necessario. *Sic etiam*, inquit Spinoza in Schol. 2. Prop. 2. P. 3. *Ethic.*, *infans se lac libere appetere credit, puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius credit se ex libero mentis decreto ea loqui, quæ postea sobrius vellet tacuisse; sic delirans, garrula, puer, & hujus farinæ plurimi ex libero mentis decreto credunt loqui, quum tamen loquendi impetum, quem habent, continere nequeant; ita ut ipsa experientia non minus clare, quam ratio doceat, quod homines ea sola de causa liberos se esse credant, quia suarum actionum sunt conscii, & causarum, quibus determinantur, ignari.*

211. Resp., frustra nos provocari ad ea, quæ in somniantibus, in pueris, in ebriis, deliris, aliisque ratione non utentibus contingunt; si enim hoc argumenti genus suscipiatur, latius serpet, ut tandem concludamus cum Scepticis, & Pyrrhonicis, de nulla prorsus re certos nos esse posse. Sed prudens quisque satis animadvertit immane inter hæc discrimen. Error, qui in supra enumeratis casibus contingit, facile detegitur, & nemo est, qui ignoret, nullam esse illis actionibus libertatem. Contra nullus hominum hactenus ostendere potuit, nos falli, etiam cum vigilantes, & plena ratione utentes quædam agimus pro arbitrio, & pro arbitrio ab iis cessamus.

212. Obj. *nono* (cum Collins *Recherches philos. sur la liberté*): Omnes hominum actiones, quæ ad libertatem spectare possunt, nonnisi hæ quatuor sunt, videlicet perceptio idearum, judicium de propositionibus, volitio, & actio; atqui in nulla ex his libertas indifferentiæ reperitur. Nam *primo* ideæ in nobis ab externa objectorum impressione necessario efformantur; *deinde* secundum ideas perceptas necesse est, ut judicemus, & non aliter; *tertio* prout judicamus, etiam volumus, cum voluntas sit potentia cæca, quæ a ratione dirigitur; ac *demum* ex volitione sequitur necessario operatio.

213. Resp., nihil infirmius afferri posse hoc argumento, in quo tamen Collinsius non modicam vim ad libertatem evertendam reponit. Et quidem *primo* falsum est, nos tantummodo ab externis objectis ideas rerum percipere, intellectus enim nativa sua vi ideas perceptas variis modis versat, conjungit, separat, novasque efformat: easdemque pro voluntatis arbitrio, vel considerat, vel seponit. *Secundo* falsum pariter est, nos secundum ideas impressas semper judicare; quoties enim ratio falsas rerum perceptiones corrigit, vel respuit? *Tertio* volumus prout judicamus judicio practico, non autem judicio mere speculativo; unde illud Medææ apud Ovidium.

Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

214. Obj. *ult.* Homo nihil agit; ergo nec libertate ad agendum pollet. Prob. ant. Homo in primo suæ creationis instanti nihil agere potuit, sed tota activitas fuit a Deo Creatore; ut enim docet S. Thomas 1. P. quæst. 63. art. 5., *illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, a quo habet esse;* ergo nec postea. Prob. cons. Quia homo nihil agere potest, nisi a Deo

,, quibus naturaliter intellectus assentiat (sicut prima ,, principia), assensus talium, vel dissensus non est ,, in potestate nostra, sed in ordine naturæ; & ideo ,, proprie loquendo naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt ,, intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, ,, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, ,, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit ".

(*a*) S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 3. ad 1. hæc habet, Confessariis maxime notanda: *Sicut Augustinus dicit* Lib. VIII. Confess. cap. 9.: ,, animus, quando perfecte imperat sibi, ut velit, tunc jam vult. Sed quod ,, aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex ,, hoc, quod non perfecte imperat. Imperfectum autem ,, imperium contingit ex hoc, quod ratio ex diversis ,, partibus movetur, ad imperandum, vel non imperandum, unde fluctuat inter duo, & non perfecte ,, imperat ".

Deo perpetuo conservetur, conservatio autem est continua creatio, ut commune fert adagium: ergo quemadmodum in prima sua creatione nihil homo agere potuit, ita quoque in sua conservatione nihil agere potest. Ita cavillatur Baylius Tom. III. Oper. P. II. *Reponse aux Quæst. d' un Provincial.* cap. 141.

215. Resp. Quod dicitur, conservationem esse continuam rei creationem, non eo sensu intelligendum est, quasi singulis momentis Deus rem de novo producat; sed ut explicat S. Thomas I. P. qu. 104. art. 1. ad 4. *Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem: sed per continuationem actionis, qua dat esse*. Deus igitur, qui primum homini simul cum esse dedit liberam potentiam agendi, eamdem conservat, & ad actum movet, ac determinat; ita ut creaturæ sint veræ causæ efficientes, secundæ tamen, & a prima omnium causa dependentes, ut sint, ut possint operari, & ut reipsa operentur. Ceterum non hic quæstio est, an homo facultate agendi polleat, quod ut certum supponitur; sed utrum in exercitio hujus facultatis liber sit, & a quacumque necessitate immunis?

216. Eodemque pertinet argumentum, quo Baylius loc. cit. cap. 140. ostendere conatur, voluntatem non esse causam effectricem suarum volitionum; quia nos, nec quid proprie sit volitio, nec quomodo fiat, perspicue cognoscimus: at vero, inquit Baylius, quælibet causa vere efficiens, & non pure instrumentalis hæc duo cognoscere debet.

217. Nimirum, ut jam dictum est, extra oleas vagatur Baylius; neque enim modo id agitur, ut probemus, voluntatem nostram esse causam effectricem suarum volitionum, quod supponitur; sed an eas libere, & sine ulla necessitate producat? Ad quod non requiritur, ut anima nostra cognoscat, quid sint volitiones, & quomodo peragantur; sed sufficit, si intima conscientia percipiat, se velle, & quidem liberrime. Sicut certum nobis est, plures alias actiones ab anima effective procedere, quamvis earum naturam, & modum, quo procedunt, non omnino compertum habeamus.

Quæres *primo*. An potentia peccandi ad libertatem pertineat?

218. Resp. negative; & quidem S. Augustinus data opera sæpius id demonstravit adversus Pelagianos. Præstat autem audire ejus discipulum S. Thomam in II. Dist. XXXI. Quæst. 1. art. 1. ad 2. ,, Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut ,, indeterminate se habeat ad bonum vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ,, ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendit, nisi propter aliquem ,, defectum, quia apprehenditur, ut bonum; cum ,, non sit voluntas, aut electio, nisi boni, aut ,, apparentis boni; & ideo ubi perfectissimum est ,, liberum arbitrium, ibi in malum tendere non ,, potest, quia imperfectum esse non potest ". Hoc ipsum docet multis aliis in locis, præcipue autem I. P. quæst. 62. artic. 8. ad 3. ubi ait: *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, sed quod eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Unde infert, majorem esse libertatem arbitrii in Angelis, qui peccare nequeunt, quam in hominibus peccato obnoxiis.

219. Nec obest, quod S. Litteræ, & SS. Patres libertatem explicantes dicant, tam bonum, quam malum in nostra potestate esse. Loquuntur enim de ea libertate imperfecta, quæ in nobis est, qua utique possumus etiam malum eligere, imo ad illud eligendum proniores sumus, quam ad evitandum (a). Ceterum iidem SS. Patres non raro mentionem faciunt libertatis a peccato, quam gratia nobis tribuit: ut cum S. Bernardus: ,, Triplex, ,, *inquit*, de grat. & lib. arb., est nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in ,, conditione natura, in pristinam restauramur a ,, gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ ". Quam eamdem distinctionem tradit, & explicat S. Thomas 2. 2. Qu. 183. art. 4. & alibi.

Quæres *secundo*. An indifferentia suspensionis sit de essentia libertatis?

220. Resp. Libertas contradictionis, quæ est ad actum, ejusque negationem, duplex esse potest; alia suspensionis, & otii, quando scilicet voluntas pendula hæret, nihil determinando; alia activa, quando ita ponitur actus, ut quis possit ejus oppositum ponere.

221. Indifferentia suspensionis nec essentialis est libertati, nec ejus perfectio, aut conditio. Id patet luculenter in Deo, qui liberrimus est, immo totius libertatis fons, & origo: nec tamen ulla in eo est, aut fuit, aut esse potuit suspensionis indifferentia. Ita in nobis quamquam gratia efficax suspensionem voluntatis tollit, non tamen libertatem lædit, immo eamdem perficit, quia determinatione sua potentiam contingit actui. Eo autem potentia perfectior est, quo magis est actui conjuncta. Vid. Tom. II. & Tom. VI.

222. Requiritur tamen ad libertatis essentiam indifferentia activa, qua ita unus actus eligitur, ut possit etiam absolute omitti. Neque sufficiat indifferentia mere passiva, qua scilicet voluntas hac, illac sine electione, & dominio, a prædominante de-

(a) Vid. Estius in Lib. II. *Sent.* Dist. 24. §. 5. Sylvius comment. in I. P. S. Thomæ q. 19. art. 10. Massoulié *D. Thomas sui interpres* &c. Tom. I. Diss. II. qu. IV. art. 1. & seq.

delectatione trahitur; quam quidem sententiam recte dicit Estius in II. *Sent.* dist. 24. §. 12. nonnisi verbis ab ea diversam esse, quæ liberum arbitrium peccato primi parentis extinctum esse docet (*a*).

Quæres *tertio*. In quo sita sit libertatis radix?

223. Respond. Certum est, ad libertatem & intellectum concurrere & voluntatem; sed in quanam ex istis duabus potentiis sita libertas sit, disputatur a Scholasticis. Durandus in utraque potentia, immo in intellectu potissimum libertatem formaliter sitam esse judicavit. Henricus de Gandavo *Quodl.* I. Quæst. 16., & Scotus in I. *Sent.* Dist. 25. quæst. un. eam intellectui adimunt, & unice voluntati concedunt. Jo. Lockius *de Intel. hum.* Lib. I. cap. 21. §. 14., eos irridet, qui quærunt, an in voluntate sit libertas, quod perinde esse dicit, ac quærere, an somnus sit rapidus, vel virtus quadrata (*b*).

224. Rem acu tetigit S. Thomas docens, libertatem prius, & *radicaliter* esse in intellectu, *formaliter* autem in voluntate; cui sententiæ bona & melior Theologorum pars adhæret. *Radix libertatis*, inquit 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 2.: „ Est „ voluntas, sicut subjectum, sed sicut causa est „ ratio. Ex hoc enim voluntas libere potest ad „ diversa ferri, quia ratio potest habere diversas „ conceptiones boni, & ideo Philosophi definiunt „ liberum arbitrium, quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis ".

225. Et quidem intellectum esse primam libertatis radicem, seu causam, vel ex solo veteri adagio patet: *Nihil volitum, qui præcognitum*, ex quo sequitur voluntatis motum ex cognitione objecti oriri, & ita quidem, ut voluntas nihil velle possit, quod prius a ratione non fuerit bonum judicatum; alioquin voluntas esset appetitus irrationalis.

226. Cohærenter ad hanc doctrinam Thomistæ præeunte S. Præceptore negant, peccatum esse posse in voluntate, nisi error, & deordinatio in intellectum præcesserit; unde S. Thomas 2. 2. qu. 51. art. 3. ad 2. docet, posse quidem in peccatoribus judicium esse rectum in universali, sed in particulari agibili eorum judicium semper corrumpi. Et supra quæst. 47. art. 13. docuerat, veram prudentiam, quæ recte consiliatur, judicat, præcipit, in peccatoribus esse non posse. Et quamquam nonnulli malum, quod agunt, *speculative* cognoscunt, omnes tamen peccatores semper sequuntur judicium practicum, quo ipsis hic, & nunc objectum apparet delectabile, bonum, & amplectendum.

227. *Formaliter* tamen libertas est in voluntate, in qua sola est electio, unde etiam illi tribuitur meritum, & demeritum. *Nonnisi voluntate peccatur*, inquit S. Augustinus Lib. *de duab. anim.* cap. 10.; & S. Bernardus Sermon. III. de Paschate *Quid odit*, inquit, *aut punit Deus, præter propriam voluntatem?* Et quidem voluntas, ut sæpissime docet S. Thomas, respectu ultimi finis nullam habet electionem; illi enim necessario adhæret, nempe bono in communi, seu felicitati, quam necessario quisque appetit. Sed media ad felicitatem consequendam, seu bona particularia, electioni voluntatis subjacent, quia ista finita sunt, ejusdemque capacitatem, quæ plane infinita est, explere nequeunt; unde fit, eam nullo peculiari bono ita satiari, ut illud respuere nequeat.

Quæres *quarto*. An posita indifferentia judicii possit voluntas libertatem amittere?

228. Resp. Thomistæ ita putant, libertatis radicem in indifferentia judicii esse sitam, ut quamdiu illa manet, nunquam possit voluntas necessario moveri; quod patet *primo* ex eo, quod voluntas non feratur in objectum, nisi quatenus ei bonum repræsentatur: quotiescumque igitur judicium intellectus circa bonitatem, vel pravitatem objecti erit indifferens, hoc est, quotiescumque poterit intellectus voluntati repræsentare objectum, vel sub adspectu boni, vel sub adspectu mali, semper erit in voluntate libertas illud vel amplectendi, vel declinandi.

229. Præterea S. Thomas Quæst. XXIV. *De verit.* art. 2., & I. P. quæst. 83. art. 1. probat, non esse in brutis liberum arbitrium, quia *judicium eorum est determinatum ad unum*. Si igitur contra in homine judicium manet indeterminatum, & indifferens, ita ut possit voluntati objectum sub diversa ratione boni, aut mali repræsentare, libertas quoque illæsa manebit.

230. Ex hac doctrina Thomistæ inferunt, physi-

(*a*) Fuere ex Scholasticis, qui voluntatem dixerunt esse potentiam mere passivam, quæ actum suum reciperet ab intellectu apprehendente, & judicante. Alii contra voluntatis actum ab intellectu minime pendere docuerunt. Aliis visum est, voluntatem esse potentiam partim activam, partim passivam. Ita inter alios statuit Gregorius Ariminensis in II. Dist. 25. q. 1. Cajetanus in I. P. qu. 80. art. 2., & alibi docet, voluntatem moveri ab intellectu quoad specificationem, a se ipsa autem quoad exercitium, ac proinde priori ratione esse passivam, secunda vero activam. Thomistæ communiter docent, voluntatem respectu sui actus simpliciter activam esse, ita ut sola, ut causa secunda, se ipsam efficienter moveat. Ita S. Thomas, cum alias sæpe, tum Quæst. XXII. *De verit.* art. 11. ad 5. Videri potest Dominicus Bannez Comment. in I. P. qu. 80. art. 2.

(*b*) Contra Durandum, & Scotistas videri possunt plerique Thomistæ, ac inter alios Estius in Lib. II. *Sent.* Dist. 24. §. 3., & Sylvius in I. P. qu. 83. ad art. 3. & 4. De Lockio autem valde apposite ait P. Buffier: *après avoir lu avec attention, & plus d' une fois cettes profondes reflexions, il m' a paru, que c' est l' endroit de tout l' ouvrage, où l' auteur s' est le moin entendu lui même. Cours de Sciences, Traitè des prem. verités* P. III. cap. 2.

sicam præmotionem libertati non officere, quia tametsi voluntatem efficaciter ad actum determinet, judicii tamen indifferentiam non tollit. Thomistis consentiunt etiam recentiores Augustiniani, quia quamquam physicam præmotionem non probent, fatentur tamen eam libertati nullatenus contrariam esse (*a*).

231. Refragatur huic doctrinæ P. Suarez Prolegom. I. *de Gratia* cap. 4., & cum eo passim Molinistæ, quorum ratio, ni fallor, hæc est præcipua, quia posita præmotione efficaci voluntas non amplius a solo intellectu dirigitur; quare etiam manente indifferentia judicii, libertatem amittit. Hinc etiam, ajunt, S. Thomas Quæst. XXII. *De veritate* art. 8. docet, *Deum posse immutare voluntatem de necessitate, non tamen posse eam cogere*.

232. Veruntamen hæc difficultas ex eo oritur, quod Adversarii Divinæ præmotionis efficaciam non satis accurate perpendunt. Motio enim Dei, ut centies repetit S. Thomas, naturas rerum non immutat, neque evertit, sed conservat, & perficit. Hinc cum voluntatis natura sit, ut judicium ultimum, & practicum constanter sequatur, aut voluntas non erit, aut etiam sub præmotione judicium intellectus sequetur; & ita quidem, ut quamdiu fuerit in intellectu judicii indifferentia, sit etiam in voluntate libertas. *Deus*, inquit Angelicus Quæst. VI. *de malo* art. unic. ad 3.: ,, Movet quidem voluntatem immutabiliter (*notentur hæc verba*) propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas: sicut etiam in omnibus providentia Divina infallibiliter operatur, & tamen a causis contingentibus proveniunt effectus, inquantum Deus movet proportionabiliter unumquodque secundum suum modum ".

233. Cum autem S. Thomas docet, posse Deum voluntatem immutare de *necessitate*, non asserit id fieri posse remanente judicii indifferentia, sed ablata, ut patet exemplo, quod affert, Beatorum, quorum voluntas est utique necessitate adstricta ad amandum Deum; at vero nulla in eis reliqua est judicii indifferentia; eorum enim intellectus Deum sub omnimoda, & totali ratione boni ita cognoscit, ut nullam nec levissimam mali umbram in eo invenire possit.

234. Non abs re erit totam S. Doctoris doctrinam ex laud. art. 8. Quæst. XXII. in medium afferre, quæ nostram præmotionis physicæ sententiam mirifice confirmat. Postquam enim dixisset, Deum cum voluntatem immutat, facere, *ut præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio*, ita pergit: ,, Potest autem Deus voluntatem immutare ex hoc, quod *ipse in voluntate operatur, sicut in natura*. Unde sicut omnis actio naturalis est a Deo, ita omnis actio voluntatis, inquantum est actio, non solum est a voluntate, ut immediate agente; sed a Deo, ut primo agente, *qui vehementius imprimit*. Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud (utique libere), *ita & multo amplius Deus*. Immutat autem voluntatem dupliciter, uno modo movendo tantum, quando scilicet voluntatem movet ad aliquid volendum sine hoc, quod aliquam formam imprimat voluntati, sicut sine oppositione alicujus habitus quandoque facit, ut homo velit hoc, quod prius non volebat; alio vero modo imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem. Sicuti enim ex ipsa natura, quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum; ita ex aliquo superaddito, sicut est gratia, vel virtus, inclinatur ulterius ad volendum aliquid aliud, ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione (en motionem in ordine supernaturali). Sed hæc quidem inclinatio superaddita quandoque est perfecta, quandoque imperfecta. Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat, sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas in appetendum finem sicut contingit in Beatis, in quibus Charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solum quantum ad finem ultimum, sed quantum ad ea, quæ sunt ad finem. Aliquando vero forma superaddita non est usquequaque perfecta, sicut est in viatoribus, & tunc ex forma superaddita voluntas inclinatur quidem, sed non ex necessitate ". Hæc quamvis prolixiora referre placuit, ut de mente S. Thomæ nulla possit superesse dubitatio.

235. Sed nemo meliore in luce hanc veritatem collocavit, quam illustriss. Meldensis Episc. Jac. Benignus Bossuetus in tractatu *de libero arbitrio* cap. 8. Tomo X. edit. Paris. 1748. ostendens, nedum in Thomistico systemate præmotionis phisicæ sartam, tectamque manere hominis libertatem, verum etiam in nullo alio systemate id æque accurate explicari posse. Dignus plane esset locus, ut integer hic apponeretur, brevitati tamen consulentes nonnisi pauca inde delibabimus. Totum fundamentum desumit ex inconcusso illo S. Thomæ principio: *Cum voluntas Divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed etiam quod eodem modo fiant, quo Deus ea fieri vult; & hoc ipso, quod nihil voluntati Divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult*, I. P. Quæst. 19. art. 8. in corp. & ad 3.; quia

(*a*) Vid. P. Laur. Berti Lib. IV. *De Theol. Discipl.* cap. 6. & in scholio ad cap. 12. Editionis ab auctore *aucta*; ubi a physica præmotione, quam antea impugnaverat, non amplius se abhorrere testatur.

quia voluntas Dei non solum substantiam actus attingit, sed etiam modum ejusdem; neque enim Deus res vult tantum sub generali conceptu entis, sed etiam prout omnibus proprietatibus peculiaribus circumvestitæ sunt, ut nihil prorsus quantumvis minimum efficaciæ Divinæ voluntatis subtrahatur: unde sequitur, Deum esse causam nostræ libertatis, non solum quatenus facultas est eligendi hoc, vel illud, sed etiam quatenus actu voluntas hoc, vel illud libere eligit; & quemadmodum Deus nobis potentiam dedit, ita etiam nobis efficaciter nos movendo, dat ipsum volendi actum. Quod adeo verum est, ut nisi Deus motione sua id nobis daret, nostræ libertati exercitium non haberemus, sicut nec libertatem haberemus, nisi eam Deus nobis contulisset; quia quidquid in nobis est boni in quocumque ordine sive physico, sive morali, totum a Deo est. Ex hac doctrina infert doctissimus Bossuetus, nostram libertatem cum Divinæ voluntatis efficacia ita cohærere: sicuti effectus cum sua causa cohæret, quia Divinæ voluntatis efficacia nostræ ipsius libertatis causa est, & quia non ita facile est concipere, & explicare modum, quo effectus a sua causa prodit, hinc illa difficultas oritur humanam libertatem cum *Divina* motione conciliandi.

256. Immo acute observat idem profundissimus Auctor, res omnes, quo magis de ratione entis participant, eo magis efficaciæ Divinæ voluntatis subdi, quæ est causa universalis totius entis. Jam vero magis habet rationem entis voluntas in exercitio suæ libertatis, seu ut actu libere agens, quam ut tantum in potentia libere agendi, quia major est ratio entis in actu, quam in potentia: si ergo libertas ut potentia in nobis producta est a Deo, quod nemo negat, eadem ratione, immo & potiore ipsum libertatis exercitium, nempe liber voluntatis consensus a Deo produci debet, quatenus Deus sua actione nostram voluntatem efficaciter ad libere volendum movet: ut proinde aut negandum sit, nostræ libertatis exercitium esse aliquod ens, aut si hoc negari non potest, omnino confitendum sit, illud a Deo nos permovente pendere.

257. Neque vero quisquam objiciat, pergit Bossuetus, de ratione libertatis esse, ut illius exercitium, non ab alio principio, quam ab ipsa libertate proveniat. Non inquam; qui enim ita objiciunt, considerare deberent, nostram libertatem non esse causam primam, increatam, & independentem; sed secundam, & intrinsece dependentem a Deo, qui eam creavit, ut quemadmodum sine Deo creante esse non potuisset, ita sine eodem in nobis operante nunquam in actum prodiret. *Liberum arbitrium*, inquit S. Thomas I. P. qu. 83. art. 1. ad 3., *est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum; non tamen est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est ... Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias.* Quamquam itaque libertatis nostræ notio quodcumque aliud principium extrinsecum excludat, non tamen excludit, aut excludere potest actionem Dei, qui sicut libertatis nostræ est auctor, ita eam, quocumque voluerit, inflectere potest, quin ejus jura vel minime lædat. Neque vero concipere debemus, Deum producere libertatis nostræ exercitium, ut aliquam rem a nobis sejunctam, sed potius Deum motione sua facere, ut faciamus: & cum Deus velit, ut libere agamus, ex hoc sequitur, ut sub ipsius motione libere agamus; quamobrem absurdum potius, & repugnans videtur, quod Deus nos efficaciter movens nostram lædat libertatem, cum contra nulla in nobis esset, nec quantum ad potentiam; nec quantum ad exercitium libertas, nisi Deus eam sua omnipotenti virtute in nobis efficeret; & sibi Deus plane contrarius foret, si nos determinando ad aliquid, nostram destrueret libertatem.

258. His, aliisque id genus ex doctrina S. Thomæ solide juxta ac perspicue expositis, ita Bossuetus concludit: „ Hæc est eorum sententia, qui „ Thomistæ appellantur; atque hoc intelligunt doctiores inter ipsos nominibus præmotionis, & prædeterminationis physicæ, quæ aliquibus adeo dura videntur, sed si bene percipiantur, optimum reddunt sensum; ii enim Theologi perfectam libertatis ideam in actionibus humanis omnino servant, & solummodo contendunt, exercitium libertatis in Deum tamquam causam primam esse refundendum, qui illud operatur, non solum quibusdam præcedentibus illicitis, sed etiam (*physice voluntatem promovendo*) in omni intimiore ejus proprietate: quod eo magis necessarium videtur, quo in quibusdam actionibus liberis nos nec delectationem, nec suavitatem ullam, nec demum quamcumque aliam rationem animadvertimus, præter nostram solam voluntatem, quæ nos ad eas impellit, quæ actiones Divinæ providentiæ, imo & præscientiæ penitus subtraherentur, nisi fateremur, Deum attingere omnem nostræ voluntatis actionem, ita ut a Deo ipso habeat, quidquid entitatis in ea reperitur". Ita celeberrimus hic Galliarum Præsul cujus doctrina omnes plane regiones, in quibus bonæ litteræ excoluntur, in admirationem pertraxit, & cujus auctoritas sola sufficere videtur ad physicam Thomistarum præmotionem tuendam (*a*).

DIS-

(*a*) En gravissimi hujus Episcopi verba: Tel est le sentiment de ceux, qu'on appelle Thomistes; voila ce que veulent dire les plus habiles d'entreux, par ces termes de premotion, & prédétermination physique, qui semblent si rudes à quelques-uns, mais qui étant entendus, ont un si bon sens. Car enfin ces Théologiens conservent dans les actions humaines l'idée toute entiere de la liberté, que nous avons donné au commencement; mais ils veulent, que l'exercice de la liberté ainsi defini, ait Dieu pour cause pre-

DISSERTATIO II.

De Moralitate Actuum Humanorum.

1. Postquam egimus de voluntate, & libertate, unde physica actus humani natura desumitur, sequitur, ut de morali ejusdem natura dicamus, qua nempe in genere moris actus dicitur bonus, vel malus, laude, vel vituperio, præmio, vel pœna dignus.

2. Nonnulli ex Scholasticis putarunt, moralitatem nihil esse aliud, quam ipsam libertatem actus; alii vero communiter fere docent, libertatem quidem ad actus moralitatem prærequiri, hanc tamen illi aliquid superaddere; quod certe per se evidens est, vel ex eo solo, quod eadem manente libertate potest moralitas actus variari, ut primum sit bonus, & postea malus.

3. Quod si ab istis quæras, ecquid tandem sit illud, quod moralitas libertati superaddit, in varias distrahuntur sententias, quas satis erit vel brevissime indicare. Quidam nonnisi meram extrinsecam denominationem id esse arbitrantur; alii vero moralitatem actus constituunt in aliqua relatione ad regulas morum; sed rursus controvertitur, utrum relatio ista sit *rationis* tantum, an vero *realis*; ac demum qui moralitatem constituunt in relatione reali ad morum regulas (quæ verior sententia est) novam instituunt controversiam, an ratio ista *prædicamentalis* sit, an *transcendentalis*. Quæstiunculæ hæ sunt, inquit Nicolaus l' Herminier, quas vel summatim pertractare animus non est, nec otium.

4. Satis ad rem nostram fuerit, una cum S. Thoma statuere, moralitatem sitam esse in ordine, & conformitate ad regulas morum. Id tradit S. Doctor, cum alias sæpe, tum 1. 2. quæst. 71. art. 6., ubi inquit: *Habet actus humanus, quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit.*

5. Porro ut ibidem prosequitur Angelicus, *regula voluntatis humanæ est duplex, una propinqua & homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei;* humana tamen ratio actuum nostrorum regula non est, nisi quatenus legi Divinæ substat. Quando actus hisce regulis conformis est, bonus dicitur: contra est malus, si ab iis deflectat; indifferens autem, si nec lege præceptus, nec prohibitus, sed duntaxat permissus sit. Indifferentiam tertiam moralitatis speciem esse Theologi bene multi admittunt S. Thomæ auctoritate permoti, qui ita ait 1. 2. q. 92. art. 2.: *Sunt autem tres differentiæ humanorum actuum. Nam quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum, & respectu horum ponitur lex actus præcipere, vel imperare... Quidam vero sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi, & respectu horum lex habet prohibere. Quidam ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere.*

CAPUT I.

De Principiis Moralitatis.

6. Sanctus Thomas 1. 2. q. 18. art. 2. 3. & 4. tria distinguit, ex quibus actus bonitatem, vel malitiam desumunt, quæ proinde moralitatis principia appellari solent, nempe objectum, finem, & circumstantias.

7. Et quantum quidem ad primum moralitatis principium pertinet, non hic sumimus objectum *physice*, & *materialiter*, prout præcise est aliquod ens; sed *moraliter*, quatenus hoc ens regulis morum consentaneum est, aut dissentaneum. Sic ex. gr. res aliena, prout præcise res aliena, non dicitur objectum furti, sed prout ejus ablatio Divinæ legi adversatur.

8. Porro, ut S. Thomas docet laud. quæst. 18. art. 2., prima, & essentialis, seu specifica moralitas actus humani desumitur ab objecto, quod primo Angelicus Doctor ex Script. S. confirmat. Nam Oseæ IX. dicitur: *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt:* cui simile est illud S. Augustini Tract. II. in 1. Ep. S. Joan. num. 14.: *Talis est quisque, qualis ejus dilectio. Terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Quibus verbis ostenditur, tales nos esse, quale est nostrarum actionum objectum.

9. Id ulterius S. Thomas declarat similitudine a rebus naturalibus deprompta. „ Sicut enim, „ *inquit*, res naturalis habet speciem ex sua for„ ma, ita actio habet speciem ex objecto, sicut „ &

mière, & qu'il opere non seulement pars les attraits, qui le précedent, mais encore dans ce, qu'il a de plus intime, ce qui leur parait d'autant plus necessaire, qu'il y a plusieurs actions libres, comme il a été remarqué, où nous ne sentons aucun plaisir, ni aucune suavité, ni enfin aucune autre raison, qui nous y porte, que nostre seule volonté, ce qui ôterait ces actions à la provivence, & même à la préscience divine, selon les principes, que nous avons établis, si on ne reconnaissait, que Dieu atteint, pour ainsi parler, toute action de nos volontés dans son fond, donnant immédiatement, & intimement à chacune tout ce qu' elle a d'etre. Prosequitur deinde doctissimus hic Meldensis Episcopus solita sua perspicuitate, ac profunditate præcipuas difficultates solvere, quas Thomistico systemati nonnulli objicere solent; de quibus consuli etiam potest suum opus, cui titulus est: *D. Thomas sui interpres: De Divina motione, & libertate creata*, quod semel, & iterum Romanis typis prodiit.

,, & motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti". Hinc oritur specifica diversitas, tum inter virtutes, tum inter vitia. Sic ex. gr. fides, spes, charitas virtutes theologicæ vocantur, quia earum objectum Deus est; distinguuntur a virtutibus moralibus temperantia, fortitudine, & ceteris aliis, quarum objecta diversa sunt; eademque ratione homicidium differt a furto, quod utriusque objecta diversa sint.

10. Præterea actus humanus speciem sumit a fine. Porro duplex distinguendus est finis, alius intrinsecus, qui dici solet finis operis, & ab objecto ipso minime distinguitur: sic finis eleemosynæ intrinsecus est indigentis necessitatibus subvenire; alter est extrinsecus, & operantis, ille scilicet, quem sibi operans præstitit, seu id, *cujus gratia aliquid fit*. Unde idem actus potest plures bonitatis, vel malitiæ species habere, prout ad diversos fines refertur, ex. gr. quis temperanter, & sobrie vivit eo fine, ut quod illi superest, possit dare pauperibus; actus iste ex objecto virtus temperantiæ, ex fine autem erit actus misericordiæ: & si ulterius intendat Evangelico præcepto obedire Luc. XI. 14., erit actus obedientiæ; & sic unus, idemque actus potest triplicem habere speciem, temperantiæ, misericordiæ, & obedientiæ.

11. Nec alia ratio est de actibus pravis; qui enim furatur, ut fornicetur, duplicem contrahit malitiæ speciem, nempe furti ex objecto, fornicationis autem ex fine. Unde pervulgatum illud Aristotelis effatum Lib. V. *Ethic.*: *Qui furatur propter adulterium, magis adulter est, quam fur*.

12. Ex his facile intelligitur, actionem etiam in se bonam, ut eleemosynam, posse a pravo fine vitiari, & corrumpi. Hinc quod dictum a Christo est Matth. VI. 22. & 23.: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*, ab Interpretibus ad finem referri solet: unde etiam S. Augustinus, *Noveris*, inquit Lib. IV. *cont. Jul.* cap. 3., *non officiis, sed finibus distinguendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est, finis autem, propter quem faciendum est.* Et paulo post ita rem exemplo illustrat: Si quidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitiæ, sed cum quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat, quomodo jam hoc factum vere poterit esse justitiæ, cum serviat avaritiæ?

13. Si actio indifferens per se sit, tota ejus bonitas, aut malitia a fine operantis dependet; si vero actio sit per se mala, nunquam poterit in ordinem redigi, etiamsi ab operante ad bonum finem dirigatur.

14. Sed præter finem, qui in actibus moralibus præcipue considerari debet, attendendæ sunt etiam ceteræ circumstantiæ; quæ una cum fine septem enumerantur a S. Thoma 1. 2. qu. 7. art. 3. ex Tullio in *Rethor.* hoc versiculo comprehensæ.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Considerandum est enim in actibus, quis fecit, quibus auxiliis, vel instrumentis fecerit, quid fecerit, ubi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit (a).

15. Porro ex his circumstantiis actus aliquam speciem sumit, vel bonitatis, vel malitiæ. Id patet in exemplo pauperculæ illius viduæ Luc. XXI., quæ cum duo tantum æra minuta in Gazophylacium misisset, Christi tamen infallibili sententia laudata est, quod plus, quam omnes, miserit: *Nam omnes*, ut inquit Christus, *ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit*. Idemque dici debet de malitia actus, cujus exemplum nobis suppeditat sacrificium Saul, I. Regum XIII., quod in importuna temporis circumstantia oblatum Deo displicuit.

16. Species tamen, quam actus sumit ex circumstantiis, est duntaxat accidentalis, quando circumstantiæ non sunt volitæ primario, & directe, sed solum secundario, accessorie, & consecutive. Quod si aliqua circumstantia esset volita primario, directe, & per se, tunc indueret rationem objecti, & primam, ac essentialem speciem actui tribueret: puta si quis Clericum percuteret, ut Ecclesiastico ordini injuriam irrogaret.

17. Porro circumstantiarum genus est duplex: aliæ enim sunt, quæ actus speciem mutant, aliæ, quæ actus bonitatem, vel malitiam augent quidem, ita tamen, ut illum ad aliam speciem minime transferant. Inter circumstantias mutantes speciem non solum illæ numerandæ sunt, quæ actum referunt ad diversam vitii speciem; sed illæ etiam, quæ actum theologice a specie peccati ve-

(a) S. Bonaventura in IV. *Sent.* dist. 16. dub. 9. quatuordecim enumerat circumstantias, easque hisce tribus versibus comprehendit:

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Ex his autem sex respiciunt personam, ut ille docet, scilicet scientia, ordo, conditio, persona & status; tres autem crimen, seu actum, nempe numerus, mora, & modus agendi; tres etiam causam, copia, causa, & lucta pusilla; duæ autem sunt adjacentes, scilicet locus, & tempus.

venialis, ad speciem mortalis evehunt, ut furtum leve dicitur specie a furto gravi differre, quamvis enim in utroque eadem specie sit conversio ad creaturas, non tamen eadem est specie aversio a Deo. Qui enim venialiter tantum peccat, non avertitur a fine ultimo, quemadmodum avertitur, qui graviter peccat.

18. Circumstantias, quæ peccati speciem mutant, esse in confessione aperiendas, inficiatur nemo. Sed gravis oritur inter Theologos controversia, an pœnitens teneatur etiam distincte Confessario eas circumstantias explicare, quæ speciem quidem peccati non mutant, notabiliter tamen aggravant, ita ut circumstantia per se, & seorsim sumpta ad peccatum mortale sufficeret. Ut si furtum unius aurei ex. gr. materiam esse peccati mortalis dicatur, adjectio paucorum assium, circumstantia erit quidem aggravans, sed non magnopere, & notabiliter, ac propterea nullum erit eam explicandi præceptum; sed adjectio alterius aurei, aut plurium procul dubio magnopere, ac notabiliter gravitatem furti adauget: quanquam actum ad aliam speciem non transfert. De his circumstantiis notabiliter aggravantibus tota controversia est.

19. Ego vero iis vehementer assentior, qui circumstantias peccatum graviter aggravantes in confessione aperiendas esse, pronunciant. Id *primo* expresse docet Catechismus Rom. P. II. cap. V. §. 47., cujus auctoritas multis certe etiam doctis, & magni nominis Casuistis anteponenda est. Accedit S. Carolus Borromæus, qui in *Instruct. Confess. Act. Eccles. Mediol.* P. IV. *Confessarius*, inquit, *debet esse instructus, quænam sint circumstantiæ peccati mutantes speciem, quæ notabiliter aggravantes; quia tam istæ, quam illæ necessario explicandæ sunt in confessione*. *Secundo* id etiam satis luculenter ex eo deducitur, quod Innocentius XI. eam propositionem damnavit n. 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Porro consuetudo peccandi non est circumstantia speciem mutans, sed tantum magnopere aggravans. Demum, si in Sacramentorum materia eodem Innocentio XI. definiente tenemur tutiorem sententiam amplecti, non video, quomodo possit quis in praxi contrarium sequi. Agitur hic de Sacramenti pœnitentiæ integritate; tutius esse etiam circumstantias valde aggravantes explicare, nemo inficiari potest: ergo &c.

20. Sed nec illud prætereundum, quod quamquam Synodus Tridentina hanc quæstionem finire noluit, validissimam tamen pro nostra sententia rationem suppeditavit; Sess. enim XIV. Cap. V. definit, circumstantias mutantes speciem esse in confessione explicandas, quod *sine illis peccata ipsa nec a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere*. At vero hæc ipsa ratio luculenter evincit, etiam circumstantias notabiliter aggravantes esse explicandas. Quomodo enim peccata Sacerdoti judici, & medico integre & plene innotescent, si pœnitenti dicere sufficiat, se graviter furto peccasse, non autem explicare teneatur, an unum aureum, vel centum, vel mille furto sustulerit? se detractorem, & homicidam fuisse, non autem addere, an uno, eodemque actu uni soli, vel pluribus famam, & vitam eripuerit? Quod multo pluribus exemplis illustrari potest.

21. Quod hac in re non paucos conturbare solet, est auctoritas S. Thomæ, quem totum in ære suo esse putant adversarii. *Quidam dicunt*, inquit in IV. Dist. XVI. Qu. 3. art. 2. solut. 5. *quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitas est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est*. Eamdem doctrinam iterum repetit S. Doctor Opusc. XII. ad Lectorem Bisuntinum qu. 5.

22. Uterque hic locus non levem crucem proponit S. Thomæ discipulis, quibus communiter fere sanioris Theologiæ moralis patroni subscribunt, nec uno modo respondent. Sylvius in Suppl. quæst. 9. art. 2. quæst. 1. fidenter dicit cum Dominico Scoto, S. Thomam fuisse sententiam suam mutaturum in *Summa Theologica*, si ad hanc quæstionem pertractandam pervenisset. Natalis etiam Alexander Lib. II. *Theol. Dogmaticæ* cap. V. art. 6. §. 1. pariter asserere non dubitat, S. Doctorem hanc opinionem, quam junior propugnavit, ejuraturum, ac retractaturum verisimiliter fuisse, si post Synodum Trident. scripsisset. P. Daniel Concina Tom. IX. *Theol. Christ.* Lib. I. diss. 4. cap. 6. putat, S. Doctorem intelligendum esse de iis circumstantiis, quæ notabilem quidem aliquam quantitatem addunt, non eam tamen, quæ ad peccatum mortale per se sufficiat, quod colligit ex his verbis, quæ subdit: *Cujus ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis; sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent*. Ex quo postea ita P. Concina concludit: *Circumstantiæ aggravantes; quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non peccati mortalis, non sunt de necessitate confessionis*.

Quæres, an possit idem actus esse simul bonus, & malus respectu diversorum?

23. Cum dictum sit, actionem moralem speciem sumere ab objecto, a fine, & a circumstantiis, fieri potest, ut idem actus habeat objectum bonum, & finem, ac circumstantias malas, vel contra, quo in casu quæstio oritur, an talis actus totus quantus est, malus sit, an vero partim bonus, partim malus.

24. Joann. Cassianus, Collatione XVII. cap. 17. & 18. putavit, posse aliquem malo medio uti, dummodo finem bonum intendat; unde etiam doce-

cebat, *quando grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen; tunc mendaciorum esse recipienda perfugia.* Quam eamdem sententiam adoptasse videtur auctor Operis imperfecti in Matth. Cap. 7. inter opera S. Joan. Chrysost. Tom. VI., ubi dicit: *Ex proposito bono etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum malum opus excusat; malum autem opus bonum propositum non condemnat* (*a*).

25. Sed hæc sententia e diametro pugnat cum Apostolo Rom. III. 8. eos aperte condemnante, qui dicunt: *faciamus mala, ut eveniant bona;* unde etiam Alexander III. cap. IV.: *de usuris* dicit: *Scriptura Sacra prohibet pro alterius vita mentiri;* & præclare S. Bernardus, ut oculus mentis sit vere secundum Evangelium simplex, duo necessaria esse dicit, *caritatem in intentione, & in electione veritatem* (*ita de præcepto, & dispensat.* cap. 14.).

26. Docet tamen S. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 2., ex bona intentione pravitatem malæ actionis saltem imminui. „ Diminuitur, *inquit*, culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum .... „ & quanto bonum intentum est melius, tanto „ magis minuitur culpa mendacii ". Neque in his rebus magna esse potest difficultas.

27. Sed illud maxime in controversiam vocatur, an actus ex objecto bonus, si ad malum finem referatur, ita totus corrumpatur, inficiaturque, ut omnino sit malus, nec ullo modo meritorius. S. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 7. ita paucis rem declarat. Observat, intentione malam aliquando præcedere voluntatem, quandoque autem subsequi. Quando intentio præcedit, ex. gr. si aliquis eleemosynam erogare velit propter inanem gloriam consequendam, tunc certe totus actus est malus, quia voluntas est mala: sed si intentio sit consequens, ut si quis de eleemosyna jam erogata vanam gloriam aucupetur, tunc voluntas poterit esse bona, & per intentionem subsequentem non depravatur ille actus voluntatis, qui præcessit, sed actus voluntatis, qui iteratur (*b*). En S. Doctoris verba: „ Voluntas non potest dici bona, „ si sit intentio mala causa volendi: qui enim „ vult dare eleemosynam propter inanem gloriam „ consequendam, vult id, quod de se est bonum „ sub ratione mali, & ideo, prout est volitum „ ab ipso, est malum: unde voluntas ejus est mala. Sed si intentio sit consequens, tunc voluntas potuit esse bona; & per intentionem sequentem non depravatur ille actus voluntatis, qui „ præcessit, sed actus voluntatis, qui iteratur.

CAPUT II.

De Malitia actuum humanorum.

28. Error Manichæorum fuit a magno Augustino olim confutatus, & explosus, quod malum natura quædam esset a malo principio producta. Augustinum autem de more secutus est fidelis ejus discipulus S. Thomas I. P. quæst. 48. art. 1., ubi concludit, nomine mali nihil aliud significari, *quam absentiam boni*. Theologi tamen iisdem scholarum Magistris præeuntibus, duo in peccato commissionis distinguunt, entitatem, & malitiam. Entitas est ipse actus physice, & in se consideratus sine ullo respectu ad regulas morum, ut comestio carnium, ablatio rei alienæ, cetera id genus. Malitia vero est deordinatio actus a regulis morum.

29. Jam autem satis implexa orta est inter Scholasticos controversia, an malitia peccati, seu ipsa deordinatio, vel deformitas a regulis morum sit aliquid positivum, an vero consistat in sola negatione debitæ rectitudinis. Primum opinati sunt Cajetanus, Curiel, Martinez, Salmanticenses, Melchior Canus, Massouliè, Joannes a S. Thoma, Gonet, & alii nonnulli. Contrarium tamen tenent alii non inferioris subsellii Thomistæ, ut Sylvius, Contensonius, Gotti, Concina quibus plurimi etiam accedunt extra scholam S. Thomæ, ut Suarez, Petavius, l'Erminier, Berti &c. Billuard utramque sententiam problematice proponit Tom. V. Diss. I. *de Pecc.* art. 5. 50. Multo utilior ad praxim, immo plane necessaria est altera quæstio, cui elapso sæculo occasionem dedit nota illa controversia de peccato philosophico tunc exorta. Nimirum quidam, nec pauci laxiores Theologi, quanquam ignorantiam vincibilem a peccato non excusare confitebantur, contendebant tamen, ad peccatum requiri semper actualem aliquam advertentiam, seu considerationem malitiæ peccati (*c*).

51. Notandum est autem, hic non disputari de advertentia ad actum, sed de advertentia ad malitiam actus: & insuper, advertentiam actualem, de qua hic loquimur, tunc esse, quando actus cognoscitur sive clare, sive etiam obscure malitia actionis; virtualem vero, seu interpretativam in eo esse, qui potest, & debet malitiam operis cognoscere, & advertere, sed ex negligentia sua culpabili actu non advertit; non autem virtualis advertentia illa dicenda est, ut quidam adversariorum contendunt, quando non clara cognitio malitiæ afful-

(*a*) P. Bernardus Montfauconius in Diatr. ad finem Tom. VI. S. Joannis Chrysostomi ostendit, hoc opus multis aliis erroribus scatere.

(*b*) Vid. Contensonius in *Theol. mentis & cordis* L. VI. Dissert. 2. Specul. 3., Concina *Theol. Mor.* Tom. VI. Dissert. I. cap. 10., & P. Patuzzi Tom. II. *Eth. Christ.* tract. 15. cap. 10. n. 12.

(*c*) *Multi Probabilistæ*, inquit P. Tyrsus Gonzales *de recto usu opinionis probab.* Diss. 9. num. 13., *ad peccandum contra legem Dei, requirunt advertentiam*

fulget, sed tantum scrupuli aliqui, vel dubia actu suboriuntur. Hæc enim advertentia est actualis, licet non plena, nec clara.

PROPOSITIO.

Ut actus sit culpabilis, non requiritur semper actualis advertentia, seu cogitatio malitiæ actionis, sed sufficit virtualis, quando nempe homo advertere debebat, & poterat.

32. Prob. *primo* ex Sac. Litteris. Paulus certe de suorum actuum pravitate non cogitabat, quando blasphemus fuit, contumeliosus, & Ecclesiam Dei persequebatur; de se enim ipse dicit 1. ad Timoth. I. 13. *ignorans feci in incredulitate*. Immo, ut ipse testatur Actor. XXVI. 9., existimaverat, *se adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere*. Quis autem credat, eum propterea fuisse ab omni peccato immunem? Judæi item crucifigentes Christum Jesum immanem hujus Deicidii malitiam non advertebant, unde Christus ipse Luc. XXIII. 34. dicebat: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt*. Et S. Petrus eos ex ignorantia peccasse tradit Act. III. 17. *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. Ac demum celebris est prophetia Christi Domini Joan. XVI. 2. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo;* tantum abest, ut hi ad suorum peccatorum malitiam adverterint animum. Omnes autem istos a peccato excusare, quis audeat, quia ad suarum actionum malitiam non advertebant?

33. Prob. *secundo* ex Concilio Diospolitano, in quo, referente S. Augustino *De gestis Pelagii* Cap. 18., proscripta fuit hæc Pelagii, & Cælestii propositio: *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non eveniunt secundum voluntatem, sed secundum necessitatem*, cum David dicat, subdit S. Doctor: *Delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantiæ meæ; & cum in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur*. Hic etiam facit damnatio peccati philosophici ab Alexandro VIII. „ Peccatum philosophicum, quantumvis grave in illo, qui vel „ Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, „ est grave peccatum, sed non est offensa Dei, „ neque æterna pœna dignum ". Utrobique enim non solum ignorantiam, sed etiam oblivionem, & ignorantiam a peccato excusare, falso docebatur.

34. Prob. *tertio* auctoritate Cleri Gallicani, a quo an. 1700. inter multas alias hæc etiam propositio damnata fuit num. 112. apud Bossuet Tom. XI. „ Si peccatores consummatæ malitiæ, cum „ blasphemant, & flagitiis se immergunt, non „ habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare "; quæ tamen propositio vera proculdubio foret, si actualis &c. Antea etiam anno 1641. a Præsulibus Gallicanis, & Theologis Academiæ Parisiensis fuerat hæc alia non dissimilis propositio proscripta: *Nunquam peccatur, nisi prævia cognitione peccati animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur*. Cui censuræ etiam Academia Lovaniensis calculum suum, & grave pondus adjecit (*a*).

35. Prob. *quarto* ex S. Thoma 1. 2. q. 74. art. 7. ad 2., ubi ait: „ Ex hoc ipso, quod ratio superior non dirigit actus humanos secundum legem Divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cum enim cogitat de lege Dei, „ actu eam contemnit; cum vero non cogitat, eam „ negligit per modum omissionis cujusdam ". Et quæst. 6. art. 3. loquens de ignorantia consequenti, quæ a toto peccato minime excusat. „ Hoc „ igitur modo, *inquit*, dicitur, ignorantia, sive „ cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu „ proveniens; sive cum aliquis notitiam, quam „ debet habere, non curat acquirere ": ubi eodem

actualem ad malitiam, vel periculum malitiæ, ac proinde existimant neminem posse peccare, agendo contra legem, quin cognoscat se peccare. Vid. P. Concina L. II. de *Consc.* Dissert. II. c. 4. §. 1., & in *Hist. Probabilismi, & Rigorismi* Dissert. I. cap. 5. §. 2., Patuzzi *Della Regola prossima* Tom. I. P. II. cap. 5., & in *Ethica Christ.* Tract. 2. cap. 9., l'Herminier *de Actibus humanis*, & Arnaldus IV. *Denonc. de l'Hérésie du peché philosophique* art. 4.

(*a*) *Hæc propositio falsa est*, inquiunt Theologi Parisienses, *viamque aperit, ad excusandas excusationes in peccatis*. Theologi autem Lovanienses ann. 1657. die 4. Maji hanc assertionem n. 25. *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni; malive in ea sit: & antequam id videat, & animum reflectat, actio neque bona est, neque mala*, tali censura notarunt: *Est*, inquiunt, *contra communia Religionis Christianæ principia: & innumera etiam immanissima peccata excusat cum pernicie animarum*. Adi-sis P. Hyacinthum Serry in *Hist. Congregat. de Auxiliis* Lib. III. cap. 48. Et recentius, scilicet ann. 1717. Facultas Parisiensis sequentes propositiones confixit: *Nullum est peccatum mortale in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa malitiæ moralis, vel saltem aliqua expressa dubitatio, seu scrupulus .... Peccatum personale debet esse libere volitum sine aliqua cogitatione malitiæ moralis; quia talis cogitatio est principium deliberandi circa malitiam moralem. Ad peccatum requiritur aliqua consideratio, seu advertentia etiam præsens ad malitiam moralem*. Hæc autem fuit sacræ Facultatis censura: *Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, & errorem peccati philosophici toties damnatum renovantes*. Similes Episcoporum censuræ non raro occurrunt, quibus hanc Probabilistarum laxitatem frænare curarunt.

dem plane loco ponit considerationis, actualis ac scientiæ defectum. Et infinitus plane essem, si omnia Doctoris Angelici testimonia in hanc rem colligere vellem.

36. Prob. ult. ratione. Si ad peccandum requiritur actualis malitiæ advertentia, jam nulla erunt omnino ignorantiæ peccata; qui enim ex ignorantia peccat, procul dubio ad actionis malitiam, vel offensam Dei non advertit; atqui esse aliqua peccata ignorantiæ fide Catholica certum est, nec adversarii ipsi negant, ut superius pag. 13. & seq. probatum est: ergo &c.

37. Accedit, quod impii, cum in profundum peccatorum venerint, adeo excæcantur, ut de suarum actionum turpitudine, & malitia ne cogitent quidem. Anne propterea illos a culpa immunes dicemus? Sane Apostolus Ephes. IV. 17. a peccato non excusat gentiles, qui *ambulabant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*.

38. Demum & illud certum est, sæpe a justis peccata venialia per incogitantiam, & subreptionem admitti, a quibus profecto abstinerent, si actualis cogitatio, vel advertentia eorumdem malitiæ ipsis occurreret. Unde cum ea peccata plane non cognoscant, clamant cum Propheta: *Ab occultis meis munda me, Domine*.

39. Ne tamen vitium laxitatis declinantes in oppositum scopulum *rigorismi* incurramus, concedimus, aliquando inadvertentiam, non secus ac ignorantiam, antecedentem esse & involuntariam, quæ nempe ex nostra negligentia non procedit. Præclare pro more suo Angelicus: *Eo modo*; inquit 1. 2. qu. 6. art. 3. ad 3., *requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere, & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare*. Quemadmodum igitur ignorantia antecedens, ita & inadvertentia antecedens a peccato excusat. Non excusat autem, quando oritur vel ex negligentia, vel ex aliqua passione, aut inordinata animi affectione, aut ex perversis habitibus, & consuetudinibus voluntariis, aut ex mentis evagatione, aut demum ex quacumque alia culpabili causa. Præ oculis semper habendum est illud S. Thomæ principium: *Ignorantia quæ causatur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare*.

40. Objicit *primo* Claudius la Croix (*a*) spissam veluti nubem Scriptorum tam veterum, quam recentiorum, quos omnes pro certo habuisse dicit, ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei, & ad malitiam objecti, unde subdit: *ita docent communissime*.

41. Resp. Si duntaxat doceatur, prærequiri ad peccatum aliquam advertentiam saltem indirectam, virtualem, & interpretativam, quæ in iis omnibus reperitur, qui ex propria culpa, & negligentia non attendunt, utique concedi potest, ita docere *omnes communissime*. At vero si dicatur, prærequiri semper aliquam actualem advertentiam, quemadmodum postea se clare explicat La-Croixius, id absolute negamus. Et certum est, multos omnino invitos, & repugnantes esse ab adversario pro sua opinione citatos, cui apertissime contradicunt. Exemplum sit in S. Thoma, & Sylvio, qui inter alios suæ sententiæ patronos a La-Croixio numerantur, & tamen S. Thomæ doctrinam jam vidimus, & adhuc clarius perspiciemus. Sylvius autem, præclarus ille S. Thomæ interpres, perspicuis, conceptisque verbis statui, inadvertentiam esse culpabilem, *cum per negligentiam, seu culpam acciderit, quod nulla ei cogitatio advenerit*, in 1. 2. qu. 76. art. 3.

42. Non equidem inficias ivero, plerosque Probabilistas ei opinioni favere, sed iis opponimus imprimis Scripturas, & Patres, a quibus cum docetur, homines ex ignorantia peccare, consequenter docetur, eos etiam sine advertentia peccare. Opponimus S. Thomam, qui sæpe, & sine ulla prorsus obscuritate hominem peccare docet, etiam cum actu non considerat legem, vel de ea non cogitat. Opponimus Ecclesiam Gallicanam, Universitates Parisinam, & Lovaniensem, atque integram catervam saniorum Scriptorum, quos recensent Salmanticenses Scholastici Tomo IV. tract. 13. disp. 5. dub. 6. §. 1., & alios non paucos, quos P. Concina Lib. II. *De conscientia* Diss. 2. cap. 4. §. 10. n. 51. longo ordine numerat.

43. Ob. *secundo*. S. Thomas 2. 2. qu. 98. art. 3. ad 2. inquit: „ Qui ex lapsu linguæ falsum „ jurat, si quidem advertat se jurare, & falsum „ esse, quod jurat, non excusatur a peccato mor„ tali, sicut nec a Dei contemptu; si autem hoc „ non advertat, non videtur habere intentionem „ jurandi, & ideo a crimine perjurii excusatur “.

44. Resp., inadvertentiam, de qua S. Thomas loquitur, spectare solum actum, seu purum factum, & supponi omnino involuntariam; loquitur enim de eo, qui *ex lapsu linguæ* falsum jurat, & non advertit se jurare, nempe quando unum verbum loco alterius ex ore prodit inconsiderate. Secus autem est dicendum de eo, qui voluntarie pejerat, nihil de offensa Dei, & de perjurii malitia cogitans: Unde S. Thomas alibi inquit (1. 2. qu. 76. art. 1. ad 3.): „ Si aliquid est secun„ dum aliquid notum, & secundum aliquid igno„ tum,

(*a*) Lib. V. *de peccatis* num. 16., cui consonat liber ann. 1683. sub nomine Ulrici Jonson evulgatus, fidenter asserens, omnes Theologo, paucis exceptis, docere, *Ad peccandum formaliter requiri notitiam malitiæ*.

„ tum, potest voluntas illud velle, & hoc modo „ ignorantia est causa peccati; sicut cum aliquis „ scit .... aliquem actum esse delectabilem, nescit „ tamen eum esse peccatum “: non est ergo necessaria ad peccandum actualis advertentia ad malitiam actus.

45. Inst. S. Doctor., „ Antequam ratio, inquit „ Quæst. XV. *de Verit.* art. 4. ad 10., delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non „ habet interpretativum consensum, etsi non resistat: sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente ... nisi expresse resistat, videtur consentire “: requiritur ergo ad peccandum actualis advertentia.

46. Resp., S. D. loqui de inadvertentia omnino involuntaria, quando scilicet ratio *non habet interpretativum consensum*, non autem de inadvertentia indirecte saltem voluntaria, cum nempe voluntas *videtur consentire*. S. Thomas ibi agit de delectatione, quæ dicitur *morosa*, non a mora temporis, sed ex consensu rationis supervenientis, & recte docet, *tunc solum rationem se subjicere huic delectationi perversæ, quando in eam consentit* (ibidem in corp.), *seu quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente*. Repetatur doctrina superius tradita ex S. Thoma 1. 2. q. 74. art. 7. *Hoc ipso quod ratio superior &c.* Vide sup. num. 35. S. etiam Bonaventura in II. Dist. 24. *Qui in tali delectatione*, ait, *advertens periculum, vel debens advertere, voluntarie versatur, exponit se discrimini &c.*

47. Ceterum mens Angelici Præceptoris non ex iis locis desumenda est, in quibus obiter, & per transennam hæc tractat, sed ubi data opera de ignorantia agit. Ibi autem clare, distincte, ac constanter docet, peccari, etiamsi nulla sit actualis advertentia, & consideratio malitiæ, quotiescumque id ex nostra negligentia contingit. Id patet ex locis superius adductis, & ex aliis fere triginta, quæ afferri possent.

48. Inst. *secundo*. Idem Doctor Angelicus Q. III. *De malo* art. 8., ubi data opera quærit, utrum ignorantia excuset peccatum, vel imminuat, postquam docuisset, sublata cognitione intellectus, per ignorantiam tolli voluntarium, quantum ad id, quod est ignoratum, ita subdit: „ Unde si in „ eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid „ scitum, potest esse voluntarium, quantum ad „ id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium quantum ad id quod est ignoratum: „ sive ignoretur deformitas actus (puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum), sive ignoretur circumstantia actus &c. “.

49. Resp., ibi S. Thomam proprie agere non de inadvertentia, sed de ignorantia, quam distinguit in voluntariam *directe*, qua aliquis *vult ignorare scientiam salutis, ne retrahatur a peccato*; & in voluntariam *indirecte*, quæ est ignorantia *negligentiæ*; & utramque culpabilem esse statuit. Quæ doctrina adaptanda est etiam inadvertentiæ ad malitiam actus; si enim hæc inadvertentia vel directe, vel indirecte sit volita, nequit a culpa excusare; a qua solummodo excusat, quando nullo modo est voluntaria.

50. Obj. *tertio*. Advertentia non est in nostra potestate, alioquin ad illam prærequireretur illa cognitio præcedens, quæ etiam non posset esse in nostra potestate, nisi per aliam præcognitionem, & sic in infinitum. Unde etiam S. Augustinus: *Nemo*, inquit *de Spir. & Litt.* cap. 34., *habet in potestate, quid ei veniat in mentem*. Si autem advertentia non est in nostra potestate, nec inadvertentia culpabilis esse potest (a).

51. Resp., hanc difficultatem, aliasque similes facile solvi doctrina S. Thomæ; vel enim homo debita diligentia usus est, vel non: si primum, inadvertentia certe non est in illius potestate, adeoque nec *virtualiter*, nec *indirecte* volita; sin autem ex aliqua culpa illius factum est, ut nulla cogitatio præcesserit; tunc quemadmodum negligentia est voluntaria, ita inadvertentia ex ea precedens est *virtualiter, & indirecte* voluntaria. *Tunc ignorantia*, inquit Angelicus Lect. VII. in Cap. I. Ep. ad Rom., *culpam excusat, quando sic procedit, & causat culpam, quod non causatur a culpa: sicut cum aliquis adhibita diligentia debita, dum credit percutere hostem, percutit patrem. Si vero ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare: unde si quis per ebrietatem homicidium committit, non excusatur a culpa, quia peccavit se inebriando; unde secundum Philosophum Politicorum* II. cap. ult. *meretur duplices multctationes*. Culpabilis est ergo omnis inadvertentia, quæ procedit ex inordinata aliqua animi affectione, ex pravo habitu, ex voluntaria mentis evagatione, ex negligentia in rebus agendis &c.

52. Verba autem S. Augustini dicta sunt ad excludendam eam superbam potestatem sciendi omnia necessaria ad salutem solis naturæ viribus, quam adstruebant Pelagiani, non autem ad eam excludendam potestatem, quæ indiget adjuvari per gratiam, unde subdit: *sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est*.

53.

(a) Eadem fere erat Pelagianorum objectio apud S. Hieronymum in Dial. I. adv. Pelag. num. 33. *Rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Et Lib. II. *Ubi aufertur possibilitas, aufertur & vitium; nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potest.*

53. Dices. Eodem modo est necessaria advertentia ad malitiam operis, quo est necessaria ad opus ipsum, seu ad actum; atqui actualis advertentia ad opus est omnino necessaria, ut opus sit voluntarium: ergo &c.

54. Resp. Neg. maj., Ut enim actus sit proprie humanus, debet elici cum cognitione, alias erit potius actus hominis (vid. sup. initio Tractat. n. 1.), quam actus humanus, unde actiones usu rationis carentium, neque laudi, neque vitio vertuntur. Sed etiamsi non habeatur actualis advertentia, seu consideratio malitiæ, adhuc tamen actus erit humanus, & vituperatione, ac pœna dignus, si inadvertentia sit saltem indirecte, & virtualiter voluntaria. Quamobrem S. Augustinus inquit Lib. I. *Retract.* cap. 15.: *Quis nesciens peccavit... quia voluit, fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati.*

55. Obj. ult. Certum est, inadvertentiam saltem minuere rationem voluntarii, ac consequenter gravitatem peccati: hoc autem posito sic colligitur: quo major est inadvertentia, eo levius est peccatum: ergo ubi nulla erit advertentia, ibi quoque nullum erit peccatum. Cons. prob., quia ut Dialectici ajunt, sicut se habet secundum quid ad secundum quid, ita simpliciter ad simpliciter, adeoque si diminuta advertentia diminuitur peccatum, ea penitus sublata, penitus etiam &c.

56. Resp. dist. cons. Ubi nulla omnino erit advertentia, neque actualis, neque virtualis, conc., si non sit quidem actualis advertentia, sit tamen virtualis, & interpretativa, in eo nempe, qui advertere poterat, & debebat, nego. Responsio patet ex dictis (*a*).

CAPUT III.

An Actus externus bonitatem, vel malitiam actus interioris augeat?

57. Externam operis executionem in agente libero semper præcedit interna ejusdem intentio. Quæstio igitur excitatur, an exterior operis executio aliquam addat actui interno essentialem moralitatis speciem, seu bonitatem, vel malitiam. Affirmant Scoti Discipuli, negant Thomistæ cum potiori Theologorum cœtu.

58. Supponitur autem, actum externum non esse, nisi meram actus interni executionem, nullamque executioni externæ fieri accidentalem moralitatis accessionem, ut contingit in Sacramentorum susceptione, in qua gratiæ collatio habetur, quæ non habetur in sola earumdem suscipiendorum voluntate; in indulgentiis lucrandis, & hujus generis aliis.

59. S. Thomas ita quæstionem resolvit 1. 2. q. 20. art. 4. „ Si loquamur de bonitate exterioris „ actus, quam habet ex bonitate finis, tunc actus „ exterior nihil addit ad bonitatem, nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis, quod quidem videtur contingere posse tripliciter: uno modo secundum numerum, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo, & tunc quidem non facit, postmodum autem vult, & facit, duplicantur actus voluntatis, & sic fit duplex bonum, vel duplex malum. Alio modo quantum ad extensionem, puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine, vel malo, & propter aliquod impedimentum desistit, alius autem continuat motum voluntatis, quousque opus perficiat, manifestum est, quod hujusmodi voluntas est diuturnior in bono, vel malo, & secundum hoc est pejor, vel melior. *Tertio* secundum intensionem; sunt enim quidam actus exteriores, qui inquantum sunt delectabiles, vel pœnosi, nati sunt intendere voluntatem, vel remittere. Constat autem, quod quanto voluntas intensius tendit in bonum, vel malum, tanto est melior, vel pejor “.

60. „ Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet secundum materiam, & debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem, ut terminus, & finis, & hoc modo addit ad bonitatem, vel malitiam voluntatis, quia omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc, quod consequitur finem, vel attingit terminum. Unde non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur. Si vero possibilitas desit voluntate existente perfecta, ut operaretur, si posset, defectus perfectionis, quæ est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem sicut non meretur præmium, vel pœnam in operando bonum, aut malum, ita non tollit aliquid de præmio, vel de pœna, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum, vel malum “.

61. Scotistæ subtiliter, ut solent, multa disputant, ut ostendant, actum exteriorem aliquam moralitatem per se, & ratione sui actui interiori addere, de quibus videri possunt Gonet, Contensonius, Gotti, Billuart, Collet &c. Unum est minime prætereundum, scilicet falso a nonnullis asseri,

(*a*) De hac quæstione præter citatos l' Herminier, Concinam, & Tyrsum Gonzales, videri potest opusculum P. Norberti Delbecque Dominicani *De advertentia ad peccatum necessaria* in 8. Leodii 1696. tum P. Natalis Alexander *Theol. Dogm. & moral.* Lib. III. Regula 75., Contensonius Lib. VI. Diss. 3. cap. 1. spec. 1. quæres 5. P. Pius Thomas Milante *Exercit. in duas proposit. damn. ab Alexandro VIII.* die 24. Augusti 1690. ac P. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christ.* Tract. II. cap. 9. & seq. ubi plura addit in praxi diligenter observanda.

ri, fuisse in Petro Abælardo olim hanc propositionem damnatam: *Nos vero dicimus, quod sola voluntas a Deo æternaliter remuneratur, sive ad bonum, sive ad malum: nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, nisi forte dum operatur, in aliquo ejus voluntas augetur*. Falso inquam; nam Gregorius Ariminensis Lib. II. Dist. 42. quæst. 1. art. 1. ad 2. testatur se numquam hanc propositionem inter errores Abælardi reperisse, quamquam plurimos libros de hac materia evolverit. Reipsa inter multos Abælardi errores, quos S. Bernardus in epist. 188., & 192. recenset, iste minime reperitur.

CAPUT IV.

De Actuum indifferentia.

62. Potest actus humanus vel in specie considerari, vel in individuo, hoc est vel in se tantum, & ratione objecti, vel prout est in operante, & una simul complectitur finem, & circumstantias. Porro vel nulla est controversia, vel saltem non magni momenti, an aliqui actus sint in specie, seu secundum se, & tantummodo ex objecto indifferentes, & adiaphori. Sed gravis jamdiu orta est quæstio, an aliqui actus indifferentes esse possint, etiam in individuo considerati, scilicet prout fine, aliisque circumstantiis circumvestiti sunt. Scotus in II. Dist. 41. q. un., & Quodl. 18. art. 1. affirmativam sententiam tenet, cui etiam Vasquez in 1. 2. disp. 52., & nonnulli alii adhærent. Vid. P. Eusebius Amort *Disp. dogm. de actu morali indiffer*. Contra vero S. Thomas 1. 2. q. 18. art. 9. & in II. Dist. 40. q. ult. nullum esse actum in individuo indifferentem docet, & probat, cui non solum Thomistica Schola, sed frequentissimus etiam aliorum Theologorum chorus subscribit.

63. Notandum vero est, non hic quæstionem moveri de actuum humanorum merito, vel demerito: posse enim esse aliquem actum bonum in individuo, qui tamen nec meritorius sit, neque demeritorius, pro certo habent omnes ii, qui propugnant, non omnia infidelium, aut peccatorum opera esse peccata. Si enim aliquis istorum eleemosynam ex recto fine, debitisque in circumstantiis eroget, actus ille nec meritorius erit, quia gratia sanctificante destitutus, quæ est principium, & radix totius meriti; nec tamen demeritorius, quia non malus (*a*). Quæstio igitur tota est solum de bonitate, vel malitia actus.

64. Nec insuper agitur hic de actionibus quibusdam indeliberatis, cujusmodi plures ab homine sine rationis consideratione, & solius naturæ inclinatione fiunt. *Si actus*, inquit S. Doctor, *non procedit a ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione, sicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem, talis actus non est proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione, & sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens*.

PROPOSITIO.

Nullus esse potest actus hominis deliberatus omnino indifferens in individuo.

65. Id probat *primo* S. Thomas Sacræ Scripturæ auctoritate. Nam Matth. XII. 36. ait Christus: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Quid autem sit verbum otiosum, explicat S. Gregorius Lib. VII. *Mor.* c. 25., & Hom. XVI. in *Evang.*, quod scilicet *utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis caret*. Unde ita argumentatur Angelicus: aut verbum rationem habet justæ necessitatis, vel piæ utilitatis, & tunc otiosum non est, sed bonum: aut non habet & tunc otiosum est & malum: ergo nullum esse potest verbum indifferens: & pari ratione nullus esse potest actus indifferens: immo hic multo minus, dicente S. Hieronymo in Psal. XVI. *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus* (*b*)?

66. Frustra vero ii sunt, qui aut dicunt, verba otiosa judicanda esse judicio discussionis, non autem condemnationis; aut negant, actiones indifferentes esse otiosas, quia referuntur, inquiunt, ad aliquam naturæ commoditatem.

67. Frustra inquam sunt; nam prima responsio cum toto contextu pugnat vers. 36. & seq. *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod* lo-

(*a*) S. Thomas in Dist. 5. Quæst. 1. art. 3. „ Non „ potest esse, *inquit*, aliquis actus a deliberata volun„ tate procedens in habentem gratiam, qui non sit „ meritorius, sed tamen in non habente gratiam potest „ esse aliquis actus deliberatus, qui nec meritorius, „ nec demeritorius est; tamen est bonus, vel malus ". Videtur quidem contrarium docere 1. 2. q. 21. art. 4. dicens, *omnem actum hominis bonum, vel malum, habere rationem meriti, vel demeriti apud Deum*. Sed, ut explicat Sylvius in hunc loc. id intelligi debet solum attenta ipsa ratione actus, non autem ratione operantis; quod etiam S. Doctor insinuat in resp. ad 2.

(*b*) S. Thomas in II. *Sent.* Dist. 40. Qu. 1. art. 5. „ Quidam dicunt, *inquit*, quod in dictis non potest esse aliquid indifferens, in factis autem potest: ver„ bum enim ordinatum est ad aliquid, quia est signum „ rei; factum autem, cum non sit signum, non est „ ordinatum ad aliquid: & ideo in verbo incidit de„ formitas, si otiose proferatur: non autem in facto, „ si sine causa legitima fiat. Sed hæc ratio nulla est: „ quia quamvis non sit ordinatum ad aliquid, sicut „ signum ad signatum, est tamen ordinatum ad ali„ quid, sicut ad finem; quia omne quod a principio „ est, ad finem aliquem tendit: otium autem opponi„ tur illi ordini, qui est ejus, quod est ad finem i„ psum, & non ordini, qui est signi ad signatum ".

locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quodnam autem erit aliud judicium condemnationis, si istud non est?

68. Alia autem responsio facile evanescit, si aliquantum examinetur. Quid enim intelligunt adversarii, cum naturæ commoditatem dicunt? Naturæne conservationem, aut alium finem honestum? Vel solam oblectationem, & voluptatem? Si primum, actio bona erit; ut enim inquit S. Thomas hic ad 2., hoc ipsum, quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. Si vero intelligunt solam delectationem, magno certe in errore versentur, putantes voluptatem in se spectatam esse finem creaturæ rationali consentaneum. Possunt autem pluribus argumentis convinci; sed satis erit oraculum Innocentii XI., qui has duas propositiones apostolica censura confixit: *Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem non est peccatum; modo non obsit valetudini (a); quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, penitus caret culpa, ac defectu veniali (b).*

69. Hinc S. Thomas Lib. II. *Cont. Gent.* c. 26. probat delectationem non esse ultimum finem. *Nam delectatio*, inquit, *quæ consequitur bonas, & appetendas operationes, bona est; & appetenda: quæ autem malas, mala est, & fugienda. Habet igitur, quod sit bona, & appetenda ex alio: non est igitur ipsa ultimus finis.*

70. Prob. *secundo* ex S. Augustino dicente L. II. *de peccat. mer. & remiss.* cap. 18.: *Quamquam voluntas, mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est, aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitat dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Ubi S. Augustinus non loquitur de voluntate, prout est potentia, quæ proinde vel est in statu gratiæ, & bona, vel in peccato, & mala, ut aliqui adversariorum respondet; sed loquitur de actu voluntatis, quem a Deo esse, si bonus est, S. Doctor ibi evincit contra Pelagianos; nam ita prosequitur: „ Quocirca, quoniam quod a Deo nos a„ vertimus, nostrum est, & hæc est voluntas ma„ la; quod vero ad Deum nos convertimus, nisi „ ipso excitante, atque adjuvante non possumus, „ & hæc est voluntas bona, quid habeamus, quod „ non accepimus "? Quid clarius, ut demonstret, se loqui de voluntate, ut actus est (c)?

71. Nec obest, quod S. Doctor dicat, voluntatem, quæ justitiam non diligit, esse non solum malam, *sed etiam pessimam voluntatem:* neque enim id verbum est ita presse accipiendum, quasi voluntas hoc ipso, quod non diligit justitiam, ultimum perversitatis gradum attigerit, sed latiore sensu, quatenus quodcumque malum morale aliis malis comparatum *pessimum* dici potest. Ceterum S. Augustinus alibi etiam omnem actionem nostram bonam esse, vel malam, aperte tradit. Ut cum ep. LXXXII. alias XIX. „ Cavendum „ est, *inquit*, ne sicut Philosophi, facta quædam „ hominum media dicamus inter recte factum, & „ peccatum, quæ neque in recte factis, neque in „ peccatis numerentur. *Vid. etiam Lib.* de utili„ tate credendi c. 12. ".

72. Probat *tertio* S. Thomas nostram proposit. hac ratione: „ Oportet, quod quilibet individua„ lis actus habeat aliquam circumstantiam, per „ quam trahatur ad bonum, vel malum, ad mi„ nus ex parte intentionis finis. Cum enim ratio„ nis sit ordinare actus a ratione deliberativa pro„ cedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, „ ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem „ mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, „ convenit cum ordine rationis, unde habet ra„ tionem boni, necesse est autem, quod vel or„ dinetur, vel non ordinetur ad debitum finem; „ unde necesse est, omnem actum hominis a de„ liberativa ratione procedentem in individuo con„ sideratum bonum esse, vel malum ".

73. Ob. Concilium Constantiense Sess. XV. anno 1414. hanc propositionem Jo. Hus proscripsit: *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint virtuosa, vel vitiosa.* Hæc Joan. proscripta propositio cum nostra omnino convenit.

74. Resp. hanc propositionem fuisse damnatam, non

(a) *Illud sanguineis lacrymis flendum, quod solius nocumenti corporis, non animæ meminerint*, inquit Contensonius Lib. VI. *Theol. mentis, & cordis* Dissert. 1. cap. 11. spec. 3. ubi multa habet lectu dignissima.

(b) Vid. P. Pius Thomas Milante *Exerc.* IV. *Dogmatico-morali* in has propositiones. Clerus Gallicanus in comitiis ann. 1700. primæ illi propositioni hanc censuram inussit: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad scholam Epicuri ablegandа.* Neque vero quis abutatur auctoritate S. Augustini, qui Serm. CLIX. *De verbis Apost.* cap. 2. postquam varias distinxit delectationes licitas, & illicitas, ita concludit: *Videtis ergo carissimi, esse in istis corporis sensibus licitas, & illicitas delectationes.* Sed S. Doctor loquitur de delectationibus licitis solum ex objecto, quæ tamen & ipsæ illicitæ erunt, nisi ad honestum finem dirigantur.

(c) P. Vasquez in 1. 2. q. 18. Disput. 5. cap. 1. inter alios multos, & graves Theologos, qui nostræ sententiæ patrocinantur, enumerat etiam S. Augustinum propter allatum testimonium, quo nihil clarius afferri posse, existimat. Sed postea cap. 6. num. 33. ejusdem S. Doctoris, & aliquorum ejus discipulorum (puta Fulgentii, Prosperi, Sanct. Thomæ &c.) sententiam sibi *non placere* affirmat.

non ad mentem S. Thomæ, ejusque discipulorum, ut quilibet sibi facile persuadebit, sed in pravo sensu Jo. Hus, qui contendebat, omnia opera a justo edita bona esse, contra autem mala esse omnia opera a peccatore facta. Id patet ex ratione, qua suum assertum confirmabat, dicens: „ Quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, „ tunc agit vitiose; & si est virtuosus, & agat „ quidquam, tunc agit virtuose. Quia sicut vi„ tium, quod crimen dicitur, sive peccatum mor„ tale, inficit universaliter actus hominis vitiosi; „ sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuo„ si "; quæ doctrina a vero quam longissime recedit; nam & justus venialiter peccare potest, & peccator moraliter bene agere.

75. In hoc eodem sensu, ni fallor, duæ damnatæ sunt propositiones Baji a summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. nempe 38. „ Omnis „ amor creaturæ, aut vitiosa est cupiditas, qua „ mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; „ aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum „ sanctum in corde diffusa Deus amatur. *Et* 40. „ In omnibus suis actibus peccator servit dominan„ ti cupiditati. *Damnatæ sunt item a Clemen„ te XI. duæ sequentes propositiones Quesnelli „ num.* 44. Non sunt, nisi duo amores, unde vo„ litiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: „ amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quem„ que Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, „ ac mundum diligimus, qui quod ad Deum re„ ferendum est, non refert, & propter hoc ipsum „ fit malus: *num.* 45. Amore Dei in corde pec„ catoris non amplius regnante, necesse est, ut „ in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actio„ nes ejus corrumpat ". Hæ inquam propositiones non eo sensu damnari ab Apostolica Sede meruerunt quasi esse possint actiones quædam mediæ indifferentes, sed quod necesse non sit, peccatores in omni actu suo peccare, & justos in omnibus suis operibus bene, & salutariter agere. Quemadmodum enim isti, licet in ipsis charitas regnet, possunt in peccata venialia labi, & sæpius reipsa labuntur, ita etiam peccatores in quibus regnat mundi amor, possunt opitulante Dei gratia quosdam actus virtuosos fidei, spei, orationis &c. alicere; qui boni erunt, quamquam non meritorii, saltem *de condigno*.

Ob. *secundo*. S. Hieronymus ep. CXII. alias LXXXIX. ad August. num. 16. „ Bonum est con„ tinentia *inquit*, malum est luxuria, inter u„ trumque indifferens ambulare, digerere alvi „ stercora, capitis naribus purgamenta projicere, „ sputis rheumata jacere: hoc nec bonum, nec „ malum est ". Et S. Greg. Nazianz. Orat. III. in Julianum dicit: „ Christianum Philosophiam „ medium quoddam inducere inter bonum, & „ malum, inter pœnæ meritum, & laudis ".

77. Resp. S. Hieronymum loqui de actibus indifferentibus in specie, non autem in individuo. Neque refert, quod immediate subdit: *Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis: nec injustitiam*; quibus in verbis magnum causæ suæ præsidium adversarii reponunt. Non inquam, id refert; ea enim intelligi debent, de indifferentia ex specie sua, non autem ex circumstantiis, & ex fine. Nimirum S. Pater comparationem instituit inter actus natura sua bonos, vel malos; cujusmodi sunt continentia, & luxuria, atque actus natura sua indifferentes; quamquam & isti ex accidenti fiunt in individuo boni, vel mali. Dici etiam potest, S. Hieronymum loqui de actibus indeliberatis, cujusmodi plerumque sunt actiones recensitæ ad naturæ levamen spectantes (*a*). Ceterum hujusmodi opera, cum deliberate fiunt, esse ad Deum referenda, luculenter insinuat idem S. Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem n. 7. ubi primum Pelagii sententiam his verbis exponit: „ Audite sacrilegum Pelagium. Si, inquit, vo„ luero curvare digitum, movere manum, sede„ re, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere... „ semper mihi auxilium Dei necessarium erit? „ *Deinde ita ejus petitioni respondet:* Audi, in„ grate, Apostolum prædicantem: sive manduca„ tis, sive bibitis, sive aliud quodcumque opus „ facitis, in gloriam Dei facite "; quibus verbis innuitur, ideo gratiam Dei ad hæc opera necessariam esse, quia ex præcepto Apostoli in Dei gloriam referenda sunt.

78. Eadem responsio adaptari debet verbis S. Gregorii Nazianzeni. Vel fortasse S. Gregorius loquitur de actibus mediis inter meritum, & demeritum, quos esse posse certum est; unde subdit: „ Quemadmodum enim quisquis supplicio dignus „ non est, non hoc ipso laudem meretur; ita nec „ ille, qui laude dignus non est, confestim pœ„ nam meretur ". Vid. sup. num. 65.

79. Inst. Idem S. Hieronymus explicans illud Ezech. XX. 25.: *Dedi eis præcepta non bona*, ait: „ Neque enim statim, ut quod bonum non „ est, sit malum; sicuti & Apostolus docet, bo„ num est homini non habere uxorem, vel mu„ lierem non tangere, sed propter incontinentiam „ unumquemque possidere vas suum in sanctifi„ catione, & castitate; quod si feceris, nec bo„ num, nec malum est ".

80. Resp. Quod S. Hieronymus ibi dicit, nec bonum, nec malum, non est actus indifferens, sed minus bonum comparatum ad majus. Id liqui-

(*a*) Sylvio visum est, hæc verba a S. Hieronymo non in propria sententia prolata fuisse, sed in sententia eorum philosophorum, qui debitum referendi opera nostra in Deum ignorantes, actus hujusmodi esse indifferentes contendebant. Natalis autem Alexander Lib. III. *de peccatis* cap. 4. Reg. 58. Hieronymi dictum explicat, ut significare voluerit, quædam esse opera, quæ nullius momenti sunt ad salutem, & quæ ut sine merito fieri, ita sine salutis æternæ periculo possunt omitti.

quido apparet iis exemplis, quibus utitur, nempe præceptorum veteris legis, quæ nec bona dicit, nec mala, hoc est, quia facta comparatione ad præcepta novæ legis, minus bona erant. Affert etiam exemplum matrimonii, quod pariter eodem sensu nec bonum dicit, nec malum; nemo tamen sibi persuaserit, Hieronymum putasse unquam, nuptias non esse bonas; quamquam virginitas, & continentia sit melior.

81. Obj. *tertio*. Nullum est præceptum referendi omnes actiones in finem honestum; cum neque in Decalogo, neque in S. Litteris reperiatur. Præterea si etiam hoc præceptum extaret, esset affirmativum, quod proinde non extenderetur ad omnes actiones.

82. Resp. ad primum, hoc præceptum contineri in sacris Litteris, tum ubi nobis interdicitur omne verbum otiosum Matth. XII. tum ubi S. Paulus I. ad Cor. X. 31. nobis ita præcipit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* quibus verbis contineri præceptum referendi omnia in Deum, saltem virtualiter, docet S. Thomas cum pluribus aliis (*a*). Atque in eodem sensu dicebat Apostolus ad Coloss. III. 17.: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*. Quæ verba de vero præcepto iterum S. Thomas exponit Lect. III. in hunc locum. Vid. S. Augustinus *de correpť. & grat.* cap. 3. Sed præterea est hoc præceptum juris etiam naturalis; quo astringimur, nos ipsos, & omnia opera nostra in Deum virtualiter referre, & quidem triplici titulo, nempe creationis, conservationis & redemptionis (*b*).

83. Ad secundum resp. cum S. Thoma in II. Dist. 40. qu. 1. art. 5. ad 7., præceptum illud, quia affirmativum est, non intelligi de omnibus omnino operationibus, sed tantum de operibus deliberatæ voluntatis, ad quæ præceptum hoc generaliter extenditur. Immo nec dici omnino potest, præceptum hoc esse mere affirmativum; continet enim in se præceptum negativum, ne aliquid otiose agamus, hoc est absque ullo fine; tum ne finem in rebus creatis constituamus, sed omnia virtualiter saltem referamus in Deum.

84. Inst. *primo*. Nullum est præceptum agendi semper deliberate: ergo neque est præceptum omnia referendi in finem honestum. Cons. prob. Non minus enim proprium est hominis agere deliberate, quam actiones suas in finem honestum dirigere.

85. Resp. neg. cons. In eo autem positum est discrimen, quod in hominis potestate non est semper agere deliberate; bene vero in nostra potestate est, quotiescumque deliberate agimus finem honestum nobis ipsis proponere.

86. Inst. *secundo*. Nimis durum videtur, ac plane intolerabile hoc præceptum referendi omnia opera in Deum, & nemo est adeo suæ salutis sollicitus, qui de hujus præcepti præteritione se accuset, immo se ridiculum pene faceret, qui confiteretur, barbam fricasse, lavasse manus, sputa jecisse, aut aliquid simile egisse, quin ista ad Deum referret.

87. Resp. preceptum non esse, ut omnia referantur in Deum *actualiter*, quod utique durum, immo factu plane impossibile foret, sed *virtualiter* tantum, quod facillime præstatur ab eo, qui vitam suam in Dei gloriam ordinat. Certe qui ad perfectionem vitæ Christianæ anhelant, aut sæpius, aut ad minus semel in die, omnes actiones suas in Deum dirigere consueverunt. Quod si hujusmodi virtualis relatio prætermittatur, non video, quomodo ab aliquibus dicatur, esse inutile, aut ridiculum de hac omissione seu accusare. Si ridiculum haud foret, se accusare de verbis otiosis; quomodo ridiculum erit, se accusare de operibus otiosis? Ceterum & illud addendum est, actiones quasdam quæ naturæ commoditati inserviunt, non raro fieri sine ulla advertentia, & deliberatione; de quibus proinde nulla fit disputatio.

88. Inst. *tertio*. S. Thomas exponens illud Apost. 1. Cor. X. *Omnia in gloriam Dei facite: sufficit ergo*, inquit, *quod aliquis habitualiter referat se, & omnia sua in Deum*.

89. Resp., verbum illud *habitualiter* idem esse, ac *virtualiter*, quod apud S. Thomam non est omnino insolens, ut cum III. P. Qu. 64. art. 8. ad 3. dicit, in ministro Sacramenti sufficere intentionem *habitualem*, hoc est *virtualem*. Ceterum idem Angelicus Doctor in II. *sent.* Dist. 38. Quæst. 1. art. 1. ad 4. „ Ad hoc, *inquit*, quod „ alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas, „ non oportet, quod agendo illam actionem aliquis „ de

(*a*) S. Thomas in II. Dist. 40. Quæst. 1. art. ult. ad 7. hæc habet: „ Hoc, quod dicitur: Omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus: „ nihil contra Deum faciatis; & hoc modo præceptum „ est ... Si autem intelligatur affirmative, hoc potest „ esse dupliciter; aut ita quod actualis relatio in Deum „ sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem „ in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis: & sic adhuc præceptum est &c. “. Vid. etiam in Qu. de *Charitate* art. 11. ad 2. & 3. Longum autem esset omnes SS. Patres allegare, qui hæc Apostoli verba de vero præcepto interpretati sunt. Sane Ecclesia Græca in suo *Euchologio* edito a Goario ita precatur: *Domine, qui per Apostolum tuum Paulum omnia in gloriam tuam nos facere præcepisti* &c.; & S. Bernardus in Sermon. III. De obedientia: *Quidquid facimus*, inquit, *jubemur facere in gloriam Dei*.

(*b*) Non est hujus loci examinare, an hæc relatio virtualis omnium operum in Deum debeat oriri ex motivo charitatis, saltem inchoatæ, ut schola Augustiniana cum non paucis aliis Theologis contendit. Hanc eamdem sententiam, ut Sanct. Thomæ omnino conso-

„ de Deo, vel charitate cogitet, nec iterum sufficit, quod aliquis in habitu tantum Deum, & charitatem habeat (quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est), sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit ".

90. Inst. *quarto*. Potest aliquis hujusmodi præceptum, aut invincibiliter ignorare, aut negare, quemadmodum faciunt adversæ sententiæ patroni: ergo saltem eo in casu, qui non refert actus suos in finem honestum, non peccabit, & actus erit indifferens.

91. Resp. Negant multi, posse hoc præceptum invincibiliter ab aliquo ignorari; nimis enim proclive est unicuique rationis compoti cognoscere, non temere, & casu agendum sibi esse, sed propter finem, eumque honestum, & rationali creaturæ convenientem. Quod si hæc ignorantia invincibilis admittatur, maxime propter auctoritatem eorum, qui adversæ sententiæ patrocinantur, tunc saltem erit actus materialiter malus, quamquam non formaliter; hoc est non imputabitur ad culpam: vel si mavis, erit aliquis actus indifferens per accidens, non autem per se, circa quod potissimum controversia versatur, ut cum definitur a Theologis aliquid esse prohibitum, & culpabile, id semper semota ignorantia invincibili intelligi debet, & solet (*a*).

92. Ob. *quinto*. Sunt aliqui actus ex specie sua indifferentes; ergo debent etiam esse indifferentes in individuo. Prob. Cons. Nam nulla species sine aliquo individuo esse potest. Imo species reipsa non est aliquid diversum ab individuo, sed plane unum, & idem, sola cogitatione distinctum.

93. Resp. cum S. Thoma 1. 2. quæst. 18. artic. 9. ad 1. multipliciter intelligi posse id, quod dicitur, actum esse indifferentem in specie. " Uno modo sic, quod ex sua specie debeatur ei, quod sit indifferens, & sic procedit ratio; sed tamen isto modo nullus actus ex sua natura est indifferens; non enim est aliquod objectum humani actus, quod non possit ordinari vel ad malum, vel ad bonum per finem, vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie, quod sit bonus, vel malus, unde per aliquid aliud potest fieri bonus, vel malus. Sicut homo non habet ex sua specie, quod sit albus, aut niger; potest enim albedo, vel nigredo supervenire homini aliunde, quam a principiis speciei ". Unde patet, indifferentiam in specie etiam in individuis reperiri hoc sensu, quatenus actus quidam sunt, quia tametsi boni, vel mali ex circumstantiis vel ex fine, sunt tamen indifferentes ex objecto & specie.

94. Obj. ult. Omissio actionis bonæ, non tamen debitæ, ut ex. gr. Missæ die feriali, nec bona est, nec mala: ergo &c.

95. Resp. neg. ant. Vel enim illa omissio conjuncta est cum actione bona, vel cum actione mala. Si primum, bona erit, sin minus reduplicative ut omissio est, saltem absolute, & in se. Sin vero secundum, omissio erit mala. Res illustratur exemplo. Qui omittit audire Sacrum die profesto, vel id facit, ut tempus in aliis operibus impendat ad finem honestum directis, & tunc omissio illa erit conjuncta cum actione bona, adeoque & ipsa bona, quamquam fortasse audire Sacrum erat quid melius. Vel Sacrum omittit, ut tempus inaniter conterat, & tunc omissionem essa malam, plusquam certum est.

96. Dixi, omissionem operis boni non præcepti conjunctam cum alio opere bono, quamquam minoris perfectionis, esse bonam, quia non tenemur semper eligere id, quod perfectius est. Unde quamquam virginitas longe antecellat matrimonio, qui tamen matrimonium eligit, bene facit, teste Apostolo 1. Cor. VII. Contingere nihilominus aliquando potest, ut talis omissio sit mala, & peccatum saltem veniale, quando scilicet oritur ex aliquo defectu fervoris; talis enim negligentia est peccatum veniale, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 54. artic. 3.

DISSERTATIO III.

De Conscientia.

1. Conscientia, si etymologiam spectes, est quasi cum alio scientia, quia ut S. Thoma. I. P. quæst. 79. art. 13. observat, importat ordinem scientiæ ad aliquid. Quod si rem ipsam consideres: „ Conscientia, *inquit Origenes in cap. II. epist. ad Rom.*, est veluti pædagogus animæ quidam sociatus, & rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget, & arguat. *Definiri autem solet* actus, seu dictamen, quo intellectus ex principiis generalibus synderesis judicat de bonitate, aut malitia eorum, quæ fiunt: *seu* est applicatio principiorum generalium ad actum particularem ".

2.

nam pluribus argumentis confirmat non minus pius, quam doctus Contensonius in *Theol. mentis & cordis* Lib. VIII. Diss. II. c. 1. spec. 2. Vid. etiam Nat. Alexander in *Theol. Dogmatico-morali* Lib. III. *de peccatis* cap. 4. Reg. 57. & P. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christ.* Tractat. III. *De officiis hominum* cap. 9. num. 16.

(*a*) Non desunt, qui putent, actus hujusmodi materialiter malos ex ignorantia invincibili procedentes, ut ex. gr. concubitum Jacob cum Lia, posse etiam bonos formaliter esse, immo & meritorios. Hanc opinionem ut apertissime falsam nervose refutat P. Concina in *Appar. ad Theol.* Tom. II. Lib. 2. Diss. 1. cap. 5. Vid. etiam Card. Gotti *De Act. ham.* qu. 4. dub. 4. §. 2.

2. Ex his patet *primo*, conscientiam non esse potentiam, nec habitum, sed actum intellectus practici, ut ibidem S. Thomas docet: *secundo*, conscientiam a synderesi differre; hæc enim est habitus naturalis, generaliter dictans, bonum esse prosequendum, malum autem declinandum. Ita S. Thomas I. P. quæst. 79. art. 12.; conscientia vero actus est, quo practice quis judicat, hoc esse prosequendum, quia bonum, aliud vero declinandum, quia malum. Hic actus si circa præteritas actiones versetur, dicitur conscientia *consequens;* si respiciat actus futuros, dicitur conscientia *antecedens;* ac denique *concomitans*, quando actum comitatur. Hinc intelliguntur illi communes loquendi modi, scilicet conscientiam *ligare*, *testificari*, *accusare &c.*

3. Porro multiplex est conscientiæ divisio; præcipue autem partiri solet *primo* ex parte objecti in rectam, & erroneam; *secundo* ratione assensus dividitur in certam, & dubiam, in scrupulosam, & laxam, in probabilem & improbabilem, de quibus conscientiæ partitionibus distincte agendum est.

CAPUT I.

De Conscientia recta, & erronea.

4. Si quod conscientia faciendum, vel evitandum dictat, sit reipsa consentaneum æternæ legi Dei, quæ prima regula est, conscientia dicitur *recta:* sin vero dissentaneum sit, conscientia est *erronea*. Porro utraque conscientia, tam recta, quam errans obligat; certissime enim peccat, quicumque contra conscientiam agit, dicente Apostolo ad Rom. XIV. 23. *Omne quod non est ex fide* (hoc est ex conscientia (*a*)), *peccatum est; & quidquid, fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*, ut addit Innocentius III. Cap. *Litteras* de restit. spol. Lib. 11. art. 13. Unde S. Thomas *dicendum*, inquit 1. 2. quæst. 19. art. 4. *quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala:* & quidem de voluntate discordante a conscientia recta, res per se loquitur, nec multa oratione opus est. Graviora autem esse peccata, quæ contra conscientiam rectam fiunt, Christus Dominus clare docuit iis verbis apud Luc. XII. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui ... & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

5. Difficultas fortasse esse poterit de conscientia errante; sed recolendum est ex superius explicatis de Ignorantia cap. VI. Dissert. I. duobus modis conscientiam erroneam esse posse, aut *invincibiliter*, & sine culpa: aut *vincibiliter*, & cum culpa. Si conscientiæ error sit invincibilis, tum eam sequentes ab omni culpa immunes erimus, S. Thomas Quodl. 8. art. 15.

6. Si vero conscientia sit *vincibiliter* erronea, peccat homo tam sequendo, quam non sequendo ejus judicium, quod legi contrarium est. Prima pars facile patet, quia error utpote voluntarius, non excusat; secunda pars etiam certa est, quia ut S. Thomas 1. 2. quæst. 19. artic. 5. ad 2. inquit: *Quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum*. Diversimode tamen, ait Angelicus Qu. XVII. *de Verit.* art. 3., *recta conscientia, & erronea ligat. Recta quidem ligat simpliciter, & per se, erronea autem secundum quid, & per accidens.*

7. Neque vero quis regerat, hominem, si ita res se habet, fatali quadam necessitate esse ad peccandum adstrictum. Ista enim necessitas non est absoluta, sed hypothetica, non fatalis, sed voluntaria, a qua potest homo se facile liberare, errore non levibus de causis, & sine ratione, sed justa, gravique consideratione deposito. Sic nemo dixerit, peccatorem, qui resipiscere non vult, dura, fatalique necessitate adstrictum esse ad præceptum de Paschali communione violandum; quia in ejus potestate est cum gratiæ Dei auxilio per pœnitentiam se ad Sacramentalem communionem disponere. Vid. S. Thomas Quæst. XVII. *de Verit.* art. 4. ad 8.

8. Quæres I. Quale, ac quantum sit peccatum agere contra conscientiam errantem?

9. Resp. peccatum tale prorsus esse, quale a conscientia errante falso existimatur; cujus hæc ratio est, quam assignat S. Thomas in II. Dist. 39. quæst. 3. art. 3. ad 3.: „ Conscientia obligat, non virtute propria, sed virtute præcepti „ Divini; non enim conscientia dictat, aliquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur, „ sed hac ratione, quia a Deo præceptum est: „ unde per accidens ex virtute Divini præcepti „ obligat, inquantum dictat hoc, ut præceptum „ a Deo ". Hinc qui rem propriam surripit, putans esse alienam, non minus furti reus erit, ac si alienam surripuisset. Hinc etiam sequitur, peccare lethaliter, qui illud facit, quod ex errore putat gravem esse culpam, quamvis in se nonnisi levis culpa sit. Si tamen contra quis ex errore putaret leve esse peccatum, quod in se est grave, non continuo sequeretur, eum duntaxat venialiter peccare, sed distinctione opus est: Si ignorantia sit invincibilis, utique peccatum non erit, nisi veniale; secus autem, si ignorantia sit vincibilis.

10. Sed quid, si conscientia dictet, actum esse peccatum, non vero determinate mortale aut ve-

(*a*) Potest quidem hic textus intelligi de fide theologica, quemadmodum & a Sancto Augustino, & a nonnullis aliis Patribus intellectus fuit: nihil tamen impedit, quin etiam de conscientia cum S. Thoma, aliisque Patribus, atque interpretibus intelligatur.

veniale, quod illiteratis, ac rudibus hominibus non raro contingere solet?

11. Sunt, qui fidenter respondeant, hominem ita contra conscientiam operantem nonnisi venialiter peccare. Ego vero cum bona ac meliori Theologorum parte nullus dubito, quin ita agens mortaliter peccet; se se enim in periculum peccandi lethaliter conjicit: quemadmodum perjurii reum censerem, qui ignorans, an aliquid verum necne sit, illud tamen juramento affirmare, vel negare non vereretur. Ita Salmanticenses Tract. 20. cap. 4. punct. 2. n. 8. Joannes a S. Thoma in 1. 2. disp. 12. art. 2., Sylvius in 1. 2. quæst. 19. art. 5. quær. 3. Concina Lib. I. *de conscientia* cap. 2. aliique.

12. Quæres II. Quid agendum Confessario, cum pœnitentes offendit erronea conscientia laborantes?

13. Resp. Nemo ambigit, pœnitentes esse docendos, & instruendos, *primo*, si laborent ignorantia vincibili, quia hæc a peccato minime excusat; *secundo*, si ea ignorent, quorum cognitio necessaria est *necessitate medii*, quia eorum saluti minime prospiceretur, ad quam, posita ea ignorantia pervenire haud possunt: *tertio*, si ex admonitione emendationis fructus speretur: *quarto*, si agatur de ignorantia conjuncta cum damno alterius.

14. Controversia solum est de iis pœnitentibus, qui bona fide, & conscientia *invincibiliter* erronea aliquid sibi licere existimant; si autem admoneantur, omnino prudenter timetur, ne idem facere pergant, & ita formalis peccati se reos constituant, cum antea nonnisi materialiter peccarent. Hoc evenire potest in conjuge, cui si palam fiat aliquod impedimentum dirimens *invincibiliter* ignoratum, verendum maxime est, ne actus conjugii illicite exercere pergat, & peccet.

15. Probabilistæ satis multi, immo, ni fallor, communiter docent, nullo modo hos pœnitentes instruendos esse, quia hujusmodi instructio in eorum perniciem cederet, quam maxime Confessarius, utpote medicus, cavere debet. Huic sententiæ subscribunt aliqui etiam non Probabilistæ, ut Car. Billuard *de Actibus hum.* Diss. 5. art. 4., & Collet *de Actibus hum.* cap. 7. art. 2., qui tamen nonnullas restrictiones adhibent: *primo*, quod Confessarii silentium in damnum alterius non vergat, quod contingeret in materia restitutionis: *secundo*, quod inde bonum publicum detrimentum non capiat, cujusmodi esset Sacerdos invalide ordinatus, qui Sacramenta administraret: *tertio*, quod ignorantia non sit juris naturalis, quia etsi illius principia secundaria *invincibiliter* ignorari posse, quorumdam opinio est, hæc tamen ignorantia invincibilis diu durare non potest; satius ergo est, ut illico admonitio fiat, quamvis nulla emendationis spes effulgeat.

16. Alii autem sunt Theologi, qui multis, gravibusque momentis ostendunt, teneri semper Confessarium pœnitentes ignorantia invincibili laborantes instruere, etiamsi prævidere possit, eos propria malitia, vel infirmitate in peccata jam cognita delapsuros. Et recte quidem observant, pœnitentem nulla ratione absolvi posse, nisi prudenter judicetur ita dispositus, ac comparatus, ut peccatum sibi a Confessario indicatum omnino declinare velit; quo fit, ut proposita quæstio de pœnitente, quem Confessarius judicat in peccatum formale lapsurum, si invincibilis ignorantia ab eo tollatur, absurda, & contradictoria videatur, cum talis vere pœnitens dici nequeat. Casus tamen contingere poterit, ut pœnitens in sua ignorantia invincibili prudenter relinquatur, non quia prævideatur monitis Confessarii non obtemperaturus, sed propter scandala, aliaque mala multo pejora, quæ inde secutura non sine gravi ratione prævidentur. Casum hujusmodi habemus in c. VI. *de Consanguinit. & affinit.*, ubi Innocentius III. respondens quæstioni sibi factæ de matrimonio propter occulta impedimenta invalido, *dissimulare poteris*, inquit, *ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere* (a).

CAPUT II.

De Conscientia certa, & dubia, scrupulosa, & laxa.

17. Conscientia *certa* est, quando ratio certum, ac definitum fert de actione judicium; & secundum talem conscientiam operemur necesse est, sive illa recta sit, atque æternæ legi Dei consentanea, sive errans, & ab ea discordans, quemadmodum supra explicatum est num. 5. Triplex tamen distinguenda est certitudo, scilicet *metaphysica*, quando impossibile est rem aliter esse; *physica*, quando res ita est juxta consuetum naturæ ordinem, posset tamen per miraculum aliter esse; & *moralis*, quando res omnium prudentum judicio ita se habet, quamvis etiam citra miraculum posset aliter esse. Hæc saltem postrema certitudo ad recte operandum requiritur: quæ etiam quandoque major, quandoque minor est; ea tamen saltem esse debet, quæ prudentem dubitationem excludat.

18. Dubia autem conscientia est, qua quis ob varias, & contrarias rationes anceps pendet, & li-

(a) Plura in hac materia suppeditabunt sanioris Ethicæ Doctores, præcipue P. Vinc. Patuzzi *in Ethica Christiana* Tom. I. Tract. II. c. 5. seq., & P. Dan. Concina in *Apparatu Theol. Moral.* Lib. II. cap. 4.; apud quos invenientur scandalosæ laxitates, in quas Theologi *quidam* Probabilistæ minus cauti prolapsi sunt, serio notandæ, non ut earum Doctoribus invidia procreetur; sed ut ab ipsis, tamquam a syrtibus, & scopulis caveamus.

liquido determinare nequit, an aliqua actio licita sit, & bona. Porro a S. Thoma Quæst. XIV. *de Veritate* art. 1. distinguitur dubium in positivum, & negativum. *Positivum* est, cum fere æqualis ponderis in utramque partem momenta occurrunt; dubium autem negativum, cum nulla consideranti occurrit assentiendi, vel dissentiendi ratio. Sed id potius rei ignorationem, quam dubitationem aliqui appellandum censent; quemadmodum interroganti cuipiam, an numerus stellarum sit par, vel impar, potius respondendum dicunt, id ignorari, quam de eo dubitari.

19. Sed subtiliores Theologi triplex adhuc distinguunt dubium, *speculativum*, *speculativo-practicum*, & *practico-practicum*. Primum est quod in intellectu versatur, nec ordinatur ad opus, ut si dubites, an sint plures Angeli ejusdem speciei. Alterum est, quod ordinatur quidem ad opus, sed illud non respicit cum omnibus suis circumstantiis, seu ut hic & nunc ponendum: v. g. dubitatur, an pingere die festo opus servile sit, & prohibitum. Tertium denique est, quod versatur circa aliquod opus omnibus suis circumstantiis vestitum, neque ut hic, & nunc ponendum; puta cum quis certus, abstinendum esse ab operibus servilibus in die festo, dubitat tamen, an in eo, in quo tunc est, necessitatis gradu sibi opus exercere liceat. Hæc observare necesse est, ut, quæ Theologi subtilius disputare solent, intelligantur.

20. Jam vero illud certum est, nemini licere ex conscientia dubia operari. Qui enim id agit, quod dubitat, sit necne peccatum, ita animo comparatus est, ut peccatum non reformidet admittere, adeoque vel nullam, vel saltem non debitam amicitiæ Dei rationem habet, quæ animi dispositio culpa non vacat. Unde S. Augustinus Lib. I. *de Bapt. cont. Donatistas* cap. 5. loquens de eo, qui baptismum a Donatistis recipere vellet, dubitans, an ab iis recipere liceret, *si incertum est*, inquit, *esse peccatum*, *quis dubitet esse peccatum?* Immo vel ipse ethnicus Cicero Lib. I. *Offic. Bene præcipiunt*, ait, *qui vetant aliquid agere*, *quod dubites*, *æquum sit*, *an iniquum*.

21. Quæres: quid ergo agendum, ubi conscientia est dubia?

22. Rep. *primo*. Omnis adhiberi debet diligentia ad rei veritatem investigandam, ita ut aliquid vel omnino certum, vel saltem ita probabile inveniatur, ut certitudo moralis habeatur, quæ ad licite operandum sufficit; neque enim, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 70. art. 2., semper requiritur certitudo demonstrativa, quæ plerumque in actionibus haberi nequit. *Nam opinio*, & *præsumptio vehemens pro certitudine habenda est*: ut colligit. ex cap. *Veniens* Extrav. *de Presbytero non baptizato*, & ex can. *Dixit Dominus* Caus. 32. qu. 1., & ex cap. *Afferte* Extr. *de Præsumptionibus*. *Secundo* si moralis saltem certitudo haberi nequeat, tunc vel ab actione omnino temperandum, si fieri possit; aut tutior pars est eligenda, ut habet celebris regula juris: *In dubiis tutior pars est eligenda*. *Tertio*. Quod si neutra pars sit tuta, & agendi necessitas sit, eligenda est pars, quæ minus periculosa apparet, quod S. Gregorius Lib. XXXII. *Moralium* cap. 17. explicat similitudine hominis, qui in fuga se de muro præcipitare debens, certe eligit locum, ubi minus sit periculi; tum etiam exemplo S. Pauli, qui 1. ad Cor. VII. permittit actum conjugii sola libidinis explendæ causa, quamquam culpa non vacat, unde adjunxit vers. 6.: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, *non secundum imperium* (*a*).

23. Obiter tamen notamus, id esse intelligendum, cum agitur de proprio peccato vitando, non de alieno; unde non esset mentiendum ad proximi peccatum impediendum. Neque Loth excusatur, cum filias suas stuprandas obtulit Sodomitis, ad pejus flagitium evitandum, quod impii illi homines cum Angelis hospitio receptis patrare volebant, Gen. XIX. (*b*). Præclare de more Sanct. Augustinus: *Noli*, inquit, *facere magnum scelus tuum*, *dum majus horrescis alienum*; *quantumlibet enim distet inter tuum*, & *alienum*, *hoc erit tuum*, *illud alienum*. Lib. *contra mendacium* Cap. 9.

24. Conscientia *scrupulosa* dicitur, quando mens levibus omnino rationibus mota putat esse peccatum, quod non est, aut esse peccatum grave, quod est tantummodo leve. Conscientia vero *lata*, vel *laxa* illa est, quæ sine gravibus rationibus ea sibi licere putat, quæ prohibita reipsa sunt, aut pro levi peccato reputat culpas in se graves, & lethales. Utraque hæc conscientia ad erranteim reduci debet; & neutra potest esse regula morum: cu-

(*a*) S. Thomas Lect. I. in hunc Apostoli locum *Actus conjugalis*, inquit, *quandoque quidem est meritorius*, & *absque omni culpa mortali*, *vel veniali*, *puta cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ*, & *educandæ ad cultum Dei*. *Sic enim est actus Religionis*, *vel cum sit causa reddendi debiti*; *sic enim est actus justitiæ ..... Quandoque vero est cum culpa veniali*; *scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur*, *quæ tamen infra limites matrimonii sistit*, *ut scilicet cum sola uxore sit contentus..... Primo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam*: *secundo habet indulgentiam*, *inquantum aliquis consentiens concupiscentiæ in uxorem non sit reus peccati mortalis*. Confer Estium in Comment. ad hunc locum.

(*b*) Ita probabilitas Natalis Alexander Diss. VII. in vet. Test., unde etiam S. Augustinus Quæst. 42. *in Gen.* hujusmodi flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum compensationem nullo modo dicit imitandam. Cajetanus tamen in 2. 2. qu. 78. art. 4. Loth excusare conatur. Sed vid. Dom. Soto, *de just.* & *jure* Lib. VI. quæst. 1. art. 5.

cujus ratio est, quia regula morum debet vel maxime prudentiæ inniti: at vero prudentiæ certe non est, levibus ac futilibus rationum momentis angi, & conturbari, quod scrupulosi faciunt, vel contra gravia rationum, & auctoritatum momenta cupiditatibus suis habenas laxare, quod homines dissoluti, suæque salutis minime solliciti agunt. De utraque consuli potest inter alios P. Patuzzi in *Ethica Christ.* Tom. I. Tract. II. c. 11.

CAPUT III.

De Conscientia probabili.

25. Gravissimam omnium judicio controversiam, & maxime necessariam hoc capite explicare aggredimur, in qua proinde a præjudicatis opinionibus, & a partium studio summopere cavere oportet, ut solius veritatis, atque æternæ salutis amore pugnemus. Ut autem majori, qua fieri potest, perspicuitate hæc res tractetur, caput in plures paragraphos dividemus.

§. I.

Quid sit Conscientia probabilis, quid probabilior, quid tuta, & tutior?

26. Probabile olim sumebatur pro eo, quod est unice certum, ac probari meretur, quo sensu Aristoteles Lib. I. *Topicorum* cap. 1. probabile definivit, quod *videtur vel omnibus, vel plurimis, vel sapientibus; hisque vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus.* Et S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXII. doctrinam de necessitate fidei in Jesum Christum *probabilem* appellavit. Modo autem communi Theologorum usu illud probabile dicitur, quod absolute, & undequaque certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis, ut probari possit; unde fit, ut illi assentiamur quidem, sed non absque aliqua formidine. Probabilitas alicujus opinionis variis gradibus intendi potest, pro majori fundamentorum, quibus innititur, soliditate.

27. Duplex autem communiter distinguitur probabilitas, altera *intrinseca*, & hæc petitur ex momentis Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum, & rationum, quibus aliqua opinio confirmari videtur; altera *extrinseca*, quam alieni opinioni conciliant auctores, qui eidem patrocinantur. In iis tamen doctrina, & pietas potissimum spectari debent; unde non tam numerandi, quam ponderandi sunt (*a*). Si æqualia pro duabus propositionibus contradictoriis utrinque momenta appareant, propositiones dicuntur æque probabiles; sin autem alterutra gravioribus innitatur momentis, ea erit probabilior, & opposita minus probabilis. Neque id tamen adeo accurate sumendum est, ut cujuslibet etiam levissimi gradus probabilitatis ratio habeatur, sed quæ ejusdem fere momenti rationibus, atque auctoritatibus fulciuntur, moraliter æque probabilia censentur.

28. Porro si accurate loqui volumus, nulla propositio in se ipsa probabilis, vel improbabilis est; vel enim legi est consentanea, & tunc est vera, vel dissentanea, & est falsa: dicitur ergo aliqua propositio probabilis relate ad nostram conscientiam; quando scilicet ejus veritas probabilibus tantum argumentis, non certis, & ineluctabilibus, nobis innotescit: id autem ex rei ignoratione oritur; unde Tertullianus, *Varietas opinionum*, ait Lib. II. *ad Nationes* cap. 2., *venit de ignorantia veritatis*. Non itaque probabilitas est aliqua proprietas propositionis absoluta, cujusmodi est veritas, vel falsitas; sed est proprietas relativa: unde propositio absolute, & in se semper est vera, vel falsa, & solum relate ad nostram conscientiam dicitur probabilis, vel improbabilis.

29. Quamquam hæc certa sunt, quidam Theologi tamen probabilitatem distinguunt in *subjectivam*, & *absolutam*. Primam dicunt, quando aliqua propositio opinanti videtur gravibus fundamentis innixa; *absolutam* vero eam probabilitatem appellant, quæ ex aliorum judicio reperitur, qui eam sententiam probant. Alii vero *objective* aliquid probabile dicunt, quando aliqua propositio per se, & absolute considerata gravibus, tum rationum, tum auctoritatis momentis fulcitur; *subjective* autem, quando talis est, etiam considerata in quibusdam circumstantiis; contingere enim nonnunquam potest, ut id, quod absolute consideratum, minus probabile videbatur, attentis nonnullis circumstantiis appareat probabilius, vel contra.

30. Propositio *tuta* ea est, quæ favet legi; *non tuta*, vel *minus tuta*, quæ favet libertati; ut si quæratur, an liceat pingere die festo, opinio negans dicitur *tuta*, quia eam sequens certe non peccat; opinio autem affirmans dicitur *non tuta*, sed *minus tuta*, quia eam sequens in praxi periculo violandi legem se se exponit. Usus tamen obtinuit, ut opinio favens legi vocetur *tutior*, contraria

(*a*) Non erit inutile hic obiter notare, a Probabilistis reipsa passim non attendi nisi probabilitatem extrinsecam; quamquam etiam de *intrinseca* sæpius, & magnificis verbis loquantur. Audiatur P. Georgius de Rhodes Disp. II. *De actibus hum.* Quæst. 2. Sect. 2. *Ego*, inquit, *existimaverim esse necesse, ut aliquas* (Doctor Theologus) *habeat rationes, sed non esse necesse, ut illæ mihi probentur in se ipsis; quia viri magni auctoritas satis est magna ratio, ut judicem rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat.* Notum est autem aliunde, nomine *viri magni* apud Probabilistas non venire Sanctos Patres, aut Doctores Ecclesiæ, sed nuperos quosque Theologos Moralistas, ut Sanchez, Busembaum &c.

via *minus tuta*, quam loquendi formulam nos etiam usurpabimus; dummodo id intelligatur *adversative*, non *comparative*; quasi sequi opinionem faventem libertati absolute tutum sit, sequi autem opinionem faventem legi solum sit *tutius*; quod falsum esse omnibus viribus ostendemus.

51. Hisce expositis quæstio oritur, qua nullam aliam in morum doctrina graviorem esse existimo; scilicet *primo*, ubi duæ occurrunt opiniones æque probabiles, quarum altera favet legi, ac proinde tuta est, vel tutior, altera libertati, & est minus tuta, an possit homo probus hanc secundam, rejecta prima, licite amplecti? *Secundo*, an possit homo probus eamdem opinionem minus tutam sine piaculo sequi, tutiore posthabita, etiamsi tutior majoribus probabilitatis gradibus fulciatur. Qui affirmant, vocantur Theologi *Probabilistæ*, *& benigni*; qui vero negant, appellantur *Probabilioristæ*, vel *Anti-probabilistæ*. Cave tamen, ne eos dicas *Rigoristas*, vel *Tutioristas*; Rigoristæ enim, & Tutioristæ proprie sunt nonnulli, qui ita a probabilistarum laxitate declinarunt, ut in oppositum rigoris scopulum allidereut, docentes, quotiescumque evidens rei certitudo non appareat, tutiorem partem semper esse tenendam, nec posse nos minus tutam sequi, etiam quando multis gradibus probabilior est; quam sententiam nimis rigidam postremo loco confutabimus.

§. II.

De Ortu, & progressu Probabilismi.

52. Prima Probabilismi origo fere ab omnibus repeti solet ab an. 1577. quando Bartholomæus Medina Ord. Præd. Commentaria in Primam Secundæ S. Thomæ publici juris fecit (*a*); in iis enim ad quæstionem 19. primus docuit, licere cuilibet opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, & tutiore, amplecti (*b*). Hinc prima mali labes. Probabilismum tamen in Hispania, ubi natus est, obstetricante Medina, diu obscurus latuit: nam ante Sæc. XVII. vix ullum alibi apparet Probabilismi vestigium. Post autem non sine ingenti Moralis Christianæ detrimento ad alias etiam regiones permeavit, & brevi temporis intervallo totam fere Europam pervasit, magnam secum trahens monstruosarum laxitatum catervam, quæ a summis Ecclesiæ Pastoribus diris devoveri meruerunt (*c*). Hoc Probabilismi regnum, ut ita dicam, quod post initium Sæc. XVII. incœpit, usque ad medium circiter idem Sæculum perduravit, soletque 50. fere annis concludi.

53. Non tamen consenserim, aut P. Stephano de Champs in *Quæstione* facti, aut P. Nicolao Gezzi *De Principiis Philosophiæ Moralis* (qui P. de Champs secutum se esse professus est), aliisque nonnullis jactantibus, Probabilismum quasi per integrum sæculum fuisse ab omnibus Universitatibus Catholicis, ab omnibus Ordinum Religiosorum scholis, præcipuæ autem Thomistica, ab omnibus Theologis, & Episcopis adoptatum; unde postea inferunt: credibile haud esse, Deum tot viros doctos, & pios, immo totam plane Ecclesiam in errorem practicum delabi permisisse. Gerræ hæ sunt, putidæque fabulæ, quas P. Ghezzi in sua *Declaratione*, *& protestatione* jussu S. Indici Congregat. retractavit die 2. Martii 1754. n. 11., monens se *asserere noluisse*, *Theologos omnes*, *qui eo tempore vixerunt*, *secutos esse*, *ac docuisse probabilismum &c.*

54. Et sane vel ipsi Probabilistæ, quamquam sæpius provocati, nec unum proferre umquam potuerunt Ecclesiæ Pastorem, qui in suis Synodis, vel Instructionibus Pastoralibus Probabilismum, ut regulam in praxi tutam probaverit (*d*); contra bene multi numerantur Episcopi, qui eo ipso tempore, quo Probabilismus maxime florebat, nempe usque ad medium Sæc. XVII., in suis Synodis, & Pastoralibus Instructionibus *veriores*, *probatiores*,

(*a*) Altius Probabilismi originem repetere conatus est hominum paradoxotatos Caramuel in damnato suo *Apologemate*, nempe ab Angelis in Cælo, & Protoparentibus in Paradiso. P. Antonius Terillus Apostolos, B. Virginem, ipsumque Christum Dominum (proh nefas!) Probabilismo usos fuisse contendit. Clemens XIII. die 26. Feb. an. 1761. uti *erroneam*, *& hæresi proximam* hanc propositionem damnavit: *Probabilismus Christo Domino summe familiaris fuit*. Rectius, ut puto, Natalis Alexander *Hist. Eccl.* Sæc. V. cap. 3. art. 3. §. ult. inter Christianos Probabilismum primo a Pelagianis usurpatum fuisse observat. Cœlestius enim in Synodo Carthagin. interrogatus, an alios præter Ruffinum haberet sui erroris patronos, fidenter respondit: *Non sufficit tibi unus Sacerdos?* Apud S. Augustinum Lib. *De peccat. Orig.* c. 23.

(*b*) Non desunt, qui Medinam intelligendum esse dicant de Probabilismo duntaxat *objectivo*, non *subjectivo*; nempe licere viro docto opinionem sequi, quæ aliis minus probabilis videtur, dummodo ipsi *subjective* attentis circumstantiis probabilior appareat; id quod aliquando, sed admodum caute licitum esse Probabilioristæ non inficiantur. Hoc si verum est; non ii deridendi erunt, qui laudatum Medinam ova tantum probabilismi posuisse dicunt, quæ alii excluserunt, aut rimulam quamdam aperuisse, per quam contra ejus mentem opinionum monstruosarum quasi torrens in Ecclesiam inundavit. Sed hæc ad alios. Vid. P. Echerd. *Script. Ord. Præd.*, & Moreri in *Dictionario* art. *Medina*.

(*c*) Qui de horrendis plurimorum laxitatibus edoceri cupit, adeat non famosos, & ab Ecclesia proscriptos bene multos libros, quibus omnis auctoritas jure meritoque adempta est; sed illustres, atque orthodoxos Theologos non paucos, ac præcipue P. Car. Nocetium, & P. Vincentium Patuzzi in Tract. *De Regula proxima actionum human.* Tom. I. P. II. cap. 6. *Nelle lettere ad un Ministro di stato sopra le morali dottrine de' moderni Casisti*, atque in *Ethica Christiana*, quæ post mortem auctoris lucem aspexit.

(*d*) Non inficias ivero, quosdam Episcopos Probabilismo regnanti adhæsisse, eumque in suis scriptis, ut

res, *probabiliores*, *tutiores* sententias sequendas esse edixerunt. Longum horum catalogum magno labore collegit in *Regula Proxima* P. 3. c. 3. P. Vincentius Patuzzi, *magnum Dominicanæ familiæ lumen*, ut eum vocat vir non minus doctrina, quam pietate celebris Franciscus Cajetanus Incontri Archiep. Florentinus (*Trattato delle azioni umane* p. 13.). Hinc apparet Divinæ Providentiæ consilium, ne Ecclesia Probabilismum adoptasse videretur.

35. Sed nec defuerunt per id temporis intervallum pii, & docti Scriptores, qui Probabilismo serpenti, & crescenti pro viribus adversati sunt, inter quos plures excellunt ex Societate Jesu, ut P. Rebellus Lusitanus an. 1608., P. Comitolus Perusinus an. 1609., Card. Bellarminus in sua celebri epistola ad Episc. Theanensem nepotem suum circa an. 1615., P. Claudius Aquaviva in epist. an. 1613., & P. Mutius Viteleschi in epist. an. 1617. (*a*). His addi possunt Andreas Blancus Januensis pariter e Societ. Jesu, sub nomine Candidi Philalethis an. 1642., Esclapezius in Hispania an. 1646., ven. Jo. Palafox de Mendoza in epist. ad Innocent. X. ante an. 1659., Antonius Merenda an. 1655. & plurimi alii. Immo id nec diffitetur ipse Caramuel in *Apologemate*, inquiens: „ Magna hoc ævo imperitorum copia viris doctis „ insultat, quod invenerint opiniones benignas, „ quæ per securissimas probabilitatis semitas homines ad cœlum conducant (*b*) ".

36. Neque illud prætermittendum censeo, magnam illam Probabilistarum turbam, quæ post initium Sæc. XVII. usque ad ejusdem medietatem, erupit, justa lance pendatur, valde parum habere ponderis, fuerunt enim majorem partem Casuistæ ignobiles, quorum plurimi alios sine delectu, ut ovis ovem, sequebantur, vel nihil aliud præ oculis habere videbantur, quam ut novis, laxisque sententiis inanem sibi gloriolam captarent. Non inutile fuerit id comprobare verbis P. Antonii Terilli, qui prima inter Probabilistas subsellia occupat. „ Fuerunt, *inquit in Præf.* De Consc. „ probabili *circa an.* 1660. ex recentioribus non „ pauci, qui levissimis rationibus ducti antiquorum Theologorum in opinando severitatem .... „ palam ausi sunt scriptis suis condemnare ... Cum „ enim plus æquo famæ, vanæque de sua doctrina existimationis essent cupidi, mirum est, quo „ ardore, atque animi contentione ad scripta sua „ typis mandanda incubuerint ... Innumerabiles „ sunt, qui a 30. annis (*scilicet quando Probabilismus florebat quammaxime*) Summis casuum, rerumque moralium Tractatibus bibliothecas impleverunt ... Quid autem facerent, ut „ ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? ... „ In opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placitura ... Vidi ego ex „ hisce recentioribus nonnullos viros, ceteroquin „ egregios, qui cum in rebus summi momenti ad „ Dei legem, & conscientiæ obligationem pertinentibus ab unanimi omnium sententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinassent, aliud „ tamen, quo moverentur, non habebant, quam „ argumentum a simili ductum. Vidi, & exhorrui &c. " Dignus est, qui totus legatur prolixior ille Terilli locus, ubi eorumdem Probabilistarum *audaciam* describere pergit, *qui ex laxis solutionibus ad alias laxiores iter sibi*, *seu rectius*, *& sibi ac aliis præcipitium aperuerunt*. Quomodo ergo hæc levissimorum Probabilistarum turba tanti fieri ab aliquibus potest, ut inde concludant, universam pene Ecclesiam in Probabilismum conspirasse?

§. III.

De Probabilismi decremento.

37. Post medium Sæc. XVII. cum intolerabiles plurium Probabilistarum laxitates in oculos omnium jam incurrerent, atrox bellum contra Probabilismum

privatos Theologos propugnasse, solum negatur, ab iis Probabilismum suis ovibus tamquam in praxi tutum aliqua Constitutione pastorali propositum; qua de re videri etiam potest doctissimus P. Hyacinthus Gerdil Cl. Reg. S. Pauli (nunc amplissimus S. R. E. Cardinalis) in egregia illa Oratione, quam an. 1754. *De causis Academicarum Disputationum in Theologiam Moralem inductarum* habuit, dum in regio Taurinensi Athenæo Moralis Doctrinæ munus publice aggrederetur. In notat. enim 3.: *Magnum sane*, inquit, *argumentum Christianæ institutionis numquam in Ecclesia interituræ ex eo capi potest, quod multis doctis Viris est observatum: quo tempore operandi licentia plures errores peperit, nil tamen inde contagionis promanasse in Synodorum decreta, quæ semper ad pristinæ, & incorruptæ severitatis exemplum compositæ cernuntur.*

(*a*) Ejus verba hæc sunt: *Nonnullarum ex Societate sententiæ in rebus præsertim ad mores spectantibus plus nimio liberæ, non modo periculum est, ne ipsam evertant, sed ne Ecclesiæ etiam Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui docent, scribuntque, minime hac regula, & norma in delectu sententiarum utantur; tueri quis potest; probabile est: Doctore non caret. Verum ad eas sententias accedant, quæ tutiores, & quæ graviorum, majorisque nominis Doctorum suffragiis sunt frequentatæ &c.*

(*b*) Quinam sint viri *docti*, vel *imperiti* ad sensum Caramuelis, colligi potest ex iis, quæ scripsit in defensione illius doctrinæ, quæ fuit postea ab Alexandro VII. damnata an. 1665. num. 17., nempe licitum esse Religiosis, vel Clericis calumniatores occidere, quando alius modus se defendendi non suppetit. *Hanc doctrinam*, inquit Caramuel, *esse veram censemus omnes docti* (*Theol. fundament.* fund. 55. n. 6.). Ceterum de Probabilismi adversariis, qui ab ejus ortu usque ad medium Sæc. XVII. continua successione floruerunt, vid. præter jam laud. Concinam in *Hist. Prob.* T. I., Patuzzi P. III. cap. 3. §. 1., Merbesius in *Summa Christ.* P. I., & Antonius Charlas *De opinionum delectu*.

mum tamquam earumdem parentem, ubique fere exarsit, eo felici successu, ut quemadmodum rapidissimo cursu ad summum gloriæ culmen ascenderat, ita quasi præcipiti lapsu decideret. Cum vero hoc eodem fere tempore hæresis Janseniana prodierit, nonnullis e re visum est, ad invidiam Probabilismo conflandam, primam Probabilismi impugnationem a Jansenistis repetere, fucumque imperitis faciunt, dicentes, Sancyranum, Jansenium, Paschalem, Nicolium, aliosque ejusdem Scholæ classicum adversus Probabilismum cecinisse; immo alii audacius progressi dicere non sunt veriti: *Jansenianam hæresim esse matrem sententiæ probabilioris;* vel *Probabilismum ex feretro, & cineribus Jansenismi esse natum*. Terillus in præf. ad Reg. Mor. & la Croix Lib. 1. n. 293.

58. Ego vero *primum* sentio, non esse hoc Jansenistis, seu quibuslibet aliis, vitio vertendum, quod Probabilismum omni conatu exterminandum curaverint; quemadmodum, proportione servata, nemo Calvinum reprehenderit, quod Michaelem Servetum, aliosque Anti-Trinitarios exagitaverit.

59. Sed ulterius toto ostio aberrant, qui a Jansenistis belli adversus Probabilistas initium repetendum esse putant: multoque minus tolerari debent, qui Jansenianam hæresim matrem esse probabiliorismi fabulantur. Certe multo antequam Jansenismus erumperet. Probabiliorismum tutati sunt Rebellus, Comitolus, Bellarminus, Aquaviva, Viteleschi, quamplurimi Episcopi, aliique supra n. 35. commemorati, ut nihil dicam de omnibus Theologis, qui Medinam antecesserunt, & quibus de Probabilismo ne in mentem quidem venisse reor. Eorum autem, qui post exortas Jansenianas turbas Probabilismum insectati sunt, bene multi, immo potissima pars, nonnisi per summam calumniam possunt cum Jansenistis confundi. *Plurimos in Hispania Episcopos præstantissimos ab initio fere Pontificatus Alexandri VII. Probabilismum luxuriantem repressisse*, scribit doctissimus Card. de Aguirre in præf. ad *Concilia Hispaniæ*. Anne isti erunt Jansenismi suspicione infames? His addi possunt ven. Jo. Palafox, Antonius Merenda celebris Bononiæ J. C., Prosper Fagnanus sui temporis oraculum, Stephanus Gradius Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, Antonius Marinari Carmelita, P. Michael Elizalde, & Andrea Blancus Soc. J., & sexcenti alii, quos ne levis quidem Jansenismi suspicio maculavit.

40. Nec prætermittendi sunt PP. Dominicani, qui in Comitiis generalibus Romæ an. 1656. congregati, hortatu, jussuque Alexandri VI.. de Probabilismo pro viribus explodendo statuerunt; unde statim adversus eum Jo. Martinez de Prado Lusitanus, Julius Mercorus, & Seraphynus Piccinardus Itali, Vincentius Baronius, Vinc. Contensonius, & Jo. Baptista Gonet in Gallia calamum strinxerunt. Anne isti omnes, hortante, & jubente Alexandro VII., Probabilismi impugnatores Jansenistæ calumniose dicentur, aut cum Jansenistis junctis dextris conspirasse? (a).

41. Ad rem nostram mirifice faciunt ea verba, quibus Conventus generalis Cleri Gallicani an. 1700. similem aliquorum calumniandi pruriginem merito compescuit: „ Neque propterea tolerare volumus importunos, ac malevolos homines, qui „ viris bonis, doctisque, & Ecclesiasticæ rei studiosis vagam, & invidiosam Jansenismi accusationem inferunt, eo quoque nomine, quod morum corruptelas acriter, insectentur; cum nos „ pro candore, & æquitate Episcopalis Ordinis neminem pro suspecto habituri simus, nisi eum, „ qui aut Constitutionibus Apostolicis detrahat, aut „ aliquam ex damnatis propositionibus tueatur. „ quod etiam ab Antecessoribus nostris sæpe sancitum, & regia auctoritate firmatum, & ab optimo, maximoque Pontifice Innocentio XII., „ applaudente tota Ecclesia, constitutum est ". Vid. Declaratio P. Ghezzi num. ult.

42. Obiter hic observatum velim, parum æquos Dominicanis eos esse, qui post Stephanum Champs in *Quæst. facti* c. 5., & P. Danielem epist. 2. ad P. Serry, ab ipsis probatum aliquando fuisse Probabilismum ex eo inferunt, quod in Comitiis generalibus an. 1644. interposito obedientiæ præcepto coactus fuit P. Joann. Idelphonsus Baptista, ut sua Commentaria in lucem emitteret, in quibus Probabilismus defenditur. At vero, ut optime respondet P. Echard, frustra inde colligitur: „ Quæcumque in iis commentariis continentur, „ fuisse probata, & veluti doctrinam Ordinis totius adoptata: hujusmodi enim præcepta hanc „ semper conditionem involvunt, ne auctor a sententia S. Thomæ ullibi deflectat, a qua si vel „ minimum aberraverit, tum non solum non probatus, sed reprobatus omnino habendus est ". Porro, ut subdit idem Echard, Jo. Idelph. Baptista in iis, quæ de probabilitate docet, se ab antiquis discedere, & recentioribus, præsertim S. J. ad-

(a) Idem præcepisse Alexandrum VII. P. Goswino Nikel, tunc temporis Soc. J. Generali, testis est P. Tyrsus Gonzalez in suo supplici libello an. 1702. Clementi XI. oblato n. 2. etiam P. Elizalde lib. 8. q. 6. §. 10. addita Sacramenti religione testatur, sibi a Card. Pallavicino significatum fuisse Alexandri VII. mandatum de Probabilismo impugnando. Demum quantum Alexander VII. a Probabilismo alienus esset, palam fecit suo decreto die 7. Sept. 1665., in quo inter alia hæc habentur: *Sanctissimus Dominus noster audivit, non sine magno animi sui mœrore ... summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irruptura esset vitæ Christianæ corruptela.*

adhærere profitetur (*a*). Sed e diverticulo in viam.

43. Porro hoc ipso tempore multo acrior contra Probabilismum in Galliis exarsit pugna; nec mora, nec requies, quousque integre debellatum est, & Probabilismus a tota illa florentissima Ecclesia penitus exterminatus, & quamquam in ea pugna Jansenistæ non modicam habuerunt partem, non tamen iis solis victoria debetur, sed aliis etiam viris doctrinæ puritate præstantissimis, ut breviter ostendam.

44. Jam ab anno 1619. Universitas Parisiensis (*b*) damnaverat propter nimiam laxitatem opinionum opus Petri Milhard pro directione Parochorum, & Confessariorum: eademque de causa an. 1635. proscripsit *Directorium* Bertini Berthaud, & an. 1641. *Summam de peccatis, & praxim beneficiorum* Stephani Baunii. Hæc prima fuerunt quasi belli præludia. An. 1643. prodiit *Theologia moralis Jesuitarum* auctore Franc. Hallerio, ad saniora morum præcepta restituenda. Porro Hallerius Jansenismi postulari nequit: est enim ille ipse, qui una cum Lagault, & Joisel pro damnatione quinque propositionum Jansenii Romæ plurimum desudavit. Opus Hallerii acriori stylo impugnavit Pienterellus sub nomine Abb. de Boisic, edito libro ita inscripto: *Imposturæ, ignorantiæque libri, cui titulus Theologia moralis Jesuitarum*, an. 1646. Magnæ ex hoc Pienterelli opere turbæ motæ sunt, & tandem an. 1656. famosæ prodierunt Epistolæ Provinciales Blasii Paschalis sub adscititio nomine Lud. Montaltii, quibus postea notas suas adjecit Petrus Nicolius sub larva Willelmi Vendrockii. In his epistolis monstruosiores Probabilistarum laxitates satyrico sale lepide, & eleganter perfricantur (*c*).

45. Porro expositione tot tantarumque corruptelarum, quas Probabilismus in doctrinam morum invexerat, commoti sunt bene multi Parisienses, quibus postea accessere Rothomagenses, Senonenses, Bellovacenses, Ambianenses, aliique animarum Pastores supra mille, & quasi facto agmine Probabilismi condemnationem urgere cœperunt (*d*). Celebrabantur tunc temporis Parisiis Cleri comitia, cumque plurimæ lectæ fuissent Casuistarum propositiones, tanto horrore Patres perculsi sunt, ut teste Antonio Godeau Episcopo Vencensi, qui unus erat ex Patribus congregatis, *prope abfuerint, quin aures sibi obturarent, ut Nicœni Patres, ne Arii blasphemias audirent, fecisse memorantur*. Cum tamen comitia ad finem vergerent, nec otium esset, præmisso diligenti examine, ut moris est, rem definire, ad aliquod tanto malo remedium afferendum, duntaxat decretum fuit, ut *Instructiones* S. Caroli Borromæi vernaculo idiomate evulgarentur. Ceterum Episcopi ad suas sedes remeantes fere omnes gravibus censuris laxas Probabilistarum opiniones confixerunt: quibus celebres Universitates Sorbonica, & Pictaviensis pariter suffragatæ sunt. Censuræ vid. apud Vinc. Patuzzi P. 3. c. 5.

46. Sed illuxit tandem illa expectata dies, in qua Præsules Gallicani an. 1700. iterum in Comitiis congregati supremam cladem Probabilismo in Gallia attulerunt. Nempe sapientissimus hic Episcoporum Conventus post plurimas laxas propositiones variis censuris confixas, ad rectum probaba-

(*a*) Cl. P. Muszka *de Act. hum.* p. 409. ita scribit: *studium item Thomistarum, non obstante Janseniano tumultu, colligitur ex P. M. Barnaba Gallego de Vera: hic nempe .... ann.* 1645. *Confratres suos Matriti Probabilismum docuit &c.* Non eo inficias, Barnabam Gallego Probabilismum docuisse; sed maxime nobis dolet, ex eo uno, vel paucis aliis Thomistis universaliter *studium Thomistarum* in favorem Probabilismi minus recte colligi, cum bona, & melior Thomistarum pars ei semper adversata sit. Quod insuper additur, *non obstante Janseniano tumultu*, vereor, ne minus accurate dictum sit, vel quod an. 1645. nondum fortasse Jansenistarum tumultus prodierit contra probabilissimum; vel quod si etiam tunc primo prodiisset, parum verisimile sit, illico, in Hispaniam pervasisse. Sed hoc secundum parum nostra interest, dummodo nec Thomisticæ Scholæ, nec Dominicanæ Familiæ paucorum errores adscribantur.

(*b*) Quæ Vindobonensis Universitatis *mater.* passim in statutis ejusdem Universitatis ann. 1389. publicatur apud Lambecium in T. II. *Comment.* c. 5. suppl. ad 1. lib. in nova eleganti doctissimi Adami Franc. Kollarii T. I. p. 468.

(*c*) Epistolæ Provinciales Romana Censura jure meritoque confixæ fuere an. 1657.; sed parem fortunam experti sunt plurimi libri, quibus contra epist. Prov. nonnulli Probabilismo labanti suppetias ferre conati sunt. *Primum* ann. 1659. damnata est *Apologia Casuistarum opposita calumniis Jansenistarum*, opus P. Pirot. *Secundo* an. 1664. proscriptum est *Apologema pro antiquissima, & universalissima doctrina de probabilitate* Jo. Caramuelis. *Tertio* proscriptæ sunt an. 1668. *Notæ in notas Willelmi Wendrocki, ad Lud. Mentalei literas, & in Disquisitiones Pauli Irenæi*; fœtus P. Honorat. Fabri sub fictitio titulo Bern. Stubrockii. *Quarto* idem P. Honoratus Fabr. aliud opus adornavit in defensione Casuistarum contra epistolas Provinc., aliudque proprio nomine novem Theologorum suffragiis communitum sub hoc titulo evulgavit: *Apologeticus doctrinæ moralis Soc. Jesu*: sed hoc pariter decreto S. Congregationis ann. 1672. prohibitum est. *Quinto* Apostolica censura ann. 1680. confixum est Amadæi Huimenii Lomarensis (seu P. Matthæi Maya) *Opusculum singularia universæ fere Theologiæ moralis complectens adv. quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales*. *Demum* damnari pariter meruit ann. 1703. opus P. Gabrielis Danielis inscriptum: *Cleander, & Eudoxius; seu de litteris, quas vocant Provinciales, Dialogi*. Porro quilibet obediens Ecclesiæ Filius omnes has summorum Pontificum prohibitiones debita reverentia amplecti debet.

(*d*) *Judicium tam magni cœtus Presbyterorum, qui in urbibus regni præcipuis animas regunt & conscientias dirigunt; parvi non est faciendum*, ajebat doctissimus vir Prosper Fagnanus.

babilium usum has duas regulas a jure dræscriptas statuit: „ Prima, ut in dubiis de salutis negotio; ubi æqualia utrinque se se offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius est, sive quod est in eo casu unice tutum; neque id consilii, sed præcepti loco habeamus. Secundo, ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias sequamur id, quod Viennense œcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis: nos hanc opinionem ... tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem ... duximus eligendam: quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas, ac salus dependet (*apud Bossuet Tom. XI. pag.* 165. "), Itaque causa finita fuit; & ex ea die Probabilismus e florentissima Galliarum Ecclesia exterminatus exulat (*a*).

47. Sed & in aliis orbis Catholici partibus Probabilismus a bene multis Ecclesiarum Pastoribus eliminatus est (*b*); & quamvis supremo Apostolicæ sedis judicio nondum fuerit explicite, planeque damnatus, fuit tamen, ut ita dicam, multis membris truncatus, & circumscriptus. Nam Alexander VII. 7. Sept. 1655. hanc propositionem n. 27. proscripsit: *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostol. tamquam improbabilem*. Innocentius autem XI. quatuor proposit. ad Probabilismum spectantes condemnavit 2. Mart. 1679. „ Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia tantum probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. 2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. 3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. 4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili ". Et de Probabilismi historia hactenus, quæ enim occasione librorum P. Concinæ, & P. Vincentii Patuzzi iterum excitatæ sunt controversiæ, videri possunt breviter indicatæ a sapientissimo viro Petro Ballerinio in *Moral. Action. Regula* in Præfat. ab Eusebio autem Eraniste *Lettere Theologico-morali* fusius enarratæ.

§.

(*a*) P. Gualtus Theatinus, qui sub nomine Nicolai Pegulet Probabilismum defendit, ob reverentiam condemnationis a Clero Gallicano latæ: *Non audeo definire*, inquit in Tract. *de Probab.*, *opinionem nostram in praxi licere, nec enim concipere possum, Congregationem tantorum, & numero, & dignitate, & doctrina Prælatorum potuisse errare, ita ut certo verum judicaverint certo falsum*. Frustra autem sunt, qui hanc Cleri Gallicani definitionem cum illa comparant, quæ an. 1682. edita fuit in celebri controversia de quatuor propositionibus ad Ecclesiasticam potestatem spectantibus, frustra inquam sunt; hanc enim secundam Rom. Pontifices Innocentius XI., ejusque successor Alexander VIII. omnino improbarunt; decretum vero an. 1700. contra Probabilismum editum, non solum Rom. Pont. silentio tacite approbatum fuit, sed biennio post Clemens XI. votis P. Tyrsi Gonzalez benigne annuens, Patribus Soc. Jesu significari curavit, *rem gratissimam Sanctitati suæ facturos Superiores Societatis, si præstent, ut Jesuitæ abstineant a docenda, & defendenda sententia, quæ asserit licitum esse usum opinionis minus probabilis, & minus tutæ*. Vid. additio facta libello supplici P. Tyrsi Gonzalez.

(*b*) Vid. P. Patuzzi in *Reg. Prox.* P. 3. cap. 7. & seq., in quibus plurium Scriptorum, Episcoporum, ipsorumque Rom. Pontificum in Probabilismo explodendo consensum exponit. Nonnulla alia Documenta recentiora addi possunt, ut epistola Pastoralis doctissimi Georgii Klimo, qui diæcesim Quinque-Ecclesiensem singulari sapientia, & prudentia diu rexit (& an. 1777. ad superos, ut sperare fas est, evolavit) edita an. 1662., in qua doctrina Hermanni Busenbaum, & omnium aliorum, *qui cum eo in sententiis vagæ probabilitatis conveniunt*, interdicta; Theologiam Moralem P. Gabriel Antoine, cum notis & appendicibus P. F. Philippi de Carboneano, Clero suo proponit; nec tamen alia opera Theologica improbat, *modo talia sint, quæ non ex probabilitatis fonte, sed ex traditione SS. PP. sua sensa depromant; quale inter posteriorum temporum opera est Moralis Franc. Gennetti Episc. Vasionensis, Nat. Alexandri Theologia Moralis juxta ordinem Catechismi Rom. concinnata, P. Jac. Besombes Congregat. Doct. Christ. Continuatoris Tournely, & alia his consona*. Celsissimus etiam Passaviensis Episcopus S. R. E. Cardinalis Leopoldus Ernestus ex Comitibus deet in Firmian, purioris doctrinæ studio nemini secundus sua Pastorali epistola an. 1764. amplissimæ suæ Diæcesis Clero saluberrimam illam inculcat admonitionem Card. Bellarmini: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare .... is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam partem declinare; agitur enim de summa rei, quum de salute æterna tractatur, &c.* Nec demum prætereundum est solemne decretum in generali Capitulo Mantuæ celebrato an. 1762. a PP. Seraphici Ordinis Min. S. Francisci conditum Sess. XV. *ut omnes doctrinas tutiores, & probabiliores semper doceant, & amplectantur;* cujus saluberrimi decreti exactissimam observantiam Reverendissimus P. Paschalis a Varisio Commissarius Gener. in sua gravi & pereleganti epistola an. 1763. non minus quam Reverendissimus P. Minister Generalis Jannetius de Molina in virtute sanctæ obedientiæ, & sub gravissimis pœnis omnibus imperavit.

§. IV.

Refellitur Probabilismus.

48. Cum extra controversiam sit, ad recte operandum requiri judicium, seu dictamen practicum, *saltem moraliter certum*, de honestate actionis (vid. supra num. 18.), totius quæstionis cardo in hoc uno revolvitur, an ille, qui opinionem minus tutam sequitur, alia relicta, quæ non solum tutior, sed æque, aut etiam magis probabilis est, possit sibi hujusmodi dictamen practicum *moraliter certum* de honestate actionis prudenter efformare. Probabilistæ utique vident, non posse tale dictamen moraliter certum efformari ex principiis *directis*, nempe ex fundamentis, quibus opinio minus tuta innititur, utpote quia hæc dubia sunt; contendunt tamen hanc moralem certitudinem in praxi obtineri posse ex principiis suis *reflexis*, quibus certum esse arbitrantur, licere cuilibet opinionem minus tutam amplecti, dummodo sit vere probabilis. Res illustratur exemplo. Cum inter Theologos controvertitur, an aliquis contractus sit usurarius, vel simoniacus, & contraria utrinque ejusdem ponderis afferuntur momenta, certum est, opinionem, quæ dicit contractum licite iniri posse, attentis principiis *directis*, nempe auctoritate Theologorum, & rationum momentis, esse dubiam; adeoque attentis his solis principiis *directis* facile concedunt Probabilistæ, neminem sibi posse de honestate contractus practicum dictamen efformare *moraliter* certum. At vero putant, hanc moralem certitudinem a principiis aliis *reflexis* derivari posse, hoc fere instituto ratiocinio: ,, Certa argumenta sunt, quæ ,, plane persuadent, posse nos in praxi opinionem ,, minus tutam sequi, dummodo sit vere, solide- ,, que probabilis; *seu ut aliqui loqui amant:* ,, Quod est, speculative probabile, est practice ,, tutum; atqui opinio docens contractum hunc ,, non esse usurarium vel simoniacum, quamquam ,, minus tuta, est tamen vere, solideque probabi- ,, lis: ergo possum mihi judicium practicum mo- ,, raliter certum efformare de hujus contractus ho- ,, nestate, eumdemque licite inire ". Quænam autem sint hæc argumenta, seu principia reflexa, videbimus infra.

PROPOSITIO.

Cum duæ sunt opiniones contrariæ æque probabiles in materia morum, tenemur tutiorem sequi: multoque magis, cum opinio tutior est etiam probabilior.

41. Prob. potissimum prima pars, nam secunda ex prima perspicue fluit. Quotiescumque duæ contrariæ opiniones sunt æque probabiles, res dubia est; atqui certa regula est, in jure Canonico sæpissime repetita, ut in dubiis tutior pars eligatur: ergo &c. Utraque præmissa demonstratur, & primo loco major. Docente S. Thoma Q. XIV. *de verit.* art. 1. propositio non minus dubia dicitur, cum nulla sunt utraque ex parte momenta, quam cum æqualia sunt. Intellectus, inquit Angelicus: ,, Non inclinatur magis ad unum, quam ,, ad aliud, vel propter defectum moventium, sic- ,, ut in illis problematibus, de quibus rationes ,, non habemus, vel propter apparentem æquali- ,, tatem eorum, quæ movent ad utramque par- ,, tem: & ista est dubitantis dispositio, qui flu- ,, ctuat inter duas partes contradictionis ". Idem etiam ratio facile persuadet: neque enim minus erunt in æquilibrio duæ oppositæ lances in libra, si nullis, quam si æqualibus, utrinque premantur ponderibus; nec certe minus dubius fuisset Salomon, ad quamnam duarum mulierum litigantium spectasset puer, si ambæ nulla, quam si æqualis momenti pro sua causa attulissent argumenta: & si placet, ut pluribus placet, primum dubium appellari potest *negativum*, alterum *positivum*.

50. Prob. autem minor primi syllogismi his præsertim locis ex jure Canonico depromptis. In cap. *Juvenis* de sponsalibus Lib. I. *Decret.* Tit. 1. c. 3. ita habetur: *Quia agitur in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus* &c. in cap. *ad Audientiam de homic.* L. V. *Decret.* Tit. 1. cap. 12. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem &c.* ibidem cap. *Significasti* dum dubium ortum esset, an sacrilegus fur, quem Sacerdos una cum aliis percusserat, ex ictu a Sacerdote inflicto, vel ex aliorum vulneribus interierit, Innocentius III. ita decrevit: ,, In hoc dubio tanquam homicida debet haberi ,, Sacerdos, & si forte homicida non sit, a sa- ,, cerdotali officio abstinere debet; cum in hoc ca- ,, su cessare sit tutius, quam celebrare, pro eo ,, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum ,, periculum timeatur ". Iterum eodem titulo c. *Petitio tua* declaratur, debuisse Clericum in dubio excommunicationis a sacris abstinere, *cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare:* idque adeo sæpe, & frequenter repetitur, ut Card. Petra *de Sacra Pœnit. Apostol.* c. 9. ita concludere non dubitaverit: *Summorum Pontificum semper fuit, & est veluti quoddam axioma; in dubiis via est tutior eligenda, & quod certius existimamus, tenere debemus.* Idem Card. Petra, qui pluribus annis supremi Pœnitentiarii munere functus est, nobis insuper fidem facit ibid., Romanas duas Congregationes Concilii, & Pœnitentiariæ in suis casuum conscientiæ decisionibus semper viam tutiorem sequi; quod etiam testantur Prosper Fagnanus Comm. in c. *Ne innitaris*, qui complures annos Congregat. Concilii a secretis fuit, Card. de Aguirre præf. ad *Conc. Hispaniæ* n. 24. & Benedictus XIV. Tom. IV. Notif.

tif. 20. quo nullus alius fuit Romanarum Congregationum peritior (*a*).

51. Nec illud demum prætereundum est hanc regulam de tutiore parte in dubiis amplectenda, non fuisse a summis Pontificibus de novo invectam, vel statutam, sed potius habitam tanquam principium ipso lumine naturali notum; ita enim loquuntur: *Cum in dubiis debeamus semitam eligere tutiorem: quia in dubiis via tutior est eligenda &c.* id quod etiam a P. Vasquez Probabilista animadversum est in 1. 2. disp. 67. num. 9.

52. Hoc argumento constricti Adversarii in omne latus se vertunt, & varias quærunt evadendi vias. Primo bene multi regulam illam tunc solum obtinere dicunt, quando conscientia nedum speculative, sed etiam practice est dubia; at vero fieri posse inquiunt, ut quis speculative dubius ex principiis reflexis fiat practice moraliter certus. Vid. sup. n. 48.

53. Contra hanc evasionem ostendetur inferius, nullo modo posse ex principiis reflexis dubium speculativum tolli, & moralem certitudinem induci. Hic tantum observo, si res ita se haberet, ut adversarii fingunt, tam celebrem juris regulam nulli plane usui futuram. In eorum enim systemate, ubi opiniones contrariæ sunt æque probabiles, omne dubium practicum tollitur ex principio illo reflexo: *Quod speculative est probabile, est practice tutum:* ergo si hæc regula non obtinet nisi in dubiis practicis, nullibi obtinebit.

54. Respond. *secundo* alii, laudatam regulam coarctandam esse ad dubia facti, non juris, immo addit La-Croix Lib. I. num. 504. ad solos illos casus, qui in Decretalibus recensentur.

55. Verum isthæc responsio nedum arbitraria est, nulloque fundamento innixa, sed Pontificum menti plane repugnans. Quæstio erat olim, an *Fratres Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea observanda, quæ in regula verbo imperativi modi negative, vel affirmative apposito inseruntur*. Hæc certe non erat quæstio facti, sed juris; Pontifex autem Clemens V. ad eam dirimendam utitur consueta regula. *Nos itaque*, inquit in sua Bulla *Exivi de Paradiso* Lib. V. *Clementin.* Tit. XI. .... *attendentes, quod in his quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda &c.* eos propterea ad ea ipsa sub præcepto observanda adstrictos esse declarat. Generaliter itaque hæc regula adhibenda est, ne scilicet periculum violandi legem Dei incurramus, & ut graves conscientiæ remorsus evitemus, quos quomodo vitare Probabilistæ possint, viam minus tutam calcantes, ego certe non video.

56. Quod addit La-Croix, commentitium esse apparet vel ex eo solo, quod Pontifices non de novo eam regulam cuderunt, sed tamquam certum naturæ principium ad casus emergentes definiendos adhibuerunt Vid. sup. num. 51.

57. *Tertio*. Frequentius alii respondent, allatam regulam continere solum consilium, non autem præceptum, quod probant *primo*, quia Clemens V. hoc consulere tantum videtur, ne remorsus conscientiæ oriantur; *secundo*, quia S. Antoninus in Summa I. P. Tit. V. c. 10. §. 10. reg. 6. sic habet: *Eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti*; & iterum docet II. P. T. I. c. 11. §. 31. *non de salutis necessitate esse in dubiis tutiorem viam eligendam*.

58. Sed nihil est, quod facilius refutari possit. Hæc regula *in dubiis* &c. verum contineri præceptum, non purum consilium, primo satis indicant termini illi absoluti, & imperativi: *Via tutior est eligenda, pars securior est tenenda; semitam debemus eligere tutiorem*. *Secundo* pœnæ eam violantibus comminatæ; siquidem in c. *Illud* de Cleric. excommun. Lib. V. *Decretal.* Greg. IX. cap. V. declaratur, depositionis pœnam promeritum fuisse Episcopum, qui in dubio, an esset excommunicatus, sacris operam dare præsumpsit. Ita ne vero puniendus esset, qui solum consilium violat? In cap. *Juvenis* de sponsalibus jubetur vir, ut a secunda uxore discedat ex dubio exorto, an esset consobrina prioris. Demum S. Antoninus, cujus patrocinio gloriari solent adversarii, ubi data opera hanc regulam explanat: „ Nota, *inquit* „ *I. P. Tit. XX.* §. 16. quod est dubium proba„ bile, & est dubium scrupulosum. De probabi„ li hic loquitur, cum scilicet rationes sunt ad „ utramque partem quasi æquales, & peccatum „ grave est, se exponere tali dubio, ubi est mor„ tale “.

59. Ad primam prob. resp. ex consequentibus apparere, non ut consilii, sed ut præcepti eam regulam *In dubiis* &c. fuisse allatam: ei enim innixus Pontifex declaravit, ea, de quibus ortum erat dubium, *esse a fratribus tamquam obligatorie observanda*, quod utique non declarasset Pontifex, si regula illa tantum consilium, non autem præceptum contineret; vel si stante dubio speculativo posset quilibet suo arbitratu ex principiis reflexis, quam mavult, sententiam amplecti.

60. Ad secundam resp. S. Antoninum in primo loco agere de levibus, & inanibus dubiis scrupulosorum, qui sæpe anguntur, rigidiorem viam sem-

per

(*a*) Confer Petrum Ballerinium Præl. II. in Sanct. Antoninum cap. 2. & Jo. Morinum Lib. I. de *Pœnitent.* cap. 3. ubi observat, undecim prioribus Ecclesiæ sæculis SS. Patres *in eo studio se tantum exercuisse, ut Sacerdotes docerent, in casu dubio semper esse tutiorem partem eligendam*. Facile autem esset ostendere, hanc regulam etiam a Scholasticis communiter probatam fuisse, nec ullum de ea dubium excitatum ante Probabilismi tempora; cujus rei aliquod specimen exhibet P. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christiana* Tom. I. T. 2. cap. 7. art. 11.

per sibi eligendam esse arbitrantes, etiam quando alia est omnino tuta: unde concludit: *non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via est tuta;* & antea dixerat: *alias oportet, multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo.* Sed quando agitur de veris dubiis, S. Antoninus regulam hanc esse præcepti expresse asserit vid. n. 58. In altero autem loco S. Præsul fere eumdem habet sensum; nempe cum aliqui probabilius putarent, nescio quem contractum esse licitum, ab eo abstinere recusabant, dicentes: *non de salutis necessitate* &c. at vero non obstante majori illa probabilitate S. Antoninus a contractu ut abstinerent, hortabatur, dicens: *timendum est, ne ibi sit culpa, & ideo consulo abstinendum.* In his casibus utique consilium est, non præceptum viam tutiorem eligere. Vid. Petrus Ballerini Prælect. I. in S. Antoninum §. 7.

61. Prob. *secundo* propositio nostra ex Sanct. Augustino, qui Lib. I. *De baptismo contra Donatistas* cap. 3. quæstionem, de qua agimus, totidem fere verbis proponit. Quærit nempe, an peccaret, qui baptismum a Donatistis reciperet, dubitans licite necne ipsi baptizent, cum tamen aliunde pro certo habeat, in Ecclesia Catholica licite baptismum administrari. Probabilista, ut puto, suis principiis inhærens utique concederet, non peccare, qui a Donatistis baptismum suscipit, probabiliter judicans eos licite baptizare, nec teneri hominem in Ecclesia Catholica baptismum suscipere, quamvis id tutius esset. At vero longe aliter Augustinus definit. „ Etiamsi, *inquit*, dubium haberet, non illic recte accipi, quod in „ Catholica Ecclesia recte accipi certum haberet, „ graviter peccaret in rebus ad salutem animæ „ pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta „ præferret “. Hanc autem S. Augustini regulam nemo non videt cum illa omnino pugnare, quam Probabilistæ statuunt, dicentes, in rebus ad salutem animæ pertinentibus posse nos relicta tutiore, dubiam, & probabilem opinionem sequi.

62. Duo sunt, quæ ad eludendum tam illustre S. Augustini testimonium adversarii reponunt; *primo*, S. Patrem loqui de homine operante ex conscientia practice dubia, quod certe non licet; *secundo* agi hic de Sacramento baptismatis, ubi certum est, tutiorem partem esse sequendam.

63. Verum neutra responsio vim nostri argumenti tollit. Non *primo*, nam S. P. non docet, posse nos ex principiis reflexis dubium deponere, itaque sententiam minus tutam practice sine dubio amplecti, quod erat ipsi dicendum, si cum Probabilistis sentiret; sed non aliam in eo, ac similibus casibus ostendit viam, quam ut tutiorem sententiam sequamur. Nec *secunda;* nam ibi controversia non erat de valore baptismi, ut propterea necesse foret tutiorem partem amplecti, sed plusquam certum erat, valide a Donatistis baptismum administrari, & solum quæstio erat, an licite etiam administraretur; quæ quæstio a nostra præsenti controversia ne latum unguem differre videtur.

64. Prob. *tertio* ex S. Thoma, quem sibi adversari nonnulli inter doctiores Probabilistas sincere fatentur, ut Vasquez in 1. 2. Disp. 62. cap. 1. Azorius Tom. I. Lib. 2. cap. 16. aliique. In Quodl. IX. art. 15. hoc statuit principium: „ Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæ„ritur, nisi expresse veritas habeatur, periculo„se determinatur, quia error, quo non creditur „ esse peccatum mortale, quod est peccatum mor„tale, conscientiam non excusat a toto, licet „ forte a tanto “ (*a*). Hoc autem S. Thomæ principium e diametro opponitur systemati Probabilistarum, in quo omnis quæstio facillime, & tuto ex principiis reflexis determinatur. Prosequitur Angelicus, & inquirens, an liceat habere plures præbendas, *præcipue autem*, inquit: „ Periculosum „ est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæ„stione accedit. Cum enim ad Theologos perti„neat, inquantum dependet ex jure divino, vel „ ex jure naturali, & ad Juristas inquantum de„pendet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theo„logi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sen„tire “. Porro quando veritas ambigua est, & inveniuntur auctores auctoribus contraria sentire, facile se expediunt Probabilistæ, & fidenter statuunt, posse nos, quam malumus, partem amplecti; contra S. Thomas *id periculosum esse* definit; qui autem periculo peccandi se exponit, sine dubio peccat; quod superius idem Angelicus Doctor declaraverat, dicens Quodl. VIII. art. 13. *qui manente dubitatione plures præbendas habet, periculose committit, & sic proculdubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.* Pariter Quodl. III. art. 10. postquam docuerat, in iis, *quæ non pertinent ad fidem, vel ad bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi posse*, consequenter docet, aliter rem se habere in rebus, quæ pertinent ad fidem, vel ad bonos mores; & statuit hoc principium: *In rebus dubiis non est de facili præstandus assensus.* Item Qu. III. *de malo* art. 7. *Non est absque præsumptione*, inquit, *quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime, in quibus periculum existit.* Nempe semper sibi constans Angelicus rem periculosam

(*a*) Alius insignis locus est S. Thomæ Quodlibeto VIII. art. 13. ad Probabilismum explodendum; sed cum longiorem postulet explicationem, eum brevitatis causa omisimus; videri autem potest apud Contensonium *Theol. mentis & cordis* L. VII. Diss. III. cap. 2. P. Concinam Tom. II. *Appar. ad Theol.* Lib. II. Diss. IV. cap. 3. P. Billuart, aliosque.

culi plenam agnovit, dubias eas quæstiones definire, quæ ad fidem, vel mores pertinent, & nullibi eam viam indigitat, quæ postea a Probabilistis late patefacta est, dubium deponendi ex principiis reflexis.

65. Prob. *quarto* ratione. Ut quis in operando a culpa vacet, debet habere judicium, seu dictamen practicum conscientiæ saltem moraliter certum de honestate actionis; atqui ille, qui sequitur minus tutam opinionem, posthabita tutiore, quæ æque aut etiam magis probabilis sit, prudenter non potest hoc judicium, seu dictamen moraliter certum de bonitate actionis sibi efformare; ergo &c. Min. prob. Nam certe id non potest ex principiis directis, quæ dubia sunt, quod etiam Probabilistæ haud ægre concedunt. Sed neque id potest ex principiis reflexis, seu ex toto Probabilismi systemate: nam hæc principia reflexa, quæ totam sustentant Probabilismi machinam, sin minus aperte falsa (ut demonstrabimus inferius), saltem esse maxime dubia vel ipsi Probabilistæ, velint nolint, concedere debent, quod sic ostendo. Nemo, qui hanc controversiam vel a limine salutarit, inficiari potest, systema Probabilioristicum, vel omnino verum, vel saltem solide probabile esse; tum ob multa intrinseca rationum momenta; tum ob auctoritatem eorum, qui eidem patrocinantur. Duæ integræ scholæ, magnæ certe in orbe Catholico auctoritatis, Augustiniana, & Thomistica, plures Universitates, ut Parisiensis, Lovaniensis, Pictaviensis, Tolosana, Bituricensis, Coloniensis, Juaviensis, aliæque; plures Religiosi Ordines, quibus novissime accedit Franciscanorum, quos Minores Observ. vocant, Seraphicum Inscitutum decr. Cap. gen. an. 1761. Sess. 15. (sup. in not. ad num. 47.), Theologi bene multi ex omni cœtu, magni atque nobiles, Episcopi non pauci, denique tota florentissima Gallicana Ecclesia, quibus omnibus Probabiliorismus probatur, magna utique auctoritate pollere debent, ut proinde Probabiliorismus saltem probabilis sit; quo fit, ut si Probabiorilismus saltem probabilis est, contraria principia reflexa, quibus tota Probabilistica machina regitur, non undequaque certa sint, sed ad summum probabilia, & dubia esse possint: ergo ex iis non potest pati judicium, seu dictamen practicum moraliter certum de honestate actionis, adeoque &c. (*a*).

66. Prob. *quinto* ex novitate Probabilismi, quæ tanto periculosior est, & fugienda, quanto hic agitur de regula morum. Porro novum esse probabilisticum systema, non solum asserunt omnes Anti-Probabilistæ, sed etiam ingenue confessi sunt primi Probabilistarum Antesignani, qui nullum ante Medinam allegare potuerunt suæ sententiæ patronum; immo antiquos Theologos sibi adversari, aliqui sincere fatentur, ut Vasquez, Lessius, Sanchez, Diana, Lopez, Azorius, Pesantius, Oviedo, aliique, quamquam posteriores Probabilistæ, invidiæ declinandæ causa irrito labore conati sunt hanc novitatis labem a Probabilismo abstergere. Sed certe, ut ex dicendis inferius apparebit, apud SS. Patres, vel antiquos Theologos, nec vola, nec vestigium probabilismi apparet. *Hoc silentium Patrum*, inquit apposite P. Tyrsus Gonzalez Dissert. XIII. c. 2. §. 9. *& antiquorum Doctorum hac in parte est omni tuba vocalius ad impugnandum Probabilismi novitatem* (*b*) V. Patuzzi *Reg. prax.* P. III. cap. 2.

67. Nec illa ratio prætermittenda est, qua usi sunt Præsules Gallicani ad Probabilismum condemnandum, nempe quia eum esse initium, & fontem omnium laxitatum, & corruptelarum, quæ in doctrinam morum irrepserunt, *& doctrinæ conse-*

(*a*) P. Claudius La-Croix in sua *Theol. morali* Tom. I. n. 125. „ Opiniones, inquit, quas aliqui negant, „ alii affirmant esse certo probabiles, non sunt certo „ probabiles ". Cum itaque principia reflexa Probabilistarum a tot tantisque, numero, & auctoritate gravissimis Theologis negentur esse certo probabilia, immo ut aperte falsa improbentur, secundum hanc regulam, nec certo probabilia erunt, sed solum probabiliter probabilia, & ita multo magis inepta ad dictamen practicum moraliter certum prudenter inducendum. Porro sententiam Anti-Probabilistarum esse saltem probabilem, concedunt multi Probabilistæ cum Castropalao; ex quo manifeste sequitur, eorum principia reflexa non esse moraliter certa. Unde etiam patet, quænam sit ejus argumenti vis, quo Probabilistæ utuntur ad dictamen conscientiæ formandum: „ quod „ est speculative probabile, est practice tutum, atque „ &c. ergo &c. " Vid. supra n. 48.

(*b*) Non defuerunt inter Probabilistas, qui, cum negare non auderent Probabilismi novitatem, fidenter dixerunt, in moribus dirigendis non veterum Patrum libros; sed novos Casuistas esse evolvendos. „ Quærunt casus temporum Doctores temporum, *inquit* „ *Caramuel*. Bellus erit ille Criticus, si ex Augustini „ doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa simoniam, irregularitatem &c., omnesque contractus „ ex Gregorii Nysseni, & Nazianzeni placitis componere ". Similia audiuntur haud raro, sed non sine stomacho, a quibusdam incautis, qui, quod in corde sentiunt, exterius produnt. Porro Clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700. damnavit hanc propositionem P. Moya n. 117. „ Puto, omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in morali libentius juniores, quam antiquiores „ lego, & sequor ... Doctrina fidei a veteribus; doctrina morum magis a junioribus petenda; *quæ propositio damnata fuit*, ut scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa: quæ spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac Traditionis auctoritate & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas Christo prohibente stabiliendas ". Reipsa nedum oportere, sed facili negotio etiam posse ex sacris Litteris, Sanctis Patribus, Conciliis, & antiquis Doctoribus depromi regulas morum exemplo suo ostenderunt doctissimi Theologi morales, Nat. Alexander in sua *Theologia dogmatica morali*, Franc. Genetus Episcopus Vasionensis in sua *Theologia morali*, primum gallice edita, latine autem versa; par-

secutio, & series temporum ostendit (ap. Bossuet Tom. XI. Opp. pag. 166.). Utramque partem expono. Primo, Probabilismum ex vi systematis ducit in omnes laxitates & corruptelas. Nam si plures auctores non ignobiles in eamdem sententiam laxam & damnabilem conspirent (quod factu facillimum est, & sæpe contigit), ex hoc ipso sententia fit probabilis, cum extrinsece propter auctoritatem eam docentium (*a*), tum intrinsece propter nonnullas rationes ab auctoribus allatas; ut enim inquit Cicero in *Paradoxis* (initio) *nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*. Jam vero constituta semel alicujus sententiæ probabilitate ex vi systematis probabilistici, eam quilibet amplecti potest, etiamsi minus veram, aut omnino falsam reputet; & ita nihil erit tam absurde ab alieno excogitatum, quod in doctrinam morum introduci non possit. Contra etiamsi Probabilioristæ cuipiam aliquid laxum incaute excidat, etiamsi laxa illa opinio patronos, ut fieri solet, inveniat, eadem tamen aliis saltem æque, aut etiam minus probabilis apparebit, & ita ex vi systematis Probabilioristici explodenda erit.

68. Series quoque temporum quotidiano rerum usu id ipsum comprobat; eæ enim tam multæ propositiones laxæ, & scandalosæ, quæ ab ortu Probabilismi usque ad hæc nostra tempora, vel ab Episcopis in suis Diœcesibus, vel a Conciliis, vel a summis Pontificibus damnatæ sunt, maximam partem a solis Probabilistarum libris deromptæ fuerunt, & nonnisi paucæ a paucis Probabilioristis probatæ sunt (*b*).

Solvuntur objectiones ductæ ex quatuor potissimis principiis reflexis Probabilistarum.

69. Obj. *primo*. Ubi opinio favens libertati est vere probabilis, lex eam prohibens est dubia; atqui lex dubia vel nulla est, vel saltem non obligat: ergo &c. Min. prob. Lactantius *Stultissimi est hominis*, inquit Lib. III. *Divin. Instit.* cap. 27. *præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare*. Præterea in cap. *Cum in jure* 31. *de off. & potest. Jud. delegati* L. I. Decret. Tit. 29. dicitur: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur* (*c*).

70. Resp. Dist. min. Non obligat lex dubia certo ex principiis directis, conc. non obligat probabiliter, vel probabilius ex principiis direcis; certissime autem ex principio illo reflexo: *In dubiis tutior pars est eligenda*, nego. Nihil absurdius excogitari posse videtur hac Probabilistarum illatione. *Lex est incerta: ergo certissime est nulla. Dubitatur, an lex obliget: probabiliter, & fortasse probabilius obligat: ergo procul dubio non obligat*. Quanto rectius Probabilioristæ concludunt: „ Dubium est, „ an ista actio prohibetur a lege, ergo ab ea abstinendum omnino est, quia in dubiis tutiorem „ viam sequi debemus. Probabilius est, hunc contractum esse usurarium, & lege vetitum: ergo „ qui illum inire præsumit, probabilius legem „ violat; adeoque peccat, quia periculo peccandi „ se imprudenter committit ".

71. Veruntamen si magis accurate loqui velimus, in hujusmodi controversiis non dubitatur, an lex existat, sed potius de ejusdem legis interpretatione, & intelligentia. Sic ex. gr. Lex, quæ prohibet usuram, certissime existit; dubitatur autem, an talis contractus sit usurarius, adeoque prohibitus? Agitur ergo, an lex intelligatur etiam comprehendere talem contractum. In hoc itaque dubio eæ regulæ adhibendæ erunt, quæ a pruden-

tim ab ejus fratre, partim a Durando, & Clementi XI. dicata, Joann. Pontas in suo *Dictionario casuum conscientiæ*, P. Daniel Concina in sua *Theologia Christiana Dogmatica morali*, aliique non pauci. Præcipue autem hac de re legendum consulo P. Jo. Vinc. Patuzzi in *Ethica Christiana* Lib. Prodrono *De Locis Theol. Moralis*.

(*a*) Caramuel *Theol. Fund.* n. 274. vel unum solum auctorem sufficere ad probabilitatem alicui propositioni conciliandam hac ratione, *quæ*, inquit, *solutione caruit hucusque*, se demonstrare confidit. *Quidquid testantur quatuor auctores, est probabile; sed ad probabilitatem non requiri quatuor auctores, sed unum omnino sufficere, quatuor testantur auctores, immo viginti aut plures: ergo opinio unius auctoris est probabilis*. Id plusquam falsum esse censeo, sed ex principiis Probabilistarum manifesto sequi videtur. Caramuel tamen in quarta suorum Opp. edit. edit. L. I. *fund.* 11. p. 154. addit: *Interim quidquid sit de ista subtilitate, tu illam sententiam sequere, quæ docet, quatuor auctorum opinionem esse satis probabilem*.

(*b*) Si quis speciem propositionum laxarum ex Probabilismo fluentium habere velit, consulat libros supra indicatos in nota (*d*) ad n. 32. P. Eusebius Amort T. I. *Theol.* catalogum texuit opinionum laxissimarum, quas solus P. Claudius La-Croix tamquam probabiles complexus est in sua *Theologia*, quam idem P. Amort haud illepide appellat *Historiam probabilium*. P. Dominicus Viva conatus est nonnullos etiam Probabilioristas reos facere propositionum damnatarum, sed plerumque invita, ut ajunt, Minerva, quemadmodum late demonstrarunt, tum celebris Eusebius Eranistes in suis *Epistolis Theologico-Critico moralibus*, tum P. Milante in suis Exercitat. in proposit. damnatas, aliique. Vid. de hoc arg. P. Patuzzi, in *Regula proxima* P. II. c. 5.

(*c*) Quis fidem adjungat P. La-Croix, qui n. 297. „ Præsumendum non est, *inquit*, quod natura lapsa „ invincibiliter ignoret multas leges, ne ex sua culpa „ reportet commodum; ex adverso potius præsumendum est, quod Deus permittat, ut ipsa invincibiliter sibi imponat plures leges, quam reipsa sint, ut „ ita suum ipsa onus aggravet; & sic legimus, quod „ ab initio Ecclesiæ plus fuerit erratum per adjectionem, quam per subtractionem legum &c. ".

dentibus Jurisperitis in legum interpretatione adhiberi solent, ut legislatoris mens, sin minus omnino certe, saltem verosimilius innotescat.

72. Ad *primam* prob. Lactantius ibi agit de vanis quorumdam Philosophorum præceptis, nempe Stoicorum, & Epicuræorum, quibus minime parendum esse vel ex eo solo recte colligit, quod *nihil apud eos certi est, nihil quod a scientia venit: sed quum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa, & varia proferantur, stultissimi est hominis &c.* hoc est stultitia non vacat, qui eorum sectis nomen dare non dubitat, quæ vel ipsis Magistris fatentibus incertæ sunt; unde omnes ad Christianam Religionem exhortatur, quæ sola certa, & firmissima est (*a*). Ita possumus & nos simili argumento colligere, ut missis Probabilistarum argutiis, quæ ipsis adversariis fatentibus saltem incertæ sunt, certam, & tutam viam ineamus.

73. Ad 2. Resp: cum Emmanuele Gonzalez T. I. eo loco agi de jurisdictione Judicis delegati, cui sane nemo obedire tenetur, nisi ostensis litteris ejus delegationis jurisdictio certa sit; hæc enim jurisdictio aliquod factum est, quod non præsumitur, nisi probetur.

74. Dices *primo*. Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur; ut enim docet S. Thomas 1. 2. qu. 90. art. 4., ,, ut lex virtutem obligandi obtineat... oportet, quod applicetur hominibus, ,, qui secundum eam regulari debent; talis autem ,, applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam ,, deducitur ex ipsa promulgatione; unde promulgatio est necessaria ad hoc, ut lex habeat suam ,, virtutem ": sed quoties adsunt rationes probabiliter suadentes, partem minus tutam esse licitam: lex præcipiens partem tutiorem non est sufficienter promulgata: ergo &c.

75. Resp. Neg. min. & æquivocatio in argumento latet. Lex enim, quæcumque ea sit, vel naturalis, vel positiva, sufficientissime promulgata jam supponitur; solum dubium movetur, an talis actio sub lege comprehendatur? ex.gr. certissime promulgata est lex interdicens usuram; quæstio solum movetur, an talis contractus sit usurarius, adeoque prohibitus? at vero, ut S. Thomas recte observat 1. 2. q. 96. art. 6. ad 3., ,, nullius hominis sapientia tanta est, ut possit omnes casus singulares excogitare... & si posset ,, legislator omnes casus considerare, non oporte- ,, ret, ut omnes exprimeret propter confusionem ,, vitandam ". Hinc dici non potest, legem non esse in se sufficienter promulgatam, sed solum dubium esse, an aliqua actio sub lege jam promulgata contineatur; & cum probabile supponatur, vel etiam probabilius, eam contineri, etiam probabile est, vel probabilius, legem eo in casu obligare. Stante autem hac probabilitate, certissime tenemur ad legis observationem ratione alterius principii, *In dubiis &c.* Id explicatur exemplo. In dubio practico certe eodem modo lex directa, & particularis dubia est; nec tamen adversarii concludent, aut nullam esse legem, aut non obligare, aut non esse sufficienter promulgatam; sed & ipsi nobiscum fatentur, teneri hominem in hoc casu tutiorem partem sequi vi alterius principii, quo vetamur in dubio agere (*b*): pari ergo ratione &c.

76. Dices *secundo*. Non tenemur fide credere aliquod dogma, de quo dubium est, an fuerit a Deo revelatum: ergo a pari non tenemur legem servare, quando dubium est &c.

77. Resp. Neg. Cons., neque enim tutius est credere tanquam articulum fidei id, de quo dubitatur, an ad dogma fidei pertineat, nec ne; nam fidem corrumpit nedum qui aliquid detrahit, sed & qui addit; unde illud, de cujus revelatione dubitatur, credi poterit, sed non fide divina supernaturali. Quare Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Assensus fidei supernaturalis, & utilitas ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.* Contra in dubio, an aliqua actio sit lege prohibita, ab illa abstinere omnino tutum est (*c*).

78. Dices *tertio*. Si ita res se habeat, nullum erit inter legem certam, & dubiam discrimen; ambæ enim æqualiter obligabunt.

79.

(*a*) Ceterum idem Lactantius eodem Lib. III. *Div. Inst.* cap. 5. hæc habet: ,, Quoniam in disponendo vi- ,, tæ statu, formandisque moribus periculo majori pec- ,, catur, majorem diligentiam necesse est adhibere, ,, ut sciamus, quomodo nos oporteat vivere &c. " Addo argumentum nimis probare: evinceret enim, non solum nos non teneri ad legem dubiam servandam, sed plane stultum esse, qui eam servat.

(*b*) P. Gabriel Vasquez Probabilista insignis hujus argumenti imbecillitatem confessus est in 1. 2. Disp. 156. c. 2. n. 8. ubi inquit: ,, Sequitur manifeste, de- ,, cipi eos, qui putant eum, qui dubitat, an lex ali- ,, qua lata fuerit, & promulgata in curia, ea lege non ,, teneri, eo quod ipsi non satis promulgata censeatur. ,, Falluntur igitur primo in doctrina ipsa; siquidem ,, in dubiis tutior pars est eligenda ... deinde in ratio- ,, ne decepti sunt, eo quod, ut lex dictis constat, a- ,, liud est promulgatio, aliud autem notitia legis. Et ,, quamvis is, qui dubitat de lege, non haberet noti- ,, tiam sufficientem legis, ut ea teneretur, tamen non ,, potest dici carere sufficienti promulgatione legis, si ,, revera in curia promulgata fuisset, sed notitia suf- ,, ficienti illius: verum ut diximus ea dubitatio satis ,, est, ut ratione ejus tutiorem partem sequi debeat ,, &c. ". Immo in Disp. 65. art. 6. dixerat: ,, Absque ,, controversia esse debere, quoties dubitatur, utrum ,, sit lex aliqua, vel non, & solum agitur de pericu- ,, lo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua ,, peccatum esse non possit... nullum hactenus in Scho- ,, lasticis Scriptoribus inveni, qui oppositum asserat ". En quo tandem recidat decantatum illud primum principium reflexum.

(*c*) Præclare Durandus a S. Portiano præf. in *Comm.* in Lib. Sent. ,, Mensura fidei, *inquit*, in duobus con-

79. Resp. *primo* retorquendo argum. Si lex dubia non obligat, nullum erit inter legem dubiam, & falsam discrimen. *Secundo* Lex dubia directe & per se non obligat æqualiter, ac certe, sed indirecte, & vi alterius legis reflexæ de vitando periculo violandæ legis &c., ut sæpe jam dictum est.

80. Ob. *secundo*. Nonnulli Probabilistæ recentiores primum principium reflexum ex legis incertitudine depromptum se solo stare non posse videntes, illud suffulciuntur alio principio reflexo ex ignorantia invincibili deducto: & ita opponunt: Quamvis lex dubia sit vere lex, & in se sufficienter promulgata, non est tamen sufficienter promulgata respectu ejus, qui post adhibitam eam, quæ par est, diligentiam de legis existentia certus fieri non potuit; hic enim ignorantia invincibili laborat; atqui ignorantia invincibilis a peccato formali excusat: ergo qui sequitur opinionem minus tutam æque, aut minus Probabilem &c.

81. Resp., absurdissime fingi, eum, qui æque, aut fortasse etiam magis probabiliter existimat, actionem esse vetitam, & illicitam, legem invincibiliter ignorare. Si res ita se haberet, infidelis qui non credit ductus opinione minus probabili, esset a culpa immunis, quia certum est ignorantiam invincibilem excusare (*a*); atqui tamen definiente Innoc. XI. talis infidelis non excusatur (vide supra num. 47.): ergo luce meridiana clarius apparet, non posse ignorantia invincibili eum excusari, qui opinionem minus tutam amplectitur, æque, aut minus probabilem.

82. Porro in hoc falluntur, & falluut adversarii, quod ita concludunt: *Certa veritas ignoratur invincibiliter, quia posita debita diligentia inveniri non potuit: ergo error invincibilis est*. Sed hæc consequentia est omnino falsa, quia quamquam certa veritas inveniri non potuit, potuit tamen, & debuit cognosci periculum erroris, & potuit, ac debuit hoc periculum declinari, sequendo tutiorem partem, quemadmodum monet regula juris: *In dubiis &c.* Hinc quamquam vitio non vertitur in hoc casu ignorare veritatem, quia hæc non potuit certo cognosci: non tamen caret culpa exponere se probabili, aut probabiliori periculo violandi legem, quod declinari poterat. Sic quamvis venator non possit omnino certo cognoscere, an quod in dumetis movetur, fera sit, aut homo, solum tamen hoc dubium sufficit, ut a trajectione abstinere debeat, propter periculum homicidii.

83. Ob. *tertio* aliud principium reflexum, quod ex possessione nostræ libertatis repetitur, hoc modo. Est communiter recepta regula juris civilis: *In pari causa possessor potior haberi debet*, quæ regula probata etiam est in jure Canon. in *Sexto*, & est regula 65. *In pari delicto, & causa potior est conditio possidentis*. Ex quo loco ita colligitur: Certum est, nos habere libertatem faciendi omne id, quod nulla lege prohibetur: jam ergo sumus in hac nostræ libertatis certa possessione; atqui hoc ipso, quod duæ contrariæ opiniones vere probabiles sint, lex dubia est: ergo homo non potest a suæ libertatis possessione deturbari; adeoque &c.

84. Resp. *primo*. Hanc regulam obtinere tantum in foro externo, ubi agitur de justitia commutativa, ut si duo litigantes de alicujus rei dominio rationes utrinque æquales allegent, ille, qui est in possessione, melioris est conditionis, quia possessio præsumptionem legitimi dominii inducit, cui, ut supponitur, non contrariantur argumenta gravia. Non autem hæc regula valet, ubi agitur de honestate actionis. Id fatetur P. Honoratus Fabri inter Probabilistas non infimi nominis, nam Dial. II. *Multi*, inquit, *iique gravissimi auctores extra materiam justitiæ, nec præsumptionis, nec possessionis rationem habendam esse censent, ut Vasquez, Azorius, Parez, Sayrus, Sala &c.* (Omnes isti sunt Probabilistæ). Reipsa in cap. *Significasti* de homicidio definitur, Sacerdotem habendum esse pro irregulari, tametsi incertum esset, an ejus ictu homo occisus interierit, nec ipsi in dubio suffragata est possessio. Similiter in cap. *Dominus* de secundis nuptiis declaratur, mulierem dubitantem de prioris mariti morte non posse petere debitum, quamvis sint in possessione matrimonii. Accedit, quod neque par est causa, cum una ex sententiis contrariis est tutior, & probabilior, altera minus tuta, minusque probabilis.

85. Resp. *secundo*. Dist. maj. Habemus libertatem faciendi omne id, quod certum est, nulla lege prohiberi *conc.*; quod dubium est, an lege prohibeatur, *nego*. Hoc principium æquivocatione laborat. Cum enim controvertitur, liceat necne contractum aliquem inire, idem est ac si controvertatur, habeam necne libertatem hunc contractum ineundi. Porro si lege non prohibetur, libertatem habeo, si autem prohibetur, libertatem non habeo; & consequenter si dubium sit, an lege prohibeatur; dubium est etiam, an libertatem contractum ineundi habeam; falsa proinde est certa illa libertatis possessio, quam adversarii jactant.

86. Inst. In *Sexto* de Regulis juris Reg. XV. dicitur: *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda*; seu quod idem est: *In dubiis humaniora, vel benigniora præferenda sunt*. Lib. I. *Decret.* Tit. 36. cap. 11. *Quum partium jura sunt* ob-

„ sistit, videlicet ut non subtrahatur fidei, quod sub „ fide est, nec attribuatur fidei, quod sub fide non „ est: utroque enim modo a mensura fidei exceditur, „ & a continentia S. Scripturæ, quæ fidei mensuram „ exprimit, deviatur “.

(*a*) Inter Baji proposit. a Gregorio XIII. an. 1650. hæc etiam proscripta est n. 68. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*; & ab Alexandro VIII. an. 1690. hæc alia propositio damnata fuit n. 2. „ Tametsi detur ignorantia „ invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ „ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ”.

obscura, *reo favendum est potius*, *quam actori*, Reg. XI. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*, Reg. XLIX. *In obscuris minimum est sequendum*, Reg. XXX., & hujus generis alia, quæ in jure canonico sæpe occurrunt.

87. Resp., Hæc omnia spectare tantum pœnas in foro externo, in quibus infligendis mitior, & benignior sententia semper sequenda est, secundum illud principium §. de pœnis, lege *Absentem: Satius est nocentem absolvere*, *quam innocentem condemnare*; quia nempe non est tutius sequi partem rigidiorem. Secus est in foro conscientiæ, in quo eadem jura clamant, *tutiorem partem esse sequendam*; neque tutiorem partem sequendo alicui injuria fit. In hanc rem afferri potest doctrina, quam habet S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4., ubi postquam docuisset in corp., dubia circa proximum esse interpretanda in meliorem partem, in resp. ad 3. contrarium docet, ubi agitur de malis impediendis. *Cum debemus*, inquit, *aliquibus malis*, *sive nostris*, *sive alienis adhibere remedium*, *expedit ad hoc*, *ut securius remedium adhibeatur*, *ut supponatur id*, *quod est deterius*. Non aliud certe discrimen est, nisi quia in secundo casu est tutius, dubia in deteriorem partem interpretari, non est autem tutius in primo; quod idem dicendum de reo in foro externo, & in foro conscientiæ, in quorum primo tutius est reo favere, ne innocens injuste puniatur; in foro autem conscientiæ tutius est favere legi, ut impediatur peccatum.

88. Ob. *quarto*. Qui sequitur opinionem minus tutam, æque, aut minus probabilem, prudenter agit, non peccat: ergo &c. Maj. prob. Qui motivis gravibus adhæret, operatur prudenter; sed opinio minus tuta æque, aut minus probabilis gravibus motivis innititur; alias non esset vere, & solide probabilis: ergo &c. Addo, contingere aliquando posse, opinionem minus probabilem esse veram; ut enim Aristoteles alicubi dicit, *multa falsa sunt probabiliora veris*. Et S. August. Epist. CLIII. c. 6. *Credibilia*, ait, *nonnulla esse falsa*, *sicuti incredibilia nonnulla sunt vera*.

89. Resp. Neg. maj.; ad prob. dist. min. Opinio &c. gravibus motivis innititur, quibus tamen alia æqualis ponderis, vel etiam majoris opponitur, *conc.*; aliter, *nego*. Quamquam absolute prudentis est adhærere motivis gravibus, non vacat tamen temeritate iisdem adhærere, quando contra militant motiva æqualis, aut etiam majoris momenti; neque enim primis adhærere possumus, nisi contemptis, & insuper habitis secundis; at vero contemnere motiva ejusdem, vel plane majoris ponderis temerarium omnino est. Vera itaque prudentia docet, in conflictu rationum æqualis ponderis assensum suspendere, & tutiori parti adhærere, quando autem una pars alteri longe magis præponderat, probabiliorem seligere; & qui contra operatur nullo modo prudens dici potest, nisi prudentia carnis, *quæ est inimica Deo*. Rom. VIII. 1. Et plane illudunt Probabilistarum nonnulli, contendentes, in casu duarum propositionum æque probabilium rem non esse dubiam, sed probabilem, quam ex prudentiæ regulis sequi possumus (*a*).

90. Ad id, quod additum est resp., id contingere aliquando posse, non tamen sæpe; debemus autem illi sententiæ adhærere, quæ, ut inquit S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2., *in pluribus veritatem attingit*, *etsi in paucioribus a veritate deficiat*. Illud autem Aristotelis dictum, quod sine citatione afferri solet, aut supposititium est, aut manifeste falsum. Multo sapientius S. Augustinus statuit credibilia *nonnulla* esse falsa, & contra incredibilia *nonnulla* esse vera. Sed ex quo id aliquando contingat, male colligitur, prudenter nos sententiis minus probabilibus, minusque tutis consentire, quæ sin minus semper, sæpius tamen falsæ sunt, & semper errandi periculo nos exponunt.

Solvuntur aliæ objectiones ex Scripturis, SS. PP., & ratione.

91. Obj. *quinto*. Apostolus I. Cor. X. 24. *Omne*, inquit, *quod in macello venit*, *manducate*, *nihil interrogantes propter conscientiam*, & postea subdit v. 28.: *Si quis autem dixerit*, *hoc immolatum est idolis*, *nolite manducare*, *propter illum*, *qui indicavit*, *&* *propter conscientiam*. Unde ita colligunt aliqui Probabilistæ: Erat lex certa de non manducandis idolothytis; erat autem incertum, an caro, quæ in macello vendebatur, esset idolis oblata, his positis duplex erat opinio; altera, quæ affirmabat, teneri fideles interrogare de carnis conditione, altera, quæ negabat: prima utique tutior erat, immo & probabilior; & tamen Apostolus non interrogandum esse de carnibus præcipit; & solum ab iis abetinendum, *si quis dixerit: hoc est immolatum idolis:* ergo &c. Hinc etiam S. Augustinus Epist. XLVII. respondens quæstioni sibi factæ a Publicola, an in famis necessitate liceat idolothytis vesci, ita respondet: „ Aut „ cer-

(*a*) Egregie de more Eminentissimus Purpuratus Gerdil in laud. superius Orat. postquam in his rebus diligenti deliberatione opus esse ostendit: *Quis autem*, subdit, *ad eam deliberationem non summopere cupiat prudentiam*, *&* *æquitatem*, *quasi consiliarios*, *&* *disceptatores adhibere? Quod si prudentia præerit judicio*, *perspiciet ea sane*, *quod sit prior ratio*, *&* *præstabilior. Est enim hæc vis prudentiæ. Et si prudentiæ aderit æquitas in judicio*, *adstringet judicium ad eam rationem*, *quam prudentia superiorem dixerit: hoc etenim est munus æquitatis. Quisquis autem prudentiam*, *&* *æquitatem sectari voluerit*, *quid ei faciendum est*, *quam ut imitari studeant*, *quod ipsa prudentia*, *&* *æquitas vi sua facerent*, *si adessent? nimirum ut diligenter investiget*, *quæ sit ratio præstabilior*, *&* *quam præstare cognoverit*, *assensu suo comprobet*; & quæ sequuntur lectu dignissima.

„ certum est, esse idolothytum, aut certum est, „ non esse, aut ignoratur: Si ergo certum est esse, melius christiana virtute respuitur: si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur „. Eademque doctrina est S. Hieronymi, aliorumque veterum Patrum; immo S. Leo M. Epist. CLIX. ad Nicetam editionis Balleriniamæ cap. 5. eos, qui immolatitiis cibis polluti fuerunt, pœnitentiæ satisfactione purgandos edicit, *sive hoc terror extorserit*, *sive fames suaserit*.

92. Resp. Cum S. Thoma Lect. VI. sup. hunc loc., nullo modo fuisse prohibitum absolute & in se vesci idolothytis, sed solum ratione scandali adnexi; unde primo dicit Apostolus: *Omne quod in macello venit, manducate:* quia nempe nulla lege absolute vetitum erat, immolatitias carnes comedere; post autem subdit: *nihil interrogantes propter conscientiam:* nempe, ut explicat S. Doctor, *adstantis infirmi*, qui scandali occasionem sumit, credens id fieri in venerationem idoli. Hæc est communis apud interpretes hujus loci explicatio; qua totum argumentum corruit. Eodemque sensu intelligenda sunt allata testimonia S. Augustini, & quæ ex Hieronymo, aliisque Patribus afferri possunt, de iis scilicet, qui cum scandalo, aut contemptu religionis Christianæ id faciebant. Ac nonnisi de his postremis expresse loquitur objectus Canon S. Leonis M. (*a*).

93. Ob. *sexto*. Christus Matth. XI. 30. dicit: *Jugum meum suave est*, *&* *onus meum leve*; & S. Joannes epist. I. Cap. V. 3. *Mandata ejus gravia non sunt;* hæc autem in systemate Probabilioristarum vera esse non possunt; quisque enim scrupulis, & anxietatibus perpetuo torqueri deberet, incertus, animique pendens, an sententia, quam amplectitur, sit, an non sit reipsa probabilior.

94. Resp., Jugum Christi suave esse, onus leve, & mandata non gravia, non *absolute*, & in se, sed propter Dei gratiam, & charitatem adnexam. Nam alibi Christus *arctam* viam esse dicit, quæ ducit ad vitam, & portam cœli *angustam* esse, Matth. VII. 13. & 14., & *vi opus esse* ad regnum cœlorum rapiendum, Matth. XI. 22.; unde præclare S. Augustinus: *Quidquid durum est in præceptis, ut sit leve, charitas facit*, Serm. XCVI. al. XLVII. de *Diversis* cap. 1. Expresse etiam S. Joannes loco citato caritati unice adscribit, quod mandata Dei gravia non sint: *Hæc est enim*, ait, *charitas Dei*, *ut mandata ejus custodiamus*, *&* *mandata ejus gravia non sunt* (*b*).

95. Porro tam falsum est, systema nostrum scrupulis, & anxietatibus viam aperire, ut contra Clemens V. partem securiorem in dubiis tenendam esse præceperit *ad vitandos graves remorsus conscientiæ*. V. sup. num. 55. Et sane rem diligenter, ut opus est, perpendenti, vel sententia minus tuta multis gradibus probabilior apparet, vel non: si primum, prudenter, & tuto eam amplecti poterit; si secundum, tutiori parti cautus adhæreat.

96. Hac occasione etiam facile diluitur illa aliquorum objectio. Si teneremur, inquiunt, sententiam probabiliorem sequi, etiam teneremur discernere, quænam opinio sit inter alias probabilior; in debito enim faciendi includitur debitum sciendi; atqui in tanta opinionum varietate moraliter impossibile est dignoscere; quænam opinio sit probabilior: ergo &c.

97. Sane qui ita opponunt, statum quæstionis minime se tenere ostendunt; jam enim in hac controversia supponitur, unam opinionem apparere præ alia probabiliorem; & difficultatis cardo in eo præcise consistit, an liceat eam opinionem amplecti, quæ diligenti inquisitione præmissa minus tuta, minusque probabilis apparet. Adversarii dum id licere affirmant, hoc ipso pro certo habent, cognoscere nos, quænam opinio minus, & quænam magis probabilis sit.

98. Ob. *septimo*. Concilium Trident. Sess. XXIII. cap. 4. *de Reform.* prohibet, illos prima tonsura initiari, de quibus *probabilis conjectura* non sit, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus eligere.

99. Resp., hic, ut multis aliis locis, *probabile* sumi pro *probabiliore*, seu quod certum quidem undequaque non est (cum hac de re omnimoda certitudo haberi nequeat), sed quod præmisso diligenti examine de initiandorum moribus, studiis, ingenio, aliisque Divinæ vocationis indiciis probabilius existimatur. Neque vero si probabilius judicetur aliquem non esse ad statum clericalem a Deo vocatum, prudens, & cautus Episcopus eumdem sacris initiandum censebit.

100. Obj. *octavo*. Varia summorum Pontificum responsa, quæ Probabilismo favere videntur. *Primo*. Alexander III. qui regnavit ab anno 1159. usque ad an. 1181., consultus, an conjuges, qui vel ex ignorantia, vel malitia proprios filios de fonte baptismali susceperant, thoro separari deberent, duas sententias innuit altera tutiorem, & probabiliorem de conjugibus separandis, alteram minus probabilem, minusque tutam de thoro non separando, & hanc secundam alteri præfert. *Quamvis*

(*a*) Haud exigua est difficultas in hoc loco Apostoli explicando, ut videre est apud Estium in *Comment.*; sed hæc ad præsentem controversiam non spectat, dum dubitari nullatenus queat, licitum fuisse idolothytorum esum, quomodocumque tandem debeat Apostolicum præceptum de abstinentia ab ipsis intelligi, de quo variant Auctores.

(*b*) Dici etiam potest cum S. Hieronymo Dial. II. cont. Pelag. n. 5., levia esse *Evangelii mandata ad comparationem superstitionis Judaicæ*, *in qua varia cæremoniarum genera quærebantur*, *quæ juxta litteram*, *&* *Apostoli Petri sententiam nullus potuit explere &c.* Consul. S. Thomas 1. 2. qu. 108. art. 4. in corp., & ad 2.

vis generaliter sit constitutum, inquit in IV. Decret. *de cognat. Spir.* Tit. XI. Cap. 2., *ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt; ideoque nobis videtur, quod, sive in ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi*. *Secundo* Innocentius III., qui regnavit ab anno 1198. ad ann. 1216., excusandum censuit Episcopum Altisidorensem, qui Onoardem mulierem a viro injuste separaverat, *quia per errorem probabilem* sententiam tulerat in IV. Decret. Tit. XV. cap. 6. *Tertio*. Idem Pontifex loquens de conjuge probabiliter putante, matrimonium esse nullum: *Cum conscientia*, inquit, *pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, reddere potest, sed petere non potest debitum*. In V. Decret. tit. XXXIX. cap. 44. *Quarto* idem Pontifex a Gerardo Archidiacono Bituriensi consultus, quid factu opus esset cum mulier quædam dubitans de sui matrimonii valore, non expectata judicis sententia a marito recessisset, duas oppositas sententias recitat; quarum altera decernebat, mulierem iterum marito jungendam, antequam lis per judicem dirimeretur; altera contra prius litem esse dirimendam, quam mulier redderetur marito; post autem ipsi tertiam quamdam viam ingredi placuit, declarat tamen se propterea nullam ex recitatis sententiis damnare; *nec cuiquam*, inquit, *illarum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari*, II. Decret. tit. XIII. c. 13., *Demum* recentius habetur exemplum Urbani VIII., qui regnavit ab an. 1623. usque ad 1644., quique ut refert P. Nicolaus del Techo *Hist. Paraq.* cap. 15. in dubio exorto, utrum Guaranæ gentis primores ad fidem adducti, primam ex multis, quas alere solent, pellicibus uxorem ducere tenerentur, ut quibusdam rigidioribus videbatur; an vero possent ex iis, quam mallent, seligere, quæ sententia benignior, & commodior erat; sapientum virorum adhibito consilio tandem pronunciaverit, nulla hac in re opus esse speciali sua dispensatione, ut quidam Missionarii postulabant, sed cum doctorum sententiæ utrinque probabiles invenirentur, Missionarios sequi posse opiniones pro conditione locorum, ac illis barbaris favorabiliores. Hoc argumento maxime triumphant Terillus *de Reg. morum* I. P. qu. 8. n. 3., Cardenas in *Christi Theol.* Dissert. II. cap. 8. art. 5., aliique Probabilistæ.

101. Resp., Rom. Pontifices sapienter, ac constanter in suis decisionibus probabiliores fuisse secutos, in dubiis autem tutiorem partem. Vid. sup. num. 50. Neque contrarium probant exempla allata. Et quidem primo Alexander III. & tutiorem, & probabiliorem sententiam secutus est, declarans, conjuges, qui proprios filios ex sacro fonte susceperint, non esse matrimonio exsolvendos; inoleverat enim hæc falsa opinio ex quadam epistola supposititia Pontificis *Deus dedit* (qui regnavit ab an. 614. ad 617.), in qua nescio quæ falsa decreta citabantur Julii, Innocentii, & Cœlestini de separandis hujusmodi conjugibus. Hæc lex nedum commentitia, sed etiam noxia videbatur; nonnulli enim tædio matrimonii affecti spiritualem hanc cognitionem data opera contrahebant, ut ab invicem separarentur. Alexander itaque vel cognita hujus legis falsitate, ejus nullam habendam esse rationem merito censuit, vel saltem consideratis incommodis eamdem abrogare decrevit; qua in re tutiorem, & probabiliorem partem secutus est, nempe adhærens Divinæ illi legi: *Quos Deus conjunxit, homo non separet* Matth. XIX. 6.; unde etiam hanc firmissimam suæ decisionis rationem adducit: *Si ex ignorantia id factum est, ignorantia eos excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari*.

102. Ad *secundum*, *error probabilis*, quem in Episcopo Altisidorensi Innocentius III. excusandum censuit, non erat error ex sententia minus probabili ortus, sed ex facto moraliter certo, in quo tamen Episcopus aliorum malitia inculpate deceptus fuit. Rem breviter expono. Fuit ad Episcopi Tribunal delata causa de valore matrimonii Odoardis: nullam ille omisit diligentiam, qua rem, & causam investigaret. Plane certus factus, Odoardem non esse amplexibus maritalibus idoneam, juste eam a viro separavit. Falsis tamen relationibus Episcopus Altisiodor. deceptus fuerat: nam mulieris impedimentum perpetuum non erat, sed tale, quod præter divinum miraculum removeri potuerit, ut reipsa remotum fuit; hac re cognita Rom. Pontifex irritam quidem Episcopi sententiam declaravit, simul tamen Episcopum excusandum censuit, quia ex errore probabili idest sine sua culpa erravit.

103. Ad *tertium*. Decretum Innocentii nobis favet, non adversariis. Eccur enim uxori dubitanti prohibetur petere debitum, nisi quia id tutius erat? Permittitur autem debitum reddere, quia illud marito petenti denegare tutius non erat; erat enim periculum injustitiæ; at vero quando utraque sententia periculosa est, eligere debemus, quod proximi juri favet, unde sapienter Innocentius concludit: *Debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam*. Sanct. Thomas in 4. *Sent.* dist. 38. in fine exposit. Lit. idem tradit.

104. Ad *quartum*. Ea verba Pontificis; *Nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam* &c. non evincunt, fuisse ab eo utramque sententiam approbatam, ut in praxi tutam; sed solum fuisse eas in sua probabilitate relictas, pro diversis, quæ nasci poterant, circumstantiis; ut enim ibidem Innocentius III. observat, illæ duæ sententiæ ortæ erant ex duabus Roman. Pontificum decretalibus, quarum una data fuerat a Lucio Papa in *possessorio*, altera a Clemente in *petitorio*. Ceterum quantum sapientissimus Pontifex alienus esset a minus tuta, minusque probabili opinione amplectanda, sua decisione ostendit. Decrevit enim

nim, si mulier opponens consanguinitatem probationes jam paratas haberet, esse eam quidem restituendam marito, quantum ad alia, sed non quantum ad thorum. *Quod si non habeat probationes in continenti paratas, sed dilationes expectat longiores*, decernit, *ad restitutionem plenariam Ecclesiastica censura debere compelli*; nec tamen Pontifex jubens, ut marito femina plene restituatur, permittit feminæ, ut stante dubio de consanguinitate marito commisceatur, quod Probabilista, ut puto, ex principiis reflexis non denegaret (*a*); immo illi jubet, ut excommunicationem potius humiliter ferat, quam thori consortium marito concedat: nempe ipsa semper tutiorem, & probabiliorem partem sequi tenebatur.

105. Ad *ultimum* respondeo *primo*, mirabile plane videri hoc argumentum opponi; quod si aliquid valeret, id valeret etiam, ut evinceret, posse nos opinionem minus probabilem, & minus tutam amplecti, ubi agitur de valore Sacramentorum, dubium enim, quod dicitur Urbano propositum, erat, an valida essent matrimonia a Guaranæ gentis primoribus eum prima concubina contracta; quæ si valida erant, non amplius iis licebat aliam sibi mulierem Sacramento copulare. Si itaque Urbanus definivit, licitum in hoc casu fuisse sententiam minus tutam amplecti, id definivit, quod postea ejus successor Innocentius XI. damnavit. Vid. sup. num. 47.

106. Resp. *secundo* cum Tyrso Gonzalez *De recto usu probab.* Diss. 14., nullo authentico, aut satis firmo documento Urbani VIII. responsum inniti, cum P. del Techo, qui primus illud retulit, non propria Pontificis verba, ut maxime opus erat, sed solum eorumdem sensum pro suo arbitratu afferat. Quis sane non miretur, hunc Historicum preces a Joanne de Lugo, qui postea Cardinalis fuit, Pontifici oblatas totidem verbis fideliter expressisse, in quo non tanta erat necessitas; neglexisse autem Pontificis oraculum iisdem plane verbis, quibus prolatum fuerat, litteris consignare? Nemo certe nobis indubiam fidem facere potest, non fuisse Pontificis verba tantisper immutata; vel non probe intellecta, & ad Probabilismi confirmationem, qui tunc longe lateque serpebat, accommodata. Præterea fuisse quandoque vivæ vocis oracula Pontificibus perperam afficta, nemo eruditorum ignorat. V. Concina Lib. III. *de Probab.* Diss. VIII. cap. 8. n. 12.

107. Resp. *tertio*, verba Pontificis posse etiam ad sanum sensum sine violentia pertrahi; nempe fortasse concessit Missionariis, ut sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum barbaris favorabiles, dummodo tamen essent etiam probabiliores, & moraliter certæ; non autem contra. Nam quæstio erat potius de facto, quam de jure; cum enim illi feminas ducerent, veluti ancillas, & famulas, easdemque infirmas, vel senescentes pro arbitrio dimitterent; non immerito dubitatum ab aliquibus est, an eas uxorum, vel pellicum loco haberent. Definit ergo Rom. Pontifex, nisi fallor, ut Missionarii rem diligenter inquirant, & si probabilius judicari poterant, vera illa Matrimonia non fuisse, ad fidem christianam venientibus nubendi, cui mallent, potestatem facerent, unde etiam sapienter dicit Pontifex, nulla opus esse dispensatione (*b*).

108. Dices *primo*. Pontifices non semel dispensarunt Regulares a solemni voto castitatis; atqui dubium est, an id Pontifices possint; nam S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 11. negantem sententiam adeo certam putavit, ut non dubitaverit, quosdam Juristas, qui contrarium docebant, ignorantiæ accusare; S. autem Thomæ bona, & melior adhæret Thomistarum pars: ergo &c.

109. Resp., multa de his dispensationibus circumferri, quæ fidei omnino indubiæ non sunt; immo ut falsa a Criticis gravioribus rejiciuntur (*c*). Sed si verum est, fuisse a Pontificibus quosdam Regulares a solemni castitatis voto dispensatos, non alia profecto de causa id factum est, nisi quia Pontifices illi sententiam contrariam S. Thomæ, quæ pluribus Juristis arridet, multo probabiliorem, & moraliter certam judicarunt: non autem quasi licitum esse putaverint, sententiam minus tutam, minusque probabilem alteri tutiori, ac probabiliori præferre. Certe ipse S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 3. docet, quod quia Summus Pontifex gerit *plenarie* vicem Christi in tota Ecclesia, habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis, &c.

110. Dices *secundo*. In cap. *Laudabilem* Lib. IV. Decret. Tit. XV. cap. 5. iis, qui de valore matrimonii propter impotentiam dubitant, jura triennium concedunt, ad tentandam copulam; at vero in fine triennii longe probabilius est, veram adesse impotentiam; & certe tutius esset ab omni actu conjugali temperare: ergo si hoc non obstante

eis

(*a*) Tamburinus Lib. I. in Decal. c. 3. §. 2. ita casum resolvit: *Si post contractum bona fide matrimonium superveniat dubium etiam in utroque conjuge, nec post diligentiam veritas haberi possit, poterit uterque conjux redddere, & petere debitum.*

(*b*) Vid. Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana* L. XIII. cap. 21., ubi duas Pii V., & Gregorii XIII. Constitutiones de hujusmodi matrimoniis, & Congregationum Romanarum praxim exponit.

(*c*) Quæ narrantur de Constantia filia Rogerii Siciliæ Regis dispensata a Cœlestino III., ut nuberet Henrico VI. Imperat., cum prius esset Sanctimonialis, ut supposititia habentur a Baronio ad an. 1189. a Natal. Alexandro H. E. Sæc. XII. cap. 2. art. 13.: & ab aliis severioris critices eruditis. Neque fidei minus indubiæ sunt similes absolutiones a votis solemnibus Religionis: sicut dicitur, Alexandrum III. permisisse Nicolao Justiniano, ut nuberet, ne tam illustris familia extingueretur; & Benedictum XI. Casimiro Regi Poloniæ, & Ramiro Regi Aragoniæ, qui omnes Monachi erant Ordinis S. Benedicti. Confer notam P. Jo. Nicolai huic art. S. Thomæ adjectam.

eis id permittitur, permittitur etiam agere secundum sententiam minus probabilem, & minus tutam.

111. Resp. Semel ac isti ex Ecclesiæ indulto id faciunt, sententiam omnino tutam sequuntur; adeoque ex hoc capite nihil contra nos erui potest. Sed neque Ecclesia, potestatem iis faciens tentandi copulam per triennium, sententiam minus probabilem, vel minus tutam sequuta est: erat enim profecto aliquod temporis intervallum determinandum ad hanc impotentiam, uti opus est, experimento comprobandam: neque tutum erit matrimonii vinculum sine certitudine impotentiæ dissolvere. Ceterum laud. capit. additur: *Si frigiditas prius probari non potest:* quamobrem si prius de vera ac perpetua impotentia constaret, nullus dubito, quin ante triennium separatio fieri deberet; per accidens autem contingit, ut ante elapsum triennium sufficiens jam factum sit hujusce rei periculum.

112. Ob. *octavo*. Bene multi sancti Patres, & antiqui Doctores nihil aliud a nobis requirunt, nisi ut illud sequamur, quod *probabile* est: ergo non exigunt, ut semper probabiliorem, vel tutiorem sententiam amplectamur.

113. Resp., nomine *probabilis* apud Sanctos Patres, & veteres scriptores plerumque, ac fere semper intelligi *probabilius*, seu quod tale est, ut prudenter probari mereatur. Insignis est hac de re S. Augustini locus Lib. III. contra Cresconium capp. 73. & 74.; cum enim dixisset S. Pater *traditionem probabilius* objici Donatistis, Cresconius inferebat ex Grammaticæ legibus suffragari. Hanc acutam Cresconii subtilitatem explodit S. Augustinus exemplis tum ex SS. Litteris, tum ex profanis Scriptoribus depromptis; ac post multa concludit, potuisse se dicere: *traditionem probabilius vobis objicimus, quamvis eam vos nobis non probabiliter objiceretis;* quibus aperte ostendit S. Doctor, illud, quod est vere probabile, esse etiam probabilius; nec aliquid dici posse vere probabile, si oppositum sit probabilius (*a*). Etiam Aristoteles 1. *Topic.* cap. 4. *ea esse probabilia*, dicit, *quæ videntur omnibus, aut plurimis, vel sapientioribus; & ex iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis*. Eodem sensu dicebat Tullius Lib. II. *Tuscul. quæst.: Nos sequimur probabilia;* idest quæ magis probanda videntur.

114. Hinc Probabilioristæ recte inferunt, opinionem minus probabilem in concursu probabilioris vere & absolute probabilem non remanere, quod ita intelligendum est, non quia absolute intereant ea momenta; sive intrinseca, sive extrinseca, quibus opinio probabilis innititur; sed quod ea non amplius vim habeant prudenter movendi intellectum nostrum, qui a motivis majoris momenti in alteram partem inclinatur: sicut pondus librale stateræ impositum utique eam premit, non tamen eam movere posse dicitur, si ex altera parte pondus majoris momenti obstet. Itaque si placet, dicere poterimus, sententiam minus probabilem in conflictu probabilioris remanere quidem probabilem *absolute*, & in se, vel *objective*, seu habita ratione prudenter operantis: unde illud S. Augustini dictum *De util. credendi* cap. 21. num. 25.: *Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur, probabile?*

115. Dices. Si contraria motiva se elidunt, quemadmodum exemplo bilancis declaratum est, sequitur, operantem ex sententia probabiliori non moveri nisi tenui illo probabilitatis excessu, quo probabilior minus probabilem superat: sicut libra non descendit, nisi ea vi, quam excessus unius ponderis supra aliud ipsi imprimit: hoc autem posito, sequitur, posse nos ex tenui probabilitate operari, quod est ab Innocentio XI. damnatum. V. sup. n. 47.

116. Resp. Quando dicimus, posse nos sequi opinionem magis probabilem, non intelligimus eam, quæ paucis gradibus alteram in probabilitate excedat; nam in moralibus parum pro nihilio reputatur: sed quæ longe probabilior est; unde excessus ille non est tenuis, sed talis, qui hominem prudentem movere possit.

117. Dices *secundo*. S. Augustinus in controversia enata, an liceret aliquid sumere ante Eucharisticam cœnam, liberum unicuique permittit, quam mavult, sententiam sequi. *Neminem*, inquit Epist. LIV. al CXVIII., *cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus*. Similiter S. Thomas Angelos in gratia conditos esse docens, *quæ opinio*, inquit in II. Dist. IV. qu. 1. art. 3., *mihi magis placet, absque alterius partis præjudicio*. Et non raro contingit, ita Doctores uni sententiæ adhærere, ut alteram in sua probabilitate relinquant, hoc est ut possit quilibet, quam mavult, adoptare. Quid plura? S. Augustinus Lib. I. *de baptismo* cap. 4., & alias sæpe excusat S. Cyprianum, quod sententiam de rebaptizandis hæreticis secutus fuerit, quæ certe minus probabilis erat. Ac demum S. Leo M. *In iis*, inquit in epist. CLXVII. ad Rusticum Narbonensem, *quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum:* ergo &c.

118. Resp., a Sanctis Patribus, & Doctoribus in iis sententiis, quarum utraque pars vere tuta est

(*a*) Multa id genus alia afferri possunt, ut cum S. Leo Magnus initio epist. LXXX. ad Anatol. Sacerdotis *probabilem* fidem appellat, scilicet probatam & rectam; S. Ambrosius L. I. *de Off.* c. 30. *Non est*, inquit, *probabilis liberalitas* &c., idest quæ probari mereatur: & Gregorius Ep. in Con. VI. *probabiles*, seu probatos Patres appellabat; quo sensu etiam Vinc. Lirinensis in Commonit. I. n. 45. Patres Catholicos *Magistros probabiles* nuncupavit.

est, opinandi libertatem relinqui, non autem ubi est culpæ periculum. S. Augustinus loquitur de more, qui olim invaluerat: ut fideles feria quinta in cœna Domini ad sacram Synaxim post comestionem accederent, quod sacris Canonibus permissum erat (a). Hac de re interrogatus Augustinus respondit, servandam esse locorum consuetudinem, quia scilicet tunc temporis tutum omnino erat, tam ante, quam post cœnam in illa die sacram Eucharistiam sumere. Vid. Bened. XIV. *de Syn. Diœces.* Lib. VI. cap. 8. num. 4.

119. S. Thomas etiam loquitur de quæstione mere speculativa, in qua utramque sententiam tenere tutum erat; cum nihil esset de hac determinatum; ut enim inquit Quodl. 3. art. 10. *In iis, quæ non pertinent ad fidem, vel ad bonos mores, absque periculo auditores utramque sequi possunt.* Secus autem sentit de iis quæstionibus, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad bonos mores; unde 1. 2. qu. 96. art. 6. ad 2. postquam docuisset, posse aliquem præter verba legis facere, *in casu, in quo manifestum est per evidentiam nocumenti legislatorem aliud intendisse*, subdit: *Si autem dubium est, debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* Accedit, quod etiam in rebus mere speculativis nec S. Thomas, nec ullus alius quod sciam, sententiæ minus probabili, cognitæ ut tali, unquam adhæsit; unde quod dicunt aliquando se uni parti adhærere sine præjudicio alterius, ita intelligendum est, ut liberum unicuique sit etiam alteri opinioni subscribere; dummodo debita adhibita diligentia illi probabilior appareat.

120. Quod autem de S. Cypriano affertur, nimis probat; probaret enim, excusandum esse, qui sequitur sententiam plane falsam, & a Summo Pontifice damnatam; cujusmodi erat Cypriani sententia de rebaptizandis hæreticis. S. Augustinus non omnino Cyprianum excusat, sed sanguine suam erroris maculam lavasse dicit. Excusat autem aliqua ratione, quia nondum res ista plenarii Concilii auctoritate fuerat definita. Ceterum pro certo habeo, a S. Augustino nullo modo excusatum iri Cyprianum, si sententiam suam ut minus tutam, minusque probabilem agnovisset, & nihilominus eam pertinaciter defendere voluisset; quæ Probabilistarum doctrina est.

121. Testimonium porro S. Leonis potius adversariis nocet. Si enim in rebus dubiis, vel obscuris id sequi debemus, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis Sanct. Patrum invenitur contrarium, profecto sententiam minus tutam sequi non possumus, quam dubitamus præceptis Evangelicis, & SS. PP. decretis contrariam esse.

122. Obj. *nono*. S. Thomas loquens de quæstione ambigua, cujusmodi ipsius ætate erat quæstio, an liceret habere plures præbendas, in qua Theologi Theologis, & Juristæ Juristis adversabantur, ita resolvit Quodl. VIII. art. 13.: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & non committit se discrimini, nec peccat;* at vero hæc ipsissima est Probabilistarum hypothesis; illi enim ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducuntur: ergo &c.

123. Resp. In nullam dubitationem inducitur, si prudenter reputet sententiam, quam amplectitur, esse altera longe probabiliorem, & moraliter certam, *conc.;* si sententiam, quam amplectitur, putet esse minus tutam, & æque, vel etiam minus probabilem, *nego*. Hæc, & non alia est mens S. Thomæ, ut colligitur ex toto contextu; quia ibidem in argumento. *Sed contra* jam dixerat: „ Potest esse quod in tali casu aliquis adhibeat „ diligentiam, inquirens, an habere plures præ- „ bendas sit licitum, nec inveniat aliquid, „ quod eum moveat ad hoc, quod illicitum sit: „ ergo videtur, quod sine peccato possit plures „ bendas habere “. En, quomodo aliquis potest in nullam dubitationem induci, non ex princiqiis reflexis Probabilistarum, sed quia diligenter expensis utriusque partis momentis *nihil invenit, quod eum moveat &c.*

124. Obj. *decimo*. S. Antoninus sæpissime hoc Confessarii præcipit, ne absolutionem Sacramentalem iis pœnitentibus denegent, qui consilio peritorum innixi judicant, non esse peccatum quod tamen Confessario peccatum esse videtur (b); quam in rem affert etiam auctoritatem Petri Paludani celebris Dominicani Sæc. XVI., & Goffridi de fontibus; atqui hoc idem est ac Probabilismum sequi, tum quia Confessarius Pœnitenti permittit sequi opinionem, quam ipse minus probabilem reputat; tum etiam quia in casu, quo Pœnitens sit Probabilista, Confessarius ob eamdem rationem debebit ipsi permittere usum opinionis probabilis in omni dubio.

125. Resp., S. Antoninus jubet Confessario, ut Pœnitentis opinioni se accommodet tunc solum, quan-

(a) *Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto die anniversario, quo cœna Domini celebratur.* In Can. *Sacramenta Altaris* de Consecrat. diss. 1., qui tamen Canon. (erat 41. Carthagin. in Codice Africano) fuit in Concilio Trullano revocatus his verbis can. 29.: *Carthagin. Synodi Canon dicit, ut Sacramenta altaris nonnisi a sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur: tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles SS. illi Patres hac dispensatione usi sunt. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus, Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana, quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere.*

(b) Omnia ista loca magno studio collegit Petrus Ballerinius in Prælection. præmissis luculentæ suæ editioni Opp. S. Antonini, Veronæ 1740. Præl. I. §. 8.

quando Confessarius Pœnitentis opinionem judicat vere probabilem, Pœnitens autem eamdem reputat multo probabiliorem; secus autem esset, si vel Pœnitens vellet opinioni minus, aut æque probabili adhærere, vel Confessarius Pœnitentis opinionem vere probabilem non judicaret: in hoc enim casu nullo modo posset Confessarius Pœnitentem absolvere (*a*). Ex hac autem doctrina nihil in Probabilismi præsidium erui potest: nam Confessarius permittit Pœnitenti tantummodo, ut probabiliorem, non vero ut minus prababilem, sententiam sequatur; neque tutius esset Pœnitenti absolutionem denegare. Confer Ballerinium loc. cit. Confessarius autem Probabiliorista nunquam permittet Pœnitenti, ut systema Probabilisticum amplectatur; hoc enim systema (dictum sit bona Probabilistarum pace) nullam solidam habet intrinsecam probabilitatem; momenta enim rationum, quas Probabilistæ afferunt, adeo levia sunt, ut nullo negotio explodentur; aliqua duntaxat esse potest extrinseca probabilitas ex numero auctorum recentiorum, qui illud adoptant; quæ tamen & ipsa nutat nutantibus rationum momentis, quibus ii Auctores innixi sunt. Addo recentiorum Probabilistarum etiam bene multorum auctoritatem vel ipso judice Terillo non magnam esse (*b*).

126. Ceterum quantum alienus a Probabilistarum doctrina fuit S. Antoninus, sexcentis allatis ejus testimoniis ostendi facile posset. Nihil apud eum hac regula frequentius: *Res dubia est: ergo ab ea abstinendum*. (Vid. I. P. p. 135. 139. 474.: P. III. p. 309. 312.); & peccatum grave esse definit; in rebus dubiis se exponere periculo. V. sup. num. 58. Ulterius I. P. Tit. 3. §. 10. tanquam certum habet hoc principium: *Quum in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo morali*. Certum, inquam, & ratum hoc principium habet, & solum negat, illud debere scrupulosis negotium facessere; unde subdit: „ Si dubitet leviter quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito: sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita opinione ". Vid. Ballerinius Præl. I. §. 3. & 4.

127. Inst. idem S. Antoninus I. Part. tit. 3. c. 10. §. 11. „ Ex responsis, *inquit*, quæ videntur data ab Alberto M., habetur, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consilio quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus doctoris magni opinionem sequatur ": ergo &c.

128. Resp. Neque S. Antoninum, neque Albertum M. nobis adversari; nihil enim aliud significant, quam posse hominem rudem, simplicem, & idiotam consiliis sui Parochi, vel Confessarii, vel alicujus gravis Doctoris acquiescere; quia in hoc casu sententiam adoptat, quæ illi probabilior videri debet, saltem extrinsece; cum ipse de intrinseca ejusdem probabilitate certum judicium ferre nequeat. Hinc idem S. Antoninus, cum dixisset, posse aliquem tenere unam partem alicujus opinionis, quæ habeat pro se notabiles doctores, postea subdit: *Dummodo ... bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit tanquam de probabiliore parte*.

129. B. autem Albertus Magnus adeo Probabilismo infensus fuit, ut quibusdam visus sit (quamquam immerito) in oppositum rigorismi scopulum incidisse. Nam in Tract. *De homine* q. 7. art. 2. exponens illud principium de tutiore parte sequenda, *dicendum*, inquit, *quod duplex est securitas, idest remotius a falso, & remotius a periculo, & secundo modo intelligitur regula*. Ceterum si hoc argumentum vim obtineat, sequetur etiam vel unius Doctoris junioris auctoritatem sufficere, ut opinio censeatur probabilis, quod ab Alex. VII. damnatum est. Sup. n. 47.

130. Obj. *undecimo*. Si Probabilismus esset sententia omnino falsa, & perniciosa, ab Ecclesia, quæ columna est veritatis, minime probaretur; ut enim inquit Sanct. Augustinus Epist. LV., alias CXIX.

(*a*) Plures, gravesque Theologi affirmare non dubitant, a culpa nullo modo excusari posse, qui Probabilismum sequuntur, aut pœnitentes ex Probabilismi regulis dirigunt. *Luce clarius est*, inquiebat illustriss. Bossuetus, *diligentissime præcavendam opinionem, quæ minori probabilitati favet, quippe quæ animas inducat in laqueum, securitate falso ostensa, non autem præstita, & inevitabilis damnationis judicio consecuto*. Card. autem de Aguirre *deprehendisse* se dicebat *ingens periculum salutis in sectando, aut consulendo aliis probabilismo*. Ac demum, pluribus aliis omissis, Cardinalis de Laurea ita absolute pronunciabat: *Censeo operantem cum probabili opinione, relicta probabiliore, periculo formali se exponere, & ignorantiæ vincibilis errore laborare*. Hanc veritatem multis argumentis manifestam, ac probabilem reddidit vir de Ethica Christiana optime meritus Vinc. Patuzzi in variis suis operibus, quibus Probabilismum invicte confutavit. Videri etiam potest libellus supplex P. Thyrsi Gonzalez Clementi XI. oblatus, in quo manifeste ostendit, *probabilismum inculpate, & bona fide teneri, & doceri* non posse, postquam hæc controversia tam luculenter a viris gravissimis discussa est, ac detectæ omnes fallaciæ, quibus eam acutissima quorumdam ingenia obsolverant.

(*b*) Eminentiss. Card. Hyac. Gerdil in præclara illa Oratione, quam jam laudavimus, nec satis laudari potest *De causis Academicarum Disputationum in Theologiam Moralem inductarum* in notat. 12. *Sane*, inquit, *nec ratio ipsa, nec probitas finit, ut quam quisque sententiam, tali judicio, & assensu complexus est, sibique sequendam, & contrariæ præferendam statuit, eam alios doceat contrariæ postponere*.

CXIX. c. 19. *Ecclesia ... quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit;* atqui &c.: ergo &c.

151. Resp., Ecclesiam nunquam probasse, sed ad summum tolerare Probabilismum, quæ quidem tolerantia nullo modo adprobatio dici potest. Nam Alexander VII. hanc propositionem expresse damnavit num. 27.: *Si liber sit alicujus junioris, ac moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem;* & Clerus Gallicanus damnavit hanc aliam: *Non sunt scandalosæ, aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia, non corrigit*, apud Nat. Alexandrum *Theologiæ Dogm.* Lib. III. cap. 4. reg. 14. Et sane nunquam Ecclesia potest consentire errori, quia est *columna, & firmamentum veritatis* 1. Tim. III. 15., potest tamen errorem in suo sinu tolerare, etiam cum a multis adoptatur, & defenditur. Immo hoc sæpe contigisse, historia nos docet. Error Semipelagianorum in Ecclesia toleratus fuit per integrum sæculum; ortus est enim Augustino adhuc vivente, & solum an. 529. in Concilio Arausicano proscriptus. Monothelitarum hæresis non fuit in Concilio generali condemnata, nisi post 60. circiter annos. ab an. 622. ad 680. Millenariorum autem fabulæ quasi per quatuor integra sæcula, etiam apud viros omnino doctos & sanctos patrocinium invenerunt. Et ut ad tempora viciniora accedamus, quot propositiones laxas, scandalosas, erroneas diu in Probabilistis toleravit Ecclesia, quas postea quando opportunum censuit, condemnavit? Neque enim credendum est, eas propositiones esse falsas, & erroneas, quia proscriptæ sunt, sed ideo potius proscriptæ sunt, quia falsæ erant, & erroneæ. Neque multum a vero, ut puto, aberraverit, qui dixerit, adhuc superesse non paucas similes propositiones justa censura dignas, quas certe Ecclesia non approbat, sed tolerat. Non tamen Ecclesia tacet; ore enim defensorum veritatis, nonnullarum Universitatum, & plurium Episcoporum, immo integræ Ecclesiæ Gallicanæ sæpius Probabilismum jam condemnavit. Addo summorum Pontificum definitiones, quibus saltem indirecte Probabilismus exploditur. Concludo verbis S. Gregorii M. Lib. XIII. epist. 81. „ Sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, ut sæpe malum, quod aversatur, portando, dissimulando compescat".

152. Obj. *duodecimo*. Nulla est lex obligans nos, ut semper probabiliorem sententiam sequamur; neque enim hæc lex naturalis dici potest, quam tot viri doctrina, ac pietate insignes ignorarunt; neque positiva, Divina nempe, vel humana; cum neque in Scripturis, neque in definitionibus Ecclesiæ inveniatur.

153. Resp., hanc legem esse naturalem, & in sacris Litteris, ac definitionibus Ecclesiæ sæpissime memoratam. Naturalis est, quia eam vel ipsi Ethnici naturali lumine cognoverunt. Sapientissimus enim Plato in *Phædone* inquit: „ Si haberi non possit in his rebus certitudo, illud oportet sequi, quod omnibus perpensis, probabilius videtur, & secundum hoc nostræ vitæ cursum dirigere. Ita homo sapiens facere debet. *Cicero* Lib. I. de Officiis *cap.* 9. Bene præcipiunt, *inquit*, qui vetant, quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum"; nec ullibi invenies in aureis ipsius libris *de officiis* quæstiones definitas, nisi secundum probabiliora, & tutiora principia. Quis vero id docuit hos Philosophos, nisi naturæ lumen?

154. Mentionem autem, & quidem frequentissimam hujus legis fieri in Sacris Litteris, ex omnibus iis locis evidenter colligitur, in quibus monemur veritatem diligere, legem servare, atque omne eam violandi periculum cautissime vitare. De Ecclesiasticis demum definitionibus supra disputatum est luculentissime.

155. Quod vero hanc legem plurimi ignoraverint viri docti, & pii, dolendum quidem est, sed minime mirandum; tristis enim experientia nos docet, in hoc naturæ corruptæ statu etiam magnos viros humani aliquid sæpissime pati. Ceterum si ipsos minime decipi potuisse fingamus, consequens erit, alios contra sentientes numero, scientia, pietate, & dignitatibus non inferiores, immo procul dubio superiores, turpiter fuisse deceptos.

156. Dices. Si ita est, errarunt ergo omnes illi Theologi numero innumerabiles, qui in postremis hisce duobus sæculis Probabilismum docuerunt; nec poterit eorum error bona fide excusari, siquidem si bona fides non excusat sequentes opinionem probabilem, multo minus excusabit eos, qui id licere docent; sunt enim magistri erroris.

157. Resp. *primo*, retorquendo argumentum. Si Probabilismus est verus; ergo errarunt ii omnes, qui contrarium systema tenuerunt, ac multo magis errarunt plurimi Episcopi, ac ipsa Ecclesia Gallicana Probabilismum condemnantes, ita enim jugum Dei Pharisæorum instar gravius reddiderunt, qui error est fidelibus maxime noxius. At vero tot, tantosque viros, qui omni conatu se Probabilismo opposuerunt, inexcusabilis erroris damnare quis audeat? Addo Theologos antiquos, Ecclesiæ Doctores, sanctosque Patres, quibus per sexdecim sæcula ignotas fuisse Probabilisticas subtilitates, mihi plusquam certum est; anne hos etiam in eadem errantium massa involvere, temeritate carebit?

158. Resp. *secundo*. *Judicia Dei abyssus multa* Ps. XXXV. 7. *Delicta quis intelligit?* Ps. XVIII. 13. Errare eos omnes, qui Probabilismum sectantur; nihil tam certum est, quam quod maxime: utrum autem bona fide excusari possint a culpa, definire certo non audeo, eoque magis, quo ab Apostolica Petri Sede nullum hactenus prodivit solemne oraculum, quo systema Probabili-

sticum universum condemnatum sit; cujus propterea judicia non prævenire, sed humiliter expectare debemus. Duo celeberrimi, doctissimique Cardinales Pallavicinus, & Aguirre, Probabilismo, cui prius mordicus adhærebant, re melius considerata, nuncium remiserunt, quod etiam factum est ab Universitate Lovaniensi, teste Opstraeto Dissert. Theol. *de praxi administ. Sacr. Pœnit.*, & a multis aliis insignis notæ Theologis. V. Patuzzi *Reg. Prox.* P. III. cap. 9. §. 5.

139. Obj. *decimotertio*. Subditus tenetur obedire Prælato, etiamsi ipsius præceptum videatur illicitum, quod S. Bernardus Lib. *De præcepto, & dispensat.* cap. 9. fuse declarat. *Insuper* licet Immaculatam B. M. V. Conceptionem inficiari, quamquam opposita sententia sit longe probabilior. *Tertio* quamvis mihi probabilius aliquis homo malus esse videatur, possum tamen eum bonum judicare, ut S. Thomas docet 2. 2. qu. 50. art. 4. ergo &c.

140. Resp. ad *primum*, subditum eo in casu, si res dubia sit, suum judicium prudenter superiori subjicere; atque adeo quod illi prius, vel æque, vel fortasse etiam minus probabiliter licitum videbatur, addito superioris mandato probabilius fit, & moraliter certum, quia superior vice Dei fungitur, & scriptum est: *Qui vos audit, me audit* Luc. X. 16. Ceterum si, quod superior mandat, nullo modo fieret subdito probabilius, peccaret subditus obediendo Prælato; tunc enim illud tenendum esset: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus* Act. V. 29. Non facile tamen id a subdito præsumendum est, nisi valida, & evidentia illi argumenta occurrant.

141. Ad *secundum*. Qui B. V. M. Immaculatæ Conceptioni refragantur, id faciunt ducti rationibus, quæ ipsis videntur probabiliores. Sed si quis hanc opinionem amplecti vellet, quamquam ipsi minus probabilis videretur, is certe se veritatis amatorem minime ostenderet, nullum tamen inde detrimentum haberet, quia quæstio isthæc est mere speculativa, & ad fidem, moresque non pertinet. Præclare S. Thomas Quodl. III. art. 10. *Diversæ opiniones Doctorum, si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt, tunc enim habet locum, quod dicit Apostolus* Rom. XIV. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet. In his autem, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.*

142. Ad *tertium*. S. Thomas recte, sapienterque docet, debere nos dubia de alterius moribus in meliorem partem interpretari, quia id tutius est: si enim quis erret habens bonam opinionem de aliquo malo, nulla ei fit injuria; fit autem injuria proximo, si quis erret habens de aliquo bono homine opinionem malam; & sic etiam intelligenda est Glossa, quæ super illud Apostoli Rom. XIV. 3.: *Qui non manducat, manducantem non judicet*, inquit: *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda*.

143. Obj. *decimoquarto*. Licitum est sequi sententiam probabiliorem, etsi minus tutam; atqui systema Probabilistarum est multo probabilius, quam Probabilioristarum; Terillus enim dicit, posse singulis Probabilioristis 40. Probabilistas opponi, & Probabilismus appellari solet opinio *communis, communior, communissima, ac moraliter certa:* ergo &c.

144. Resp. Neg. min., quam non probant adversariorum exaggerationes. Quidquid enim fuerit de numero Probabilistarum Terilli ætate, modo certum est, eumdem multo minorem esse, quam Probabilioristarum, eumdemque semper in dies decrescere, ut tandem spes affulgeat, Probabilismum undique exterminandum esse, quomodo ab amplissima Galliarum Ecclesia, & a pluribus Diœcesibus, Ordinibus Religiosis, Universitatibus, ac Scholis feliciter eliminatus est.

145. Obj. *ultimo*. Licitum est sequi sententiam minus tutam, tutiori posthabita, ergo etiam possumus sequi minus probabilem.

146. Dist. ant. Si sententia minus tuta sit multis gradibus probabilior, quam opposita, *conc.* tunc enim moralem certitudinem de honestate actionis habere possumus, ut mox declarabitur propos. seq., secus, *nego*.

147. Inst. Magis, & minus non differunt specie, ut habet vetus adagium: ergo si possumus sequi sententiam minus tutam, quando est magis probabilis, possumus etiam &c.

148. Resp. Non differunt specie *physica*, *conc.* *morali*, *nego*. Et si hoc argumentum valeret, sequeretur, nos posse etiam agere secundum sententiam tenuiter probabilem; quia neque ista specie differt ab alia; quod tamen ab Innocentio XI. damnatum est. Sup. num. 47.

149. Et contra Probabilistas hactenus (*a*). De hoc uno Probabilioristæ monendi sunt, ne (ut nonnullos facere non sine magno animi mœrore videmus) tutiorem, & probabiliorem sententiam sequendam esse verbis tantum profiteantur, factis au-

(*a*) Innumeri sunt, qui de hac materia studiose, & accurate scripserunt; ne tamen copia confusionem pariat, meis discipulis præcipue consulo P. Dan. Concinam Tom. II. *Apparatus ad Theol. Christ. Dogmatico-moralem*, P. Vinc. Patuzzi in Tr. *De regula humanarum operationum*, ac in *Ethica Christiana*, F. Vincent. Contensonium Lib. VI. *Theol. mentis, & cordis* Diss. III. *de novello probabilitatis commento*, Petrum Ballerinium tum in *Moralium actionum regula*, tum in *Prælect.* I. & II. præfixis primo Tomo Opp. S. Antonini, & P. Cæsarium Mariam Sguanin Ord. Serv. B. M. V. in *Anatomia Probabilismi*, cujus tertia editio nuper Romæ prodiit an. 1756. quamquam qui Concinam legerit, vix aliquid desiderandum habebit.

autem negent. Argumentum adversariis nostris suppeditamus, imbelle illud quidem in se, & nullius momenti, sed quo tamen plerique imperito vulgo fucum facere solent. Nempe dicunt, Probabilioristas in praxi tandem Probabilistis victas manus dare, cumque plus moveant exempla, quam verba, non facile dictu est, quot hac arte ad benigna Probabilistarum castra pertrahantur, in quibus multo minori molestia, adeoque libentius militare homines possunt; quam apud rigidos Probabilioristas. Imbelle, inquam, est hoc Probabilistarum telum, quod si valeret, pari modo concludi posset, falsam esse legem a Christo suo sanguine sigillatam, cum eam tot perditi, & scelerati Christiani conculcent; danda tamen est opera, ut hoc tametsi imbelle telum de manibus hostium eripiamus, quia eo nobis plurimum nocent: quid enim refert forti, an imbelli telo perire? Sentiamus igitur ut Probabilioristæ, loquamur ut Probabilioristæ, sed quod magis nostræ, aliorumque saluti proderit, secundum Probabilioristarum principia operemur. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*, ad Eph. IV. 15. sive ut Augustinus simili occasione dicebat *De dono Persever.* cap. ult. *Non itaque simus in disputationibus prompti, & in orationibus* (vel ut alii legunt *operationibus*) *pigri*.

§. V.

Refellitur Tutiorismus & Rigorismus.

150. Ita a Probabilismi laxitate declinare debemus, ut in oppositum errorem non labamur, quod aliquos fecisse perhibetur, contendentes, quotiescumque certa veritas nobis omnino perspicue & dilucide non apparet, tutiorem partem sequendam esse; nec licere minus tutam amplecti, etiamsi hæc sit multo probabilior, quam altera. Id docuisse dicuntur Willelmus Wendrockius in not. ad epist. V. *Provinc.* Jo. Simichius in libro cui titulus *Saul Ex-Rex*, & Henricus a S. Ignatio in *Ethica amoris*, jure ne an injuria, alii disputent; sunt enim qui putent, præfatos auctores docuisse solum, non licere probabiliorem sententiam minus tutam amplecti, quando agitur de rebus jure naturali vetitis, non autem si agatur de rebus vetitis solum jure positivo Divino, vel humano. Ratio autem discriminis est, quia una cum multis Theologis plane Catholicis propugnant, nullam esse posse juris naturalis ignorantiam invincibilem, & inculpatam, cujusmodi esse potest in jure positivo Divino, & humano, sicuti etiam in factis. Utut vero hæc sint, mihi certum plane est, Julium Mercorum, Vinc. Baronium, Vinc. Contensonium, Prosperum Fagnanum, aliosque Probabilioristas insignes immerito prorsus hujus rigoris insimulari.

151. Notandum vero est, non hic dici sententiam probabiliorem eam, quæ aliquem etiam parvum, & minimum habeat supra alteram probabilitatis excessum; in moralibus enim, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 14. art. 4. *quod parum est, quasi nihil accipit ratio*, sed eam, quæ multis, ut ita dicam, gradibus alteri antecellit, in probabilitate, tum intrinseca ex SS. Litteris, Sanctis Patribus, aliisque Ecclesiasticis monumentis, tum etiam extrinseca ex gravibus, probatisque auctoribus deprompta. Hanc, & non aliam esse Probabilioristarum sententiam Petrus Ballerinius allatis eorumdem verbis demonstrat *in Moralium Actionum Regula* cap. 3. §. 1.

PROPOSITIO.

Licitum est sequi opinionem minus tutam, dummodo sit vere, & multis gradibus probabilior, quam opposita tutior.

152. Prob. ad licite operandum non requiritur semper *metaphysica*, vel *physica* certitudo de honestate actionis, sed quando hæc deest, sufficit alia duntaxat *moralis*: qualis supra num. 17. descripta est; atqui ubi opinio minus tuta est vere, & multis gradibus probabilior, habetur hæc certitudo moralis de honestate actionis: ergo &c. Major est certa apud omnes, & docetur a D. Thoma his verbis 2. 2. qu. 70. art. 2.: *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia, in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia ... non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, & variabilia, & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*.

153. Prob. autem minor contra paucos Tutioristas; nam Probabilistæ eam facile admittunt (a). Et *primo* quidem ex regula juris Canonici in VI. *Decret.* Tit. XII. Reg. 45.: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quo plerumque fieri consuevit;* quæ regula nullius usus in praxi foret, nisi ex majori verisimilitudine moralis certitudo induceretur. *Secundo* ex verbis S. Thomæ supra allatis: *Sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus*

(a) P. Suarez Lib. III. *de Legibus* cap. 13. n. 6r. *Major Probabilitas*, inquit, *quædam moralis certitudo est, si excessus probabilitatis certus sit*. P. Terillus *De consc. prob.* qu. 27. sæpius asserit *majorem probabilitatem, præsertim quando est notabiliter major, esse certitudinem moralem*. Idem asserunt alii Probabilistæ apud Petrum Ballerinium *Mor. Act. reg.* cap. 3. §. 3. quamquam fortasse repugnandi studio nonnumquam videantur contendere, si non sufficit æqualis, vel minor probabilitas ad moralem certitudinem inducendam, nec sufficere majorem; sed quilibet facile videt immane discrimen.

bus a veritate deficiat; quod utique verum est in sententiis multo probabilioribus; unde etiam infert S. Doctor, sufficere testimonium duorum, vel trium testium, quia est probabile, quod magis contineat veritatem dictum multorum quam dictum unius. *Tertio* ex S. Antonino, qui I. P. tit. 3. cap. 10. in fine, postquam cum Gersone triplicem distinxit certitudinem, nempe supernaturalem, naturalem, & moralem; hanc tertiam sufficere ait ad honestatem actionis, & postea sic concludit: „ Non consurgit certitudo moralis ex evi„ dentia demonstrationis, sed ex probabilibus con„ jecturis grossis, & figurabilibus magis ad unam „ partem, quam ad aliam se habentibus. Dicitur „ autem probabile, quod pluribus, & maxime „ sapientibus apparet verum ". *Quarto* ex ratione; quando enim una pars alteri in probabilitate longe præstat; hic major probabilitatis excessus ita contraria argumenta elidit, atque enervat, ut levia ac pæne nulla jam videantur; ex quo efficitur, ut iis plane contemptis, veluti inanibus scrupulis, probabiliori sententiæ certitudine morali adhæreamus; quod rerum usu quotidiano experimur.

154. Accedit etiam major certitudo ex principio reflexo, quod fere apud omnes certum est paucis Tutioristis exceptis, nempe eum qui debita præmissa diligentia ad exactam veritatis inquisitionem id sequitur, quod longe verisimilius apparet, veritatem pro virili sua parte consectari, adeoque legem Dei adimplere, quæ veritas est. Hinc S. Augustinus Lib. I. *contra Accademicos* cap. 3. Tom. I. *Quisquis*, inquit, *tantum*, *quantum homo potest*, *ac debet*, *dat operam inveniendæ veritati*, *is etiamsi non inveniat*, *beatus est*, *totum enim facit*, *quod ut faciat*, *ita natus est*. Caveat tamen vir prudens, ne propria concupiscentia abstractus, & illectus, aliquid probabilius judicet, quod tale reipsa non sit; quapropter in propria causa non quid uni sibi, sed quid pluribus, & doctioribus probabilius appareat, attendere debet.

155. Accedit ulterius continua Sanct. Patrum, Roman. Pontificum, Doctorum, ceterorumque Fidelium praxis, qui non semper secuti sunt, nec sequuntur, immo nec sequi facile possunt tutiorem partem, ubi contraria est multo probabilior. Pontifices enim non semel relaxasse dicuntur solemne castitatis votum, quia id se facere posse probabilius existimarunt, quamquam non relaxare certe tutius erit. S. Thomas docet, non teneri peccatores statim post culpam pœnitere, quæ sententia modo communior est, quamquam contraria, quæ S. Bonaventuræ, & Hugoni de S. Victore placuit, est proculdubio tutior, & plura alia hujusmodi exempla a S. Antonino afferuntur loco cit. & a Christiano Lupo Dissert. *de Opinione probabili*. Fideles etiam non dubitant ad sacram Eucharisticam Mensam accedere, cum probabilius judicant, se esse sine peccato mortali (id enim certo scire absque Divina revelatione nemo potest, ut definivit Concilium Trid. Sess. VI. cap. 9.). Et Confessarius demum pœnitentem, quem probabilius esse bene dispositum judicat, sine ullo scrupulo absolvit.

156. Postremo confirmatur nostra sententia oraculo Alexandri VIII., qui an. 1690. hanc propositionem condemnavit: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam* (*a*). Ex quo sequitur, non requiri ad honestatem actionis talem certitudinem, quæ omnem prorsus dubitationem excludat, alias neque possemus sequi opinionem probabilissimam, quia hæc etiam ab omnimoda, & perfecta certitudine deficit.

157. Neque vero audiendi sunt, qui dicunt, tunc solum posse nos opinionem probabilissimam sequi, quando favet legi, & tutior est, vel quando neutra est simpliciter tuta; ut exemplum esse potest in judice, cui ex privata scientia certo constat de innocentia hominis, qui tamen ex publice allegatis reus convincitur: ad mentem S. Thomæ reus esset damnandus; contra autem opinatur Scotus; neutra sententia est simpliciter tuta. In hoc discrimine, inquiunt, poterit judex sententiam probabilissimam sequi. Non, inquam, audiendi sunt, qui ita sensum damnatæ propositionis explicant: cum enim nemo hactenus fuerit, quod sciam, qui negaverit posse nos sententiam probabilissimam amplecti, quando aut hæc tuta sit, aut neutra sit tuta, sequeretur Pontificem fulmine suo aerem verberasse, non verum errorem confixisse, quod dici nequit.

158. Obj. *primo*. Perpetua vox est Sanct. Patrum, Pontificum, & Canonum, *tutius sequendum esse*. Vid. sup. num. 50. S. Augustinus, *Tene certum*, inquit Serm. 323., *& dimitte incertum*, & Lib. I. *de bapt. cont. Donat.* c. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus vel eo solo*, *quod certis incerta præponeret*. Hæc autem, aliaque id genus, quibus contra Probabilistas licitum non esse probavimus sequi opinionem minus tutam, æque, ac minus probabilem, evincunt etiam licitum non esse sequi opinionem minus tutam, quamquam probabiliorem, etenim opinio etiam probabilior certa omnino non est.

159. Resp. cum S. Thoma supra cit. n. 152., & Sanct. Antonino I. P. tit. 3. §. 5. opinionem probabiliorem non esse quidem certam certitudine e-

(*a*) Auctor istius propositionis dicitur Jo. Sinnichius, immerito autem P. Viva Tom. III. *Trutinæ* §. 16. illam *doceri* dicit *ab his*, *qui contendunt*, *studio Scripturarum*, *Conciliorum*, *Bullarum*, *ac Sanct. Patrum unice vacandum*, *eorumque auctoritati unice fidendum*, *neglecto studio recentiorum Scholasticorum*, *& Moralistarum*: quasi scilicet omnes ii sapientissimi probabilioristæ, qui ex laudatis purissimis fontibus morum scientiam solum hauriendam esse contendunt, cum auctoribus damnatæ illius propositionis sint confundendi.

evidentiæ, & perfecta; esse tamen certam certitudine *probabilis conjecturæ*, seu morali, qua homo prudens in suis actionibus dirigi solet. Et sane dubium, ut vidimus supra ex S. Thoma num. 49., est, quando intellectus *non inclinatur magis ad unum*, *quam ad aliud*; quod certe non contingit, cum una propositio est multo probabilior, & moraliter certa.

160. Addo, nonnumquam perfectam certitudinem obtineri non posse, sequi autem tutiorem partem esse nedum difficile, sed moraliter impossibile; ut cum pœnitens actum contritionis elicit, cum de eo certus omnino esse nequeat, si probabiliori parti tuto adhærere non possit, debebit illum iterum, iterumque repetere, ut nullus sit modus, aut finis. Sic etiam, si quis omnino certus non sit, rem esse suam, non alienam, alteri tradere eam debebit, quia id videtur tutius, sed rursus alter eam retinere non poterit, quia minus probabile supponitur, quod ad illum spectet, & sic in pluribus rebus, ita ut perturbatio magna vitæ consequatur, necesse sit, nisi probabilioribus opinionibus adhærere tuto possimus. Hinc patet, quantum sit nos inter, & Probabilistæ discrimen. Hi enim, ut supra ostendimus, dictamen sibi moraliter certum formare non possunt de honestate actionis, neque ex principiis directis, quia sequuntur partem, vel æque, vel minus probabilem, neque ex principiis reflexis, quæ aut omnino falsa sunt, & commentitia (ut equidem nullus dubito), aut saltem dubia, ut vel Probabilistæ fateri coguntur, cum a tot, tantisque sapientibus explodantur. Nos autem, & directam certitudinem habemus, saltem moralem ex probabiliori parte derivatam, & reflexam ex principiis, quæ omnibus pene firma & rata sunt.

161. Dices. S. Augustinus *Opinari*, inquit *De utilitate credendi* cap. 11. *numquam esse sine vitio*; & Serm. XL. Tom. V. *Ecce dat tibi securitatem procurator*, *quid tibi prodest*, *si Paterfamilias non acceptet?* Qui ergo sequitur opinionem minus tutam, cujuscumque modi ea sit, vitio non caret, nec certus est, sibi a Deo peccatum non esse imputandum.

162. Resp. ad *primum*, opinionem ab Augustino ibi sumi pro assensu temere præstito errori, non pro assensu præstito veritati probabilius apparenti. Id patet ex contextu; nam prius dixerat: „ Tria sunt alia hominum genera profecto improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, idest eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt “. En quo sensu opinionem sumat S. Doctor. Post etiam subdit: „ Opinari duas ob res turpissimum est; quod & discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; & per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est ”. Hoc utique sensu opinio vitio non caret, non autem quando est assensus uni parti, quæ probabilius vera apparet, licet non omnino certo.

163. Ad *secundum*. Loquitur S. Doctor de peccatore procrastinante, quem recte admonet, a nemine posse certum fieri de tempore ad pœnitendum opportuno; cum tempus sit in solius Dei potestate.

164. Dices *secundo*. Qui Apostolos persequebantur, probabilius existimabant obsequium se præstare Deo Jo. XVI. atqui nihilominus gravissime peccarunt: ergo &c.

165. Resp. Dist. Maj. Probabilius &c. sufficienti, & debita præmissa diligentia, *nego*; secus, *conc.* Si hoc argumentum valeret, nec tutius, nec certum sequi possemus, quia persecutores Apostolorum certe putabant sibi licere eos de medio tollere; immo putabant id tutius esse, nempe se obsequium præstare Deo. At vero ignorantia eorum erat culpabilis; si enim Christi verbis, & miraculis attendere voluissent, utique poterant veritatem Religionis Christianæ cognoscere.

166. Obj. *secundo*. S. Thomas Quodl. III. art. 10. *In his*, inquit, *quæ pertinent ad fidem*, *&* *bonos mores*, *nullus excusatur*, *si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri; in talibus enim ignorantia non excusat*. Item Quodl. VIII. art. 13. *Illud*, *quod agitur contra legem*, *semper est malum*, *nec excusatur per hoc*, *quod est secundum conscientiam*. Ac demum *Quodl.* IX. art. 15. *Omnis quæstio*, *in qua de peccato mortali quæritur*, *nisi expresse veritas habeatur*, *periculose determinatur*. Ex quibus, aliisque similibus apparet, S. Thomam ad honestatem actionis exigere perfectam & totalem certitudinem, qualem utique non habet, qui sequitur opinionem minus tutam, utut probabiliorem.

167. Resp. duobus prioribus testimoniis S. Doctorem agere de iis, qui errant *vincibiliter*, quique certe non excusantur, si legem violent: qui autem sententiam sequitur longe probabiliorem, & moraliter certam, etiamsi contra legem operetur, ignorantia invincibili excusatur; fecit enim pro virili sua parte, ut veritatem cognosceret, eamque quantum potuit, consectatus est. Hanc esse S. Thomæ mentem patet ex primo loco objecto. Ita enim concludit: „ Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari ”.

168. In tertio autem testimonio Angelici scopus est, nos admonere in quæstionibus de peccato mortali diligentem operam navandam esse, ut veritas expresse cognoscatur, si fieri potest; si autem id fieri non potest, ut plerumque contingere in moralibus idem S. Thomas docet: „ tunc sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat 2. 2. *qu.* 70. *art.* 21. *vel ut habet regula juris*, inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueverit ”.

169. Obj. *tertio*. Si non licet sequi, quod aliis vi-

videtur probabile, neque licebit id sequi, quod nobis est probabilius. *Primo* enim proprium judicium judicio aliorum anteponere temeritatem sapit, & superbiam; unde Prov. III. 5. dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. *Secundo* id videtur omni laxitati viam aperire; sub prætextu enim probabiliorismi tuto quis poterit, quam mavult, sententiam amplecti, dummodo eam esse probabiliorem putet; & quis in scientiis adeo hospes est, ut ignoret alii unam, alii alteram, & contrariam opinionem persæpe probabiliorem esse? Accedit *tertio*, quod hunc majorem probabilitatis excessum, quem Probabilioristæ requirunt, cognoscere, & determinare longe difficillimum est.

170. Resp. ad *primum*. Certo certius est debere hominem prudenter operantem sibi ipsi judicium practicum efformare, & secundum illud operari; regula enim proxima actionum nostrarum nostra conscientia est; nec de hoc esse potest ulla neque cum Probabilistis, neque cum Tutioristis controversia. Falsum est autem, Probabilioristas proprium judicium sequi, aliorum sapientiorum judiciis posthabitis. Verus enim Probabiliorista (namque hoc nomine abutentes non moror) in formando sibi conscientiæ dictamine imprimis Sacras Litteras, Concilia, Canones, Patres consulet; deinde si animadvertat sententiam minus tutam, quæ sibi probabilior apparet, talem non apparere ceteris viris doctis, seu communem non esse, non innitetur prudentiæ suæ, si sapit, & tutiori adhærebit, quia in hoc casu non habebitur ille manifestus probabilitatis excessus, qui ad prudenter eligendam sententiam minus tutam desideratur. Abhorrebit etiam, veluti a scopulis, a sententiis novis, & non præteribit terminos a Patribus nostris constitutos.

171. Objectio *secunda* non habet locum in systemate Probabilioristarum recte usurpato. Quod autem plerique eo abutantur, nos conturbare non debet; nihil enim tam sanctum est, quod hominum vitio corrumpi non possit. Sed quoniam aliqui Probabilistæ quoque hoc eodem argumento utuntur, paucis aperio immane discrimen, quod inter nostrum, eorumque systema invenitur. Possunt utique in nostro systemate aliqui sub falso majoris probabilitatis prætextu laxitates docere; sed iste erit boni systematis malus usus; & præterea reliquis Probabilioristis nunquam licebit eas opiniones vel defendere, vel sequi. Contra in Probabilistarum castris perquam facile est, aliquam opinionem probabilem reddere; adeo ut quampaucissimæ apud eos inveniantur opiniones, utut laxæ, quæ non existimentur probabiles; hoc autem semel constituto non ex abusu, sed ex recto usu systematis licitum cuique est, pro suo arbitratu easdem sententias in praxi sequi. Addo, multo facilius esse, opiniones prorsus falsas dicere probabiles ob aliqua qualiacumque vel rationum, vel auctoritatum præsidia, quam easdem appellare probabiliores, & multo probabiliores.

172. Ad *tertium*. Vel sermo est de hominibus doctis, & his difficile non erit, celebrioribus Scriptoribus perlectis, eorumque rationibus perpensis, quod verisimilius sit, investigare, juxta monitum Benedicti XIV. in Encycl. 1. Nov. 1745. Si autem sermo sit de idiotis, isti, prout idem doctissimus Pontifex monet, *ab illis qui doctrinæ ac virtutis gloria efferuntur*, *consilium exposcant*; non autem quærant, ut a nimis multis fieri solet, magistros prurientes auribus, & qui loquantur placentia. Quod si utrique debita præmissa diligentia longe probabilius, cui certo adquiescant, invenire non possint, tutius sequantur.

173. Obj. *ultimo*. Quando agitur de vitando damno proximi, aut de Sacramenti valore, tutior sententia est amplectenda, & nullo modo licet amplecti minus tutam, quamquam sit multo probabilior: ergo etiam in aliis materiis &c. Consequentia probatur; si enim vel prudentiæ regulis conformius esset sequi sententiam probabiliorem, vel ignorantia invincibilis errorem inculpabilem redderet, pari jure idem dici posset, ubi agitur de vitando damno proximi, vel de Sacramentorum valore.

174. Resp. neg. cons. & discrimen est in eo, quod omnino Sacramentum non habetur, si materia, vel forma necessaria desit, nec ignorantia, etiam invincibilis, facere potest, ut Sacramentum vere perficiatur; cui aliqua pars essentialis deest; ignorantia invincibilis contra a peccato excusat, saltem formali: & si etiam contingat, per ignorantiam invincibilem legem violari, illa violatio *materialis* est, non *formalis*. Ceterum quod dicitur, in Sacramentis tutiorem partem esse sequendam, non ita intelligendum est, quasi non liceat in iis quoque sententiam probabiliorem aliquando sequi; nam ex. gr. deficiente aqua naturali, & baptismi necessitate urgente, nemo negaverit, posse etiam baptismum conferri in liquore, quem probabilius quidem, non autem omnino certo esse aquam judicamus. Et præterea nemo dubitat, posse pœnitentes absolutionem petere, & Confessarios debere illam impertiri, quando eos recte dispositos esse probabilius judicatur. Idem dicatur de damno proximi, quod non vitatur per ignorantiam invincibilem; unde major cautela adhibenda est. Quamquam judex in sententia ferenda, ubi veritas liquido non apparet, probabiliorem partem sequi omnino debet.

175. Sed & illud addendum est, quod etiam in aliis vitæ nostræ actionibus valet, ad majorem, vel minorem diligentiam nos teneri pro majori, vel minori rei, de qua agitur, gravitate. Hinc non excusaretur, qui aliquid moveri inter vepres cernens, incaute jacularetur, quamquam probabilius judicaret, id, quod movetur, esse feram, & non hominem; res enim agitur summi momenti, quando agitur de vita hominis; & alioquin nulla est jaculandi necessitas. Non semper igitur facile concesserim, licere sententiam probabiliorem sequi, quæ

quæ minus tuta sit, præcipue quando agitur de rebus ad salutem necessariis necessitate medii, aut de iis juris naturalis principiis, in quibus nulla esse potest ignorantia invincibilis. In his porro nulla cautio supervacanea est; & cum non tam frequenter occurrant, non ultra, quam par est, jugum Domini aggravatur, etiamsi tutiorem sententiam, ubi fieri potest, amplectamur.

DISSERTATIO IV.

De ultimo fine hominis.

1. Finis hoc loco non accipitur pro termino alicujus rei; quo sensu mors dicitur finis vitæ, sed pro eo bono, quod agens intendit, & quo obtento ejus motus cessat. Definiri autem potest ex Augustino Lib. XIX. *De Civ. Dei* c. 1. *illud bonum, propter quod appetenda sunt cetera, illud autem propter seipsum* (a).

2. Porro, ut Angelicus acute observat 1. 2. q. 1. art. 7. „ Quantum ad rationem ultimi finis omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio ultimi finis. Sed quantum ad id, in quo ista ratio invenitur, non omnes homines conveniunt in ultimo fine: nam quidam appetunt divitias, tamquam consummatum bonum; quidam vero voluptatem, quidam vero quodcumque aliud ". Cum hæc ita sint, investigandum est, in quonam vera ratio ultimi finis inveniatur, quod Angelicus præstat in quæstionibus secunda, & tertia primæ suæ secundæ partis agens de beatitudine, quæ est ultimus hominum finis.

CAPUT I.

De Beatitudine hominis objectiva.

3. Beatitudo definitur a S. Augustino Lib. V. *de Civ. Dei* c. 1. *rerum optandarum cumulata plenitudo*; a Boetio L. III. *De Consolatione Philosophiæ* dicitur *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, & a S. Thoma qu. 2. art. 8. *bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum*. Porro communiter duplex distingui solet beatitudo, alia *objectiva*, nempe objectum illud bonum, quod nos totaliter, & cumulate felices reddere potest; alia vero est beatitudo *formalis*, nempe hujus boni plena & perfecta possessio.

4. Inter veteres Philosophos lites olim viguerunt immortales, in quonam beatitudo *objectiva* consistat, adeo ut referente S. Augustino Lib. XIX. *de Civit. Dei* c. 1., posset numerus sectarum ad 288. perduci; non quidem quasi hæ omnes sectæ extiterint, sed quod adhibitis quibusdam differentiis esse possent. Sed modo nulla est inter Christianos dissensio: unde communiter statuitur sequens

PROPOSITIO.

Nullum bonum creatum, sed solus Deus esse potest vera hominis beatitudo objectiva.

5. Prob. prima pars. Duo bonorum creatorum genera distingui possunt; alia enim sunt extra nos, quæ nempe ad corpus pertinent, ut divitiæ, honores, voluptates; alia intra nos, ut scientiæ, & virtutes morales, quæ animum exornant; atqui in nullo ex hujusmodi bonis beatitudo objectiva reperiri potest; nam *beatitudo*, inquit Angelicus q. 5. art. 3. *cum sit perfectum & sufficiens bonum, omne malum excludit, & omne desiderium expiet*; bona autem quæcumque hujus vitæ neutrum horum duorum præstare possunt: unde præclare Horatius lib. 1. Epist. 2. v. 47.

Non domus, & fundus, non æris acervus, & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Quod etiam de honoribus, voluptatibus, aliisque corporis bonis dici posse, quotidiano rerum usu edocemur.

6. Porro quamquam negari non potest, in sapientia, prudentia, fortitudine, aliisque animi virtutibus multum præsidii esse ad perturbationes declinandas, corporisque molestias minuendas; certum tamen est, id minime sufficere ad omne prorsus malum excludendum; quare Cicero Lib. II. *Tusculan. quæst.* c. 7. lepide Epicurum irridet, qui putabat, sapientem in Phalaridis Tauro sic esse dicturum: *Quam suave est hoc! quam hoc non curo!*

7. Sed neque bona hujus vitæ, quæcumque ea sint, possunt omne nostrum desiderium explere; nam ut cetera omittam, homo naturaliter desiderat perpetuam possessionem ejus boni, quod habet; bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, adeoque &c. Præclare igitur pro more suo S. Augustinus Lib. VI. *Confessionum* cap. ultimo de iis loquens, qui felicitatem extra Deum quærunt: „ O tortuosas vias, *inquit*, væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa, & reversa in tergum; & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies ". De his omnibus dignus plane est, qui legatur Boetius *de Consolat. Philosophiæ* Lib. III.

8.

(a) De variis finis divisionibus, & effectus satis copiose agit Ludov. Habert T. I. *Theol. de actibus humanis* cap. 6. §. 3. Videri etiam meretur pictura, & harmonia actuum humanorum, quam Contensonius habet Lib. VI. *Theol. mentis*, & *cordis* Diss. I. cap. 1. specul. 2. & 3. Sed digna imprimis est, quæ tota legatur quæstio prima S. Thomæ 1. 2. in qua multa habet de fine pro more suo egregie, solideque explicata.

8. Prob. secunda pars. Nam Deus est summum & infinitum bonum, quod proinde totam desideriorum nostrorum amplitudinem cumulatissime exæquare potest utpote eam infinite excedens. Quam ob rem Propheta David Psalm. XVI. dicebat: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* & S. Augustinus Lib. I. *Confessionum* cap. 2.: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

9. Et sane quatuor potissima sunt cordis humani desideria. *Primum* veritatis cognoscendæ; quod nobis cum Angelis commune est: *alterum* honorum, & dignitatum, quod est hominibus tantum proprium; *tertium* voluptatum, quod etiam brutis convenit: *postremum* immortalitatis, quod vel ipsæ res inanimatæ quodammodo ostendere videntur, dum interitui, & corruptioni pro viribus resistunt. At vero hæc quatuor hominis desideria cumulatissime Deus explebit, quando clare, & intuitive a nobis videbitur; tunc enim nudata facie, & sine ænigmate nobis veritas apparebit; tunc divinæ consortes naturæ, similesque Deo effecti, summum honoris & dignitatis culmen assequemur; tunc intrantes in gaudium Domini torrente voluptatis ipsius potabimur, & inebriabimur; tunc denique erimus de interminabili beatæ vitæ possessione securi. *Illa cognitione*, concludit magnus Augustinus *De Spiritu & litt.* cap. 33. *illa visione, illa contemplatione satiabitur bonis animæ desiderium; hoc enim ei solum sat est; ultra non habet, quod appetat, quo inhiet, quod requirat* (a).

10. Corrolarium. Hæc continuo recogitare debemus, ne a fallacibus bonorum hujus mundi blanditiis deliniti, atque corrupti, veram, æternamque beatitudinem amittamus. Væ impiis, cum nimis sero cognoscentes, frustra se in hoc mundo beatitudinem quæsivisse, exclamare cogentur: „ Ergo erravimus a via veritatis, lassati sumus in „ via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus „ vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus! „ Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum „ jactantia quid contulit nobis "?

CAPUT II.

De Beatitudine formali.

11. Quamquam Deum esse nostram beatitudinem objectivam Christiani omnes consentiunt, non levis tamen inter Theologos est controversia, quidnam proprie sit illud, in quo formalis beatitudo consistit; qua de re variæ sunt sententiæ. Nam Hugo de S. Victore Tom. III. *De sapientia animæ Christi* beatitudinem Sanctorum nihil aliud esse putavit, quam illam ipsam actionem increatam, qua Deus beatus est, intellectui Beatorum communicatam. Ab hac sententia non admodum abludere videtur altera opinio, quæ Henrico Gandavensi tribuitur Quodl. XIII. quæst. 12., nempe beatitudinem Sanctorum esse quemdam illapsum Divinæ essentiæ in eorum animum, eo fere modo, quo ferrum dicitur ignitum, & candens, quando ignis substantia ipsum undequaque penetravit.

12. Sed paucos hæ duæ opiniones nactæ sunt sectatores, fere omnibus enim persuasum est, beatitudinem formalem sitam esse debere in aliqua operatione Beati, quæ proinde creata esse debet, ejusque propria; ut quemadmodum in hac vita homines non sunt justi per justitiam Christi, *qua ipse justus est, sed qua nos justos facit;* quod in Concilio Tridentino est definitum Sess. VI. cap. 7., ita etiam in altera vita *formaliter* Beati esse non possint per actionem Dei increatam, vel per ejus essentiam sibi veluti inhærentem, sed per propriam operationem.

13. Hoc, ut dixi, fere omnibus arridet, sed iterum quæstio oritur in quanam demum animæ operatione formalis beatitudo consistat. Thomistæ duce Angelico Præceptore 1. 2. q. 3. art. 4., eam essentialiter sitam volunt in actu intellectus, scilicet in visione essentiæ Divinæ, quam visionem consequitur amor fruitivus, tamquam ejus proprietas inseparabilis. Scotistæ contra beatitudinem formalem collocant in solo actu amoris, quo diligitur Deus propter se, ita ut visio non se habeat, nisi ut dispositio ad amorem. Demum alii Theologi utramque sententiam componunt, & beatitudinem formalem dicunt esse simul actum intellectus, & voluntatis, nempe visionem, & amorem. Nos a S. Thomæ tutissima via non recedemus.

PROPOSITIO.

Beatitudo formalis essentialiter consistit in visione, seu contemplatione Dei, adeoque ad intellectum pertinet.

14. Prob. *primo* ex Scriptura, quæ passim visionem Dei ut summum ac perfectum præmium, totamque mercedem nobis proponit. Ps. XV. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Ps. XXXV. *In lumine tuo videbimus lumen.* 1. Joann. III. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est,* I. ad Corinth. XIII. *Videmus nunc per speculum in* æ-

(a) *Da Pater augustam menti conscendere sedem:*
Da fontem lustrare boni, da, luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas, & pondera molis,
Atque tuo splendore mica; tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis; te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.
Boetius Lib. III. *De consolatione Philosophiæ*. Objectiones contra hanc summam veritatem inveniri possunt apud S. Thomam laud. q. 2., & passim apud Scholasticos.

ænigmate, *tunc autem facie ad faciem*. Matth. XVIII. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei*; & alia hujus generis prope infinita; unde recte S. Ambrosius, *Scriptura Divina*, inquit Lib. II. *De Officiis* cap. 2., *vitam beatam in cognitione posuit Divinitatis*.

15. Etiam alii Sancti Patres veluti uno ore id ipsum affirmant. S. Cyrillus Alex. *Hominum felicitas*, inquit Lib. III. *Cont. Julianum*, *est habere summam contemplationem*. S. Basilius in *Institution. Monach.* cap. 19. *Contemplatio summi boni est thesaurus Angelorum*. S. Hieronymus explicans ea verba Isaiæ LXIV. 14.: *Videbitis*, *& gaudebit cor vestrum*; *Deum videre*, inquit, *vera lætitia est*, *Dei visio perfectum est gaudium*. Apud S. Augustinum aut nihil est frequentius, quam visionem Dei esse totam laborum nostrorum mercedem. *Ipsa est*, inquit Lib. I. *de Trin.* cap. 13., *visio facie ad faciem*, *qua summum præmium promittitur justis*. Demum, multis aliis prætermissis, ne longum faciam, S. Bernardus *Justus*, inquit Epist. XXVIII., *ex fide vivit*, *beatus ex intellectu*. Cum ergo tam Scriptura, quam sancti Patres, quando de æterna Sanctorum felicitate loquuntur; in eo conspirent, ut eam in Dei visione reponant, manifesto sequitur &c.

16. Nec desunt etiam ad id comprobandum rationes magni momenti. Nam beatitudo in ea operatione animæ collocanda videtur, quæ ceteris omnibus præstat; at vero intellectum voluntati, aliisque animæ potentiis longe præcellere, nemo dubitat; quapropter communiter etiam theoria praxi anteponitur. Audiatur S. Augustinus; *Omnium rerum*, inquit in Libro 83. *Quæstionum* Quæst. XXXV., *præstantissimum est*, *quod æternum est*, *& propterea id habere non possumus*, *nisi ea re*, *qua præstantiores sumus*, *idest mente*.

17. Præterea in eo videtur constituenda formalis beatitudinis essentia, quod nos participes efficit Divinæ naturæ, ac veluti *Deiformes*; id autem est visio per intellectum; unde S. Joannes ait in prima Epist. cap. III. *Similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum*, *sicuti est*.

18. Alia etiam ratione id comprobatur; nam hæc est intellectus vis atque natura, ut intelligendo fiat similis rebus, quas intelligit, & notum est illud Philosophi effatum: *Intellectus intelligendo fit omnia*. Hinc etiam communiter pene Theologi docent, Verbi processionem vocari generationem, quia fit per intellectum; non autem posse hoc nomine appellari processionem Spiritus Sancti, quia fit per voluntatem. Vid. Tom. III. num. 56. & seq.

CAPUT III.

De Corporum resurrectione.

19. Postquam de formali animæ nostræ in altera vita beatitudine disseruimus, *transeamus ad famosissimam de resurrectione carnis*, *& corporis quæstionem*, ut loquitur Sanct. Hieronymus in Lib. contra Jo. Jerosolymit. n. 23.; ut scilicet illud haud exiguum gaudium consideremus, quo anima in proprio corpore resumendo perfundetur. *Fiducia Christianorum*, inquiebat Tertullianus in Lib. *De resurrectione Carnis* cap. 1., *resurrectio mortuorum*; qui etiam *De Præscript. Hæreticorum* cap. 7. observat, hoc dogma fuisse ab omnibus Gentilibus Philosophis aut ignoratum, aut impie negatum: *Ut Carnis*, inquit, *resurrectio negetur*, *de una omnium Philosophorum Schola sumitur*. Hinc Paulum in Areopago hoc resurrectionis mysterium annunciantem *quidam irridebant*, quibus nempe hoc non solum novum, sed plane impossibile videbatur, Actor. XVII. 32.

20. Quod quidem in iis mirandum non est, qui solas naturæ vires rationis lumine metiebantur. Mirandum potius, fuisse etiam inter Judæos, qui hoc dogma aut ignorarent, aut negarent. Tales fuisse Sadducæos, colligitur ex Matth. XXII. 23., quibus S. Epiphanius Hær. IX., & Origenes in c. XXII. Matth. adjungunt etiam Samaritanos.

21. Multo autem magis mirandum, & vehementer dolendum, inter ipsos Christianos, quibus clarissima Evangelii lux affulget, non paucos inventos esse, qui hanc certissimam veritatem præfracte negarent. S. Paulus Apostolus in secunda epist. ad Timoth. II. 17. seq. Hymenæum, & Philetum memorat, *qui a veritate exciderunt*, *dicentes resurrectionem esse jam factam*, *& subverterunt quorumdam fidem*; videlicet, ut S. Thomas explicat Lect. III., putantes, omnia, quæ in Scripturis de resurrectione dicuntur, *esse resurrectionem animarum*, *quæ jam facta est*, per Christi resurrectionem, juxta illud Apostoli ad Coloss. III. 1. *Si consurrexistis cum Christo*, *quæ sursum sunt*, *quærite &c.* Vid. idem Angelicus IV. Cont. Gent. cap. 79. Sed post Apostolos hæc hæresis latius dilatata est (*a*).

22.

(*a*) S. Augustinus in Lib. *De Hæresibus*; T. VIII. inter eos hæreticos, *qui non putant*, *resurrectionem esse futuram*, enumerat *Simonianos*, *Valentinianos*, *Cajanos*, *Cerdonianos*, ac *Severianos*. Tertullianus in Lib. *De resurrectione carnis* cap. 2. Marcionem, Apellem, Valentinum, Basilidem, & Saturninum propter negatum resurrectionis dogma appellat *novos Sadducæos*. S. Epiphanius in *Hæresibus* XI., XLII., LVI., & LXVII. Archonticos, Marcionem, Burdensanem, & Hieracem ad Hymenæi, & Phileti nugas accessisse, affirmat. Hujus erroris accusatus fuit etiam Origenes a Methodio in Tract. *De resurrectione mortuorum*, ab Epiphanio Hæresi LXIV. n. 11., tum ab Hieronymo in Lib. cont. Joan. Jerosolymitanum num. 26. Tom. II.; quorum accusationem approbat Photius in ep. I.; fuisse tamen, qui Origenem ab hoc errore purgarent, memorat S. Augustinus in Lib. *De Hæresibus* num. 43. Legi etiam meretur S. Thomas in IV. *Sentent.* Dist. XLIII. q. 1.

22. Resurrectio mortuorum a Patribus Græcis vocatur ἀνάστασις, a verbo ἀνίσταμαι *resurgo*, ut late ostendit Jo. Caspar Svicerus in *Thesauro Ecclesiastico e Patribus græcis*, verbo Ἀνάστασις. Dicta est tamen aliquando etiam παλιγγενεσία *regeneratio;* Matth. XIX. 28. *In regeneratione cum sederit Filius hominis &c.* tum *Adoptio*, & *Redemptio*, Roman. VIII. 23. *Adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.* Quæ loca expendens S. Augustinus Lib. III. *Contra duas epistolas Pelagianorum* cap. 3. „ *Regenerationem* „ quippe, inquit, hoc loco, ambigente nullo, „ novissimam resurrectionem vocat (Dominus); „ quam Paulus quoque Apostolus & *adoptionem*, „ *&* *redemptionem* nuncupat, dicens : ...... *adoptionem expectantes, redemptionem corporis* „ *nostri* ".

23. Definiri autem potest ex S. Thoma IV. *Contra Gentes* c. 79. *animæ cum corpore iterata conjunctio*, facta virtute Omnipotentis Dei; cujus resurrectionis exempla habemus in iis hominibus mortuis, qui a Jesu Christo, ab Apostolis, aliisque Sanctis Thaumaturgis fuerunt ad novam vitam temporalem revocati, ac fuisse magis in ipso Jesu Christo Servatore nostro, qui propria sua virtute tertia die resurrexit a mortuis. In his tamen corpus adhuc integrum, & incorruptum supererat, ut proinde multo mirabilior futura sit generalis illa resurrectio omnium hominum in novissimo die, quorum corpora multo antea corrupta, & resoluta erant, eorumque elementa in varias ac multiplices formas conversa.

24. Duo autem nobis præstanda sunt: *primo* probandum dogma fidei inconcussum de certitudine universalis resurrectionis: *secundo* ostendendum non aliud futurum resurgentium corpus, quam illud ipsum, quod in hac vita habuerunt: fuit enim quorumdam error dicentium, aliud omnino, diversique generis esse animæ copulandum corpus, nobilius quidem, & lucidum Beatis; tetrum autem, & tenebrosum damnatis, quorum mala & tenebrosa fuerunt opera.

PROPOSITIO I.

Futura est aliquando generalis resurrectio humanæ carnis (*a*).

25. Prob. primo ex sacris Litteris. Et quidem in novo Testamento tam sæpe, & tam perspicue id traditur, ut prodigio simile videri debeat, potuisse Christianos inveniri, qui hoc dogma negarent. Christus ipse data opera Sadducæos negantes resurrectionem ita redarguit Matth. XXII. 29.: „ Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem „ Dei .... De resurrectione mortuorum non legistis, „ quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum „ Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? „ Non est Deus mortuorum, sed viventium ".

26. Præterea Apostolus Paulus hoc dogma Atheniensibus in Areopago luculentissime prædicavit Act. XVII. 31. Neque ii audiendi sunt, qui Paulina verba explicant de resurrectione animæ, non corporis. Non inquam sunt audiendi, ut enim scite observat Tertullianus: De resurr. Carnis c. 39. „ Athenienses non aliam, quam corporalem „ resurrectionem intellexerunt a Paulo portendi ... „ non irrisuri omnino, si animæ solius restitutio„ nem ab eo audissent ". Ulterius in Epist. 1. ad Corinth. XV. a versu 12. usque ad finem totus est, ut resurrectionis fidem adstruat, addens hoc dogma esse nostræ Religionis fundamentum: „ Si „ mortuorum, *inquit v.* 14. *&* 15., resurrectio „ non est, neque Christus resurrexit: quod si Chri„ stus non resurrexit, inanis est prædicatio no„ stra, inanis est & fides vestra ". Neque opus est, alia multo plura loca commemorare in re tam manifesta (*b*).

27. Difficultas aliqua esse potest fortasse de veteri Testamento, in quo resurrectionem carnis alto silentio prætermissam fuisse, nonnulli falso contendunt; falso inquam. Nam Judæis fuisse de hoc dogmate plane persuasum vel ex eo solo apparet quod contrarius error solum Sadducæis tribuitur; nec unquam legitur, Christum Dominum, aut Apostolos ceteris Judæis illum objecisse. Immo cum Christus Jo. XI. 23. & 24. dixisset Marthæ: *Resurget Frater tuus;* illa respondit; *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Præte-

art. 1., ubi varios contra resurrectionem errores recenset. Nihil autem dico de nostrorum temporum pseudophilosophis, quos mirum non est, hoc mysterium negare, cum cetera divinæ revelationis dogmata inficientur. Ben. Spinoza in *Tractat. Theolog. politico* cap. 10. resurrectionem, ut Pharisaicum commentum explodit.

(*a*) Usi sumus hac voce *carnis*, potius quam *corporum*, aut *hominum;* tum quia ita habet antiquissimum Apostolorum Symbolum; immo Symbolum Aquilejense habet *hujus carnis* (apud P. Bern. de Rubeis in *Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis* cap. 7.), tum quia, ut Catechismus Rom. advertit, id sine causa factum non est; ne forte quis audiens resurrectionem hominum putaret, animam simul cum corpore interiisse, & utrumque esse suscitandum; tum demum ad evitandum illorum errorem, qui referente Sancto Hieronymo in epist. LXXXIV. n. 5., credere se dicebant futuram resurrectionem *corporum*. „ Sed quia corpora sunt cœ„ lestia, & terrestria, & aer iste, & aura tenuis ju„ xta naturam suam *corpora* nominantur, *corpus* po„ nunt, non *carnem*, ut orthodoxus *corpus* audiens, „ *carnem* putet, hæreticus *spiritum* recognoscat ". Et in Libro contra Jo. Jerosolym. n. 27. Origenistas urgebat, ut resurrectionem faterentur *carnis*, *quæ sanguine, venis, ossibus, nervisque constringitur.*

(*b*) Theophylactus expendens hæc Apostoli verba,

terea Christus ipse in relato mox testimonio Matth. XXII. nos aperte docet, fuisse resurrectionem Sanctorum in Exodo designatam iis verbis cap. III. 15. 16.: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*.

28. Sed ut aliquot saltem loca V. T. indigitemus, insignis est ille textus Danielis cap. XII. 2., ubi dicitur: *Multis de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii ad vitam, alii ad opprobrium*. Ubi per multos manifestum est intelligi omnes, sensu in sacris Litteris non insolito, ut S. Augustinus exponit Lib. XX. *de Civ. Dei* Cap. 23. inquiens: ,, Non autem diversum ,, putetur, quod cum ibi (Joan. V. 28.) positum est, *Omnes, qui sunt in monumentis*, ,, hic non ait Propheta *Omnes*, sed *multi obdormientium* in terræ aggere; ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus *multos*. Propterea, ,, & Abrahæ dictum est, *Patrem multarum gentium posui te*, (Gen. XVII. 5.): cui tamen ,, alio loco (Gen. XXII. 18.) *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes Gentes* " (*b*).

29. Omnium vero luculentissime fidem resurrectionis prædicavit Job c. XIX. 25. inquiens: ,, Scio, ,, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo ,, die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo ,, Deum meum ". Quæ verba adeo clara visa sunt S. Hieronymo ut dicere non dubitaverit Epist. LIII. ad *Paulinum* n. 8.: *Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit*. Vid. etiam S. Augustinus Lib. XXII. *de Civ. Dei* cap. 29., & Cyrillus Jerosol. *Catech.* XVIII.

30. Hinc Karaitæ, qui rejectis Rabbinicis traditionibus solum Scripturæ sensum litteralem retinere se profitentur, resurrectionem mortuorum credunt in art. 8. suæ professionis fidei ap. Jac. Triglandium. Vid. Chrystoph. Wolfius in *Dissert. de Karais* (*c*).

31. Præclara sunt etiam ea testimonia, quæ de futura corporum resurrectione ediderunt invicti illi Fratres Machabæi, quorum secundus (Lib. II. Machab. VII. 9.) impio Regi dicebat: ,, Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis; ,, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus ,, in æterna vitæ resurrectione suscitabit ". Tertius similiter linguam, & manus carnifici porrigens: *E cælo*, inquit, *ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*. Quartus item: *Potius est*, ajebat, *ab omnibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos*. Demum celebre est illud sacrificium, quod Judas *bene, & religiose de resurrectione cogitans* obtulit pro peccatis defunctorum, Libro II. Machab. cap. XII. 43. seq.

32. Neque his obest, quod S. Paulus II. Timoth. I. 10. videatur asserere, resurrectionem mortuorum esse dogma a Christo per Evangelium primo manifestatum. Id enim intelligi debet de manifestatione clariore, & magis aperta, quam in vet. Test. facta fuerit.

33. Objicies. S. Jo. Chrysostomus non uno in loco hoc resurrectionis mysterium fuisse Hebræis ignotum asserit. Hom. XXII. in epist. ad Hebr. Tom. XII. loquens de antiquis Justis, illos *nihil scivisse* dicit *de resurrectione*; & in Epist. I. ad Olympiadem n. 8. Tom. III. de Jobe, quem Moyse antiquiorem esse putavit, hæc habet: *Hic, cum & probus vir esset, & de resurrectione nihil exploratum haberet &c.* quod etiam repetit Hom. XXXIII. in Matth. Tom. VII.

34. Resp. S. Jo. Chrysostomum docuisse solummodo, fidem resurrectionis fuisse in Veteri Testamento *obscure, & in ænigmate* revelatam, in novo autem *clare manifeste, & omnino*. Luculenter se, suamque mentem explicat, S. Pater in Hom. III. inter XI. a P. Monfaucono ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ primum, græce & latine editas, & T. XII. insertas. Ibi enim nonnulla affert argumenta, ut probet, spem resurrectionis antiquis Patriarchis fuisse datam, ut quamdam mortis consolationem; sed *obscuram*, & *in ænigmate; clare autem, manifeste, omnino, & in veritate per Unigenitum Dei Filium*.

35. Præter aperta utriusque fœderis testimonia Sancti Patres nonnullas attulerunt rationes ad Gentiles Philosophos, vel hæreticos convincendos; ut Athenagoras in Lib. *De resurrectione mortuorum*, Irenæus in Lib. V. *adv. hæreses*, Tertullianus *De resurrectione carnis*, Gregorius Nyssenus *De opificio hominis*, Methodius aliique, qui pro hac dogmatica veritate adv. hæreticos confirmanda strenue

Dogma, inquit, *de resurrectione veluti fundamentum est universæ fidei*. Confer Catech. Rom. de hoc art. Symboli. Lectu digna sunt etiam, quæ habet Cyrillus Jerosolym. *Catech. Illum.* XVIII. ubi *Radix*, inquit, *totius bonæ operationis est spes resurrectionis*. Qui plura desiderat in hanc rem, adeat præter Scholasticos Frider. Nauseam Blanciampianum Episc. Viennensem, in Lib. II. & III. *De Domini N. J. C., & novissima omnium mortuorum resurrectione*, Viennæ Austriæ 1551. in quarto.

(*b*) Frustra est Grotius, contendens, id intelligendum esse de Judæis ad patrias sedes reversuris; totus enim contextus ostendit ibi de generali resurrectione carnis sermonem esse. Confer præter Augustinum laud., Hieronymum, & Theodoretum in Comment., etiam P. Nicol. August. Chignoli Ord. Præd. Exerc. XXXIX. in Danielem.

(*c*) Nunc communis ferme est apud Hebræos resurrectionis fides, ut pro hæreticis illos habeant, qui eamdem inficiantur; qua de re legi potest Manasse Ben Israel initio Libri primi *De resurrectione*; apud quem nomina eorum Rabbinorum recensentur, qui in hoc dogmate errarunt.

nue decertarunt (a); ex quibus nos brevitatis gratia paucas seligemus, quas etiam Romanus Catechismus ceteris aptiores judicavit.

36. Ac primum quidem cum anima sit essentialis, ac substantialis forma corporis, naturalem ad illud propensionem habet; unde status separationis est præter ejusdem naturam. Quod autem præter naturam est, non potest esse sempiternum: consentaneum est ergo, ut anima iterum suo corpori jungatur, quod in carnis resurrectione fiet. Vide quæ dicta sunt T. II. num. 198.

37. Deinde cum malis supplicia, præmia bonis a justissimo Deo sint præparata; ex illis vero quamplurimi, antequam debitas pœnas persolvant, & justi pene omnes nullis affecti virtutis præmiis ex hac vita decedant, credendum est, iterum animas suis corporibus esse aliquando conjungendas, ut pro male, aut recte factis totus homo ex anima & corpore compositus pœna, vel præmio afficiatur. *Caro*, inquit Tertullianus *De Resurrect. Carnis* c. 8., *dum ministra, & famula animæ deputatur, consors, & cohæres invenitur, si temporalium, cur non & æternorum?*

38. Dices. Homo pro suis bonis, vel malis meritis sufficienti præmio vel pœna afficitur in anima; etenim certum est in purgatorio pro peccatis venialibus animam puniri sine corpore: ergo idem esse posset in inferno: & ab opposito idem contingere posset Beatis in cælo.

39. Respondet S. Thomas in Supplem. quæst. 75. art. 1. ad 4., quod sicut: „ peccata venialia „ non habent simpliciter, & perfecte rationem pec„ cati; ita pœna, quæ eis redditur in purgatorio, „ non est simpliciter retributio, sed magis pur„ gatio quædam, quæ seorsim fit in corpore per „ mortem, & incinerationem, & in anima per „ purgatorii ignem ".

40. Accedit & alia ratio, quam S. Irenæus Lib. V. *Adv. Hæreses* cap. 6. ita proponit. Corpus nostrum in sacris litteris appellatur, & reipsa est: „ Templum Dei, & *membra nostra* membra „ Christi. Templum igitur, *inquit*, in quo Spi„ ritus inhabitat Patris, & membra Christi non „ participare salutem, sed in perditionem redigi, „ dicere, quomodo non magna est blasphemia „ (b) "?

41. Dices contra hanc postremam rationem. Corpus nostrum perpetuo mutatur continua partium deperditione, novarumque acquisitione instar navis *Argus*, quæ idem semper nomen retinuit, quamvis centies reparata nihil amplius primæ illius navis retineret: quomodo igitur poterit hoc corpus particeps fieri præmii, vel pœnæ, cum toties mutatum fuerit, ut nihil amplius veteris corporis, quando homo moritur, supersit?

42. Respondet S. Thomas IV. *Cont. Gent.* cap. 81., in corpore hominis, quamdiu vivit, non semper esse easdem partes *secundum materiam*, secundum quam partes fluunt, & refluunt; esse tamen easdem *secundum speciem*, nam forma, & species singularum ejus continue manet per totam vitam. Unde ita concludit: „ Non requiritur ad „ hoc, quod resurgat homo idem numero, quod „ quidquid fuit materialiter in eo secundum to„ tum tempus vitæ suæ, resumatur, sed tantum „ ex eo, quantum sufficit ad complementum de„ bitæ quantitatis, & præcipue illud resumendum „ videtur, quod perfectius fuit sub forma, & spe„ cie humanitatis consistens ".

43. Ob. *primo*. Locus allatus ex Job c. XIX. non est intelligendus de generali carnis nostræ resurrectione, sed solum de corporis sui sanitate, quam Job ope divina restituendam sperabat. Nam *primo* id congruit sequenti hujus Patriarchæ historiæ, ubi cap. ult. integra Jobi restitutio describitur. *Secundo*, quia in aliis Scripturæ sacræ locis liberatio ab hujus vitæ ærumnis *resurrectio* appellatur, ut patet Ezech. XXXVII. 12., ubi ad prænunciandam futuram Judæorum liberationem dicit Dominus: *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*. *Tertio* Hebræi, quamvis ad confirmandam corporum nostrorum resurrectionem omnia collegerint veteris Testamenti loca, hunc tamen, quem nos maxime notandum credimus, nunquam allegarunt, certe non alia de causa nisi quia eum ad resurrectionem carnis minime pertinere animadverterunt. *Quarto* quia hebraicus textus non exhibet de ea verba nostri Vulgati interpretis: *In novissimo die de terra surrecturus sum*, quæ ad Jobum referuntur; sed alia, quæ referuntur ad Deum, quasi Job diceret: *Novi ego liberatorem meum vivere, & posthac fore, ut in pulvere stet*, scilicet ad liberandum me similitudine sumpta ex hominibus, qui dum vivunt,

(a) Eminent inter eos Athenagoras in Lib. *De resurrectione mortuorum*, ubi probat, Deo nec potentiam defuisse, nec voluntatem mortuos suscitandi; Tertullianus in Lib. V. *De resurrectione carnis*, & S. Irenæus Lib. V. *Adversus hæreses*.

(b) Aliæ rationes, sin minus demonstrativæ, saltem admodum probabiles, & graves ex veteribus Ecclesiæ Patribus afferuntur a S. Th. Lib. IV. *contra Gentes* c. 79., a Natali Alexandro Dissert. XXVI. in Sæc. I. *Hist. Eccl.* art. 2. Sed fatendum est, has rationes secluso revelationis lumine non esse cogentes. Quamobrem S. Athanasius in Orat. *De Verbi Dei Incarnat.* n. 50. testatur, Gentiles *ne cogitasse quidem, utrum corpus post mortem denuo existere possit*. Quod si aliqua de hoc dogmate scripserunt, ea incerta erant, & vel ex antiqua traditione, vel ex conversatione cum Hebræis, aut Christianis, eruta. Facile autem postea fuit Christianis post divinæ revelationis lumen rationes admodum probabiles ad hoc dogma confirmandum invenire. Unde S. Thomas in Supplem. qu. 75. art. 2. cum probasset, resurrectionem *simpliciter loquendo* esse miraculosam, objicit sibi exempla resurrectionis ex naturalibus operibus allata a S. Gregorio Lib. XIV. *Moralium* cap. 28. & a S. Paulo 1. Corinth. XV., respondet autem, exempla ista *fidei resurrectionis persuasive adminiculari*.

vunt, stant in pulvere, vel supra pulverem; qui vero mortui sunt, jacent sub pulvere (*a*).

44. Resp., manifestum esse non solum ex nostris Bibliis Vulgatis, & ex communi Sanctorum Patrum interpretatione, sed etiam ex ipso contextu, loqui Jobum, non de temporaria sui corporis restitutione, sed de suæ carnis suscitatione in novissimo die. *Primo* enim id aperte significant ea omnia, quæ præmiserat: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Hæc inquam omnia significant, loqui Job de re non vulgari cujusmodi est sanitatis restitutio; sed de re maximi momenti, ut reipsa est universæ carnis resurrectio, quam propterea jure merito ad perpetuam stylo ferreo in libro, & plumbi lamina, vel celte sculpendam esse volebat. Præterea, quid sibi vult emphatica illa locutio: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius?* Si de corporis sanitate loqueretur, dubitare ne poterat, se eam visurum, & quidem suis oculis, & non alienis. Est vero illa repetitio omnino accommoda, si totus locus intelligatur de resurrectione in novissimo die, ut scilicet significetur, hanc ipsam carnem, quæ modo corrumpitur, & non aliam esse ab omnipotenti Deo resuscitandam, ut in ea videamus Deum, immo oculis corporeis intueamur Redemptorem nostrum Jesum Christum in carne assumpta.

45. Neque nos movere debent difficultates objectæ. Prima enim omnino levis est. Obtinuit quidem Job sanitatem corporis, sed insperato; & si etiam eam sperasset, tam certo affirmare non potuisset: *Scio, quia Redemptor meus vivit &c.*, per quæ verba indubiam nonnisi de universæ carnis resurrectione spem habere poterat.

46. Nec gravior est difficultas secunda. Quid enim prohibet, resurrectionis nomine aliquando significari liberationem a præsentibus malis, aliquando autem vere & proprie nostri corporis renovationem? Ex adjunctis autem clarum est, a Jobo fuisse hanc vocem in sensu proprio usurpatam pro vera carnis nostræ renovatione.

47. Tertiæ difficultati, quæ majoris ponderis esse videtur, respondeo, mirum non esse, carnales Judæos, in qua modo degunt cæcitate, ad verum S. Scripturæ sensum non penetrare, ut proinde non ab ipsis, sed potius a contextu, & a Sanctis Patribus illum mutuare debeamus. Sane magnus Augustinus Lib. XXII. *De civ. Dei* c. 29. ex hebraicis exemplaribus libri Job carnis resurrectionem *sine dubio* prophetatam fuisse certissime asserit. Eademque est explicatio S. Hieronymi hebraicæ linguæ peritissimi, aliorumque Patrum. Addo, Sadducæos non alios admisisse Sacræ Scripturæ libros, quam Mosaicos, aliis Prophetarum voluminibus rejectis, ut testantur Tertullianus *De Præscript. Hæreticorum* cap. 45. & S. Hieronymus in cap. XXII. Matthæi. Quod si verum est, mirabile videri non debet, ad resurrectionem carnis contra eos evincendam memorabilem illum Jobi locum allatum non fuisse (*b*). Accedit demum, quod, cum Jobus non solum suam sed etiam sui Redemptoris resurrectionem ibi commemoret, facile intelligitur, cur Judæi totum illum textum de resurrectione carnis intelligere nolint.

48. Quantum attinet ad textum hebraicum; etiamsi concedatur, esse ita legendum: *Et post hæc fore, ut supra pulverem stet Redemptor meus;* ac proinde hæc verba non ad Jobum referri, sed ad Deum liberatorem, nihil deperit nostræ sententiæ (*c*). Voluit enim Job his verbis innuere, spem suam totam esse repositam in futuro Messia, qui prior

(*a*) Verba textus hebraici hæc sun על עמך ומימ ואתדהך eaque de temporali Jobi sanitate explicantur a Jo. Clerico, & Hug. Grotio in Comment. ad hunc locum, post Eugubinum, Ochinum, Enjedinum, Mercerum, Drusium, & alios. Immo Paulus Colomesius ex pseudo-reformatorum secta in notis ad epistol. S. Clementis Rom. ad Corinthios n. 26. scribit, S. Clementem Romanum fuisse primum, qui hunc Jobi locum ad generalem carnis resurrectionem pertraxerit, quem postea alii secuti sunt. *Sed quis*, impudenter addit Colomesius, *ex primis illis Christianis, sæculo majoribus, omnium Scripturæ locorum germanam explanationem expostulet?* Scilicet nos oculatiores erimus, quam illi fuerint, qui in Scripturis intelligendis magistros habuerunt ipsos Apostolos?

Sed veram, & genuinam divi Jobi interpretationem vindicarunt inter alios Jac. Jos. Duguet T. II. *De l' explication du libre de Job;* & Joan. Franc. Pinetti in erudito opere *De principiis juris naturæ, & gentium* L. IV. c. 2. Hyac. etiam Ceruti in eleganti sua Versione libri Job ex hebræo fonte in carmina italica, in not. adjecta ad hunc locum quemdam Scriptorem memorat, nec tamen nominat, a quo dicit, fuisse Jo. Clerici, aliorumque Anglorum errorem explosum, putantium, ante captivitatem Babylonicam, nullam fuisse apud Hebræos, nedum resurrectionis corporum, sed nec alterius vitæ suspicionem.

Ex Heterodoxis nostram, & S. Patrum interpretationem tuentur Frid. Spanhemius in Hist. Jobi cap. 13., Matth. Poli in *Synopsi Criticorum Sacrorum* ad hunc locum, Ant. Calovius in *Socinianismo profligato*, Sebast. Munsterus, Sebast. Castalio, Balthassar Meisnerus, qui in Disput. Vittebergensi an. 1616. acriter, & feliciter pro resurrectione carnis ex hoc loco adstruenda pugnavit, & non pauci alii.

(*b*) Id negat Joan. Clericus in *Prolegom. ad Hist. Ecclesiast.* Sect. I. cap. 3. n. 9. quia nec a Christo, nec ab Apostolis hac de re accusati fuerunt. Sed argumentum hoc est inficiale, & nullius ponderis, contra testimonia omnino clara Tertulliani, atque Hieronymi, immo & Flavii Josephi Lib. XIII. *Antiq. Judaic.* cap. 18.

(*c*) P. Car. Houbigant ita hunc locum vertit: *Nam ego scio Redemptorem meum vivere, & super pulverem esse quondam resurrecturum, atque etiam me, postquam hæc tabefecerint pellem meam; Deum meum in carne esse concepturum. Etenim ego eum contemplabor; oculi mei, non alieni, videbunt eum.*

prior a mortuis surrecturus erat, ut esset exemplum, & causa resurrectionis nostræ; & qui proinde effecturus erat, ut Job in carne sua, & oculis suis videret Deum Redemptorem suum. Quod clarius expressit Apostolus Paulus I. ad Corinth. XV. 13., inquiens: *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*, quia scilicet resurrectio Christi non solum pignus, & arrha, sed etiam causa est resurrectionis nostræ. Et nostri argumenti vis maxima in iis verbis est: *Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.*

49. Quod vero Jo. Clericus, Hugo Grotius, & alii ejusdem furfuris ad hujus divini testimonii vim eludendam excogitarunt, nempe ea verba: *Videbo Deum meum &c.* idem esse, ac *Experiar Deum mihi propitium;* id inquam & omni fundamento caret, & contextui minime congruit; ex antecedentibus enim, & consequentibus apparet, loqui Job de novissimo die quando resumpta carne visurus erat, oculis quidem corporeis, humanitatem Redemptoris sui, oculis autem mentis divinitatem, unde subdit: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius:* quæ verba, ut supra notavimus, nihil significarent, si de restitutione sanitatis corporis Job locutus esset, scilicet se *& non alium* esse pristinæ valetudini restituendum.

50. Instat Clericus. Si res ita se haberet, cur amici Job ipsum in hac futuræ resurrectionis spe non confirmabant, ut eum consolarentur?

51. Resp., eos potius fuisse *Consolatores onerosos*, ut Job ipse de eis conqueritur c. XVI. 2., unde mirum non est, quod hanc resurrectionis spem non confirmarent. Fortasse etiam in eo nonnullorum errore versabantur, qui falso putabant, justos duntaxat esse resurrecturos, non autem impios, inter quos Jobum stulte numerabant.

52. Inst. *secundo*. Ipse Job c. XIV. 12. *Homo*, inquit, *cum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Quibus verbis similia habentur Ps. LXXVII. 39. ubi anima hominis dicitur *Spiritus vadens, & non rediens;* & Sap. XVI. 14. *Cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est.*

53. Resp., hæc, & quæ hujus generis inveniuntur, intelligenda esse de hoc tempore, quod usque ad finem mundi fluit, quo certe tempore non amplius anima corpori copulabitur. Quocirca recte dixit Job: *Donec atteratur cælum*, scilicet, ut explicat S. Thomas in Comment. ad hunc loc., & in IV. *Sent.* Distinct. 43. qu. 1. art. 1. ad 1. donec immutetur cœlum, quod erit in fine mundi.

54. Inst. *tertio*. Didymus apud Nicætam in *Catena* aperte dicit, Jobum *ignorasse, quæ pertinent ad resurrectionem*. Quod etiam asserit Chrysostomus supra num. 33. laudatus.

55. Resp., Didymum id dixisse, non tanquam communis hæc esset sententia, sed quod id sibi hæc verior appareret. Ibi enim explicabat ea verba Job cap. VII. 9. & seq. *Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam;* quæ ita exponit ex aliorum sententia: „ Non ut neget resurrectionem hæc dicit; „ sed ita loquitur, primum quidem ut homines „ caducos esse, ac debiles ostendat, deinde quia „ qui semel mortuus est, in hanc corruptibilem „ vitam non revertetur &c. *Post autem subdit:* „ Sed probabilis quidem est hæc interpretatio; „ verior tamen est prior illa, quod nempe ignorabat Justus (*Jobus*), quæ pertinent ad resurrectionem ". Suam itaque peculiarem opinionem proponit Didymus, quam communi aliorum sententiæ præponere, æquitas non sinit. De S. Jo. Chrysostomo dictum est supra num. 34.

56. Obj. *secundo* ea verba Psalmi I. 6. *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.* Item Is. XLIII. 17. de impiis dicitur: *Simul obdormierunt, nec resurgent.* Et Lib. II. Machab. VIII. 14. ita quartus septem Fratrum est Tyrannum allocutus: *Tibi resurrectio ad vitam non erit:* ergo saltem universalis non erit resurrectio (*a*).

57. Respondet S. Thomas in IV. *Sentent.* Distinct. 43. qu. 1. solut. 2. ad 2., & in Comment. ad hunc Psal. Psalmistam loqui *de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in judicio discussionis conscientiæ* (in quo condemnabuntur): *vel de impiis, qui sunt omnino infideles, qui non resurgent, ut judicentur; jam enim judicati sunt.* Impios tamen esse resurrecturos, dubitare nos non sinunt, ea Christi verba Jo. V. 29.: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurre-*

ctio-

(*a*) Teste Buxtorfio in *Synagoga Jud.* cap. 1., antiqua erat Judæorum opinio, pios tantum esse resurrecturos, impios autem in nihilum redigendos; unde illud in Berescith Rabba: *Missio pluviæ super justos, atque injustos est, sed resurrectio mortuorum solum justorum.* Hæc falsa Judæorum opinio invenitur etiam apud Maimonidem explic. 10. cap. Tract. *Sanhedrin;* tum apud R. Aben-Ezra, & R. David, qui in Ps. I. aperte docent, *animas impiorum una cum corporibus interire in die mortis.* Hunc tamen errorem non fuisse inter Judæos communem, colligitur ex R. Bechai in Lib. *Kaldakemach*, ubi asserit, *absque discrimine omnes Israelitas impios resurrecturos, sed in sui ignominiam sempiternam.* Unde S. Paulus Act. XXIV. 15. fidenter dicebat: *spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, & iniquorum.*

Sociniani, qui æternitatem pœnarum credere, nolunt, facile in memoratum quorumdam Judæorum errorem inclinant, impiorum animas esse in nihilum redigendas, quo posito sequitur, nec ipsorum corpora esse resuscitanda. Id patet ex iis, quæ Smalcius Socinianus contra Frantzium Lutheranum disputavit. Adi-sis Historiam Socinianismi Lib. I. c. 18.

ctionem judicii: Quibus adde descriptionem judicii finalis Matth. XXVI., in quo terribilis illa Judicis divini sententia contra impios, qui a sinistris erunt, proferetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Unde etiam Paulus Act. XXIV. 15. suam fidem Felici Præsidi exponens, *Spem*, inquit, *habens in Deum ... resurrectionem futurum justorum, & iniquorum*.

58. Dices. Resurrectio nostra ex singulari Christi beneficio oritur, unde Apostolus 1. Corinth. XV. 21. *Per hominem* (Adamum) *mors, & per hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum*.

59. Resp., resurrectionem justorum esse maximum beneficium, nobis ex Christi meritis a Deo concessum; resurrectionem autem impiorum esse opus Christi judicis, ut impios puniat juxta eorum mala opera. Apostolus autem loco citato loquitur de resurrectione justorum; unde Corinth. 22. inquit: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Quæ verba expendens S. Augustinus epist. CLVII. n. 14. *Utique*, ait, *resurrectionem dicit justorum, ubi est vita æterna; non resurrectionem iniquorum, ubi mors est æterna*.

60. Obj. *tertio*. S. Paulus in Ep. prima ad Cor. XV. 50. *Caro*, inquit, *& sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit:* non ergo est futura resurrectio carnis.

61. Resp. cum S. Thoma Lect. VII. in hunc loc., tripliciter posse verba Apostoli intelligi: *primo:* ut per *carnem, & sanguinem* significentur ii, qui dant operam carni, & sanguini, de quibus idem Paulus loquitur ad Gal. V. 19. & seq. *secundo* per exclusionem erroris Milleinariorum, qui stolide sibi blandiebantur, post resurrectionem se habituros uxores, fluvios mellis, & lactis, aliasque carnis, & sanguinis voluptates: *tertio* per exclusionem carnis corruptibilis, & mortalis: quem postremum sensum indicat ipse Apostolus, subdens: *neque corruptio incorruptelam possidebit*, & vers. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Vid. idem S. Doctor Lib. IV. *Cont. Gent.* c. 85. & S. Augustinus Lib. II. *Contra Adversarium Legis, & Prophetarum* c. 6. T. VIII. (*a*).

62. Obj. *ultimo*. Animæ status perfectissimus est, quando corpore est sejuncta, quia in hoc statu conformior est Angelis, & ipsi Deo, atque etiam magis pura, utpote ab omni materia libera: unde illud Porphyrii apud S. August. Lib. XXII. *De civ. Dei* c. 27. *Ut beata sit anima, omne corpus fugiendum est*.

63. Resp. cum Sanct. Thoma in IV. *Sentent.* Distinct. 43. qu. 1. art. 1. ad 4., ceteris paribus perfectiorem esse statum animæ in corpore, quam extra corpus, quia est pars compositi, quamvis sine corpore sit aliquo modo Angelis, ac Deo ipsi conformior, unde etiam anima Christi, utut perfectissima, suo tamen corpori iterum uniri voluit. S. autem Augustinus loco mox laud. observat, perfectiores futuras animas in resurrectione, quia talia recipient corpora, *in quibus beate, atque immortaliter vivent*.

PROPOSITIO II.

Homines in resurrectione propria corpora resument, non nova, vel aliena (*b*).

64. Id apertissime indicavit divinus Job in testimonio supra num. 29. allato, ubi dicit: *Et rursum*

(*a*) Eumdem S. Hypponensem Episcopum pœnituit eorum, quæ scripserat in Libro *De fide & Symbolo*, *quod tempore immutationis Angelicæ non jam caro erit, & sanguis, sed tantum corpus*, quamobrem in Lib. I. *Retract:* cap. 17. ita suam mentem exposuit: „ Quisquis ea sic accipit, ut existimet, ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cæleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, proculdubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris, non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit &c. ".

(*b*) Inter multos Origenis errores hic etiam numerari solet, quod docuerit, animas non amplius propriis copulandas esse corporibus, sed aliis a Deo creatis diversæ rationis, diversitate meritorum. Certe S. Hieronymus in Lib. contra Jo. Jerosolymit. n. 25. Origeni objicit, quod in pluribus locis, & maxime in Libro *De resurrectione* quarto, & in Exposit. primi Psalmi, & in Stromatibus eos *Simplices*, & *philosarcas* appellaverit, qui dicerent, *quod eadem ossa, & sanguis, & caro, idest vultus & membra, totiusque compago corporis resurgat in novissimo die*. Veruntamen Petrum Dan. Huetius in *Origenianis* Lib. II. qu. 9. contendit, cum ea non supersint, quæ se de resurrectione scripsisse Origenes ipse memorat Lib. II. *De principiis* c. 10. nec ea, quibus Hammonius Hadrianopolita Origenem confutavit, non satis tutum de vera Origenis mente judicium ferri posse.

Celebrior facta est hæc controversia Sæc. VI. labente, quando nempe Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus edito libro probare conatus est, corpora in resurrectione futura alterius generis, ac nunc sunt, nempe *subtiliora vento, & aere puriora*. Huic errori se opposuit S. Gregorius Magnus, qui tunc in Urbe regia Apostolicæ Sedis Apocrisiarius erat, & ita coram Imperat. Tiberio Eutychium refutavit, ut Imperator ejusdem Eutychii librum in flammis conjecerit. Eutychius autem, qua decebat, humilitate, docilitate veritati sibi manifestatæ victas dedit manus. Rem narrat ipse S. Gregorius Lib. XIV. *Moralium* cap. 56. & post ipsum Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Lib. I. cap. 29. Ad hæc si advertisset Th. Burnetus non ita inconsiderate in suo pravo libro *De statu mortuorum & resurgentium* pronunciasset, hanc quæstionem *curiosam magis esse, quam necessariam. Quid enim*, inquit ille, *tua aut mea interest, sive easdem habeamus particulas, sive alias non minoris dignitatis, & virtutis &c.?* Burnetum non condemnat Phil. Limborchius in Lib. VI. *Theol. Christ.* cap. 12. quamvis nostram sententiam *probabiliorem* reputet.

Et quidem hæc controversia etiam sequentibus tem-

sum circumdabor pelle mea, *& in carne mea videbo Deum meum*. Quæ verba ita pulchre exponit S. Hieronymus contra Joann. Jerosolymitanum: „ Certe ubi pellis, & caro, ubi ossa, & „ nervi, & sanguis, & venæ; ibi carnis structu- „ ra, ibi sexus proprietas. *Et in carne*, inquit, „ *mea videbo Deum*. Quando *omnis caro videbit salutare Dei*, & Jesum Deum, tum & ego „ videbo Redemptorem, & Salvatorem, & Deum „ meum ".

65. Sed hanc veritatem discere oportet præcipue ex S. Paulo, qui in prima epist. ad Corinth. XV. non solum dogma futuræ resurrectionis nobis tradidit, sed etiam ejusdem modum, & circumstantias accurate descripsit vers. 35. & seq. inquiens: *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? qualive corpore venient?* Respondet autem allata similitudine grani, quod non vivificatur, nisi prius moriatur, & pergit dicens: *Sic & resurrectio mortuorum*. *Seminatur* (corpus) *in corruptione*, *surget* (utique idem corpus), *in incorruptione* &c., quæ omnia vera non essent, si non idem, sed aliud corpus resurgeret.

66. Ulterius in eodem loco vers. 12. & seq. futuram nostræ carnis resurrectionem probat exemplo resurrectionis Christi; & concludit: *Si mortui non resurgunt*, *neque Christus resurrexit*. At vero dubitari non potest, a Jesu Christo Domino nostro fuisse in sua resurrectione proprium corpus resumptum, nempe illud ipsissimum, quod in morte deposuerat: ergo & nos &c. Hinc etiam Roman. VIII. 11. *Qui suscitavit*, inquit, *Jesum Christum a mortuis*, *vivificabit & mortalia corpora vestra*; ut scilicet intelligamus, Christi resurrectionem non solum esse causam meritoriam resurrectionis justorum, sed etiam hanc fieri debere instar ejusdem Christi resurrectionis. Unde ad Philipp. III. 20. ita suam & nostram de resurrectione corporis spem confirmabat: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum*, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, *configuratum corpori claritatis suæ*. Erit igitur idem ipsissimum nostrum corpus, quantum ad materiam, seu substantiam, diversum tamen in dotibus claritatis, aliisque gloriosi corporis propriis (*a*).

67. Respondet quidem Ostorodus Socinianus, hæc, & similia divinarum Scripturarum oracula esse in hoc sensu intelligenda, ut illud, quod fuit caro, sit resurrecturum, non autem ipsam carnem; sicut quando Christus Matth. XXI. 31. dicebat Principibus Sacerdotum: *Publicani*, *& meretrices præcedent vos in regnum Dei*, noluit certe innuere, publicanos, & meretrices futuras in regno Dei, sed eos, qui fuerunt publicani, & meretrices.

68. Sed nimis distorta est, & Scripturis repugnans hæc explicatio, qua non dicunt tantummodo, mortuos resurrecturos, sed etiam resurrectura nostra corpora, & *mortalia nostra corpora* esse a Christo *vivificanda*, & *configuranda corpori Christi glorioso*; unde etiam ipsa Christi resurrectio tamquam exemplar nostræ resurrectionis proponitur. Et quamquam hæc proprie pertineant ad resurrectionem justorum, significant tamen etiam aliorum corpora esse resurrectura, quamvis non cum iis dotibus, quæ justorum corpora exornabunt.

69. Hanc veritatem veteres Ecclesiæ Patres etiam probabant ex ipso resurrectionis nomine: ἀνάστασις enim proprie significat ejusdem rei restitutionem, non alterius creationem, aut substitutionem. Tertullianus Libro V. cont. Marcionem cap. 9. „ Si resurrectio, *inquit*, mortui est „ ejusdem restitutio; mortuum autem non aliud „ est, quam corpus, corporis erit resurrectio. „ Sic & resurrectionis vocabulum non aliam rem „ vindicat, quam quæ cecidit ". Hieronymus pariter in Libro cont. Joan. Jerosolym. num. 33. *Sed & ipsum*, inquit, *resurrectionis vocabulum significat*, *non aliud ruere*, *aliud suscitari*. Ac denique Sanct. Ambrosius in Serm. *De fide resurrectionis* num. 87. *Hæc est*, inquit, *resurrectio*, *sicut ipsius verbi sono exprimitur*, *ut quod cecidit*, *resurgat*: *quod mortuum fuerit*, *reviviscat*. Unde Gennadius in Lib. *de Eccl. dogmatibus* cap. 6. inter Ecclesiæ dogmata hoc etiam numerat, quod *eadem caro corruptibilis*, *quæ cadit*, *tam justorum*, *quam injustorum*, *incorruptibilis resurget*.

70. Hinc Angelicus noster S. Præceptor in IV. *Sentent*. Dist. 44. qu. 1. art. 1. recte observat post S. Gregorium magnum, errorem, quem hactenus confutavimus, veritati resurrectionis opponi. „ Non „ enim, inquit, resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat; quia resurrectio est „ iterata surrectio; ejusdem autem est surgere, & „ cadere; unde resurrectio magis respicit corpus, „ quod post mortem cadit, quam animam, quæ „ post mortem vivit; & ita si non est idem cor- „ pus, quod anima resumit, non dicetur resurre- „ ctio, sed magis novi corporis assumptio ".

71.

poribus agitata fuit, præcipue post Lutheranas turbas, nam Anabaptistæ in Colloquio Franckenthalensi art. 28. professi sunt, se quidem credere futuram resurrectionem ex mortuis, sed non in eadem carne, quam nunc habemus. Magis aperte hunc errorem docuit Socinus, quem postea ejus gregales secuti sunt, Ostorodus in *Institut.* cap. 41., Smalcius in Lib. *De Divinit. Christi* cap. 23., Vorstius in Tract. *De Deo*, & alii passim.

(*a*) Hoc argumento utebatur S. Hieronymus adversus Jo. Jerosolymitanum n. 28. eumque urgebat, ut ita fateretur: „ Quomodo Dominus post resurrectionem fi- „ xuras clavorum ostendit in manibus, vulnus lanceæ „ monstravit in latere .... Sic & nos post resurrectio- „ nem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, „ easdem carnes, & sanguinem, & ossa; quorum in „ Scripturis Sanctis opera, non natura damnantur ".

71. Alia etiam efficax ratio desumitur ex fine resurrectionis, quem S. Paulus in secunda epist. ad Corinth. V. 10. esse dicit, *ut referat unusquisque propria corporis*, *prout gessit*, *sive bonum*, *sive malum*. Quemadmodum enim corpus in hac vita particeps fuit bonorum, vel malorum operum, ita æquum est, ut etiam in alia vita præmium, vel pœnam reportet; quod fieri utique non posset, nisi illud ipsum corpus resurgeret, quod in morte ab anima separatum fuit. Unde idem Apostolus ad Philip. III. 21. expectabat Dominum nostrum Jesum Christum, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, *configuratum corpori claritatis suæ*. Recte igitur Ecclesia in Symbolo: „ Quicumque *profitetur*, *quod* omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri „ sunt de factis propriis rationem: & qui bona „ egerunt, ibunt (*cum corporibus suis*) in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum (*a*)".

72. Obj. *primo* verba Apostoli 1. ad Corinth. XV. 42. seq. dicentis de resurrectione mortuorum: „ Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus „ spirituale". Quæ omnia aperte significant, corpora resurgentium nova futura, atque a nostris toto genere diversa.

73. Respondet S. Thomas Lect. VI. in hunc locum una cum S. Gregorio, quod corpus justorum resurgentium erit *ejusdem naturæ*, *sed alterius gloriæ*. Et ante utrumque S. Augustinus *in Enchiridio* cap. 91. Tom. VI. hunc ipsum Apostoli textum ita explicat: „ Resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: „ in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. „ Propter quod & *spiritualia* dicta sunt, cum procul dubio *corpora* sint futura, non *spiritus*. „ Sed sicut nunc corpus *animale* dicitur, quod „ tamen *corpus*, non *anima* est: ita tunc *spirituale corpus* erit, *corpus* tamen, non spiritus erit". Quæ repetit S. Pater Lib. XXII. *de Civit. Dei* cap. 21. Tom. VII.

74. Inst. *primo*. Ibidem vers. 36. seq. S. Paulus resurrectionem mortuorum explicat similitudine grani, quod seminatum *non vivificatur*, *nisi prius moriatur*. „ Et quod seminas, *subdit*, non „ corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, puta tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult: „ & unicuique seminum proprium corpus... sic „ & resurrectio mortuorum;" non ergo idem corpus resurget, sed aliud a Deo formatum.

75. Resp. similitudinem grani a S. Paulo adhibitam esse admodum aptam, ad explicandum resurrectionem mortuorum; quia sicut granum in terra sepultum, & mortuum iterum reviviscit, ita & nos post mortem iterum ad novam vitam resurrecturi sumus. Et quemadmodum granum, quod nudum seminatur, surgit circumvestitum; ita corpus nostrum resurrecturum esse dicit, non quale sepultum fuit, sed dotibus gloriosis ornatum. In hoc igitur sensu fuit similitudo grani adhibita. Vel etiam, ut explicat S. Thomas Lect. V. in hunc locum, Apostolus intendit manifestare per exempla quædam, non quod „ non sit eadem qualitas seminis, & pullulationis ... & similiter corpus humanum aliam qualitatem habebit in resurrectione, quam nunc habet. Est tamen differentia inter resurrectionem humani corporis, „ & pullulationem seminis; nam surget idem corpus numero, sed habebit aliam qualitatem, sicut infra dicit Apostolus, quod *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* ... Sed in „ pullulatione nec est eadem qualitas, nec idem „ corpus numero, sed solum idem specie. Et ideo signanter Apostolus de pullulatione loquens „ dixit, *non corpus*, *quod futurum est*, *seminas*, „ dans intelligere, quod non sit idem numero. „ Et in hoc opus naturæ deficit ab opere Dei. „ Nam virtus naturæ reparat idem specie, sed „ non idem numero; virtus autem Dei reparare „ potest etiam idem numero".

76. Inst. *secundo*. Christus Dominus Matth. XXII. 30. dicit, in resurrectione homines futuros *sicut Angelos Dei in cœlo*; & Lucæ XX. 36. futuros *æquales Angelis*. Vel igitur omni prorsus corpore carebunt, vel æthereum, & cæleste habebunt, quale fuit ab aliquibus tributum Angelis.

77. Resp. sensum verborum Christi in utroque loco non illum esse, ut omnimodo statuatur inter homines resurgentes, & Angelos similitudo, & æqualitas; sed solum in ea parte, de qua Sadducæi increduli controversiam excitaverant, ad labefa-

(*a*) Hanc rationem inter alias adducit S. Ambrosius *De fide resurrectionis* n 88. T. IV. inquiens: „ Hæc „ est series, & causa justitiæ, ut quoniam corporis, „ animique communis est actus (quia quæ animus cogitavit, corpus effecit) utrumque eat in judicium: „ utrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reservetur. „ Nam propemodum absurdum videtur, ut cum animi legem lex carnis impugnet, & mens plerumque, „ quod odit, hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur, animus subdatur injuriæ, alienæ reus culpæ, caro quiete potiatur, auctor ærumnæ; & solus alteratur, qui non solus erravit; aut solus gratiam referat, qui non solus gratiæ militavit". Sed notatu digna sunt, quæ S. Presul subdit: *Plena ni fallor, & justa ratio; sed ego rationem a Christo non exigo. Si ratione convincor, fidem abnuo &c.* & porro pergit, hoc spei nostræ objectum ex Christi promissionibus ostendens, atque ita in fine concludens: „ Juvat hoc credere, sperare delectat ... Quod si in hoc error, quia Angelis me post „ mortem sociari malo, quam bestiis, libenter in hoc „ erro, neque unquam hac me opinione, dum vivo, „ fraudari patiar".

factandam fidem resurrectionis; scilicet cujusnam futura esset fœmina, quæ septem fratribus successive nupserat; quasi scilicet in resurrectione nuptiæ futuræ sint, & prolium generatio. Illorum propterea insulsæ interrogationi ita Christus respondit: „ Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo "; qua responsione declaravit, illam mulierem nullius uxorem futuram, utpote quia in resurrectione non amplius futura sunt hominum connubia, quæ ad propagandum genus humanum fuerunt instituta.

78. Obj. *secundo* ex Sanct. Patrum auctoritate. *Primo* enim S. Cyrillus Jerosolym. in *Catechesi* XIV. *Justus*, inquit, *accipiet corpus cæleste, ut possit cum Angelis digne conversari*. *Secundo* S. Hieronymus explicans ea verba Ephes. V. 29. *Nemo unquam carnem suam odio habuit*, dicit corpora nostra esse in animas redigenda. *Tertio* S. Augustinus super Ps. LVI. in fine dicit, Deum *præbendo hominibus misericordiam communicatione resurrectionis eos Angelos facere*. Et in Libro *De fide & Symbolo* cap. 10. & seq. corpora nostra terrestria in resurrectione mutanda esse in *cælestia* dicit, ut non jam amplius caro, & sanguis futura sint. Ac demum in epist. CXLVIII. n. 16. saltem dubium se hac de re ostendit, dicens: „ De spirituali autem corpore, quod in resurrectione habebimus, quantam capiat in melius commutationem, utrum in simplicitatem spiritus cedat, ut totus homo jam spiritus sit, an, quod magis puto, sed nondum plena fiducia confirmo, ita futurum in spirituale corpus, ut propter ineffabilem quamdam falicitatem spiritale dicatur, servet tamen substantiam corporalem... Fateor me nondum alicubi legisse, quod mihi sufficere existimarem, sive ad discendum, sive ad docendum ". Dubitante autem magno Augustino, quis audeat aliquid certo affirmare, vel negare?

79. Resp. *ad primum*, corpus Beatorum *cæleste* dici a S. Cyrillo, & ab aliis propter cælestes qualitates, & dotes gloriosas, quas in reurrectione acquiret, retenta tamen natura corporis.

80. *Ad secundum*. Quis credat, Hieronymum ita desipuisse, ut vellet, nostra corpora esse in animas convertenda, quasi tunc nostræ animæ alias animas informarent? Nihil igitur aliud voluit significare, quam nos Angelis futuros esse similes, ut non amplius corporeis organis indigeamus ad vitam conservandam.

81. *Ad tertium*. S. Augustinus omnem dubitationem postea exuit, ut constat ex locis sup. n. 73. allatis. Immo in Lib. I. *Retract.* c. 17. quæ hac de re in loco objecto *De fide, & Symbolo* minus caute docuerat, rectratavit, suosque Lectores remittit ad novissimum suum Librum *De civ. Dei*, ubi dicit, se de hac re *ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter, quantum potuit, disseruisse*. Et c. 26. corrigens ea, quæ dixerat in Quæst. XLVII. nos sperare, habituros *angelica corpora, lucidissima, atque ætherea*, iterum probat ea, quæ in Lib. XXII. *De civ. Dei* accuratius tradiderat. Ac demum L. II. cap. 3. similiter spongiam adhibet in iis, quæ scripserat *De Agone Christiano*, scilicet non futuram post resurrectionem carnem, & sanguinem, *sed cœleste corpus*.

82. Obj. *tertio* ex ratione. Resurrectio corporis ipsissimi, quod in morte fuit ab anima derelictum, est variis de causis omnino impossibilis. *Primo*, quia, ut habet vetus Philosophorum effatum, *a privatione ad habitum rediri non potest*. *Secundo*, cum hominum corpora per corruptionem resoluta sint usque ad prima elementa, & in alias substantias specie diversas sæpius transmutata, impossibile est eadem numero iterum resumi, seu reiterari. „ Cadaverum partes, inquit Burnetus, exhalantur in aerem, reciduntque in rore, & pluvia; imbibuntur a radicibus plantarum, & facessunt in gramina, frumenta, & fructus, unde redeunt in orbem ad corpora humana. Fieri potest per hunc circuitum, eamdem partem materiæ plures subiisse μετεμσωματώσεις, plura habitasse corpora, quam animam Pythagoræ ". *Tertio* aliqua hominis essentialis principia in nihilum prorsus per mortem rediguntur, ut prima corporis forma, seu partium compositio, animæ potentiæ vegetativa, & sensitiva; & ipsa humanitas, quæ per separationem animæ a corpore tollitur: impossibile est ergo, ut idem numero corpus, vel homo iterum reviviscat.

83. Resp. *primo* generaliter cum Lactantio, qui Lib. VII. *Instit. Divin.* c. 23. postquam recte observavit, veteres Poetas, ac Philosophos hominum anastasim sæpius memorasse, quamvis corrupte, ut a viris revelationis lumine destitutis poterat expectari, ita eleganter concludit: „ Quod si non modo Prophetæ, sed etiam Vates, & Poetæ, & Philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quærat a nobis, quemadmodum fieri possit: nec enim divinorum operum reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus, ab eodem veterem restitui posse, qui novum fecit ". Et S. Gregorius Papa Hom. XX. in Ezechiel. „ De potentiæ Creatoris tui, *inquit*, quod comprehendere non vales de te ipso, & ne de carnis tuæ resurrectione desperes: perpende prudenter, quia minus est Deo reparare, quod erat, quam fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende, quam multa sunt, quæ non intelligis, qualiter sunt & tamen esse non dubitas (a) ". Hoc præmisso haud difficulter intelligi poterit omnium objectionum solutio.

84.

(a) Notum est illud Judæorum commentum de osciculo quodam, ab ipsis appellato *Luz*, quod nullo mo-

84. Et ad primum resp. commune illud Philosophorum proloquium de viribus naturæ intelligendum esse, quæ utique non eo se extendunt, ut corpus vita, omnibusque vitæ proprietatibus privatum iterum easdem recuperet; non autem de omnipotenti naturæ actore, qui sicut hominem ex nihilo creavit, & vivificavit, ita potest eumdem ad pristinam vitam revocare; cujus omnipotentis suæ virtutis exempla præbuit in iis mortuis non paucis, qui fuerunt iterum ad mortalem hanc vitam restituti (*a*).

85. Ad secundum respondet S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 88. facile esse divinæ omnipotentiæ omnia prima elementa invenire, quamvis in mille, & amplius diversas species transformata sint, ut iterum conjungantur ad idem ipsissimum corpus componendum (*b*).

86. Tertium solvit Angelicus in L. IV. *Cont. Gent.* c. 81. ostendens, nullum prorsus in corporis dissolutione ex essentialibus ipsius constitutivis redigi in nihilum. Nam forma corporis, quæ est anima rationalis, vivit immortalis, materia autem, quamquam novis formis subjiciatur, eadem tamen semper perseverat. Neque vero in sana Philosophia admittuntur in homine aliæ formæ substantiales præter animam rationalem, quæ corpori præstat etiam vim sentiendi, & vegetandi. Quod si aliqua accidentia pereant, vel partes quædam adventitiæ, hoc non officit, quin idem numero corpus resurgat. Sicut idem numero corpus hominis viventis dicitur, quamvis singulis momentis aliqua ejus accidentia pereant, vel mutentur.

87. De parte autem nutritiva, & sensitiva sic recte philosophatur S. Doctor: ,, Si per has partes intelligantur ipsæ potentiæ, quæ sunt proprietates naturales animæ, vel magis compositi, corrupto corpore, corrumpuntur; nec tamen per hoc impeditur unitas resurgentis. Si vero per partes prædictas intelligatur ipsa substantia animæ sensitivæ, & nutritivæ, utraque earum est eadem cum anima rationali: non enim sunt in homine tres animæ, sed una tantum ".

88. ,, De humanitate vero, *pergit S. Th. laud. in loco*, non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque: quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis ". Id autem Angelicus uberius explicat ex certis Philosophiæ principiis, ac demum concludit: ,, Unde patet, quod & homo redit idem numero in resurrectione, & humanitas eodem numero propter animæ rationalis permanentiam, & materiæ unitatem ".

89. Inst. *primo*. Notum est, & fuisse olim, & adhuc nunc esse homines anthropophagos, qui nempe carnibus vescuntur humanis: cum itaque eadem caro in pluribus hominibus fuerit; fieri non potest, ut singuli cum propria carne resurgant.

90. Respondet S. Thomas Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 91. quod: ,, Caro comesta resurget in eo, in quo primo fuit anima rationali perfecta; in secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus, sed & aliis cibis, resurgere poterit tantum de alio, quod ei materialiter advenit, quod erit necessarium ad debitam quantitatem corporis

do dissolvi possit, sed *in resurrectione rore quodam cælesti molliendum sit, & extendendum ad instar frumenti, quod in totam se massam diffundit, vel quemadmodum granum aliquod tritici in aristam se exporrigit*. Ita refert Hoornbeckius L. IV. *contra Judæos* cap. 5. Manasses autem Ben-Israel Lib. II. *De resurrect.* c. 15. de Hadriano Imper. Rom. narrat, quæsivisse eum ex R. Jeousah filio Hanina, *unde, vel quomodo restituerentur mortui, quorum membra tam longe, lateque dispersa essent, ac dissipata? Respondit illi R. Jeousah, ex ossiculo spinæ dorsi, appellato Luz, quod incorruptibile est*. Cum vero id non crederet Imperator, Rabbinum accepisse illud ossiculum, ac contudisse in mola, conjecisse in ignem &c., quin tamen destrui posset; ac de eo ossiculo intelligenda esse verba Ps. XXXIII. 21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur*. Sed locus ille significat, ita a Deo custodiri omnium Justorum ossa, ut nec unum conteratur; eo sensu quo dictum est a Christo Lucæ XXI. 18. *Capillus de capite vestro non peribit*.

(*a*) Hujus discriminis rationem ex Metaphysicæ principiis reddit profundissimus Philosophus S. Thomas L. IV. *Cont. Gent.* cap. 81. inquiens: ,, Quod natura hoc facere non possit, ideo est, quia natura semper per formam aliquam operatur. Quod autem habet formam, jam est; unde nihil seipsum generare potest sed generat aliquid aliud sibi secundum speciem simile. Cum vero corruptum est, formam amisit, quæ poterat esse actionis principium; unde operatione naturæ, quod corruptum est, idem numero reparari non potest. Sed divina virtus, quæ res produxit in esse, sic per naturam operatur, quod absque ea effectum naturæ producere potest; unde cum virtus divina maneat eadem etiam rebus corruptis, potest corrupta in integrum reparare ".

(*b*) Adeo pulchra sunt S. Doctoris verba, ut ea omittere piaculum foret. *Non perit*, inquit, *Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur, in quoslibet halitus, aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit. Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerum species, formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant, unde delapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire necesse sit: alioquin si capillis redit, quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus, quod toties dempsit exsectis, immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas*. Legatur etiam S. Thomas L. IV. *Cont. Gent.* c. 81. n. 4.

,, ris restaurandam. Si vero solis humani carni-
,, bus sit pastus, resurget in eo, quod a generan-
,, tibus traxit, & quod defuerit, supplebitur o-
,, mnipotentia Creatoris. Quod & si parentes ex
,, solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic &
,, eorum semen, quod est superfluum alimenti,
,, ex carnibus alienis generatum sit, resurget qui-
,, dem semen in eo, qui est natus ex semine, lo-
,, co cujus carnes comestæ sunt, supplebitur a-
,, liunde. Hoc enim in resurrectione servabitur,
,, quod si aliquid materialiter fuit in pluribus ho-
,, minibus, resurget in eo, ad cujus perfectionem
,, magis pertinebat: unde si fuit in uno, ut radi-
,, cale semen, ex quo est generatus, in alio ve-
,, ro, sicut superveniens nutrimentum, resurget
,, in eo, qui est generatus ex hoc, sicut ex se-
,, mine: si vero in uno fuit, ut pertinens ad per-
,, fectionem individui, in alio autem ut deputa-
,, tum ad perfectionem speciei; resurget in eo,
,, ad quem pertinebat, secundum perfectionem in-
,, dividui: unde semen resurget in genito, & non
,, in generante, & costa Adæ resurget in Eva,
,, non in Adam, in quo fuit sicut in naturæ prin-
,, cipio. Si autem secundum eumdem perfectionis
,, modum fuit in utroque, resurget in eo, in quo
,, primitus fuit ".

91. Inst. *secundo*. Si idem numero corpus resurget, illud consequetur absurdum, ut in altera vita futuri sint cæci, claudi, pusilli, infantes, senes, homines obesi, monstruosi, &c., quales nempe obierunt. Rursus multæ sunt in humano corpore partes nutritioni, vegetationi, & generis propagationi, unice destinatæ, quæ proinde in altera vita omnino inutiles, & supervacaneæ essent.

92. Primæ difficultati S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 90. & seq. respondet cum distinctione. Si enim sermo sit de felicibus Beatorum corporibus, hæc *resurgent sine ullo vitio*, *sine ulla deformitate*, *sicut sine ulla corruptione*, *onere*, *difficultate*, *in quibus tanta facilitas*, *quanta felicitas erit*. Si autem loquamur de impiis: utrum isti cum vitiis, & deformitatibus suorum corporum resurrecturi sint: ,, In requirendo laborare,
,, quid opus est? Neque enim fatigare nos debet
,, incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quo-
,, rum erit certa & sempiterna damnatio ".

93. Idem S. Pater Lib. XXII. *De Civ. Dei* cap. 15. & seq. mota quæstione de ætate, in qua homines surrecturi sunt, eam sententiam videtur amplecti: ,, Ut nec ultra, nec infra juvenilem
,, formam resurgant corpora mortuorum: sed in
,, ætate, ac robore, usque ad quam Christum hic
,, pervenisse cognovimus ". Cui tamen opinioni mordicus non adhærens subdit cap. 16.: ,, Si qui
,, in eo corporis modo, in quo defunctus est, re-
,, surrecturum unumquemque contendit, non est
,, cum illo laboriosa contradictione pugnandum ".

94. S. Thomas in Libro IV. *Sentent.* Distinct. 44. quæst. 1. art. 3. ita hanc quæstionem acuto ratiocinio resolvit: ,, Sicut Deus humanam natu-
,, ram absque defectu instituit, ita sine defectu
,, reparabit. Deficit autem humana natura dupli-
,, citer: uno modo, quia nondum perfectionem
,, ultimam est consecuta: alio modo, quia ab ul-
,, tima perfectione jam recessit; & primo modo
,, deficit in pueris; secundo modo in senibus: &
,, ideo in utriusque reducetur humana natura per
,, resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis,
,, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur
,, motus augmenti, & a qua incipit motus decre-
,, menti ".

96. Altera objectionis pars facile solvitur, observando, partes humani corporis organicas in resurrectione minime futuras inutiles. Quamvis enim neque nutritioni, neque vegetationi, neque aliis usibus, quibus erant in hac vita mortali deputatæ, inservire possint, inservient tamen pulchritudini, & integritati corporis humani, quod sine illis non corpus, sed truncus esset; vel sicut loquitur Tertullianus *de Resurrect.* c. 60., esset sicut navis *sine carina*, *puppe aut prora*: tota igitur restaurari debet mirabilis illa humani corporis machina, in cujus structura summa & infinita Dei sapientia, atque omnipotentia elucet (*a*). Unde etiam Christus in sua resurrectione omnes eas partes resumpsit.

96. Accedit, quod plurima membra homini in suis operationibus bonis, aut pravis inservierunt: videtur ergo conveniens, eadem membra resurgere, ut præmium, vel pœnam participent. ,, Bla-
,, sphemamus per os, *inquit S. Cyrillus* Catech.
,, *XVIII. n.* 19., per os precamur; scortamur per
,, corpus, per corpus puritatem custodimus; rapi-
,, mus per manum, per manum eleemosynas lar-
,, gimur, & cetera similiter. Quando igitur ad
,, omnia subservit corpus, in futuris quoque ob-
,, venturæ sortis est particeps ". Hinc S. Hieronymus in Apol. cont. Ruffinum Lib. II. n. 12. inter hæretica Origenis dogmata hoc etiam enumerat, quod docuerit: ,, Resurrectionem nostrorum
,, cor-

(*a*) Sanct. Thomas in Supplem. qu. 80. art. 1. ad 1. *Membra*, inquit, ,, possunt dupliciter considerari in
,, comparatione ad animam; vel secundum habitudinem
,, materiæ ad formam, vel secundum habitudinem in-
,, strumenti ad agentem .... Si ergo membra accipian-
,, tur secundum primam comparationem, finis eorum
,, non est operatio, sed magis perfectum esse speciei,
,, quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem
,, accipiantur secundum secundam comparationem, sic
,, finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur, quod
,, quando deficit operatio, frustra sit instrumentum,
,, quia instrumentum non solum servit ad exequendam
,, operationem agentis, sed etiam ad ostendendam vir-
,, tutem ipsius: unde oportebit, ut virtus potentiarum
,, animæ in instrumentis corporeis demonstretur, etsi
,, nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commende-
,, tur De sapientia ".

„ corporum sic futuram, ut eadem membra non „ habeant; quia cessantibus membrorum officiis, „ superflua membra reddantur ".

97. Inst. *tertio*. S. Paulus I. ad Corinth. VI. 13. *Esca*, inquit, *ventri*, *&* *venter escis*, *Deus autem & hunc*, *& has destruet*: non ergo membra hominis amplius resurgent; adeoque nec idem corpus.

98. Resp. id esse cum S. Thomas Lect. II. ita intelligendum, quod *Deus destruet*, *idest cessare faciet ventrem*, *non quidem quantum ad essentiam*, *sed quantum ad effectum*, *quem nunc habet*, quia homines in resurrectione neque comedent, neque bibent. Quamquam Christus Dominus ad veritatem suæ resurrectionis confirmandam coram Discipulis manducavit *partem piscis assi*, *& favum mellis*. Lucæ XXIV. 42. Audiamus S. Augustinum Lib. XIII. *de Civ. Dei* c. 22. ita loquentem: „ Fides Christiana de ipso Salvatore non „ dubitat, quod etiam post resurrectionem, jam „ quidem in spirituali carne, sed tamen vera, ci- „ bum, ac potum cum Discipulis sumpsit. Non „ enim potestas, sed egestas edendi, ac bibendi „ talibus corporibus auferetur. Unde & spiritalia „ erunt; non quia corpora esse desistent, sed quia „ spiritu vivificante subsistent ".

99. Inst. *quarto*. Corpora nostra in perpetua mutatione sunt, ut proinde si resurgere debeant, ut homo recipiat eorum, quæ in corpore gessit, præmium, vel pœnam, necesse foret, ut tot corpora resurgerent, quot homo successu temporis habuit: „ Corpora nostra, *inquit Seneca ep. LVIII.* „ rapiuntur fluminum more: quidquid vides, cur- „ rit cum tempore; nihil ex his, quæ videmus, „ manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mu- „ tatus sum ".

100. Resp. non talem esse hanc corporis nostri mutationem, ut singulis momentis aliud nos habere corpus, dici possit, quædam enim partes quantum ad substantiam manent, licet sensim, ac sensim augeantur, & consolidentur in adolescentibus, & deficiant in senibus. Et quia in juvenili ætate totum suum robur, suamque perfectionem corpus habere censetur, ideo etiam in hac eadem juvenili ætate omnes homines resurrecturos esse, communiter existimatur; & tale corpus anima sibi desiderare videtur.

CAPUT IV.

Resolvuntur quædam quæstiunculæ circa carnis resurrectionis dogma.

Quæres primo, an omnes morituri sint, ut proinde omnes resurgere debeant?

101. Resp. Rationem de hac re dubitandi præbet Apostolus Paulus 1. Corinth. XV. 51., ubi juxta nostra Biblia Vulgata dicitur: *Omnes quidem resurgemus*, *sed non omnes immutabimur.* Græcus autem textus ita habet πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα: *Omnes quidem non dormiemus* (somno mortis), *omnes autem immutabimur*; quasi velit Apostolus insinuare eos, qui vivi reperientur in postrema hora, non esse morituros, sed tantum immutandos, scilicet a corpore corruptibili in incorruptibile. Id ipsum videtur S. Paulus innuere iis verbis 1. ad Thessal. IV. 16., *Nos qui vivimus*, *qui relinquimur*, *simul rapiemur cum illis in nubibus*, *obviam Christo in aera*; quasi scilicet aperte dicat, eos electos, quos Christus veniens ad judicium adhuc vivos inveniet, non esse morituros, nec resuscitandos, sed vivos esse sublevandos in aera, obviam Christo Domino. Hac posita opinione illud *litteraliter* intelligitur, quod & in Sacris Scripturis, Act. X. 42., 1. Petri IV. 5.; & 2. ad Tim. IV. 1., & in Symbolis Ecclesiæ legitur, Christum esse judicaturum *vivos*, *& mortuos*. Hæc opinio apud Patres Græcos fere communis est.

102. Illi tamen præferenda videtur contraria Latinorum sententia, omnes scilicet homines sine ulla exceptione morituros, adeoque omnes etiam resurrecturos, non omnes tamen immutandos, ut fiant conformes glorioso Christi resurgentis corpori; hæc enim felicitas erit tantummodo propria electorum. Ita senserunt Tertullianus *De resurrect. Carnis*, Ambrosius, & Cyrillus in Comment. ad laud. Apostoli locum, Augustinus Lib. XX. *de Civ. Dei* cap. 20., & in aliis suis operibus, Fulgentius in Lib. *De fide ad Petrum*, *&c.* Latinis consentiunt etiam Græcorum nonnulli, ut Didymus, qui probat, legendum esse: *Omnes quidem dormiemus*, *non omnes autem immutabimur*. Acacius etiam, qui post Eusebium fuit Cæsareæ Episcopus, Ecclesiam dicit, *magis acquiescere* illi sententiæ, *ut omnes communi morte moriamur*, *& non omnes mutemur in gloriam*: & Cyrillus mox laudatus.

103. Et quidem nihil expressius in divinis utriusque Testamenti oraculis, quam omnes homines morituros. Psalmo LXXXVIII. *Quis est homo*, interrogat David, *qui vivet*, *& non videbit mortem?* Et S. Paulus Hebr. IX. 27. sine ulla exceptione: *Statutum est*, inquit, *hominibus semel mori; post hoc autem judicium*. Et multa ejusdem generis sæpe occurrunt, quæ de omnibus prorsus hominibus intelligi oportere, ex eo etiam evincitur, quod mors sit pœna peccati originalis, quo omnes homines in Adam peccaverunt; unde Apostolus Roman. V. 12. „ Per unum hominem, „ *inquit*, peccatum in hunc mundum intravit, & „ per peccatum mors, & ita in omnes homines „ mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt ". Nulla itaque apparet ratio, cur aliqui justi debeant a communi aliorum lege eximi, perinde ac isti ad naturæ innocentis statum pertinerent, a qua communi lege nec Christus ipse eximi voluit.

104. Neque etiam difficile est objecta S. Pauli loca explicare. Nam in primo ex epist. 1. ad Corin-

rinth. XV., si lectio vulgati Interpretis adoptetur, nostra sententia aperte confirmatur. Eam autem lectionem non solum in Latinis, sed etiam in Græcis quibusdam codicibus inveniri, & quibusdam etiam græcis Patribus esse probatam, ut Didymo, nos certos facit S. Hieronymus in epist. CXIX. ad Minervium, & Alexandrum Monachos. S. autem Augustinus in epist. CCV. n. 14. dicit, græcos codices habere: *Omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur*. Vid. etiam Melchior Canus Lib. II. *De locis theol.* cap. 14. ad 5.

105. Si autem aliam lectionem sequi velimus, scilicet *Non omnes dormiemus*, id explicari potest cum Estio, quod propter brevitatem temporis illa mors non debeat appellari *somnus*, sed *dormitio*, quæ in sacris litteris distinguitur a somno, juxta illud Psal. CXX. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*. Quia igitur justi illi postremi brevissimo temporis intervallo a morte detinebuntur, ideo proprie dormientes Apostolus noluit appellari. Et nisi ita verba Apostoli intelligantur, illud consequetur, etiam impios, & reprobos non esse morituros, atque adeo ab illa maledictione, quam omnes homines propter Adæ peccatum promeriti sunt, liberos esse futuros, quod absurdum videtur.

106. Alterum Apostoli locum ex epist. I. ad Thessal. IV. similiter exponitur a S. Thoma Lect. II., quod *in illo momento temporis morientur, & statim resurgent: & ideo propter modicam interpellationem reputantur viventes*. Quod etiam docet S. Augustinus Lib. XX. *De Civ. Dei* cap. 20.

107. Christus autem dicitur *judex vivorum, & mortuorum*, quia tam eos judicabit, qui longo jam tempore mortui sunt, quam eos, qui tunc adhuc vivent, illico tamen morientur, & resurgent. Quamobrem in Symbolo *Quicumque* dicitur: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis &c.* Sanctus Augustinus in *Enchiridio* cap. 55. præter hanc explicationem aliam proponit, ut nomine *vivorum* intelligantur *justi*, & per mortuos *injusti; quoniam justi quoque* judicabuntur, ut dignam pro meritis accipiant mercedem; sicut mortui, seu peccatores judicabuntur, ut dignam pro suis culpis pœnam recipiant (*a*).

108. Hanc quæstiunculam longius agitare, operæ pretium non est, utpote quæ ad fidem non pertinet. Unde etiam Gennadius in Lib. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, postquam nostram sententiam ut communiorem amplexus est, ita prosequitur: „ Verum, quia sunt alii æque Catholici, & „ eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem, & immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi „ inveniendi sunt; & hoc eis imputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte; quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi contentione hæreticus fiat ". Hinc etiam Angelicus noster Præceptor Lect. VIII. in cap. XV. epist. I. ad Corinth. græcorum opinionem fatetur, *non esse contra fidem*, quamvis Ecclesia magis acceptet aliam sententiam, quod omnes homines moriantur, *etiamsi sint tunc aliqui vivi;* & I. 2. quæst. 81. art. 3. ad 1.: „ Probabilius, *inquit*, „ & convenientius teneri, quod omnes isti, qui „ in adventu Domini reperientur, morientur, & „ post modicum resurgent ". Quod alibi quoque repetit, nullibi docens, id ad catholicam fidem spectare. Si quis plura de hac quæstione desiderat, adeat Guill. Estium in Lib. IV. *Sentent.* Diss. 43. §. 7.

Quæres *secundo*, quid dicendum sit de eorum sententia, qui aliquid corpusculum subtile, æthereum, & incorruptibile animæ inseparabiliter unitum esse dicunt, quod erit veluti *germen* illius corporis, quo anima in resurrectione vestietur?

109. Resp., S. Thomas I. P. quæst. 76. quorundam Platonicorum opinionem refert: „ Quod „ anima intellectiva habet corpus incorruptibile „ sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separatur, & eo mediante unitur corpori hominis „ corruptibili. Alii vero, *subdit*, dixerunt, quod „ unitur corpori mediante luce ... ita quod anima „ vegetabilis unitur corpori mediante luce cœli „ siderei, anima vero sensibilis, mediante luce „ cœli chrystallini, anima vero intellectualis, mediante luce cœli empyrei (*b*) ".

110.

(*a*) Idem S. Pater in Lib. *De octo qu. ad Dulcitium* q. 3. Tom. VI. in eam sententiam inclinat, quod non omnes homines morituri sint, adeoque quod habet regula fidei, *Venturum Dominum, judicaturum vivos, & mortuos* ita exponendum, *ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos .... sed vivos, quos nondum exisse, mortuos autem, quos jam exiisse de corporibus adventus ejus inveniet*. Sed hanc quæstionem tunc profundius examinare operæ pretium non duxit, & cupiebat *audire doctiores;* interea tamen contentus erat Pelagianorum errorem refellere, ad quorum causam juvandam nihil pertinere dicebat, *sive omnes debita morte plectantur, sive aliquibus ab hac conditione parcatur*. Meretur legi totus ille S. Augustini locus, ut ab ipso discamus, quanta humilitate, & docilitate opus sit in docendo, ne simus *indociles Doctores*.

(*b*) Platonicorum sententiam exponit Philoponus in Prœmio Commentar. in Aristot. *De Anima*, quibus se etiam consentire declarat, scilicet esse quoddam proprium animæ corpus αὐγοειδές, οὐράνιον, καὶ αἰθέριον *luciforme, cœleste, ac æthereum*. Hujus corporis ætherei mentio etiam apud alios veteres sæpe occurrit, ut apud Proclum Comment. in *Timæum*, apud Porphyrium Lib. II. *De abstin.*, apud Hieroclem Comment. in *Aurea Pythagoræ verba*, & apud Svidam, qui in voce αὐγοειδές quosdam Philosophos existimare ait, *animam certo quodam vehiculo luciformi esse præditam, quod etiam astrorum, aut solis simile appelletur, æternumque sit; id vero luciforme corpus terreno hoc corpore nunc esse conclusum, & esse quosdam, qui putent, in capite illud esse*. Hoc corpore subtilissimo animam præditam fuisse, putabant, antequam crassiori & terreno huic corpori conjungeretur, eidemque conjunctam perpetuo manere, etiam post hujus corporis crassioris dissolutionem.

110. Eamdem fere opinionem Origeni tribuit S. Hieronymus in Lib. adversus Jo. Jerosolymit. num. 26. his verbis: „ Singulis seminibus ratio „ quædam a Deo artifice est indita, quæ futuras „ materias in medullæ principiis tenet. Et quo- „ modo tanta arboris magnitudo, truncus, rami, „ poma, folia non videntur in semine, sunt ta- „ men in ratione seminis, quod Græci σπερματικὸν λόγον vocant; & in grano frumenti est in- „ trinsecus, vel medulla, vel venula, quæ cum „ in terra fuerit dissoluta, trahit ad se vicinas „ materias, & in stipulam, folia, aristasque con- „ surgit ... sic & in ratione humanorum corporum „ manent quædam surgendi antiqua principia, & „ quasi ἐντεριώνη, idest Seminarium mortuorum, „ sinu terræ confovetur. Quum autem judicii dies „ advenerit, & in voce Archangeli, & in novis- „ sima tuba tremuerit terra, movebuntur statim „ semina, & in puncto horæ mortuos germina- „ bunt, non tamen easdem carnes, nec in his „ formis restituent, quæ fuerunt ". Quod iterum explicat exemplo *acini vinacii*, *in quo potentia Dei*, *& occulta ratione sementis* radices, trunci, propagines tortuosæ, pampinorum umbracula, & uvarum pulchritudo continentur. Vid. Huetius in *Origenianis* Lib. II. quæst. 9.

111. Etiam tempore S. Augustini fuisse aliquos opinantes, animam quodam subtilissimo, aereo, vel æthereo corpore circumdatam ex hoc corpore exire, liquet ex epist. Evodii ad S. Augustinum (inter Augustin. CLVIII.), cui S. Doctor aliis curis distentus breviter respondit epist. CLIX.: *Si breviter vis audire*, *quid mihi videatur*, *nullo modo arbitror*, *animam e corpore* (hoc crassiore) *exire cum corpore*, scilicet subtiliore.

112. Sed quidquid sit de veteribus, quorum neque uniformes, nec fortasse omnino exploratæ opiniones sunt (*a*), in recentiore Philosophia apud Heterodoxos hæc de *animo a corpore numquam libero* sententia non paucos, nec incelebres patronos nacta est, qui eamdem non solum philosophicis, sed etiam theologicis momentis confirmare omni studio conati sunt. Inter hos eminet Goufr. Guill. Leibnitius, qui anno 1695. in *Diario eruditorum Parisiensi* suum hac de re systema exposuit, contendens, quodvis animal: „ Non tantum „ quoad animam suam, sed etiam quoad machi- „ nam suam organicam conservari, quamvis de- „ structio partium crassiorum illud ad ejusmodi „ reduxerit parvitatem, quæ sensibus nostris tam „ non pateat, ac tum patuit, cum nasceretur ". Quod postea systema in *Theodicæa*, in *Causa Dei*, in *Principiis Philosophiæ*, aliisque suis operibus philosophicis latius explicavit, ac rationibus probabile reddere sategit, gloriatus *se mortem proscripsisse*, utpote quia nullum animal proprie moriatur, cum suo intimo, & indestructibili corpore numquam destituatur, quamvis crassiori hoc luteo involucro exspolietur. Si itaque hunc Philosophum audiamus: „ Ortus, atque interitus animalium non „ est verus, sed apparens, generatio enim nonni- „ si augmentatio est, & evolutio primorum corpo- „ ris staminum, & mors nonnisi diminutio, & in- „ volutio ": sicut Leibnitius ipse loquitur in ep. 194. ad Sebast. Kortholtum (*b*).

113. Sed hæc opinio de germine incorruptibili, vel æthereo, atque indissolubili animæ corpore nullum habet solidum in Philosophia fundamentum, neque cum sacris Theologiæ dogmatibus cohæret. Non habet solidum in Philosophia fundamentum, nam quæ multa adducuntur experimenta de brucho, qui in chrysalidem migrat, & postea fit papilio, & de aliorum quorumdam insectorum transmutationibus in alia animalcula, quin tamen vitæ principium amittant, infirmissimum præbent argumentum; insecta enim sunt animalia omnium imperfectissima, & quæ paucissimis indigent organis ad vitam tuendam, unde etiam divisa in partes, non solum vivunt, sed amissa membra iterum acquirunt, ac proinde eorum exemplum nec potest ad alia bruta animalia trahi, ex. gr. ad canes, equos, boves &c., in quibus nullæ nu-

quam

(*a*) De quibus agunt Stanlejus in *Hist. Philos.*, *Chald.* Sect. II. cap. 10., Jo. Clericus in *Indice ad Stanleji Hist. Philos.*, in voce *Resurrectio*, Cudworthus in *System. mundi intellectualis* cap. 5. Sect. 3. §. 16., & Laur. Moshemius ibid. in notis; tum maxime Jac. Bruckerus in multis locis suæ *Hist. Criticæ Philosophiæ*.

(*b*) Hoc ipsum systema eodem anno 1695. reipubl. litterariæ communicavit Christianus Franc. Paulini; imo ab eodem illud didicisse Leibnitium, aliqui non sine ratione suspicati sunt. Quidquid sit, illud avide arripuerunt, illustrarunt, & confirmare nisi sunt multi alii Philosophi, ut Georg. Bern. Bilfingerus, Jo. Henr. Wincklerus, Pet. Sigorgnius, ac præcipue Car. Bonnetus, celebris hoc ævo rerum naturalium inquisitor, qui Leibnitiana placita de ultimis, perpetuisque corporis humani staminibus in suis operibus *Essai analytique sur l'ame*, *De la Contemplation de la nature*, *& de la Palingenesie universelle*, aliisque suis productionibus, quoad potuit, nova luce perfundere, novisque observationibus confirmare curavit. Vult nempe in nobis esse aliquod *germen*, seu corpus *spirituale*, quod nunquam ab anima separatur, quodque in resurrectione explicabitur, sicut germen illud explicatur, ex quo nascitur planta. Hinc mortem nihil aliud esse censet, quam separationem corporis hujus terrestris, & materialis, resurrectionem vero novam germinis illius incorrupti, cui anima semper unita manet, explicationem.

Hoc antiquum, & a Leibnitio renovatum systema corporis ætherei ab anima inseparabilis multos nactum est adversarios, nempe Thomam Wisium in *Introductione ad opus Cudworthi*, Laur. Moshemium in notis ad c. V. Sect. 3. §. 20. Cudworthi, Christoph. Psaffium in Diss. *De somno animarum*, Dan. Gerdesium in *Meletematis sacris*, aliosque. Ex nostris autem Bonnetum confutavit P. Salvator Maria Roselli O. P. in *Summa Philosophica* P. III. Qu. XIX. art. 3., ac post ipsum illustris hujus ævi Scriptor, & de religione optime meritus Alphonsus Muzzarelli in T. I. *del Supplemento al buon uso della Logica*.

quam similes transmutationes visæ sunt, aut videri possunt; multo igitur minus possunt hæc exempla trahi ad hominem, cujus corporis machina tot partibus organicis constans incredibili Dei sapientissimi artificio constructa est. Sed ulterius, quæ comparatio inter animam brutorum materialem, & spiritualem hominis animam; ut si illa sit alicui germini indissolubiliter unita, hæc quoque debeat suum habere corpus, sibi perpetuo copulatum? Illa generatur ex materia, hæc nonnisi a virtute Dei creatrice originem sumit; illa in suis operationibus tota pendet a corporis organis, hæc autem etiam corpore organico intereunte incorrupta manet, suasque præcipuas operationes intelligendi, & volendi exercet.

114. Præterea, si hoc argumentum, aut alia ejusdem generis quidquam valerent, id valerent etiam, ut probarent, aliquod materiale, & sensibile corpus debere semper animæ conjunctum esse; id enim insectis accidit in suis transmutationibus; neque enim illa prima stamina, vel germina unquam sola remanent, sed semper videmus insectum aliqua materiæ parte circumdatum, neque unquam fit invisibile, quemadmodum invisibile fieri animæ germen, Philosophi isti contendunt.

115. Similiter quando defensores corporis ætherei illud probare conantur ex eo, quod anima sine sensuum ope suas operationes exercere non possit, dupliciter errant; primo quod credant, spiritus corporeis organis indigere ad intelligendum, & volendum, quod falsissimum esse patet in Angelis: secundo quod, si animæ in suis functionibus peragendis sufficere possit corpusculum illud æthereum, vel indestructibile germen, cui semper unita manet, non est, cur denuo corpori alicui alteri conjungatur. Et ulterius non apparet, cur modo ad has obeundas functiones indigeat iis sensibus, quos Deus in hoc vitæ mortalis cursu nobis benigne concessit. Sed missis philosophicis rationibus, breviter ostendendum est, hoc vetus, ac denuo recusum immortalis germinis systema non posse cum catholico resurrectionis dogmate conciliari.

116. Primo enim Christus Dominus apud Jo: V. 28. seq. „ Omnes, *inquit*, qui in monumentis „ sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, „ qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui „ vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. „ *Et Apocal. XX.* 13. Dedit mare mortuos, qui „ in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos "; Ut significetur, omnes, qui vel in profundo maris, vel in terra sepulti sunt, esse resuscitandos. Dicent ne novi isti Philosophi, qui Evangelio credere se profitentur. germina hominum, vel ætherea corpuscula, quibus animas alligatas esse comminiscuntur, recondita esse vel in mari, vel in terra, & audita voce Filii Dei prima illa stamina humani corporis esse explicanda, & evolvenda, ut nova corpora materialia, atque terrestria efforment?

117. Accedit contra istud veterum, novorumque Philosophorum commentum veneranda Sanct. Patrum auctoritas, qui, ut supra n. 69. & seq. probavimus, pro certo, atque indubitato posuerunt, idem corpus, eamdemque carnem, quam anima in morte deserit, esse in fine sæculi resumendam, non autem novam, vel alienam, quæ ex primariis nescio quibus staminibus generetur. Iidem etiam Sancti Patres loca Apostoli, quibus illi Philosophi abutuntur, nempe ex 1. Corinth. XV. 36., & seq. cum communi Orthodoxorum doctrina facile conciliant. Vid. sup. n. 72. & seq.

118. Unum tamen superest, ad quod sæpe provocant, nempe historia Divitis, & Lazari, quæ narratur Lucæ XVI. Quomodo enim, inquiunt, poterant hi duo defuncti se mutuo conspicere, se cognoscere, simul colloqui &c. nisi aliquod utrique corpus inesset? Non inerat autem corpus illud crassum, & terrenum, quod jacebat in sepulchro: ergo aliud, quod ab anima separari nullo tempore potest.

119. Sed, præterquamquod multi censent, illam narrationem non continere historiam, sed parabolam, id plus probaret, quam adversarii cupiant, nimirum animæ post mortem non adhærere corpusculum aliquod æthereum, & spirituale, seu, ut alii loquuntur, prima corporis humani stamina, sed ipsum corpus humanum ex quinque sensibus, ac membris constans, nimirum oculis, quibus Epulo dicitur vidisse Lazarum, lingua, qua ipsum alloqui potuit, auribus, quibus mutua colloquia audiebantur, digitis &c. Hæc igitur a Christo dicta fuisse credendum est, ut inde intelligeremus, quæ & qualia præmia justis, & supplicia impiis post mortem sint in altera vita reservata (*a*).

120. Addamus postremo loco etiam nonnullas rationes theologicas, quibus, si minus ἀποδεικτικῶς, saltem admodum probabiliter hoc corpusculi animæ perpetuo inhærentis commentum exploditur. *Primo* enim Philosophi isti veram hominis mortem non admittunt, sed solum apparentem, quatenus corpus proprium animæ ab ea separatum non est, sed solum invisibile redditum; quapropter solent etiam suum systema appellare *exilium mor-*

(*a*) S. Augustinus Lib. VIII. *De Genesi ad litt.* c.5. aliquibus probare contendentibus, animam esse corpoream, propter Divitis *arentem linguam, & stillam aquæ de Lazari digito concupitam*, ita respondet: *Illum Divitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus, a contentiose autem certantibus nunquam invenietur.* An illa narratio sit parabola, an vero historia, vel mixta ex parabola, & historia, breviter, sed tamen sufficientes declarat Guill. Estius in IV. *Sent.* Dist. ult. §. 3.

mortis, illudque credunt aptissimum esse ad exuendum naturalem mortis terrorem: nulla ergo erit illa maxima pœna peccati originalis, toties in sacris eloquiis repetita. *Secundo* nulla etiam erit vera, & propria hominis resurrectio, sed solum nova apparitio. *Tertio* Christianum resurrectionis dogma magis obscurum, & inexplicabile redditur; cui enim bono anima, quæ a proprio corpusculo nunquam sejuncta fuit, aliud corpus sibi copulabit novis donatum, & spiritualibus dotibus, cum illo non indigeat ad sua munia obeunda? Si dicant, ut etiam in corpore terreno, & sensibili præmium, vel pœnam suorum operum recipiat, tunc iterum redit quæstio, cur non illud ipsum corpus animæ restituatur, in quo bene, vel male operata est? Cur aliud novum debeat actionum alterius corporis præmium, vel pœnam consequi? Facilius in hac hypothesi aliquis sibi persuadebit, animam hoc terrestri, crassoque corpore carere, quam aliud extraneum assumere. Sed operæ pretium non est in commentitio hoc systemate refellendo diutius immorari.

Quæres *tertio*, an omnia hominum membra resurrectura sint?

121. Resp., dubium minime esse, quin electi resurrecturi sint cum omnibus suis membris, quæ ad eorum perfectionem pertinent: recipient enim corpus *configuratum corpori claritatis Christi*, ut dicit Apostolus Philipp. III. 21.; sed Christi corpus omnibus suis membris integre constabat: ergo &c. *Talem*, inquit S. Augustinus S. CCCLXII. c. 10., *resurrectionem speramus*, *qualis in Domino nostro præcessit*.

122. Præterea Christus Dominus suis fidelibus, præcipue autem Martyribus, promisit Lucæ XXI. 18.: *Capillus de capite vestro non peribit*; quæ verba expendens S. Augustinus Serm. XXX. n. 2. ita interrogat: *Perit manus*, *ubi non perit pilus? Perit caput*, *ubi non perit capillus?* Nihil ergo deerit Sanctis in resurrectione de suis membris.

123. Hanc sane linguæ, manuum, & integram suorum membrorum restitutionem exspectabant invicti illi Martyres Machabæi, de quibus supra diximus num. 31. Addi potest Oratio Raziæ c. XIV. 46., qua projiciens intestina sua super turbas inimicorum, invocabat *Dominatorem vitæ*, *ac Spiritus*, *ut hæc illi iterum redderet* (a). Bene autem S. Thomas advertit in *Supplem.* qu. 80. art. 1. ad 2., quod: ,, Intestina resurgent in corpore, ,, sicut & alia membra, & plena erunt non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus ". De pelle demum, carne, & ossibus aperta sunt verba Jobi XIX., ut proinde dubitari nequeat, etiam alias omnes corporis partes esse in resurrectione restituendas.

124. Profecto ipsa anima, quæ corporis sui restitutionem desiderat, desiderat etiam ejusdem sui corporis perfectionem, & pulchritudinem, ut nihil in eo sit deficiens, & nihil redundans. Et cum hæc corporis restitutio singulare sit Dei beneficium, nobis ob Christi merita concessum, omnis ab eo imperfectio eliminanda est: *Dei enim perfecta sunt opera*, ut dicitur Deuteron. XXXII. 4.

125. Imo laud. mox S. Augustinus censet, nos fortasse visuros in Sanctis Martyribus vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: ,, Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, ,, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ,, sed virtutis pulchritudo fulgebit ...... sed si hoc ,, decebit in illo novo sæculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra ut præciderunt, percussa, vel ,, secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen iisdem membris redditis, non perditis, apparebunt ". Eademque sententia fuit S. Ambrosii, qui cap. XIV. Lucæ tales dicit nobis monstrandos esse Martyres in cœlo, qualis Christus resurrexit, in cœlum ascendit, ibique sedet ad dexteram Patris, nempe cum signis eorum vulnerum, quæ pro nostra redemptione accepit. Vid. S. Thomas in *Supplem.* qu. 82. art. 1. ad 5.

126. Aliqua videtur esse difficultas de costa illa, quam Deus Adamo detraxit, ut inde feminam formaret; si enim hæc cum Eva resurrectura sit, deerit Adamo, a quo fuit sublata. Verumtamen dubitandum non est, illam costam pertinere ad Evam; etsi enim esset de vero corpore Adæ, non tamen ad integritatem ipsius pertinebat; sed erat ordinata ad formationem mulieris. Neque inde sequitur, eamdem costam fuisse in Adamo superfluam, ut proinde ejus corpus fuerit a Deo deforme creatum. Non erat illa costa superflua, quia ex ipsa debebat Eva formari. Neque exterior ejus forma immutata est, quia Deus replevit carnem pro ea, ut dicitur Gen. II. 21. Confer S. Thomam in *Suppl.* qu. 80. art. 4. ad 2.

127. De unguibus, & capillis ab aliquibus dubitatum est, quia ex superfluitatibus cibi generantur; & insuper nullo sunt sensu præditi.

128. Sed bene observat Angelicus cit. quæst. 80. art. 2., quod sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, & vagina ad gladii custodiam, & conservationem: ,, Ita in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus, & pes; quædam ,, autem ad conservationem aliarum partium, sic- ,, ut folia sunt ad cooperturam fructum. Ita etiam capilli, & ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium: unde sunt de secunda ,, perfectione corporis humani, quamvis non de ,, pri-

(a) De hoc Raziæ suicidio legantur Sanctus Thomas 2. 2. qu. 64. art. 5. ad 5., & Sanct. Augustinus epist. CCCV. ad Dulcitium, qui illud improbare non dubitant. Sunt tamen, qui ipsum exemplo Sampsonis putent excusandum, imo & laudandum.

„ prima. Et quia homo resurget in omni perfe-„ ctione suæ naturæ, propter hoc oportet, ut ca-„ pilli, & ungues resurgant in ipso “.

129. Objectæ autem difficultates facile diluuntur; quamvis enim capilli, & ungues generentur ex superfluitatibus, natura tamen eosdem retinet ad custodiam, & conservationem aliorum membrorum, secus ac fit in urina, sudore, semine, &c. quæ natura gignit ex superfluitatibus, & postea eadem expellit. Semine autem non indiget natura ad perfectionem individui, sed ad perfectionem speciei.

130. Quamvis autem ungues, & capilli anima sensitiva non perficiantur, perficiuntur tamen anima vegetativa, qua nutriuntur, & augentur. Et quia in homine non est nisi anima rationalis, quæ vices animæ sensitivæ, & vegetativæ præstat, sic & ungues, & capilli ab anima rationali suo modo perficiuntur.

131. Nos tamen admonet S. Augustinus Lib. XXII. *de Civ. Dei* c. 19., non omnes ungues desectos, aut capillos tonsos esse redituros ad corpus, quia tunc deforme corpus exsurgeret. Quamobrem etiam acute observat: „ Quod ait Dominus Lucæ XXI. 18. „ *Capillus capitis vestri non peribit*, non de lon-„ gitudine, sed de numero capillorum dictum mul-„ to aptius posse intelligi. Unde & alibi (Lucæ „ XII. 7.) dicit, *capilli capitis vestri numerati* „ *sunt omnes* “.

132. Et hæc quidem omnino certa videntur de corporibus justorum, quibus absonum foret aliquam deformitatem tribuere, cum potius gloriosis dotibus, & qualitatibus sint exornanda, ut postea dicetur. Sed dubium exoritur de reprobis, utrum & ipsi cum omnibus suis partibus resurrecturi sint? Nam S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 92., cum docuisset, nihil indecorum in corporibus electorum futurum esse, & resurrectura esse Sanctorum corpora *sine ullo vitio*, *sine ulla deformitate*, loquens de reprobis: „ Resurgent quidem, *ait*, etiam ipsi „ cum sua carne, sed ut cum diabolo, & ejus an-„ gelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis, & „ deformitatibus suorum corporum resurgant, quæ-„ cumque in eis vitiosa, & deformia membra ge-„ starunt, in requirendo laborare, quid opus est? „ Neque enim fatigare nos debet incerta eorum „ habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, „ & sempiterna damnatio “.

133. Aliqui tamen Theologi, ut Durandus, affirmare non dubitarunt, reprobis non esse ea membra restituenda, quibus in hac vita caruerunt, quia cum hæc restitutio sit quoddam beneficium gratiæ, hoc beneficio reprobi omnino indigni sunt; quin potius merentur, ut aliis damnationis pœnis, hæc etiam deformitatis, & carentiæ membrorum addatur. Richardus a S. Victore in Lib. IV. *Sentent.* Dist. 44. quæst. 6. art. 1. „ In damnatis, *in-„ quit*, nulla erit pulchritudo. Quod si ergo ha-„ buerunt turpitudinem in hoc mundo, in eis re-„ manebit, & si habuerunt pulchritudinem in hoc „ mundo, auferetur ab eis, & erunt turpissimi, „ & vilissimi, & pleni omni fœditate, & infectio-„ ne “.

134. Alii vero, & quidem probabilius, distinguendum esse arbitrantur inter eam membrorum carentiam, quæ in reprobis fuit a nativitate, ut si quis manu, aut pede mutilus fuit, cæcus, vel elinguis; & in istis nulla apparet ratio, cur ea membra ad pœnam habere debeant, in quibus nullum fuit damnationis meritum. Sed si defectus illi postea supervenerint, & præcipue in iis membris, quæ de culpis participarunt, æquum omnino videtur, ut isti defectus suppleantur, & concisa membra restituantur ad pœnam, ut dives Epulo, qui magis peccaverat in lingua, magis siti excruciabatur. Nihil tamen omnino certum, atque exploratum, ac communi Theologorum sententia probatum habemus.

135. Sanct. Thomas Lib. IV. *cont. Gent.* c. 89. ita paucis rem definit: „ Oportet illa corpora a-„ nimabus damnandorum proportionata esse. Ani-„ mæ autem malorum naturam quidem bonam ha-„ bent, utpote a Deo creatam: sed voluntatem ha-„ bebunt inordinatam, & a fine proprio deficien-„ tem. Corpori igitur eorum, quantum ad id, „ quod naturæ est, integra reparabuntur, quia „ videlicet in ætate perfecta resurgent, absque omni „ diminutione membrorum, & absque omni defe-„ ctu, & corruptione, quem error naturæ, aut „ infirmitas introduxit. Unde Apostolus dicit 1. ad „ Corinth. XV. 52.: *Mortui resurgent incorrupti;* „ quod manifestum est de omnibus debere intelli-„ gi, tam bonis, quam malis, ex his quæ præ-„ cedunt, & sequuntur in littera. Quia vero ani-„ ma eorum erit secundum voluntatem a Deo a-„ versa, & fine proprio destituta, eorum corpora „ non erunt spiritualia, quasi spiritui omnino sub-„ jecta, sed magis eorum anima per affectum e-„ rit carnalis. Nec ipsa corpora erunt agilia, qua-„ si sine difficultate animæ obedientia; sed ma-„ gis erunt ponderosa, & gravia, & quodammo-„ do animæ importabilia, sicut & ipsæ animæ per „ inobedientiam a Deo sunt aversæ, &c. “.

Quæres *quarto*, in qua ætate resurgent homines?

136. Respondet S. Thomas in *Supplem.* qu. 81. art. 1., homines resurrecturos in juvenili ætate; quod primo ostendit ex iis Apostoli verbis Ephes. IV. 13. *Donec occurramus omnes .... in perfectum virum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed Christus resurrexit in ætate juvenili, quæ scilicet incipit circa 30. annos. Quam doctrinam Angelicus ex Sanct. Augustino mutuatus est, qui Lib. XXII. *de Civ. Dei* c. 14. in primis probat, infantes, non in ea resurrecturos esse corporis exiguitate, qua mortui sunt, sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc esse Dei opere miro, atque celerrimo recepturos; deinde cap. 15. ostendit, Christum resurrexisse in ea mensura corporis, in qua est mortuus, scilicet in mensura juvenilis ætatis; atque ita prosequitur: „ Restat ergo, ut suam „ recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in „ ju-

„ juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus". Allato autem Paulino testimonio Eph. IV. 13.: *Donec occurramus omnes .... in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. „ Si hoc, subdit S. P., de resurrectione corporum dictum est; sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum; sed in ejus ætate, ac robore, ad quam Christum hic pervenisse cognovimus. Circa 30. quippe annos definierunt esse etiam seculi hujus doctissimi homines juventutem, quæ cum fuerit spatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris, & senilis ætatis.

137. Idipsum postea idem Angelicus hac ratione corroborat: „ Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ; quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit; deficit autem humana natura dupliciter: uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta: alio modo, quia jam ab ultima perfectione recessit; & primo modo deficit in pueris, secundo modo deficit in senibus. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, & a qua incipit motus decrementi ".

138. Huic doctrinæ videtur obstare, quod ætas senilis præfertur juvenili: *Senectus* enim *venerabilis est*, ut dicitur Sap. IV. 7. & Prov. XVI. 31. *Corona dignitatis senectus*. Respondet tamen S. Thomas ad 1., senectutem esse venerabilem, *non propter conditionem corporis*, *quod in defectu est*, *sed propter sapientiam animæ, quæ ibi esse præsumitur ex temporis antiquitate*. Quamobrem in laud. Prov. loco additur: *quæ in viis justitiæ reperitur*; & Ecclesiastici XXV. 8. *Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei*. Et ibid. 3. 4. *Tres species odivit anima mea .... pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum, & insensatum*. Ac denique ut multa alia omittam, Ecclesiast. IV. 13. *Melior est pauper Rege sene, & stulto*.

Quæres *quinto*, quonam tempore futura sit hominum resurrectio?

139. Resp. *in novissimo die*, quomodo prophetavit Job XIX. 25. & Matth. XXV. 31. seq. futura resurrectio prædicitur: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua ... & congregabuntur ante eum omnes gentes* &c. In 1. Cor. XV. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent*. Jo. item VI. 40. & 44. promittit Christus, se resuscitaturum electos suos *in novissimo die*; & II. 24. Martha, cum illi Christus prædixisset, Lazarum resurrecturum, respondit: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*, scilicet in generali omnium hominum resurrectione. Quando autem futurus sit novissimus dies, Deus nos voluit ignorare, Matth. XXIV. 36. Marci XIII. 12. & Act. I. 7.

140. Rationem autem tamdiu dilatæ resurrectionis hominum possumus cum Sancto Thoma in *Supplem*. q. 77. art. 1. in arg. *sed contra* hanc reddere ex iis verbis Apostoli Hebr. XI. 39. de veteribus justis dicentis: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem* (idest plenam animæ, & corporis beatitudinem), *Deo melius aliquid pro nobis disponente, ne sine nobis consummarentur*, idest perficerentur. Addit Glossa: *ut in communi gaudio omnium majus fieret gaudium singulorum*.

141. Hoc tamen non impedit, quin *ex speciali privilegio* aliquibus sit concessum, ut ante universalem omnium resurrectionem ad vitam gloriosam sint revocati, ut pie creditur de Beatissima Virgine Maria. Vid. eruditissimus Jo. Crysostomus Trombelli *De Mariæ Sanctissimæ vita* &c. Tom. IV. Dissert. XLVI., & ab eo laudatus Benedictus XIV. *De Servorum Dei beatificat*. &c. Lib. I. cap. 4.; atque etiam, si lubet, P. Jac. Hyac. Serry Exerc. LXVII. *de Christo, ejusque Virgine Matre*.

142. Quidam etiam putarunt, hoc privilegium resurrectionis, & assumptionis in cælum fuisse iis Sanctis concessum, quorum corpora surrexerunt, & qui exeuntes de monumentis *venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*, ut dicitur Matt. XXVII. 52. seq. Ita censent Origenes in locum cit. Matth. & Eusebius Lib. IV. *Demonstr. Evangel.* cap. 12. ubi eleganter describit triumphalem Christi ascensionem ad cœlos magna justorum comitante caterva.

143. Veruntamen nostro Præceptori Sanct. Thom. Aquinat. 3. Part. q. 53. art. 3. ad 2. probabilior visa est sententia opposita, scilicet eos Sanctos resurrexisse, iterum morituros, postquam testimonium resurrectionis Christi Domini reddiderunt. In hanc autem sententiam Angelicus descendit propter rationes S. Augustini in epist. CLXIV. ad Evodium n. 9.; quæ ipsi *multo efficaciores* visæ sunt. Confer laud. S. Doctoris epistolam.

144. Neque vero timendum est, ne illis justis majus esset tormentum iterum mori, quam non resurgere, quo aliquos motos fuisse notat Angelicus, ut dicerent, eosdem justos fuisse ad vitam immortalem suscitatos. Non inquam id timendum est; credere enim oportet, eosdem non infirmitate aut corruptione violenta, sed placida, & tranquilla animæ a corpore separatione ad pristinum statum rediisse (*a*).

145.

(*a*) S. Doctor in IV. *Sentent*. Dist. 43. qu. un. art. 3. aliam sententiam probabiliorem judicaverat, ut etiam videre est in *Supplem*. qu. 77. art. 1. ad 3. sed in *Summa Theol.* loco cit. S. Augustino adhærens eam revocasse videtur.

145. Non defuerunt demum, qui putarent per *Sanctam civitatem*, in qua Sancti apparuerunt, intelligi cælestem Jerusalem, ad quam una cum Christo assumpti sunt. Verumtamen hæc interpretatio non cohæret verbis Sancti Matthæi, qui dicit, eos *apparuisse multis;* quod nonnisi de terrena civitate Jerusalem intelligi potest; in cælesti enim Jerusalem non apparuissent multis, sed omnibus (*a*).

146. Ex iisdem verbis S. Matthæi eorum paucorum opinio refellitur, qui putant, eos Sanctos non aliter apparuisse, quam in forma aliqua assumpta, sicuti in Christi transfiguratione in monte Thabor visus est Moyses, quem S. Th. 3. P. qu. 45. art. 3. ad 2. apparuisse dicit *per aliquod corpus assumptum sicut Angeli apparent*. Hæc inquam opinio refellitur ex verbis S. Matthæi dicentis vers. 52. & seq. „ Multa corpora Sanctorum, „ qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de mo„ numentis post resurrectionem ejus, venerunt in „ sanctam civitatem, & apparuerunt multis ". Ubi expresse dicitur *multa corpora* Sanctorum surrexisse, & apparuisse multis, ad confirmandam scilicet fidem resurrectionis Jesu Christi. Sed de his plura dabunt Interpretes sacri, & etiam P. Jac. Hyac. Serry Exercitat. LXI. *De Christo &c.* T. III. Operum edit. Venetæ 1770. in fol.

CAPUT V.

De dotibus corporis gloriosi.

147. Quatuor a Theologis una cum S. Thoma in IV. *Sentent.* Dissert. 44. q. 2. enumerantur corporis gloriosi dotes, scilicet *impassibilitas*, *subtilitas*, *agilitas*, *& claritas*, quæ hoc disticho comprehenduntur.

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

Breviter agendum de singulis.

Impassibilitas.

148. Hanc gloriosi corporis dotem memorat Apostolus 1. Cor. XV. 42. dicens: *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione;* quibus verbis non illam solam incorruptibilitatem significare voluit, quæ excludit corruptionem proprie dictam; hæc enim etiam corporibus damnatorum ad æternum eorumdem supplicium convenit, sed excludit etiam quamcumque passionem, quæ possit dolorem, aut molestiam corpori Beatorum afferre, & de qua loquitur S. Joannes Apoc. XXI. 4. inquiens: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

149. Eamdem vero gloriosi corporis dotem, sicuti & reliquas, repetit S. Thomas Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 86. ex gloria animæ elevatæ ad visionem beatificam; „ Sicuti enim anima Deo fruens „ habebit desiderium adimpletum, quantum ad o„ mnis boni adeptionem, ita etiam ejus deside„ rium impletum erit, quantum ad remotionem „ omnis mali; quia cum summo bono locum non „ habet aliquid malum. Et corpus igitur perfe„ ctum per animam proportionaliter animæ im„ mune erit ab omni malo, & quantum ad actum „ & quantum ad potentiam. Quantum ad actum „ quidem, quia nulla in eis (corporibus) erit „ corruptio, nulla deformitas, nullus defectus. „ Quantum ad potentiam vero, quia non poterunt „ aliquid pati, quod eis sit molestum; & propter „ hoc impassibilia erunt ".

150. Neque obest, quod in corpore resurgentium sit sanguis, & alii humores, ut supra n. 123. dictum est; ex quorum mixtione, & pugna alterationes, atque ægritudines in corpore procedunt. Non inquam id obest, quia, ut inquit S. Augustinus epist. CCV. ad Consentium, *Divina potentia valet de ista visibili, atque tractabili natura, quibusdam manentibus, auferre, quas voluerit, qualitates*. Sic ab igne fornacis Caldæorum abstulit Deus virtutem comburendi corpora puerorum, non autem virtutem comburendi ligna. Exemplum est S. Thomæ in *Supplem.* qu. 82. art. 1. ad 5.

151. Ista tamen impassibilitas non excludet omnem sensum a corporibus Beatorum; alias eorum vita corporalis similis esset somno. Unde Angelicus in loco mox laud. *Contra Gent.* ita prosequitur: *Quæ tamen impassibilitas non excludit ab eis passionem, quæ est de ratione sensus: utentur enim sensibus ad delectationem, secundum illa, quæ statui incorruptionis non repugnant.* Ad id autem probe intelligendum notanda est ejusdem S. Thomæ doctrina in *Supplem.* q. 82. art. 3. ubi „ Sciendum est, *inquit*, quod organa sentien„ di immutantur a rebus, quæ sunt extra ani„ mam, dupliciter. Uno modo immutatione natu„ rali, quando scilicet organum disponitur eadem „ qualitate naturali, qua disponitur res extra a„ nimam, quæ agit in ipsam: sicut cum manus „ fit calida ex tactu rei calidæ, vel odorifera ex „ tactu rei odoriferæ. Alio modo immutatione spi- „ ri-

(*a*) S. Hieronymus in epist. XLVI. nomine Paulæ, & Eustochii ad Marcellam scripta n. 7. *ridiculam* appellat eorum sententiam, qui *Civitatem Sanctam* intellexerunt *Cœlestem Jerusalem*, *quum*, inquit, *signum nullum esse potuerit apud homines Domini resurgentis, si corpora Sanctorum in cœlesti Jerusalem visa sunt*. Quamvis ipse postea in epist. LX. ad Heliodorum num. 3. dicat, *multa dormientium corpora surrexisse, & visa esse in cœlesti Jerusalem*. Fortasse id intelligi voluit de ipsis corporibus, quæ ad cœlum assumpta fuerunt, postquam in terra multis apparuerant.

„ rituali , quando recipitur qualitas sensibilis in „ instrumento secundum esse spirituale , idest species , sive intensio qualitatis , & non ipsa qualitas ; sicut pupilla recepit speciem albedinis , „ & tamen ipsa non efficitur alba ... Prima receptio immutat naturam recipientis , quia recipitur hoc modo qualitas secundum esse suum materiale : unde ista receptio non erit in corporibus gloriosis ; sed secunda , quæ per se facit „ sensum in actu , & non immutat naturam recipientis ".

152. Verum corporum resurgentium impassibilitati , vel incorruptioni obstare videtur exemplum Christi Domini , qui Lucæ XXIV. 14. seq. ad veritatem suæ resurrectionis confirmandam petiit a Discipulis , an aliquid haberent ad manducandum. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi , & favum mellis . Et cum manducasset coram eis , sumens reliquias dedit eis* . Porro si nulla futura est post resurrectionem nostri corporis corruptio , nec ulla esse poterit comedendi necessitas ad vires deperditas restaurandas .

153. Huic difficultati respondet S. Augustinus in Serm. CCXLII. qui est *De resurrectione corporum contra Gentiles* n. 2. Tom. V. , quod Christus manducaverit , fuisse *potestatis* , *non egestatis* , quasi cibo ad vitam sustentandam egeret .

Subtilitas .

154. Teste S. Augustino Lib. XIII. *De Civ. Dei* cap. 20. , ex iis verbis Apostoli 1. Corinth. XV. 42. *Seminatur corpus animale* , *resurget corpus spirituale* , quidam inepte concludebant , corpus Beatorum esse in spiritum convertendum ; in quem errorem incidisse etiam Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum supra num. 64. in not. observavimus . Sed Paulinam sententiam ita pulchre explicavit idem S. Pater , quia nempe corpus „ Spiritui summa , & mirabili obtemperandi facilitate subdetur .... omni molestiæ sensu , omni corruptibilitate , & tarditate detracta ".

155. Hanc itaque corporis gloriosi dotem ita explicat Doctor Aquinas Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 86. : „ Anima Deo fruens , ipsi perfectissime adhærebit , & ejus bonitatem participabit in summo secundum modum suum . Sic igitur & corpus perfecte subdetur animæ , & ejus proprietates participabit , quantum possibile est , in perspicuitate sensuum , in ordinatione corporei appetitus , & in omnimoda perfectione naturæ ; tanto enim aliquid perfectius est in natura , quanto ejus materia perfectius subditur formæ : & propter hoc dicit Apostolus : *Seminatur corpus animale* , *resurget corpus spirituale* . Spirituale quidem corpus resurgentis erit , non quia sit spiritus , ut quidam male intellexerunt , sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia , sive aer , aut ventus , sed quia erit omnino subjectum spiritui ; sicuti & nunc dicitur corpus animale , non quia sit animal , sed quia animalibus passionibus subjacet , & alimonia indiget ".

156. Audiatur etiam S. Gregorius Magnus , qui hanc corporis gloriosi dotem diligenter examinandi magnam habuit occasionem propter controversiam ipsi cum Eutychio enatam . Sic autem ait Lib. XVI. *Moralium* cap. 29. : „ In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ , sed palpabile per veritatem naturæ : unde Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione Discipulis , palpanda ossa , carnemque præbuit , dicens Lucæ XXIV. : *Palpate* , *& videte* , *quia spiritus carnem* , *& ossa non habet* , *sicut me videtis habere* ".

157. Advertit tamen S. noster Præceptor in *Supplem.* quæst. 83. art. 2. , quod : „ subtilitas a corpore glorioso dimensionem non aufert ... & ideo corpus gloriosum non habebit ratione suæ subtilitatis , quod possit esse simul cum alio corpore : sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione virtutis divinæ . Sicut etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate sibi indita , quod ad umbram ejus sanarentur infirmi , sed hoc fiebat virtute divina ad ædificationem fidei . Ita faciet virtus divina , ut corpus gloriosum possit simul cum alio corpore esse ad perfectionem gloriæ ". Atque hanc rationem ibid. ad 1. explicat Sanct. Doctor una cum Sancto Gregorio *Hom.* XXVI. in Evang. , quomodo corpus Jesu Christi intraverit in cœnaculum januis clausis , ut dicitur Joann. XX. , scilicet in hoc factum fuisse , non per dotem *subtilitatis* , sed virtute Divinitatis .

Agilitas .

158. Hanc tertiam corporis gloriosi dotem ita declarat Angelicus in *Supplem.* quæst. 84. : „ Corpus gloriosum erit omnino subjectum animæ glorificatæ , non solum ut nihil in eo sit , quod resistat voluntati spiritus (quia hoc fuit etiam in corpore Adæ) ; sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio ; effluens ab anima glorificata in corpus , per quam habile reddatur ad prædictam subjectionem : quæ quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur . Anima autem conjungitur corpori , non solum ut forma , sed etiam ut motor , & utroque modo oportet , quod corpus gloriosum animæ glorificatæ sit summe subjectum . Unde sicut per dotem subtilitatis subjicitur ei totaliter , inquantum est forma corporis , dans esse specificum ; ita per dotem agilitatis subjicitur ei , inquantum est motor , ut scilicet sit expeditum , & habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus , & actionibus animæ ".

159. S. Augustinus Lib. XIII. *De Civ. Dei* cap. 18. ad revincendos Philosophos , quibus incredibile videbatur , gravia Sanctorum corpora posse in cœlo consistere , cum naturali pondere decidere debeant , primo confugit ad omnipotentem Dei virtu-

tutem, quam nec ipsi inficiari audebant. Postea utitur similitudine animæ, quæ membra corporis sui sustentat, & agiliter movet pro sua voluntate; & quæ „ ad suum corpus movendum, atque por- „ tandum agilior est, cum in bona valetudine plus „ habet molis, quam cum in peste, vel fame mi- „ nimum roboris ".

160. Sed cui bono, sciscitabitur aliquis, hæc dos gloriosi corporis, cum Beati motu opus non habeant, ad ea consequenda, quæ desiderant, in Deo enim, quem possident, omnia habent?

161. Respondet S. Thomas art. 2., afferens exemplum Christi Domini, cujus corpus ad multa loca pertransiit, & tandem *supra omnes cælos* ascendit, ut dicit, Apostolus Ephes. VI. 10.; ejusque exemplo corpora Sanctorum in cœlum ascendent propriæ agilitatis beneficio. Ulterius postquam in cœlis fuerint, verisimile est, eos aliquando moveri pro lubitu suæ voluntatis, ut hanc agilitatis dotem exercentes divinum beneficium commendent; vel etiam ut eorum visus oblectetur pulchritudine creaturarum, in quibus Dei sapientia mirabiliter relucebit. Nec tamen, subdit Angelicus per motum aliquid deperibit eorum beatitudini, quæ consistit in visione Dei, quam ubique presentem habebunt. Ceterum S. Augustinus postremo c. Lib. XXII. *De Civ. Dei*: „ Qui *inquit*, motus illic talium corporum „ sint futuri, temere definire non audeo, quod „ excogitare non valeo. Tamen & motus, & sta- „ tus, sicut ipsa species, decens erit, quicumque „ erit, ubi quod non decebit, non erit. Certe u- „ bi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus; „ nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum „ possit decere, nec corpus ".

Claritas.

162. Hanc corporum Beatorum dotem manifeste innuunt sacræ litteræ, ut Matth. XIII. 43., ubi Christus postquam dixit, eos, qui faciunt iniquitates, esse mittendos in caminum, ignis; ita subdit: *Tunc justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum*. Quæ verba desumpta sunt ex Sap. III. 7., ubi dicitur: *Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Etiam Paulus Apostolus 1. ad Corinth. XV. 41. seq., ubi de dotibus corporis gloriosi data opera agit: *Alia*, inquit, *claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum .... seminatur* (corpus) *in ignobilitate, surget in gloria*, seu in *claritate*; utrumque enim significat vox græca δόξα. Et ad Philipp. III. 21. formandum esse dicit corpus nostrum a Christo, *configuratum corpori claritatis suæ*. Ubi digitus intenditur ad eam claritatem corporis Christi in monte Thabor, quæ describitur Matth. XVII. 2. *Transfiguratus est ante eos; & resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix*; vel ut habet Evangelista Luc. IX. 29., *Vestitus ejus albus, & refulgens*.

163. Porro hujus claritatis causa, docente Angelico IV. *Cont. Gent.* cap. 86., non alia erit, quam gloria animæ: „ Sicut enim, *inquit*, anima „ divina visione fruens, quadam spirituali clari- „ tate replebitur, ita per quamdam redundantiam „ ex anima in corpus ipsum corpus suo modo cla- „ ritatis gloria induetur ". Hinc quemadmodum visio essentiæ Dei non erit in omnibus æqualis, sicut dictum est Tomo II. ita inæqualis erit corporum Beatorum claritas. Quod innuit Apostolus in verbis supralaud. 1. Cor. XV.: „ Alia claritas „ solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stella- „ rum; stella enim differt a stella in claritate, „ sic & resurrectio mortuorum ".

164. At vero, dicet aliquis, si tanta futura est corporum Beatorum claritas, quomodo eam sustinere poterunt oculi intuentium? Facilis est responsio, scilicet in resurrectione oculorum aciem futuram perfectiorem, & talem, ut splendorem Sanctorum, atque etiam ipsius Christi, cujus corpus omnia alia in splendore lucis longe superabit, cum maxima voluptate contemplari possint. Et hæc quidem pro modulo nostro dicta sunt, illud enim præ oculis in his rebus haberi debet, quod magnus Augustinus monebat Lib. XXII. *De Civ. Dei* cap. 21.: „ Quæ sit, & quam magna spiritualis „ corporis gratia, quoniam nondum venit in ex- „ perimentum, vereor, ne temerarium sit omne, „ quod de illa profertur, eloquium ".

De Aureolis Beatorum.

165. Aureola definitur a S. Thoma in IV. *Sentent.* dist. 49. quæst. 5. *gaudium, seu præmium accidentale præmio, seu gaudio essentiali superadditum, ob excellentem victoriam*; quibus postremis verbis significatur, iis solis Beatis aureolam convenire, qui propter aliquam excellentem virtutem insignes sunt, & a reliquis veluti distincti. Quemadmodum non omnibus militibus olim coronæ dabantur, sed iis solis, qui in prælio insigni facinore a ceteris distingui merebantur.

166. Porro triplex est aureola, ut docet S. Thomas in IV. *Sentent.* dist. 49. quæst. 5. art. 5. quæstiunc. 1., nempe Virginum, Martyrum, & Doctorum. Prima designatur iis Apocalypseos verbis XIV. 4. & seq. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt &c.* Altera habetur expressa in eodem libro cap. VII. 14. *Qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni &c.* Doctorum demum aureolam nobis repræsentat Daniel. XII. 3. dicens: „ Qui autem docti fue- „ rint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui „ ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in „ perpetuas æternitates ".

167. Et de his omnibus satis. Major danda opera est, ut hæc, quæ breviter delibavimus, in cœlis videre, ac in nobis ipsis experiri mereamur, ut dicere possimus cum regio Psalte (Ps. XLVII. 9.): *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domi-*

mini virtutum, *in civitate Dei nostri*. Atque ita nos sperare jubet Apostolus in epist. 1. ad Thessal. IV. 12. & seq. inquiens: „ Nolumus autem vos „ ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus „ est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hæc enim „ vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui „ vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & „ mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. „ Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. „ Itaque consolamini invicem in verbis istis".

APPENDIX I.

De pœnarum inferni æternitate.

168. Resurrectionem mortuorum, de qua hactenus verba fecimus, illico consequetur judicium universale, in quo adorabilis noster Salvator irrevocabili sententia justos quidem ad regnum æternum vocabit, reprobos autem in ignem æternum, sine ulla spe redemptionis cruciandos mittet. *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* Matth. XXV. ult. De visione beatifica, in qua essentiale electorum præmium consistit, satis dictum est in Tom. II. Diss. III.; superest modo, ut de reproborum pœnis aliqua dicamus, sin minus ea copia, & diligentia, qua ab aliquibus hæc materia pertractata fuit (*a*), saltem pro necessaria instituti nostri brevitate, potissimum autem agemus de pœnarum inferni æternitate, utpote quæ omni fere tempore nec paucos, nec infimi subsellii adversarios habuit.

169. Primus, qui eam negaverit, communiter existimatur Origenes Adamantius, cujus valde multa afferuntur loca, quibus omnino inficiatur, pœnas hominum damnatorum, atque ipsorum dæmonum futuras æternas; sed ἀποκατάστασιν *restitutionem* quamdam confixit, qua omnes damnati per ignem inferni plene a suis sordibus purgati ad vitam beatam commigrabunt, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Et quidem, ut Petr. Dan. Huetius monet, adeo multus est, & odiosus in hoc errore Origenes: „ Ut hominis sit intemperantis, nec satis tempori parcentis suo, quæcumque vesania hac „ oblita in commentariis Origenianis reperiuntur, „ Lectori recensenda objicere".

170. Parum tamen sibi constans visus est infatigabilis hic librorum scriptor; nam aliquando hac de re dubitat, & quasi suspensus hæret; ut cum Lib. I. περὶ ἀρχῶν cap. 6. ita de expositis suis dogmatibus fatur: *Quæ quidem a nobis etiam cum magno metu, & cautela dicuntur, discutientibus magis, & pertractantibus, quam pro certo, & definito statuentibus*; & ita demum concludit: *Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, & si qui ejus per Christum, & Spiritum Sanctum amici sunt*. Imo nonnullis in locis de æterna dæmonum; atque hominum damnatorum pœna adeo orthodoxo sensu loqui visus est, ut quidam doctrina, & eruditione præstantes viri eum penitus excusare tentaverint. Ita Picus Mirandulanus, Jacobus Merlinus, ac Genebrardus. Vid. Sixtus Senensis in *Bibliotheca sancta* Lib. V. adnot. 151. Frustra tamen hunc Æthiopem lavare conati sunt, eos enim conticescere jubet integra veterum Patrum cohors, præsertim vero S. Augustinus *Hæresi* XLIII. imo ipsa Synodus V. quæ, teste Nicephoro Callisti Filio, inter Origenis errores hunc etiam proscripsit: *Omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura, atque impios & dæmones in priorem suum statum restitutum iri*. Nec refert, pluribus de re tam manifesta disputare; quis enim suspicetur, tot, ac tantos viros voluisse simul in hac Origeni inurenda calumnia conspirare?

171. Absurda, & damnata hæc Origenis paradoxa, vel omnino, vel saltem ex parte perdurarunt inter eos, quod S. Augustinus vocat *Misericordes* (*de Civit. Dei* XXI. cap. 17. & seq.), ubi varias eorum classes distinguit: „ Primo *enim errant*, *qui* hominum extremo judicio damnatorum miserias temporales, omnium vero, qui vel „ citius, vel tardius liberantur, æternam felicitatem putabant"; non tamen audebant, ad ipsius diaboli liberationem pervenire. *Secundo* aliqui dixerunt, malos, & infideles homines æterna pœna esse dignos, nihilominus eosdem Deum misericordem *donaturum præcibus, & intercessionibus Sanctorum suorum*, non tamen hanc Dei misericordiam extendebant ad liberationem, vel nullam damnationem diaboli, atque angelorum ejus. *Tertio* quidam hanc liberationem ab æterno supplicio nonnisi iis promittebant, qui Christi baptismate abluti participes fiunt corporis ejus, *quomodolibet vixerint, in quacumque hæresi, vel impietate fuerint*. *Quarto* aliqui id solis catholicis pollicebantur, quamvis male viventibus, *& etiamsi postea in aliquam hæresim, vel etiam in Gentilium idololatriam lapsi fuerint*. *Quinto* nonnulli hoc nonnisi in Ecclesia catholica perseverantibus, quamvis in

(*a*) Præter Theologiæ dogmaticæ Tractatores, hoc capitale Religionis nostræ dogma copiose admodum exposuit, ac solide contra veteres, & nuperos Origenistas defendit P. Vinc. Patuzzi in Libro III. *De futuro impiorum statu*. Id etiam præstitit doctus Benedictus Congregationis S. Vannæ Ben. Sinsart in libro Parisiis evulgato 1748., cui titulus: *Défense du dogme Catholique sur l'éternité des peines, où l'on réfute les erreurs de quelques modernes &c.*

in ea male viventibus, promittebant. *Demum* fuerunt, qui impiis eleemosynas facientibus, *judicium cum misericordia futurum, ut aut nulla damnatione plectantur, aut post aliquod tempus, sive parvum, sive prolixum ab illa damnatione liberentur*. Quas omnes erroneas *Misericordium* opiniones ibidem S. Doctor condemnat, quæ postea Ecclesiæ auctoritate oppressæ obsoleverunt.

172. Sed quando Novatores hanc solam finiendarum controversiarum regulam evertere ausi sunt, mirum non est, easdem iterum non paucis placuisse; neque iis tantummodo, qui vel revelatione plane rejecta, soli rationi aurem præbent, ut sunt Naturalistæ; vel eamdem revelationem rationi subjiciunt, ut perverse faciunt Sociniani; sed etiam aliquibus inter Protestantes, qui Scripturæ sacræ oracula se consectari gloriantur (*a*). Contra quos sit.

PROPOSITIO I.

Omnium damnatorum pœnas futuras æternas ex sacris utriusque Testamenti eloquiis demonstratur.

173. Ac primo satis clara habemus oracula etiam ex antiqui fœderis libris. Nam Isaias cap. LXVI. 24. de damnatis inquit: *Vermis eorum non morietur, ignis eorum non extinguetur*. Et antea cap. XXXIII. 14. ita peccatores, & hypocritas interrogabat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quæ Prophetæ verba & ipsi Hebræi interpretes de æternitate pœnarum intelligunt. Insignis est etiam locus apud Danielem XII. 2.: „ Et multi de his, „ qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; a„ lii in vitam æternam, & alii in opprobrium, „ ut videant semper “; *seu in contemptum æternum* לעלאחרומ ut lectio hebraica habet, quam lectionem secuti sunt etiam LXX. Senes *εἰς αἰσχύνη αἰώνιον*, tum Sanctes Pagninus, Vatablus, alii. Psalmo item XCI. 9. de peccatoribus dicitur: *Ut intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum Domine*; ubi innuitur, tamdiu duraturum interitum impiorum, quamdiu durabit regnum Dei, hoc est sine fine. Unde S. Hieronymus vertit: *Ut conterantur usque in sempiternum*. Multa alia similia sæpe occurrunt; unde factum est, ut Hebræi quoque in hoc dogmate nobiscum consentiant.

174. Multo autem frequentius, & clarius id expressum est a Christo, & Apostolis, a quibus damnatorum pœna modo vocatur *ignis æternus* Matth. XVIII. 8., & XXV. 41., modo *pœnæ in interitu æternæ* 2. ad Thessal. I. 9.: modo *vincula æterna sub caligine*, Judæ 6.; & 13. *procella tenebrarum in æternum*. Et adhuc expressius Apoc. XIV. 11. de iis, qui adoraverunt bestiam, dicitur; *Et fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum*; & XX. 10. *Cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum*. His loquendi modis, quibus certe æternitas *positive* designatur, alii accedunt, quibus Scriptores sacri eamdem æternitatem exprimunt per negationem finis, ut allatus supra textus Isaiæ: *Vermis eorum non morietur; & ignis eorum non extinguetur*. Marci IX. 49. vocatur *gehenna ignis inextinguibilis*; & Lucæ III. 17. *ignis inextinguibilis*. At vero quis sibi persuadeat, tot diversis, & tam sæpe repetitis loquendi formulis non perpetuam, ac fine carentem, sed diutinam solummodo pœnam designari, quemadmodum sibi blandiuntur *Misericordes*?

175. Corollarium. Ex indicatis utriusque Testamenti locis etiam refellitur miserabile illud Socinianorum commentum, pœnas impiorum æternas nihil esse aliud, quam ipsorum destructionem, quia in nihilum redigentur, ut in sempiternum non amplius existant (*b*). Quomodo enim cum absurda hac

(*a*) Petrus Bælius ingenii sui acumine hac etiam in re vehementer abusus est, ut pœnarum æternitatem cum infinita Dei bonitate, & justitia pugnare, ex ratione ostenderet in *Respons. ad Provinc.* Tom. III. Operum c. 144.; quem secutus est Anton. Collisius in Serm. *De libertate cogitandi* Sect. II. Jo. etiam Lockius, Philosophus quidem acutus, sed Theologiæ ignarus, in suo *Christianismo rationi consono* potius integram hominis destructionem, quam ejusdem perpetuam damnationem admittere voluit. In eandem sententiam proni descenderunt quoque nonnulli ex Socinianorum grege, ut Ernestus Souerus in Academia Altdorfina Philosophus Aristotelicus, qui *Demonstrationem contra æternitatem pœnarum* scripsit, a Leibnitio memoratam in *Tentamine Theodicææ* P. III. §. 266., ut nihil dicam de Jo. Clerico *Parrhasian.* T. I., de Guill. Kingio in Append. ad Lib. *De origine mali*, de Jo. Tillotsono, de Henr. Moro, ac quibusdam aliis Anglis, quos laud. mox Collinsius nominat.

Sed inter Lutheranos etiam perniciosissimus hic error nactus est patronos occasione pestiferi libri, cui titulus: *Evangelium æternum ἀποκαταστάσεως universalis*, quem Jana Leadea fanatica femina Societatis Philadelphicæ institutrix anno 1697. in vulgus emiserat, & cujus defensionem Jo. Guill. Peterseni\us susceperat in opere a se inscripto Μυστήριον ἀποκαταστάσεως πάντων tribus volum. in foglio. Illi adhæsit Jo. Mich. Langius Theologus Altdorfinus, quem multi alii, vel data opera, vel saltem obiter secuti sunt, in eamdem amentiam prolapsi; quamquam in *Confessione Augustana* art. 17. damnati sint Anabaptistæ, qui docebant, *tormenta dæmonum, & damnatorum finem habitura, & Angelos apostatas in eumdem locum redituros, in quo creati fuerunt*.

(*b*) Ita Jo. Lockius in suo pessimo libro, quem inscribere illi placuit *Christianismum rationi consonum* cap. 1. contendens, impios quidem esse resurrecturos; cum nimis manifeste dictum sit, eos a Christo judice esse objurgandos, & condemnandos; sed post illam sententiam esse in nihilum redigendos; hoc enim putat ad justitiam divinam pertinere, ut impii beneficiis divinis ingrati in nihilum redigantur.

Veruntamen S. Thomas in Quæst. V. *De potentia* art. 4. hoc idem sibi opposuerat. Respondet autem ad 6.

hac sententia illæ sacræ loquendi formulæ concilicilari poterunt: *Vermis*, *qui non moritur*; *ignis inextinguibilis*; *ardores sempiterni cruciari die*, *ac nocte*, aliæque similes, quæ vitam impiorum æternam significant eamque in perpetuis cruciatibus? exprimitur quidem illorum damnatio nominibus *mortis*, *interitus*, *perditionis*; sed his nominibus nonnisi acerbitas supplicii denotatur, quod morti equiparatur. Præclare S. Gregorius Papa explicans illud Job. XX. 18. *Luet*, *quæ fecit omnia*, *nec tamen consumetur*, inquit Lib. XV. *Moralium*: „ Quia cruciatur, & non extinguitur, „ moritur, & vivit; deficit, & subsistit; finitur „ semper, & sine fine est. Hæc solo auditu val„ de sunt terribilia, quanto magis passione“?

176. Communis tamen Origenistarum evasio est, explicandi allata divina oracula de æternitate minus proprie sumpta, prout nempe designat longissimum tempus, non autem vere, & proprie infinitum; & opera male sedula non pauca colligunt sacræ Scripturæ loca, in quibus æternitas ponitur pro tempore admodum longo, finito tamen.

177. Sed hoc effugium ipsis præclusit S. Augustinus Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 23. observans, eodem modo dictum esse de reprobis: *Ibunt in supplicium æternum*, ac de justis: *Ibunt in vitam æternam*; atqui nemo hæreticorum ita desipuit, ut justis, negaret vitam vere æternam (si deliria Origenis demeris, quod perpetuis revolutionibus etiam Sancti converti debeant in bonum, & in malum): ergo pariter supplicium impiorum debet intelligi & vere, & proprie æternum. Alibi etiam invenitur hæc ipsa oppositio inter æterna justorum gaudia, & æterna impiorum supplicia. Dan. XII. 2. *Evigilabunt*, *alii in vitam æternam*, *alii in contemptum æternum*; Apoc. XX. 10. de impiis dicitur: *Cruciabuntur die*, *ac nocte in sæcula sæculorum*; de justis autem cap. XXII. 5. *Regnabunt in sæcula sæculorum* (a).

178. Præterea illa loca, in quibus nomen *æternitatis* usurpatur ad tempus diuturnum denotandum, talia sunt, ut ex adjunctis mens sacrorum Scriptorum luculenter appareat. Sic sæpius promissa est Hebræis possessio terræ Chanaam *usque in æternum*; sed semper ea conditione, si legem Dei fideliter observassent. Etiam lex Mosaica prædicitur duratura *in perpetuum*; sed bene animadvertit S. Th. 1. 2. qu. 103. art. 3. ad 1.: „ Quod „ lex vetus dicitur esse in æternum, secundum „ moralia quidem simpliciter, & absolute, secun„ dum cæremonialia vero, quantum ad veritatem „ per eam figuratam“. Demum promissum fuit David Regi, ejusque semini solium Israel, *usque in sempiternum*; sed Angelus nos docuit Lucæ I. 32., hanc promissionem pertinere ad Jesum Christum, qui regnaturus erat super sedem David *in domo Jacob in æternum*.

179. Observant *demum* linguæ sanctæ periti, quando *æternum* exprimitur per vocem עלם *holam*, aliquando significare tempus valde longum, non autem semper infinitum: secus vero quando adhibentur voces נצח *Netsach*, vel עד *ad*; his enim semper exprimitur vera sine fine æternitas. Verumtamen etiam sine his grammaticalibus observationibus ex contextu, ex locis parallelis, ex novo Testamento, atque ex constanti Patrum intelligentia verus, ac germanus S. Scripturæ sensus erui debet.

180. Dices. In Ep. Canonica Judæ comm. 7. legitur: *Sicut Sodoma*, *& Gomorrha ... factæ sunt exemplum*, *ignis æterni pœnas sustinentes*; ignis autem ille vere æternus non fuit.

181. Resp., id, si aliquid valeret, probare etiam pœnas damnatorum non futuras diuturnas, sed brevissimas; quemadmodum infelices illæ civitates brevissimo tempore igne consumptæ fuere. Sed illorum verborum sensus planus hic est, ignem illum, quod Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates suorum criminum pœnam in hoc mundo sustinuerunt, exemplum esse alterius ignis, nempe æterni, quo in inferno reprobi perpetuo ardere debebunt.

182. Obj. *primo*. In Psalmo CXXXIX. de damnatis dicitur: *Cadent super eos carbones*, *in ignem dejicies eos*, *in miseriis non subsistent*: vel ergo damnati a miseriis tandem destruentur, vel ab

„ Licet Deus de justitia creaturæ contra se peccanti pos„ set esse subtrahere, & eam in nihilum redigere, ta„ men convenientior justitia est, ut eam in esse reser„ vet ad pœnam .... quia ista justitia congruentius re„ spondet culpæ in duobus. In uno quidem, quia in „ culpa voluntas contra Deum agit, non autem natu„ ra, quæ ordinem sibi a Deo inditum servat; & ideo „ talis debet esse pœna, quæ voluntatem affligat, na„ turæ nocendo, qua voluntas abutitur. Si autem crea„ tura omnino in nihilum redigeretur, esset tantum „ nocumentum naturæ, & non afflictio voluntatis. In „ altero vero, quia cum in peccato duo sint, scilicet „ aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bo„ num commutabile, conversio post se aversionem tra„ hit. Nullus enim peccans intendit a Deo averti, sed „ quærit frui temporali bono, cum quo simul Deo frui „ non potest: unde cum pœna damni aversioni culpæ „ respondeat, conversioni vero ejus pœna sensus, *pro* „ *actuali culpa* conveniens est, ut pœna damni non sit „ sine pœna sensus. Si autem in nihilum creatura re„ digeretur, esset quidem pœna damni æterna, sed non „ remaneret pœna sensus“. Hæc Angelicus, cujus solida philosophandi ratio nedum concordat cum certo fidei dogmate de æternis damnatorum suppliciis, sed illud etiam mirifice confirmat.

(a) Pulchra sunt ea Sancti Gregorii Magni verba Lib. XXXIV. *Moralium* cap. 16. ubi inquit: „ Sunt nunc „ etiam, qui idcirco peccatis suis ponere finem negli„ gunt, quia habere quandoque finem futura super se „ judicia suspicantur. Quibus breviter respondemus: „ Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, „ quandoque finienda sunt ergo & gaudia Beatorum. „ Per semetipsam namque veritas dixit: *Ibunt hi in* „ *supplicium æternum*, *justi autem in vitam æternam*“.

ab ipsis liberabuntur, ut in eis subsistere non debeant.

183. Resp. alium esse eorum verborum sensum, quem nobis exhibet S. Hieronymus hæbraicæ linguæ callentissimus, nempe impios nunquam esse a miseriis liberandos; ita enim vertit: *Cadent super eos carbones ignis, dejicies eos in foveas, ut non consurgant*. Car. autem Houbigant legit: *In foveam dejicies eos, nec amplius consistent*.

184. Inst. *primo*. Aliis in locis regius Psaltes futuram ab inferno liberationem manifeste innuit: Ps. XV. *Non derelinques animam meam in inferno;* & Ps. XLVIII. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi*.

185. Resp., priorem locum fuisse a S. Petro Act. II. 31. expositum de Christi resurrectione, ut mirum proinde sit, a Socinianis trahi ad liberationem damnatorum. Alio vero in loco David exprimit suam firmam spem, se esse a divina misericordia liberandum, ut non incurreret æternum supplicium, quod suis gravissimis culpis promeritus erat.

186. Inst. *secundo*. Psalmo LXXXVI. idem S. Propheta ita Dei misericordiam magnificat: „ Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? Aut obliviscetur misereri Deus? Aut continebit in ira sua misericordias suas "? Psalmo item CII. *Dominus misericors .... non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*. His similia habet Isaias c. LVII. 16., ita Deum loquentem inducens: *Non enim in sempiternum litigabo* (vel ut habent LXX. *Ulciscar*) *neque usque ad finem irascar*.

187. Resp. cum S. Augustino in Enarrationibus super utrumque Psalmum, ibi sermonem esse de punitione Dei in hac vita, in qua suæ misericordiæ semper recordatur, quatenus per hujus vitæ flagella nos Deus invitat ad ejusdem iram salutari pœnitentia placandam. Et idem S. Pater Lib. XXI. *De civ. Dei* cap. 24. postquam iterum dixisset, illa Davidis verba ad hanc ærumnosissimam vitam pertinere, in qua Deus simul cum ira misericordiam conjungit ita subdit: „ Sed quibus placet, istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno est prænuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos, *non tanta, quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari* ... Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto ". Ceterum idem Psalmista in Ps. XLVIII. 20. de divite reprobo ita pronunciat: *Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbit lumen*, idest ut S. Augustinus exponit, *excipient eum tenebræ tormentorum*.

188. Isaias autem multo apertius loquitur de pœnis hujus vitæ, quibus Deus homines sibi caros affligit, *ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum;* ut ibidem immediate antea dicitur.

189. Obj. *secundo* ex N. T. S. Paulus ep. 1. ad Cor. XV. 22. & seq.: „ Sicut, *inquit*, in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur ... Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem hoc dicat: omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerunt illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ". Ex hoc autem Paulino testimonio multa Origenistæ in rem suam derivant. *Primo*, sicut omnes homines in Adam mortui sunt, ita omnes in Christo ocius, serius esse vivificandos. *Secundo*, omnium novissimam esse destruendam mortem, nempe secundam mortem, de qua loquitur S. Jo. Apoc. XX. 6. quæque nihil est aliud, quam impiorum damnatio. *Tertio*, omnia esse subjicienda Filio, ut & ipse subjiciatur Deo Patri, ut sit *Deus omnia in omnibus*, nulla amplius existente distinctione.

190. Resp., totum hunc Apostoli locum pertinere ad resurrectionem Sanctorum, quibus proponit futuram resurrectionem cum Christo, tanquam magnum solamen in multis, quibus premuntur, hujus vitæ calamitatibus; unde in Commate 19.: „ Si, *inquit*, in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium "; quæ ad Sanctos spectare, aperte liquet: deinde commat. 23. de iis loquitur, *qui sunt Christi*, *qui in adventu ejus crediderunt*. Hoc autem posito, facile explicantur, & conciliantur omnia sequentia.

191. *Primo* igitur dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, scilicet morte spirituali, *ita & in Christo omnes vivificabuntur;* omnes inquam, qui *ejusdem Christi sunt*, nempe electi, excitabuntur ad vitam beatam, & gloriosam in cœlis una cum ipso Christo.

192. *Secundo* perperam mortem destruendam aliqui interpretantur secundam mortem, de qua loquitur S. Joannes in Apocalypsi; sensus enim planus & obvius est, mortem esse destruendam, quia Sancti resurgent ad vitam immortalem. Id ipsum tamen de reprobis dici proprie, non potest; quamvis enim & ipsi resurgent, non amplius morituri, non tamen dici possunt a morte liberati, quia ad vitam morte deteriorem transibunt: quomodo rei quando de carcere trahuntur ad supplicium, non proprie dicuntur de carcere liberati, quia de uno malo ad majus commigrant.

193. Postremum denique facilem habet explicationem cum S. Thoma in fine Lect. II. *Ut sit Deus* o-

omnia in omnibus „ quia tunc manifestabitur, „ quod quidquid boni habemus, est a Deo " ; quando scilicet Christus cum tota Ecclesia, ex solis electis tunc constante, subjicietur Deo, quia nempe in eis nihil erit amplius mali, ut proinde nihil in eis sit, quod non sit a Deo, a quo est omne bonum. Unde S. Leo Papa in Serm. XIV. *De passione Domini*, vere dixit, *istius esse vitæ, sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus*. Vel ut explicat S. Augustinus Lib. XXII. *De Civit. Dei* c. 30. „ Sic & illud recte intelligitur, quod ait Apostolus, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Ipse „ finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine „ videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic „ actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita æterna, communis". Consul. Guil. Estius in Comment. ad hunc locum Apostoli.

194. Inst. *primo*. Idem S. Paulus ad Coloss. I. 19. seq. de Christo scribit ; „ In ipso complacuit, „ omnem plenitudinem inhabitare, & per eum „ reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive „ quæ in cœlis sunt". His similia sunt, quæ idem Apostolus scripsit ad Ephesios I. 10. de Deo, qui voluit *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt:* quæ verba de Angelis bonis intelligi nequeunt, qui nec *pacificari*, nec *instaurari* per Christi passionem indigebant: restat ergo, ut de Angelis malis intelligantur, qui eatenus in cœlis esse dicuntur, quatenus ad superiorem nostræ athmosphæræ partem detrusi fuerunt; ut ad eos quoque infinitum sanguinis Christi pretium extendatur.

195. Resp. reconciliationem, vel instaurationem, de qua loquitur in utroque loco Apostolus, non esse inter Angelos, & Deum, cum *Christus non sit mortuus pro Angelis*, ut inquit Augustinus in *Enchir.* cap. 61.; sed est inter Angelos, & homines, hominum enim erant Angeli inimici propter peccatum, quo sublato per Christi sanguinem omnia reconciliata, pacata, & instaurata sunt, unitis simul Angelis, & hominibus in Christo tamquam capite. Hanc explicationem approbat S. Augustinus loco laud. addens cap. 62.: „ Instaurari „ ea, quæ in cœlis sunt, cum id, quod inde in „ Angelis lapsum est, ex hominibus redditur; in„ staurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi „ homines, qui prædestinati sunt ad æternam vi„ tam, a corruptionis vetustate renovantur". Addo, inepte dici, cacodæmones, seu malignos spiritus *in cœlis esse;* quanquam enim non repugnaverim, eorum aliquos per aera volitare, minus proprie tamen iidem dicerentur *in cœlis esse*. Et ulterius maxima eorum pars jam ad inferos detrusa creditur, vel in terris vagatur; quibus propterea illa verba adaptari nequeunt.

196. Inst. *secundo*. Idem Doctor gentium ad Rom. XI. 32. *Conclusit Deus*, inquit, *omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*. Nemo igitur erit a divina misericordia in æternum derelictus.

197. Resp. cum Sanctis Augustino, & Thoma, illos *omnes*, quorum Deus miseretur, esse *omnes electos*. „ Quid est *Omnium?* inquit Augustinus „ Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 24., & eorum scilicet, quos ex Gentibus, & eorum quos ex Ju„ dæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glori„ ficavit; *non omnium hominum*, sed *justorum* „ *omnium* neminem damnaturus". S. autem Thomas sic habet: „ *Conclusit enim Deus*, idest con„ cludi promisit *omnia*, idest omne hominum ge„ nus, tam Judæos, quam Gentiles, in incredu„ litate, sicut in quadam catena erroris ... *ut o*„ *mnium misereatur*, idest ut in omni genere ho„ minum sua misericordia locum habeat".

198. Inst. *tertio*. S. Petrus Act. III. 20. seq. ita Judæos est allocutus: *Ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum; quem oportet quidem cœlum suspicere, usque in tempora restitutionis omnium* (græce ἀποκαταστάσεως παντων) &c. *Si omnia* in pristinum statum restituenda sunt, ergo & damnati, atque ipsi dæmones restituentur.

199. Resp. *restitutionem omnium*, de qua loquitur S. Petrus, nihil esse aliud, quam generalem omnis carnis resurrectionem, quando nempe Christus, jam in cœlo receptus, iterum venturus est judicare vivos, & mortuos, & tunc erunt *tempora refrigerii*, in quibus electorum corpora primævæ integritati restituentur; ac propterea idem Apostolorum Princeps in commate præced. omnes ita exortabatur: *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra;* ut nimirum parati invenirentur ad *tempora refrigerii*, quæ illis promittit. Hæc autem exhortatio fuisset inutilis si per *apocatastasim omnium* intelligeretur universalis liberatio omnium damnatorum.

200. Inst. *quarto*. Apoc. III. 3. & seq. „ Et au„ divi, *inquit* S. Joannes, vocem magnam de thro„ no dicentem: ecce tabernaculum Dei cum ho„ minibus, & habitabit cum eis; & ipsi populus „ ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum „ Deus: & absterget Deus omnem lacrymam ab „ oculis eorum, & mors ultra non erit, neque lu„ ctus, neque clamor; neque dolor erit ultra, quia „ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in thro„ no: ecce nova facio omnia". Nihil expressius dici potest ad designandam universorum hominum liberationem ab omni ærumna, ut omnes tandem simus populus Dei, & ipse Deus noster.

201. Resp. illam propheticam S. Joannis visionem referri ad electos habitatores cælestis Jerusalem; unde in commate præcedenti dixerat: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem:* & postea comm. 3. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus; & ille erit mihi filius*. Prosequitur autem S. Joannes prædicens, quid futurum sit impiis: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris,*

&

& omnibus mendacibus, *pars illorum erit in stagno ardenti igne*, *& sulphure: quod est mors secunda*, æternum duratura.

202. Inst. *quarto*. Marci XII. 40. de iis hypocritis, *qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis* dicit Christus: *Hi accipient prolixius judicium;* idest longiorem damnationem; quod falsum esset, posita omnium damnatione æterna.

203. Resp. *prolixius* idem significare eo loco ac majus, seu majorem, & acerbiorem condemnationem, non autem longiorem, quod etiam significat vox græca περισσότερον κρίμα *abundantius judicium*.

204. Obj. *tertio*. Quanquam satis diserta, & decretoria videantur allata hactenus Scripturæ sacræ oracula ad pœnarum infernalium æternitatem comprobandam, nihil tamen impedit, quin aliquatenus emolliantur, *primo*, quia Legislatores ad terrorem incutiendum solent plerumque severissimas pœnas violatoribus comminari, quas tamen aut omnino remittere, aut saltem mitigare consueverunt: *secundo*, quia etiamsi pœnæ comminatæ possint legum prævaricatoribus juste infligi, possunt tamen etiam remitti, & condonari citra ullam injustitiæ notam; hoc enim inter pœnæ comminationem, & promissionem præmii discrimen est, quod promissor jus alteri tribuit consequendi præmium; qui autem pœnam minatur, non adimit sibi jus eamdem condonandi. Ita subtiliter cavillabatur olim Jo. Tillotsonus Anglus in quodam Sermone *de sententia Christi in extremo judicio;* cui assensus est Jo. Clericus Semi-Socinianus in nonnullis suorum operum locis.

205. Resp. blasphemare eos in Deum, qui comminationes supplicii æterni peccatoribus impœnitentibus factas mera esse terriculamenta blaterant; cum potius dicenda sint vera, & irrevocabilia Dei decreta. Id patet ex locis supra allatis, sed potissimum ex illa terribili sententia, non solum comminata, sed ut ita dicam, jam prolata contra reprobos Matth. XXV. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum*. Eamdem autem esse executioni mandandam, Christus ipse nos certissimos facit subdens: *Et ibunt hi in supplicium æternum*. Quid clarius, vel expressius? *Non est Deus*, *quasi homo*, *ut mentiatur*, Num. XXIII. 19. Propterea jure merito S. August. Lib. XXI. *De Civ. Dei* c. 24. eos, qui *minaciter potius*, *quam veraciter* hæc, & alia ejusdem generis de æternis pœnis dicta esse putabant, *Scriptura divina*, inquit, *planissime, atque plenissime redarguit*, *ac refellit*.

206. Neque vero juvat Adversarios Ninivitarum exemplum, quo abuti solent dicentes non fuisse subsecutam Ninivæ subversionem, quam Jonas nomine Dei fuerat comminatus. Non inquam id juvat: fuerat enim, ut nemo dubitat, illa comminatio alligata conditioni, *nisi resipiscerent;* & pariter nemo dubitat, fuisse amplissimam illam civitatem funditus subvertendam, si ad prædicationem Jonæ debita pœnitentiæ opera non fecisset. Ut quid enim misit Deus ad Ninivitas Jonam Prophetam, nisi ut eos ad pœnitentiam revocaret? Idipsum facit Deus cum peccatoribus: ipsis comminatur æternas pœnas, ut convertantur a viis suis pessimis; quod si pœnitentiam non agant, certo certius sciant, se comminatas pœnas daturos. Quod Deus pluribus exemplis etiam demonstratum voluit. Quis enim, ut verbis utar eloquentissimi Chrysostomi Hom. XXV. in epist. ad Rom. „Quis sub „Noe orbem totum inundavit, & grave illud naufragium curavit, totamque generis nostri perniciem? Quis postea fulmina illa, & incendia immisit in Sodomorum terram? Quis Ægyptum totum in mare demersit? Quis sexcenta hominum millia in deserto consumpsit? Quis synagogam Abyronis combusit. Quis jussit terram os aperire, & Core, Dathan, & socios absorbere? Quis septuaginta hominum millia uno temporis momento sub David perdidit"?

207. At vero, inquiunt, qui pœnas inferni finem habituras frustra sibi blandiuntur, annon potest Deus pro sua bonitate damnatis, atque dæmonibus ipsis tandem aliquando parcere?

208. Resp., id posse Deum *de absoluta potentia*, ut loquuntur Theologi, quia id in se, & absolute non repugnat; non posse autem *de potentia ordinaria*, quia id opponitur ordini a se constituto, nobisque in sacris Litteris manifeste revelato. Sic posset Deus *de absoluta potentia* aliquos homines a morte liberare; nemo tamen, nisi delirus, id sperabit, postquam Deus revelavit, *statutum esse hominibus semel mori*, ad Hebr. IX. 27. & Ps. LXXXVIII. *Quis est homo*, *qui vivit*, *& non videbit mortem?* Sed hæc majore in luce ponet sequens

PROPOSITIO II.

Æternitas pœnarum infernalium probatur ex constanti traditione Ecclesiæ.

209. Et primo antiquam, & perpetuam fuisse de hoc dogmate traditionem Ecclesiæ, liquet ex damnatione Origenis. Hæc primo facta est a Theophilo Alexandrino Patriarcha in Synodo habita anno 400. (quam *legitimam* appellat Huetius Lib. II. *Origenian.* sect. 2. n. 6. quanquam Theophili minime amicus) (*a*). Inter alios Origenis errores in ea Synodo damnatos hic recensetur in epistola Sy-

(*a*) Hujus Concilii epistola Synodica, quam deperditam esse putavit laud. mox Huetius, inventa est in perantiquo Codice locupletissimæ Ambrosianæ Bibliothecæ, quo translatus fuit ex Monasterio Bobiensi Columbani, & a clariss. Domin. Vallarsio in primo Tomo luculentæ suæ editionis Sancti Hieronymi, una cum responsione Synodi Jerosolymitanæ publici juris facta epist. XCII., & XCIII.

Synodica, *quod Christi regnum finietur aliquando*, *& diabolus cunctis peccatorum sordibus liberatus*, *æquo honore decorabitur*, *& cum Christo subjicietur*. Porro Eulogius Jerosolymitanus habita suorum Episcoporum Synodo respondit Theophilo: ,, se, suosque nunquam audivisse docentes, ,, quod Christi regnum aliquando sit terminandum ,, ... & quod Diabolus cunctis peccatorum vitiis ,, liberatus, dignitatem obtineat, quam habuit, ,, antequam caderet, ita ut & ipse, & Christus sub ,, unum Dei Patris redigantur imperium. Qui e- ,, nim ita credunt, ituri sunt in tenebras, quæ ,, præparatæ sunt diabolo, & angelis ejus ,,. Neque solum ab Episcopis Palæstinæ, sed etiam ab aliis non paucis, immo ab ipso Anastasio Romano Pontifice damnatio Origenis acceptata, & confirmata fuit. En igitur qualis esset jam sæculo IV. labente hac de re Fidelium doctrina, & Ecclesiæ traditio.

210. Solemnior postea Origenis proscriptio facta est in Synodo V. œcumenica anno 553.; in qua fuisse peculiariter damnatum hunc errorem, quod *Omnium impiorum hominum*, *ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura sint: atque impios*, *ac dæmones in priorem suum statum sint restituendi*, testatur Nicephorus Callisti filius Lib. XVII. *Hist.* cap. 28.; immo & colligitur ex VII. Synodo Act. I. Etiam Justinianus Imperator in celebri sua epist. ad Menam postremo anathematismo ita definit: ,, Si quis dicit, vel sentit, temporariam esse dæmonum, vel impiorum hominum punitionem, finemque aliquo tempore hanc ,, habituram, nimirum restitutionem futuram dæmonum, vel impiorum hominum, anathema ,, sit ". Hoc autem Justiniani decretum fuisse a Romano Pontifice, ceterisque Patriarchis approbatum, testes sunt Liberatus Diaconus Carthaginensis in *Breviario* cap. 23., & Cassiodorus Lib. I. *Div. Institut.* cap. 1.

211. Neque minus a Patribus illius ætatis impia Origenis hæresis explosa, & condemnata fuit. S. Epiphanius in epist. ad Joann. Jerosolymit. de Origene loquens: ,, Illud quoque, *ait*, quod asserere nititur, doleamne, an rideam, nescio. Doctor egregius audet docere, diabolum id rursus ,, futurum esse, quod fuerat, & ad eamdem rediturum dignitatem, & conscensurum regnum cœlorum. Proh nefas! Quis tam vecors, & stolidus, ut hoc recipiat, quod S. Jo. Baptista, & ,, Petrus, & Joannes Apostolus & Evangelista, Isaias quoque, & Jeremias, & reliqui Prophetæ ,, cohæredes sint diaboli in regno cœlorum ".

212. S. autem Hieronymus in Cap. III. Jonæ tamquam omnino absurdam rejicit Origenistarum doctrinam, qua posita: *Quæ distantia*, inquit, *erit inter Virginem*, *& prostibulam? .... Idemne erit Gabriel*, *& diabolus? Idem Apostoli*, *& dæmones? Idem Prophetæ*, *& pseudoprophetæ? Idem Martyres*, *& persecutores?* Prosequitur porro Doctor maximus, eamdemque doctrinam vocat *dogma perversum*, *&* συμ φράγ μα *propugnaculum diabolicum*.

213. S. Augustinus in Lib. *De hæresibus* n. 43. inter Origenis dogmata, ,, quæ Catholica Ecclesia ,, omnino non recipit, *hoc etiam recenset* De purgatione, & liberatione, ac rursus post longum ,, tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim catholicus, *subdit*, ,, Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum, id est etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegiis, ,, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ,, ipsum etiam postremo diabolum, atque angelos ,, ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos, atque liberatos regno Dei, lucique restitui ,, &c. "? Varias postea horum, quos *Misericordes*, *& in perversum Misericordes* appellat, sententias distinguit in Lib. XXI. *de civ. Dei* cap. 17. & seq. Vid. sup. n. 169., omnesque ex sacris litteris invicte refellit; tum etiam ex traditione Ecclesiæ; ,, neque enim, ait cap. 23., sancti, & sacris veteribus, ac novis litteris eruditi mundationem, & regni cœlorum beatitudinem, post ,, qualiacumque, & quantacumque supplicia quibuscumque, & quantiscumque Angelis inviderunt: sed potius viderunt, divinam vacuari, vel ,, infirmari non posse sententiam, quam se Dominus prænuntiavit in judicio prolaturum, atque ,, dicturum, *Discedite &c.* ".

214. Addamus & Fulgentium, qui in Libro *De fide ad Petrum* inter ea, quæ *firmissime tenenda* præscribit cap. 43., hoc etiam ponit, quod ,, Sempiterna, atque immutabili prolata sententia, ,, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam ... ,, semper arsuri cum diabolo. *Unde merito Ecclesia in Symbolo* Quicumque *ita profitetur:* ,, Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; ,, qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est ,, fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit ".

215. Dion. Petavius Lib. III. *de Angelis* c. 7. contendit, de diaboli, ac dæmonum pœnis terminandis, futuraque eorum liberatione paucos ex antiquis Patribus assensos fuisse Origeni; de damnatis vero hominibus *plures*; & quosdam quidem *plenius*, *levius* alios, & quasi cunctanter (*a*). Objicit autem *primo* Gregorium Nyssenum, qui in *Orat. Catechetica* cap. 26. docet, Domini Jesu Christi adventum non solum homini profuisse, sed etiam

(*a*) Petavio consentiunt Hugo Grotius, in notis ad cap. XXV. Matthæi, Origenem quodammodo excusans, quod *similia fere apud Justinum Martyrem*, *Arnophilum Antiochenum*, *Tatianum*, *Theobium*, *Irenæum leguntur*; & Huetius, qui in *Origenianis* Lib. II. Quæst. XI. n. 23. Origeniani erroris accusat S. Augustinum Mart., Arnobium, utrumque Gregorium Nazianz., & Nyssenum, & nonnullos Monachos Novæ Lauræ.

tiam illi, qui homini perniciem, atque interitum attulerat, ut nimirum & ille quasi aurum in fornace longo ardore purgari debeat. Et in Lib. *de anima, & resurrect.* explicans illa verba Apostoli 1. Corinth. XV. *Deus erat omnia in omnibus*, id tum verum futurum dicit, quando „ Vitiositate „ longis sæculorum anfractibus, & circuitionibus „ aliquando abolita, atque extincta, nihil præter „ bonum relinquetur: sed etiam dæmones concor„ diter, & consentienter dominationem Christi con„ fitebuntur ". Idipsum docet in Psalm. cap. 9. & in aliis suis operibus.

216. Resp. negari non posse, hæc, & quædam alia Origenianam hæresim sapere; negatur tamen, hæc ex purissimo, & orthodoxo Nysseni calamo excedisse, cum manifeste constet, ea fuisse adulterina manu assuta. Neque vero id sine fundamentis a nobis asseritur. Nam *primo* S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus hac eadem apologia demonstravit, *S. Gregorium, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia*, apud Photium in *Biblioth.* cod. CCXXXIII. (*a*) *Secundo* Nicephorus Callisti filius Lib. XI. *Hist. Eccl.* cap. 19. eadem ratione vindicias S. Gregorii egit, asserens Origenianos errores fuisse in ejusdem Lib. *de anima* intrusos. *Tertio*, non tantam obtinuisset hic sanctus apud veteres existimationem, si in tam putidos errores fuisset lapsus, quos Ecclesia universa execrabatur. Justinianus Augustus ejus auctoritate contra Origenem usus est; ac Synodus V. œcumenica eum inter Patres, & Doctores Ecclesiæ laudavit, quos sequi se velle professa est. Ita ne vero, si Origeniano luto, ab omnibus execrato adhæsisset?

217. Demum multo certius orthodoxæ S. Gregorii doctrinæ argumentum nobis ea suppeditant, quæ ab interpolatricibus Origenianorum manibus in ejus operibus intacta supersunt. Nam in Orat. *adv. eos, qui castigationem ægre fuerunt* hæc habet: „ Misera (*anima*) tum suæ se temerita„ tis accusans, lugensque, ac plorans, ac gemens, „ in locum quemdam tristem, tanquam angulum „ abjecta permanebit, luctuque nunquam finitu„ ro, ac insolabili in æternum pœnas luens. *Et* „ *Orat. I.* de pauperibus amandis. Denique, *ait*, „ pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, „ qui boni, benignique fuerint, atque optime vi„ tam egerint, summa, & perpetua quies tribui„ tur in regno cœlesti; inhumanis autem, & im„ probis supplicium ignis, idque sempiternum. „ *Et tandem Orat. V.* de beatitudinibus, Quis, „ *inquit*, extinguet flammam? Quis avertet ver„ mem nunquam morientem "? Hæc, & similia non pauca, quæ adhuc in Operibus hujus S. Doctoris, leguntur, plane ostendunt, quam alienus ipse fuerit ab Origenianis blasphemiis. (*b*).

218. Objicit *secundo* Petavius nonnulla alterius Gregorii, nempe Nazianzeni loca, quibus Origenianum dogma de damnatorum purgatione confirmari videtur. Nam Orat. XXXIX., quæ est *in Sancta Lumina* num. 19. Novatianis comminatur supplicia post mortem, sed purgatoria tantum, non æterna: „ Forte, *inquit*, illic igne baptizabuntur ul„ timo baptismo, qui laboriosior est, & longior; „ quique materiam, ceu fœnum depascitur, & o„ mnis malitiæ levitatem consumit ". Ita Nazianzenus, alludens sine dubio ad illum Apostoli locum 1. ad Cor. III. 13. seq. *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit* &c. quem locum bene multi Interpretes de igne Purgatorii intelligunt. Rursus idem Sanctus, Orat. XL. *in Sanctum Baptisma* num. 36. duo ignium genera distinguit, alterum Purgatorium, quod *materiæ, ac malæ affectionis consumendæ vim habet*; alterum minime Purgatorium, sed pœnale, & sempiternum, quo utrum homines perpetuo torquendi sint, sub dubio relinquit: „ Est, *inquit*, ignis non purgans, „ sed scelerum vindex, sive Sodomiticus, quem „ in omnes peccatores pluit, sulphure, & procel„ la mixtum, sive eum, qui paratus est diabolo, „ & angelis ejus, sive eum, qui ante faciem Do„ mini procedit, & inflammabit in circuitu inimi„ cos ejus. Atque his formidabilior est adhuc il„ le, qui cum insomni illo verme conjunctus est, „ nec unquam extinguitur, verum in sceleratorum „ hominum pœnam sempiternus est. Hi enim o„ mnes eam vim habent, ut perdant; nisi malit „ quispiam hoc humanius, & ut puniente dignum „ est, intelligere ". Quibus postremis verbis permittit, humanius de divina justitia sentire, ut scilicet reorum punitio non sit sempiterna, sed purgatoria.

219. Resp. cum Natali Alexandro Dissert. XXVII. in *Hist. Eccl.* sæculi III. prop. 2., primum S. Gregorii locum obscurum esse, & cum Niceta in Comment. ad illam Orat. posse explicari de igne sem-

(*a*) Verba Photii loc. cit. hæc sunt: „ Contendit (*Germanus*) Gregorium Nyssæ Episcopum, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, dæmonibus, & hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde exspectandam: illi (quod virum doctrina singularem, & eloquentia insignem eum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent) aggressi sunt, claris, & salutaribus ejus scriptis obscura, ac perniciosa Origeniani somnii venena admiscere, virtutique hominis, & doctrinæ celebri hæreticam occulte amentiam subjicere ".

(*b*) Hæc tamen satis visa non sunt Dion. Petavio ad S. Gregorium Nyssenum ab Origenismi criminatione liberandum; inquit enim laud. c. 7. n. 6.: *Verum non facile sibi hoc persuaderi sinet* (scilicet fuisse Nysseni loca ab Origenis fautoribus corrupta) *qui ad illa legenda judicium, & candorem adhibebit. Quippe tam stilus, & dicendi character, quam reliqua consequens oratio, germana & nativa illa esse demonstrat.* Ego vero, pace tanti viri, judicio Germani, Nicephori, aliorumque veterum subscribere malo, potissimum autem Photii, quem doctissimum fuisse, & in Critica præstantissimum, omnes eruditi norunt.

sempiterno, qui materiam illam crassam, nempe maculam perpetuo depascitur, utpote quia illa peccati macula in æternum perdurabit. Ut enim ipse Nazianzenus ait Orat. XV. (in nova edit. XVI.) n. 7., in altera vita: „ Pœnæ tempus erit, non „ purgationis ..... non est mortuis in inferno con- „ fessio, nec morum correctio. Hic enim Deus „ vitam, & actionem, illic autem rerum gestarum „ censuram conclusit ". Et rursus num. 9. de suprema Judicis sententia loquens: *Post quam*, inquit, *non jam provocatio superest, non sublimior judex, non alia opera, per quæ quispiam pœnam deprecetur*. Ac demum de reprobis ait: *Hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia, istud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant*.

220. Admodum obscura sunt etiam alia postrema verba. *Nisi malit quispiam* &c.; quæ eatenus emolliri possunt, ut non referantur ad durationem pœnarum, quæ sempiterna erit respectu omnium damnatorum, sed ad intensionem earumdem pœnarum, quæ mitior erit, quam criminum enormitas mereatur.

221. Objicit *tertio* Petavius ex latinis Sanct. Hieronymum, qui in calce Commentar. ad Isaiam, cum ea loca sacræ Scripturæ recitasset, quibus Origenistæ suam de liberatione damnatorum sententiam propugnare solent, se ancipitem ostendit, dicens: „ Quod nos Dei solius debemus scientiæ de- „ relinquere: cujus non solum misericordiæ, sed „ & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quo- „ modo, aut quamdiu debeat judicare ". Deinde vero ita resolvit: „ Sicut diaboli, & omnium ne- „ gatorum, atque impiorum, qui dixerunt in cor- „ de suo: *Non est Deus*, credimus æterna tor- „ menta; sic peccatorum, atque impiorum, & ta- „ men Christianorum, quorum opera in igne pro- „ banda sunt, atque purganda; moderatam arbi- „ tramur, & mixtam clementiæ sententiam judi- „ cis ". Etiam in Dial. I. adv. Pelagianos num. 28.: „ Si Origenes, *inquit*, omnes rationabiles crea- „ turas dicit non esse perdendas, & diabolo tri- „ buit pœnitentiam, quid ad nos, qui & diabo- „ lum, & satellites ejus, omnesque impios, & „ prævaricatores dicimus perire perpetuo; & Chri- „ stianos, si in peccato præventi fuerint, salvan- „ dos esse post pœnas "? Hæc postrema verba videntur apertissime contraria æternitati pœnarum saltem respectu eorum, qui ex Christianis damnantur.

222. Resp. ad *primum*, priora S. Hieronymi verba non exprimere mentem ejusdem S. Doctoris, sed aliorum opiniones, quas Commentatoris officio refert, quin easdem probet. Id patet ex ipsa locutione in tertia aliorum persona: „ Porro, *inquit*, qui vo- „ lunt, supplicia aliquando finiri, & licet post multa „ tempora, tamen terminum habere tormenta, his „ utuntur testimoniis &c. ... Quæ omnia replicant, „ asseverare cupientes, post cruciatus, atque tor- „ menta futura refrigeria, quæ nunc absconden- „ da sunt ab his, quibus timor utilis est, ut dum „ supplicia, reformidant, peccare desistant ". Hactenus, ut patet, non suam, sed aliorum sententiam exponit. Non vult quidem S. Doctor eo loci aliquid certi de hac re proferre; quamobrem subdit: *Quod nos Dei solius debemus scientiæ derelinquere* &c. .... Quod ipsi insolens non est in suis commentariis; unde Ruffino similia quædam objicienti aliquando respondit: „ Se in Commentariis, „ ut se habet lex, & consuetudo commentariorum, „ multa, ex aliorum sententia, non approbando, „ sed referendo tantum dixisse ".

223. Addit equidem postea, *peccatorum, atque impiorum Christianorum opera in igne probanda, atque purganda*; sed id est de iis Christianis intelligendum, quos scelerum suorum ante mortem pœnituerit; non autem de jam damnatis, quibus locus pœnitendi non datur; ut enim inquit S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 65., *extra Ecclesiam non remittuntur peccata*.

224. In secundo loco objecto ex *Dial. contra Pelagianos* similiter loquitur Hieronymus de Christianis, qui venialibus peccatis maculati in ignem projiciuntur, sed *salvandi tamen post pœnas*, scilicet purgatorias. Sane ibi S. Doctor *Christianos in peccato præventos* distinguit ab *impiis*, & *prævaricatoribus*; & hos dicit *perire perpetuo* una cum diabolo, & cum satellitibus ejus. Christianos vero *in peccato præventos* salvandos post pœnas; supponit ergo eos in tali peccato esse præventos, quod non sit *prævaricatio* legis: tale autem peccatum non est nisi veniale.

225. Est etiam observandum, quod eodem loco Hieronymus iniquos, & peccatores ab impiis distinguit, & „ Omnis impius, *inquit*, iniquus est, „ & peccator, nec reciprocatur, ut possimus di- „ cere: omnis peccator, & iniquus etiam impius „ est. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui „ notitiam Dei non habent, vel cognitam transgres- „ sione mutarunt. Peccatum autem, & iniquitas „ pro qualitate vitiorum post peccati, & iniquita- „ tis vulnera recipit sanitatem; *unde scriptum est*: „ multa flagella peccatoris; *& non interitus sem-* „ *piternus. Et per omnia flagella, & crucia-* „ *tus emendatur Israel*: Quem enim diligit Do- „ minus, corripit; flagellat autem omnem filium, „ quem recipit. *Aliud est cædere magistri, &* „ *parentis affectu: aliud contra adversarios cru-* „ *deli animo desævire* ". Quibus omnibus perspicuum est, Doctorem maximum nonnisi eos ab æternis suppliciis liberos esse voluisse, qui peccatores, & iniqui sunt, non autem qui impii, scilicet qui vel sola peccata venialia admiserunt, vel si gravia, eorum tamen ante obitum pœnituit. Nam de aliis etiam Christianis, qui gravibus peccatis obstricti ex hac vita decedunt, omnino affirmat, eos sempiterno igne esse cruciandos. Lib. II. in Isaiam ad cap. V. 14. postquam ea verba *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino*, de Judæis explicavit in

in inferno *in perpetuum puniendis*, ita subdit: ,, Quidquid de populo diximus Judæorum, tropologice referri potest ad eos, qui sæculi deliciis ,, occupati, nec respicientes opera Dei, captivi ,, ducuntur in peccatum, & non habent scientiam ,, Dei; & idcirco ... detrahentur in gehennam, i-,, bique æternis cruciatibus deputati, potentiam, ,, & superbiam miseria cernent, & humilitate mu-,, tari ". Alia satis multa hujus generis loca afferri possunt, in quibus S. Doctor suam sententiam aperuit, ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina nullatenus dissonam.

226. Neque vero fas est dicere cum Petavio, quod *etsi alibi* Hieronymus *contraria quædam scripserit*, *non tamen* efficitur, in objectis locis non existimasse pœnas damnatorum esse temporarias, *nam sæpe pugnantes invicem sententias variis in locis ponere consuevit* .... Non inquam id dicere fas est; quasi vero tantus Ecclesiæ Doctor Carneadis more de sacrosanctis nostræ fidei dogmatibus disputaverit; quod piæ fidelium aures horrent audire.

227. Dices cum Jo. Garnerio in Append. I. ad I. P. Marii Mercatoris, pag. 117., S. Augustinum in *Enchiridio* c. 67. S. Hieronymo Origenismi notam impegisse, quamvis tacito ejusdem nomine; inquit enim: ,, Creduntur a quibusdam etiam ii, ,, qui nomen Christi non relinquunt: & ejus la-,, vacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo ,, schismate, vel hæresi præciduntur, in quantis-,, libet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœni-,, tendo, nec eleemosynis redimant; sed in iis us-,, que ad ultimum diem pertinacissime perseve-,, rent, salvi futuri per ignem, licet pro magni-,, tudine facinorum, flagitiorumque diuturno, non ,, tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, ,, & tamen Catholici sunt, humana quadam bene-,, volentia mihi falli videntur. Nam scriptura di-,, vina aliud consulta respondet ".

228. Resp., puram, putamque hanc esse Garnerii divinationem, aut suspicionem, cujus nullum aliud est fundamentum, quam quod putaverit, hanc falsam, & abnormem doctrinam reipsa a Hieronymo adoptatam fuisse, quod falsissimum esse mox demonstravimus. Quamquam vero S. P. Augustinus nomina eorum Catholicorum quos impugnabat, suppresserit, cum tamen illico subdat, se librum de hæc quæstione scripsisse, cujus titulus est *De fide*, & *bonis oporibus*; ex hoc eodem libro colligi potest, de quibus adversariis S. Pater locutus sit. Jam vero in laud. Libro *De fide*, & *bonis operibus* non solum hunc quorumdam Catholicorum errorem confutat, sed alium multo pejorem, cujus certe Hieronymus nunquam accusatus fuit; eorum nempe, qui dicebant, admittendos esse ad lavacrum regenerationis etiam eos, qui: ,, Malam, turpemque vitam facinoribus, & fla-,, gitiis evidentissimis notam mutare noluerint, ,, atque in ea se perseveraturos aperta etiam pro-,, fessione declaraverint, *quia* retenta fide Christia-,, na, sine qua in æternum periret, in quolibet ,, scelere, immunditiaque permanserit, salvum ,, eum futurum, tamquam per ignem &c. ". Hæc certe non docuit Hieronymus: non igitur contra eum facit liber *De fide*, & *bonis operibus* ab Augustino conscriptus.

229. Obj. *quarto* Petavius verba, quæ S. Ambrosius habet in Serm. XX. in Ps. CXVIII. num. 23., ubi inquit: ,, Differtur diaboli judicium, ut ,, sit semper in pœnis reus, semper improbitatis ,, suæ innexus catenis, conscientiæ suæ in per-,, petuum sustineat ipse judicium. Ideo dives ille ,, in Evangelio, licet peccator, pœnalibus urgetur ,, ærumnis, ut citius possit evadere. Diabolus autem ,, nequaquam pervenisse ad judicium demonstra-,, tur, nequaquam adhuc pœnis esse subjectus, ni-,, si quas ipse tantorum conscius criminum solvit ,, timore perpetuo, ne aliquando securus sit ".

230. Resp. Quamquam objecta verba obscuriora aliquanto sint, tamen & ex contextu, & ex aliis locis manifestum est, loqui S. Doctorem non de pœnis inferni, quas æternas esse statuit, sed de pœnis purgatorii, quibus obnoxiæ erunt illæ Christianorum animæ, quæ ex hoc mundo exeunt levioribus peccatis coinquinatæ. Nam paulo ante ea verba Psalmi *Judica judicium meum*, & *libera me*, de Sanctis exponit, qui optant a suo Redemptore judicari, ut absolvantur; postea addit: ,, Non vult Dominus commune Sanctis cum ,, diaboli sociis consortium esse judicii; diabolus ,, enim, & ministri ejus cum hominibus non fla-,, gellabuntur: separata est pœna, ubi distat & ,, culpa ". In fine autem ejusdem Serm. n. 58. sic nos hortatur: ,, Scientes, in æternum mansu-,, ra judicia omnia justitiæ Dei, caveamus, ne ,, opera nostra displiceant, & æternum incipia-,, mus subire judicium ".

231. Dices. In objecto testimonio S. Ambrosius affert exemplum divitis, qui sepultus in inferno cruciabatur, *ut citius posset evadere*: non ergo solas purgatorii, sed etiam inferni pœnas putavit esse finiendas.

232. Resp., illum Divitem, cujus mentionem facit Ambrosius, non esse Epulonem, qui sepultus est in inferno, sed aliquem alium, ad purgatorii pœnas damnatum, ut bene monent Benedictini editores. Epulonem enim æterno igni damnatum esse, pro certo habet Ambrosius in eumdem Ps. CXVIII. Serm. III. n. 17. inquiens: ,, Alius ,, iste est ignis, quo exuruntur peccata non vo-,, luntaria, sed fortuita, quem paravit servulis ,, suis Jesu, ut eos ab ista commoratione, quæ ,, permixta est mortuis, emundet: alius ille ignis, ,, quem deputavit diabolo, & angelis ejus, de quo ,, dicit: *Intrate in ignem æternum*; quo *ille di-*,, *ves ardebat*, qui stillari sibi de Lazari digito ,, poscebat humorem ". Innumera ejusdem generis præsto sunt loca Mediolanensis Antistitis ad pœnarum infernalium æternitatem dilucide confirmandam. Sed pluribus opus non est. Illud sufficiat,

ciat, quod habet Enarrat. in Ps. XXVII. n. 2. ubi nos exhortatur ad deponendam *onera graviora*, *quæ sunt nostra peccata*, subdens: *Nam si hinc peccata gravia portaveris, illic requiem non habebis*.

233. Præter hæc objiciuntur nonnulla dicta veterum Patrum, & *primo* quidem S. Justini, qui in *Dial. cum Tryphone Judæo*, n. 5. animas impiorum puniri dicit, *quamdiu eas esse*, *& puniri Deus voluerit*. *Secundo* S. Irenæus Lib. II. cap. 64. similiter asserit, animas, non secus ac alias res, perseverare, *quoad usque eas Deus & esse*, *& perseverare voluerit*. Et postea ait, bonis quidem daturum Deum: „ In sæculum sæculi „ longitudinem dierum; qui autem ingratus extiterit Factori ... ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia ".

234. Responsio facilis est. Et quidem quod attinet ad S. Justinum, mirari subit, posse strenuum istum fidei defensorem in Origenismi suspicionem trahi; cum sexcentis in locis, ut æternam Beatorum felicitatem, ita æternum prædicet impiorum supplicium. Immo hoc ipso in loco nobis objecto: *Non tamen*, inquit, *perire dico ullas animas; vere enim in lucro id esset improbis*. Quomodo autem improbis prodesset, eorum animas perire, si Justinus existimasset, eos tandem a cruciatibus liberandos? Puniuntur certe improbi, *quamdiu eos esse*, *& puniri Deus voluerit*, nempe in sempiternum. Ita enim est voluntas Dei. Nam alibi sæpissimæ id asserit, ut in eodem *Dialogo* n. 35. Judæos hortatur, ut in Christum credant, ne *æterno igne* ab eo damnentur; & n. 45. impios *in condemnationem ignis perpetuo cruciandos* mittendos dicit. Immo in Apol. II., quæ est ad Senatum n. 9. eos data opera confutat, qui *strepitus inanes esse*, *ac terricula*, *quæ de improborum cruciatibus in igne æterno* a Christianis dicuntur.

235. Neque enim dubitare fas est de orthodoxa S. Irenæi doctrina. Cum enim doceat, animas hominum perseverare, *quoad eas Deus esse*, *& perseverare voluerit*, id solum vult, animas nostras, ut cetera omnia, non habere *ex seipsis* æternitatem, quemadmodum habet Deus, qui cum nullum habuerit principium, sed a seipso semper fuerit, nulla vi, aut potentia destrui potest: anima vero, utpote a Deo creata, ita ab eodem in nihilum redigi potest: adeoque ab ejus voluntate pendet, ut in æternum duret.

236. Cum autem postea subdit, quod homo ingratus Factori suo *ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia*, nomine hujus perseverantiæ intelligit *vitam beatam*, quam designatam esse dicit a regio Psalte iis verbis: *Vitam petiit a te* (utique beatam) *& tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi*. Ceterum reprobos æterno supplicio afficiendos haud infrequenter statuit sanctus Lugdunensis Episcopus, ut Lib. III. cap. 33. afferens sententiam Christi judicis: „ Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est „ diabolo &c. *ea dicit*, *significari*, quoniam non „ homini principaliter paratus est æternus ignis, „ sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominem ... quem quidem, *sublit*, juste percipient „ etiam hi, qui similiter ut illi, sine pœnitentia, „ & sine regressu in malitiæ perseverant operibus ". Nihil porro disertius ad pœnarum æternitatem statuendam dici potest.

PROPOSITIO III.

Infernalis supplicii æternitas cum recta ratione non pugnat.

237. Nihil solemnius veteribus, ac novis Origenistis, seu *pseudo misericordibus*, quam nos provocare a luculentissimis Scripturæ testimoniis, atque a clara & constanti Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ traditione ad rationem humanam, cui imperceptibile videtur, divinæque bonitati repugnans, homines utut impios, ac scelestos æternis suppliciis condemnari, ut Deus nunquam eorum misereatur, iisque parcat. Quam in rem tota, qua possunt humanæ eloquentiæ vi causam suam perorant. Sed antequam singulatim eorum technas dissolvamus, non erit inutile considerare.

238. *Primo* hanc repugnantiam non fuisse animadversam a primis Ecclesiæ luminibus, maximo ingenio præditis, & acutissimo ratiocinio utentibus, Augustino præcipue, qui hoc potissimum argumento utebatur ad peccatores terrendos: unde *De catechizandis rudibus* c. 25. *Fuge*, *frater*, inquiebat, *fuge illa tormenta*, *ubi nec tortores deficiunt*, *nec torti moriuntur*. Lib. autem XXI. *De Civ. Dei* c. 23. incredulos ita monebat: „ Non „ argumentari adversus Deum, sed divino potius, „ dum tempus est, debent parere præcepto, qui „ sempiterno cupiunt carere supplicio ". Dicemusne, hos Sanctos Patres istius catholici dogmatis ab universa Ecclesia crediti apertam repugnantiam non vidisse, aut subdole dissimulasse, vanisque terriculamentis imperitum vulgus decipere voluisse?

239. Sed quid? Si etiam a Judæis, præcipue vero a duabus inter eos celeberrimis Sectis Pharisæorum, & Essenorum, fuisse credita supplicia impiorum æterna, testetur Josephus Lib. VIII. *Antiquit.* c. 2.? Multa in hanc rem ex libris Thalmudicis afferri possent, quæ studiose collegit Julius Bartholoccius Tom. II. Biblioth. Rabbin. in Dissert. *De inferno* (a).

240. Quid? Si vel ipsis Gentilibus, & non solum

(a) Ibi autem in fine ita colligit: „ Licet ex Thalmudicis doctrinis nullum stabile, ac fixum dogma „ Judaicum circa ea loca, pœnas, & reos in ipsis pumendos haberi possit, cum nimis inconstantes, va„ rii, ac lubrici sint in propositionibus, ac dictis suis: „ attamen in substantia hoc colligitur, per eos infer-

lum vulgaribus hominibus, sed etiam doctis, & Philosophis, immo ipsi Platoni dogma æternitatis pœnarum, saltem respectu scelestissimorum hominum cognitum, & creditum fuisse, haud difficulter demonstrari possit? Notum est illud Virgilianum *Æneid* VI. 618.

..... *Sedet, æternumque sedebit*
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Anne hi omnes rectæ rationis principia ignorarunt, ut eorumdem repugnantiam cum pœnarum æternitate non viderent? Sed age antequam examinemus; quænam sint hæc decantata rationis humanæ principia, quibus liceat divinam æternorum suppliciorum revelationem inficiari, aliqua nos rationum momenta proferamus, quibus sin minus ἀποδεικτικῶς, saltem probabiliter ostendamus, æternas esse debere peccatorum pœnas.

241. Primam rationem proponit S. Thomas Lib. III. *Contra Gentes* cap. 143. ductam ex discrimine notissimo inter peccatum mortale, & veniale. Primum enim hominem a Deo ultimo fine omnino avertit; alterum vero impedimentum solummodo aliquod affert, *quo retardatur, ne libere tendat in finem:* „ Si ergo, *concludit*, secundum differentiam peccatorum oportet esse differentiam pœnarum, consequens est, quod ille, qui mortaliter peccat, sit puniendus sic, quod excidat ab hominis fine: qui autem peccat venialiter, non ita quod excidat, sed ita quod retardetur, aut difficultatem patiatur in adipiscendo finem: sic enim justitiæ servatur æqualitas, ut quomodo homo peccando voluntarie a fine se divertit, ita pœnaliter contra suam voluntatem in finis adeptione impediatur ".

242. Alterum argumentum S. Thomas cap. seq. ita proponit: „ Eadem justitiæ ratione pœna peccatis redditur, & bonis actibus præmium, præmium autem virtutis est beatitudo, quæ quidem est æterna: ergo & pœna, qua quis a beatitudine excluditur, debet esse æterna. Hinc est, quod dicitur Matth. XXV. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*a*) ". Reliqua S. Thomæ ex ratione deprompta fundamenta vid. laud. duobus cap. 143., & 144., tum in Supplem. qu. 99. art. 1., ac præcipue 1. 2. qu. 87. art. 3., ubi ostendit, quomodo peccatum mortale *quantum est de se, inducit reatum pœnæ æternæ*.

243. Objiciunt autem Adversarii. Idea Dei omnibus ab ipso naturæ auctore insculpta, est idea entis summe, & infinite boni, benefici patris, sapientissimi provisoris, qui nos e nihilo extraxit, conservat, & regit, atque ad beatam sui fruitionem ordinavit; at vero cum hac Dei optimi idea nullo modo dogma æternitatis pœnarum conciliari potest; quomodo enim Deus adeo bonus rationales suas creaturas sibi dilectas, quamvis peccatrices, in perpetuum derelinquet, atque æternis suppliciis infelicissimas reddere poterit? Sane nullus Pater adeo irascitur filiis suis, etiam rebellibus, ut eos omnino perdere velit.

244. Resp., veram Dei optimi maximi ideam non solum misericordiam, ac benevolentiam erga homines creaturas suas, & filios suos includere, sed etiam summam, ac infinitam justitiam, qua suæ legis violatores, suisque beneficiis ingratos punire debeat. Misericordia item infinita erga ipsos peccatores in eo relucet, quod paratus sit, ipsi veniam benigne concedere, dummodo per veram pœnitentiam ad eum redire velint. Quodsi id negligant, atque in sua impietate obstinati intereant, eos promeritis pœnis excruciandos tradat. Hæc est vera idea, quam Dei summi, summeque justi, ac boni nobis sacræ litteræ exhibent, & a qua ipsa nostra ratio, si recta sit, non abhorret. Quod si illam Dei summe boni, quam *Misericordes* sibi fingunt, ideam, sequi velimus, non solum æternitatem, sed etiam acerbitatem, & longitudinem earumdem ita diminuemus, ut divinam justitiam penitus evacuemus, & majorem peccatoribus perverse agendi ansam tribuemus; semper enim ratio nostra eam sibi finget inter offensam Dei, ejusque punitionem, quæ sibi magis arridebit, proportionem, ut tandem quæcumque pœna sibi superexcedens videatur (*b*).

245. Inst. *primo*. Finis, quem Deus in creatione hominum, & angelorum sibi proposuit, est eorumdem æterna felicitas; quamobrem etiam nobis indidit ejusdem consequendæ indelebile desiderium; si igitur aliqui essent homines, vel angeli, qui numquam ad eam pervenirent, frustraretur supremi Creatoris finis, & inanis in iis esset ejusdem consequendæ appetitus.

246.

„ num dari damnatorum: ibi ignem inextinguibilem, „ gelu, & alia tormenta reperiri &c. ". Atque in hac doctrina conveniunt quoque nobiscum moderni Judæi, paucis fortasse exceptis Incredulis.

(*a*) Hac ratione utebatur S. Gregorius Papa contra eos, qui comminationem pœnarum æternarum factam esse dicebant duntaxat ad peccatores terrendos. *Si falsa*, inquiebat Lib. XXXIV. *Moral.*, *Deus minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Quis hanc eorum vesaniam toleraret, qui conantur adstruere, verum non esse, quod veritas minata est, & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem?*

(*b*) Pulchra est illa S. Augustini observatio Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 12.: *Pœna æterna ideo dura, & injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ, purissimæque sapientiæ, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima prævaricatione commissum sit.*

246. Resp. Hoc ipsum argumentum sibi proposuerat Angelicus in Lib. IV. *Sentent.* Dist. XLVI. qu. 2. art. 3. n. 3. his verbis. „ Sicut dicit Anselmus in Lib. II. *Cur Deus homo: Non est justum, ut Deus creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat:* ergo videtur, cum quælibet creatura rationalis creata fuerit ad beatitudinem, non esse justum, ut *omnino* perire permittatur ". Respondet autem S. Præceptor, Anselmum loqui de creatura „ secundum genus suum; non enim est conveniens divinæ bonitati, ut totum unum genus creaturæ deficiat a fine, propter quem est factum: unde nec omnes homines, nec omnes angelos damnari convenit. Sed nihil prohibet, quin aliqui ex hominibus, vel ex angelis in æternum pereant, quia divinæ voluntatis intentio impletur in aliis, qui salvantur ".

247. Inst. *secundo*. Deus non creavit tantummodo aliquos homines, vel angelos propter beatitudinem, sed plane omnes, atque omnibus ejus consequendæ innatum dedit appetitum: ergo si Dei bonitatem dedeceret, ut totum genus hominum, vel angelorum a fine deficeret, dedeceret pariter, aliquos, imo longe maximam hominum partem, ab eodem deficere.

248. Resp., id fore verum, si omnium, & singulorum hominum, & angelorum salus, & beatitudo esset ultimus divinæ bonitatis finis. Sed non est ita; *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum, Proverb. XVI. 4.*; nempe ultimus divinæ voluntatis finis est ipsius Dei gloria, quæ tam in eis relucet, qui per ipsius misericordiam ad æternam felicitatem perveniunt, quam in iis, qui ex divinæ justitiæ legibus æterno supplicio puniuntur. Non omnes angelos, nec homines esse ab æterna beatitudine rejectos ex divina revelatione certo noscimus; & propterea dicimus, haud decuisse divinam bonitatem, ut totum hominum genus, aut angelorum a suo fine deficeret; sicut ex eadem superna revelatione certo constat, non omnes homines, vel angelos æternam consequi beatitudinem: unde consequens est divinam bonitatem haud dedecere, admodum multos a suo ultimo fine decidere.

249. Nemo autem curiosius inquirat, quare hos, vel illos, vel tantam horum multitudinem a suo fine deficere permittat; cum hæc nobis revelare Deo minime placuerit, sed omnino voluerit ad inscrutabilia ipsius judicia pertinere. Ita S. Paulus Roman. IX. 15. & seq. primo allegat verba Dei ad Moysem Exodi XXXIII. 19. *Miserebor, cujus misereor: & misecordiam præstabo, cujus miserebor;* ac postea concludit: *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Deus quidem vult omnibus hominibus æternam felicitatem, sed voluntate tantum antecedenti, prout alibi explicatum est Tom. II. Dissert. V. cap. 2., „ ejusque voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem *omnibus proposita*, tam naturalia, quam gratuita ", ut loquitur S. Thomas in Lib. I. *Sentent.* Dist. XLVI. qu. 1. art. 1. Ulterius autem progredi non licet.

250. Inst. *tertio;* Quamquam Deus nemini teneatur misericordiæ suæ dona elargiri, absurdum est tamen, & plane infandum, cum crudeliter in suas creaturas sævire. Sane nemo posset a sævitia, & crudelitatis nota Principem eximere, qui hominem mortis reum lento igne comburi juberet, quo diutius cruciaretur; & nemo est, qui carnifici non irascatur, si in infligenda mortis pœna segnior sit, nec quamcitissime potest, miserum patientem occidat: pari ergo, imo multo potiori ratione sævitiæ accusandus esset Deus, si infelices reprobos supplicio sempiterno puniret.

251. Resp., hoc argumentum, si aliquid roboris haberet, etiam posse contra adversarios intorqueri, qui æternitatem quidem pœnarum infernalium negant, acerbitatem tamen, & maximam longitudinem inficiari non audent; sic enim nonnisi diutissimas, atque acerbissimas pœnas significari putant frequentissimis illis Scripturarum oraculis, quibus dicitur *ignis æternus*, & *inextinguibilis*, *vermis immortalis*, supplicium protrahendum *in sæcula sæculorum*. Hæc inquam omnia nihil aliud significare dicunt, quam *acerbissimas* & *diutissimas pœnas*. At vero pœnæ tam diuturnæ, & tam acerbæ, si allata ab adversariis exempla valent, sævitiem, & crudelitatem proculdubio sapiunt. Sed præstat nostrum intellectum in obsequium fidei captivare, & Deum justum humiliter confiteri, etiamsi transgressores suæ æternæ legis in æternum acerbissime puniat, quemadmodum ipse suis infallibilibus oraculis nos docet.

252. Inst. *quarto*. Omnis pœna, ut justa sit, debet esse culpæ debita proportione commensurata; sed nulla culpa est æterna, quinimo sunt aliqui infelices, qui nonnisi brevi aliquo vitæ suæ intervallo legem Dei violarunt: ergo &c. Sane hanc proportionem inter pœnam, ac culpam a Deo servatum iri, ipsæ sacræ litteræ nos docent; ut cum Salvator noster dicit Matth. XVI. 27, se *redditurum unicuique secundum opera sua*. Et Apocal. XVIII. 7. de muliere fornicaria: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

253. Resp. cum S. Thoma 1. 2. qu. 87. art. 3. ad 1., pœnam debere peccato commensurari, quantum ad acerbitatem, non quantum ad durationem. „ Sicut enim Augustinus dicit Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 11., in nullo judicio requiritur, ut pœna adæquetur culpæ, secundum durationem (*a*). Non enim quia adulterium, vel homicidium „ in

(*a*) Laud. S. Augustinus postquam ex Tullio enumerasset pœnas, quibus ex legibus puniuntur delicta, scilicet vincula, verbera, ignominiam, exilium, mortem, servitutem, luculenter demonstrat, ex legibus etiam ju-

„ in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte: in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod *in perpetuum* auferatur a societate viventium; & sic repræsentet suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus. Justum tamen est, secundum Gregorium Lib. IV. *Dial.* cap. 44., quod qui *in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur*. Dicitur autem aliquis *in suo æterno peccasse*, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi ".

254. Inst. *quinto*. Pœnæ sunt medicinæ quædam, ad hominum correctionem, & emendationem ordinatæ, ut dicitur in II. *Ethicorum* cap. 3.; sed nulla medicina debet esse infinita: ergo &c.

255. Respondet iterum S. Thomas ad 2.: „ Quod pœna, quæ etiam secundum leges humanas infligitur, non semper est medicinalis *ei, qui punitur, sed solum aliis:* sicut cum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu pœnæ peccare desistant, secundum illud Prov. XIX. 25. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit*. Sic igitur & æternæ pœnæ reproborum a Deo inflictæ sunt medicinales his, qui consideratione pœnarum abstinent a peccatis, secundum illud Psal. LIV. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui*. Et alio in loco, nempe in *Supplem.* qu. 99. art. 1. utitur exemplo justitiæ civilis, a qua nonnullæ pœnæ infliguntur reis ad eorum emendationem, aliæ vero non ad eorum correctionem, sed ad correctionem, & utilitatem aliorum, qui sunt in civitate; ut quando rei a civitate exterminantur: *Et ita*, concludit, *damnatio æterna impiorum est ad correctionem eorum, qui nunc sunt in Ecclesia* ".

256. Inst. *sexto*. Si Deus impios in æternum puniret, videretur delectari in eorum calamitatibus; hoc autem Deo clementissimo repugnat; & insuper dicitur Sap. I. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, scilicet hominum: ergo &c.

257. Respondet iterum S. Thomas laud. 1. 2. qu. 87. art. 3. ad 3., *Deum non delectari in pœnis propter ipsas, sed delectari in ordine suæ justitiæ, quæ hoc requirit*. Vid. etiam Lib. III. *Contra Gent.* cap. 54.

258. Inst. *septimo*. Post extremam judicii diem, quando nullus amplius erit, qui pœnarum timore a peccatis coerceatur, æterna damnatorum supplicia erunt inutilia, tum ipsis damnatis, ad quorum correctionem easdem non infligi dicitur; tum aliis: ergo si hæ pœnæ in æternum durare dicantur, non alia de causa durabunt, nisi quia Deus in iis delectatur, quod crudele est.

259. Respondet S. Thomas in *Supplem.* qu. 99. art. 1. ad. 4., æternas impiorum pœnas esse utiles ad duo: „ *Primo* ad hoc, quod in eis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam. Unde Gregorius in IV. *Dialog.* cap. 44. *Omnipotens Deus*, inquit, *quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur: secundo* ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, cum in his Dei justitiam contemplantur, & dum se evasisse eas cognoscunt: unde Psalm. LVII. 11. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam* ". Addo etiam aliam utilitatem, quæ in præsenti sæculo habetur, ut nempe majori metu homines a malo retrahantur. Si enim scirent eorum peccata pœnis inferni, acerbissimis quidem, & longissimis, finitis tamen, expianda esse, seque tandem ad æternam cum Beatis felicitatem perventuros, certe multo minus terribilia Dei judicia reformidarent.

260. Inst. *octavo*. Impossibile videtur, damnatos tantis, ac tam acerbis suppliciis punitos, non tandem agnoscere delictorum suorum gravitatem, eorumque propterea ex toto corde pœnitere; ergo Deus tunc placabitur, atque a puniendo cessabit. Si enim homo quantumcumque crudelis inimico veniam deprecanti parcere solet, dubitandumne erit, Deum natura sua clementissimum, reproborum pœnitentia, & longis supplicationibus flectendum tandem esse?

261. Resp., id contingere non posse in damnatis, qui non amplius sunt *in statu viæ*, ut Theologi loquuntur, sed *in termino:* in quo infelices illi reprobi confirmati in malo conversionis, & pœnitentiæ amplius capaces non sunt. Cujus duplicem rationem affert Angelicus Qu. XXIV. *de Verit.* art. 10.; quarum prima, & potissima repetitur ex defectu divinæ gratiæ, quæ omnino necessaria est ad veram & salutarem pœnitentiam. Quod autem, inquit, Deus eamdem gratiam damnatis non largiatur, " ejus justitia deposcit; justum est enim, ut qui bene velle, cum possent, noluerunt, ad hanc miseriam deducantur, ut bene velle omnino non possit ". Prosequitur deinde S. Doctor, & longiore philosophico ratiocinio ostendit, etiam ex parte liberi arbitrii dæmonum (eademque ratio est liberi arbitrii hominum damnatorum) fieri non posse, ut eorum voluntas cooperetur ad veram pœnitentiam; & conversionem ad Deum. Ceterum Sanctorum Patrum una vox est,

stitiæ humanæ non posse pœnam commensurari culpæ, quantum ad durationem, & concludit, *neminem extitisse, qui censeret, tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis, & impietatis magnitudine metiendum*.

est, nullum post mortem esse peccatoribus pœnitentiæ locum. S. Cyprianus in epist. ad Demetrianum postquam pœnarum æternitatem diserte docuit, ita subdit: *Erit tunc sine fructu pœnitentia, & inefficax deprecatio*. S. Anselmus *Enarrat. in Evang.* de homine damnato inquit: *Quia non potest per pœnitentiam, & bona opera, quod male gessit, emendare, propterea semper cogitur pœnas sustinere*.

262. Breviter id ipsum explicat idem Angelicus in *Compendio Theolog.* c. 175. dicens: „ Dolent „ ergo mali (*in inferno*) quia peccata commiserunt, non propter hoc, quia peccata iis displiceant, quia etiam tunc mallent peccata illa committere, si facultas daretur, quam Deum habere; sed propter hoc, quod illud, quod elegerunt, habere non possunt, & illud quod respuerunt, possent habere. Sic igitur & voluntas eorum perpetuo manebit obstinata in malo, & tamen gravissime dolebunt de culpa commissa, & de gloria amissa: & hic dolor vocatur remorsus conscientiæ, qui metaphorice in Scripturis vermis vocatur ".

263. Ulterius hoc ipsum declarat Angelicus in *Supplem.* qu. 98. art. 2. inquiens: „ Pœnitere de „ malo contingit dupliciter: uno modo *per se*, alio modo *per accidens*. *Per se* quidem de peccato pœnitet, qui peccatum inquantum est peccatum, abominatur: *per accidens* vero, qui illud odit ratione alicujus adjuncti, utpote pœnæ, vel alicujus hujusmodi. Mali igitur non pœnitebunt, *per se* loquendo de peccatis, quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet; pœnitebunt autem *per accidens*, inquantum affligentur de pœna, quam pro peccato sustinent ".

264. Instat Bælius. Hoc ipso, quod damnati propter cæcitatem, indurationem, & derelictionem a gratia resipiscere non possunt, peccatum eis non imputabitur; ut non imputatur amentibus, quia illud vitare non possunt.

265. Resp., id verum esse de amentia, quæ omnino sit involuntaria, quæ ad peccatum imputari non potest; non autem de amentia, quæ esset homini voluntaria; tali namque amenti recte imputaretur, quod a prioribus suis culpis per pœnitentiam non resipisceret, licet durante amentia resipiscere non posset. Damnati in hanc pœnitendi impotentiam se propria voluntate, & libere conjecerunt; merito igitur pœna plectuntur æterna.

266. Inst. *ultimo*. Omnino credibile est, Sanctos Angelos custodes hominum, Beatos in cœlis Deo assistentes, ac potissimum beatissimam Virginem, nostram advocatam, & patronam, jugibus, ferventibusque precibus pro istis infelicibus oraturos: cur ergo sperandum non erit, flectendum esse tandem aliquando Deum, ut ipsis ignoscat? „ Donabit eos (*damnatos scilicet*) *Dominus* precibus Sanctorum suorum, etiam tunc tanto magis orantium pro inimicis suis, quanto sunt utique sanctiores, eorumque efficacior est oratio, „ & exauditione Dei dignior, jam nullum habentium omnino peccatum. Cur ergo eadem perfectissima sanctitate, & cuncta impetrare valentibus mundissimis, & misericordissimis precibus etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis æternus, ut Deus sententiam suam mitiget, & reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos "? Ita philosophabantur nonnulli *Misericordes* apud S. Augustinum Lib. XXI. *de Civ. Dei* cap. 24.

267. Respondet autem S. Doctor: „ Hoc neminem sanæ fidei dixisse, neminem dicturum esse. Alioquin nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo, & angelis ejus oret Ecclesia, quam Magister Deus pro inimicis suis jussit orare. Hæc igitur causa, qua fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, in illo tunc judicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro iis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ, &c. ".

268. Solent etiam objici nonnulla exempla Sanctorum, qui dicuntur suis precibus liberationem quorumdam damnatorum a Deo impetrasse. Maxime olim vulgata, & ubique fere credita fuit liberatio animæ Trajani Imperatoris Ethnici, precibus S. Gregorii Magni. Alii postea memorantur similiter liberati, ut Falconilla precibus S. Theclæ; Dinocrates precibus S. Perpetuæ; tum pater S. Otiliæ Virginis, quam Thomas Argentinensis in I. Distinct. 41. refert, tandiu flevisse, quousque Deus ipsum a pœnis inferni extraxerit. Plures quoque memorantur, qui licet jam damnati, fuerunt ad hanc vitam revocati, ut possent suarum culparum pœnitentiam agere. S. Augustinus Serm. CCCXXIII. refert, mulierem a S. Stephano impetrasse, ut ejus filius ad horam suscitarentur, ut posset baptismum suscipere. Simile miraculum factum a S. Thoma, refert S. Antoninus in *Hist.*; imo non pauca ejusdem generis narrantur a gravibus Auctoribus, ut proinde concludi possit, damnatorum pœnas non esse absolute, & omnino æternas.

269. Sed de liberatione Trajani, & quorumdam aliorum agemus in seq. Tract., ubi de necessitate fidei ad salutem sermo erit. Non autem sunt facile omnia credenda, quæ de hujusmodi miraculis circumferuntur. Si quæ tamen vera sint, tunc dicere oportebit, eas animas non fuisse finali, & irrevocabili sententia ad infernale supplicium damnatas, sed ad tempus secundum præsentem propriorum meritorum justitiam, ut habet S. Thomas in IV. *Sentent.* Distinct. XLV. qu. 2. art. 2. solut. 1. ad 1.

Quæres, an æternarum pœnarum in inferno sit aliqua mitigatio, vel remissio?

270. Resp., non unam fuisse olim de hac re sententiam. Quidam enim quasi ferias quasdam constituerunt, in quibus damnati aliquam haberent re-

requiem; unde illud Prudentii Hymno V. *Cathemerinon* vers. 125.

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub stige feriæ,
Illa nocte sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.

Et postea

Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus.
Nec fervent solito flumina sulphure.

271. Alii perpetuas quidem, & nunquam interruptas damnatorum pœnas esse volebant, easdem tamen in acerbitate, atque intensione nonnunquam minui; cum enim Sanctus Thomas I. P. qu. 10. art. 3. ad 2. admittat, in inferno pœnarum *transmutationem*, secundum illud Job XXIV. 19. *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium*, inferunt, posse easdem pœnas modo mitiores esse, modo acerbiores.

272. Alii alia ratione pœnas damnatorum diminuendas esse ita constituunt. Si damnati præter peccata mortalia habeant etiam peccata venialia, vel aliquas pœnas satisfactorias nondum persolutas illarum culparum, quæ antea per pœnitentiam deletæ jam fuerant, tunc dicunt, majores futuras inferni pœnas, ut etiam istis debitis correspondeant; postquam vero hujusmodi debita, quæ temporaria sunt, persoluta jam fuerint, tunc has pœnas cessaturas, easque solas superesse, quæ peccatis mortalibus debentur, & erunt æternæ.

273. Demum quidem putarunt, orationes Sanctorum etiam damnatis prodesse, non quidem pro eorumdem liberatione, sed ad aliquod refrigerium, & levamen. Quam in rem afferunt Sancti Augustini verba in *Enchiridio* cap. 10. „Cum ergo sa„crificia, sive altaris, sive quarumcumque elee„mosynarum pro baptizatis defunctis omnibus of„feruntur &c..... Quibus autem prosunt, aut ad „hoc prosunt; ut sit plena remissio, aut certe „ut tolerabilior fiat ipsa damnatio". Hæc sententia placuit celebri Doctori Scholastico Præpositivo *in Compendio Theol.* & Glossatori Decretalium ad capitulum *cum Marthæ*, Extra *de celebrat. Missarum*. Alias aliorum sententias recenset, & refellit Sanctus Thomas in IV. *Sent.* Dist. 36. qu. 2. art. 2., & omnia eorum argumenta dissolvit.

274. Veruntamen omnes istæ sententiæ, nedum nullo satis solido innituntur fundamento, ut penitus arbitrariæ sint; sed etiam opponuntur allatis supra Sacr. Scripturarum oraculis; quibus edocemur, *vermem* damnatorum *non mori*, nec eorum *ignem extingui*, Isaiæ XXXIV. 10., & Marci IX. 44. seq., damnatos *non habere requiem die, ac nocte*. Apocal. XIV. *cruciari die, ac nocte in sæcula sæculorum*. Ibid. XX. 10. Sane infelix ille Epulo, Lucæ XVI. 24. impetrare non potuit, ut stilla aquæ refrigeraretur ejus lingua; ut inde disceremus, nullum damnatis sperandum inde levamen.

275. Addo rationem S. Thomæ in IV. Dist. 45. qu. 2. art. 2. *Non potest esse, ut pœna tollatur, nisi prius culpa expietur; & ideo cum culpa maneat in damnatis, eorum pœna nullatenus interrumpetur.*

276. Etiam Sancti Patres idipsum communiter docuerunt. Sic Sanctus Cyprianus in epistola ad Demetrianum de pœnis damnatorum loquens: *Nec erit*, inquit, *unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem*; & Sanctus Bernardus Lib. I. *de Anima* ad Hugonem; „Procul, „*inquit*, a beata Paradisi patria exulati crucia„buntur in gehenna perpetua, nunquam lucem „visuri, nunquam refrigerium adepturi .... ubi „nec qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, „aliquando moritur".

277. Sancti Prudentii descriptio magis poetica videtur, quam ad Ecclesiæ traditionem exacta; quare neque ad litteram recipitur ab iis mitioribus Theologis, qui aliquod quidem concedi damnatis refrigerium putant, non autem plenam pœnarum intermissionem, ut vere dici possit: *Exsultat sui carceris otio umbrarum populus, liber ab ignibus.*

278. Neque vero ex quo pœnæ damnatorum *mutari* dicantur, sequitur, eas diminui; alias eadem ratione suspicari possemus, easdem intendi, ut acerbiores fiant. Sed mutari facile possunt, eadem tamen semper manente cruciatus acerbitate (a).

279. Quantum vero ad peccata venialia, & reliquias quasdam jam præstitæ satisfactionis, probabilior videtur illorum opinio, qui dicunt, *per accidens* in damnatis etiam peccata venialia in æternum puniri; quia omnis remissio peccati pœnitentiam præsupponit, quæ nulla in damnatis esse potest. Unde S. Gregorius M. in Lib. IV. *Dialog.* cap. 39. *Hoc sciendum*, inquit, *quia illic* (in futuro sæculo) *saltem de minimis* (peccatis) *nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.* Idem dicendum de reliquis satisfactionibus pro culpis remissis. Si enim Deo non potest satisfacere in hac vita, qui est in affectu peccati mortalis, multo minus satisfacere poterit in inferno.

280. Postremum de orationibus Fidelium pro damnatis adversatur praxi Ecclesiæ, quæ nunquam pro damnatis orare consuevit, ut testantur S. Augustinus Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 24. & S. Grego-

(a) Thomas 1. 2. q. 67. art. 4. ad 2. probat, in damnatis esse timorem, quia in iis *erit successio pœnarum; & sic remanet ibi ratio futuri, quod est objectum timoris*. Post autem subdit, hunc timorem non esse proprie dictum; *nam timor nunquam est sine aliqua spe evasionis, quæ omnino in damnatis non erit.*

gorius Lib. IV. *Dialog.* c. 44. unde potius evincitur, illorum infelicium supplicia nec finem habere posse, nec levamen. Sane D. Augustinus in cap. 110. *Enchiridii* supra laudato, cum dixisset, Sacrificia altaris, & eleemosynas *pro valde bonis esse gratiarum actiones*, *pro valde malis esse propitiationes*, ita subdit: *Pro valde malis*, *etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum*, *qualescumque vivorum consolationes sunt*.

281. Petavius tamen Augustinum pro contraria sententia allegavit, quia in cap. 112. *Enchiridii* permittit, ut quidam existiment, pœnas damnatorum *certis temporis intervallis aliquatenus mitigari*. Verum hoc S. Pater aliquo modo indulget, dummodo præcipuum dogma de æternitate pœnarum, de quo magis sollicitus erat, non convellatur; nam *etiam sic intelligi potest manere in illis ira Dei*, *hoc est ipsa damnatio*. Ceterum paulo ante istam sententiam reprobaverat, dicens: „ Frustra itaque nonnulli, immo quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quam verius ". Sed præterea multis aliis in locis disertissime docet, altaris sacrificia, eleemosynas, & orationes Fidelium *iis solum prodesse*, *qui cum viverent*, *ut hæc sibi postea prodesse possent*, *meruerunt*. Ita in loco objecto ex *Enchiridio ad Laurentium*, & multis aliis in locis.

282. Nonnullos alios veteres Patres pro hac sententia relaxationis alicujus pœnarum infernalium allegat Petavius Lib. II. *De Angelis* c. ult. n. 18. ac ita concludit: „ De hac damnatorum, saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia Catholica, ut propterea non temere, tamquam absurda sit explodenda sanctissimorum Patrum hæc opinio, quamvis a communi sensu Catholicorum hoc tempore sit aliena. Et vero maximum adversus illam præjudicium est, quod nunquam Ecclesia pro damnatis orare consuevit: quod profecto faceret, si levari saltem illorum cruciatus possent, etsi penitus terminari non possent ". Sed contra eum Vid. P. Vinc. Patuzzi L. III. *De futuro impiorum statu* cap. 12.

283. Vid. etiam Angelicus Doctor in IV. *Sent.* Dist. 45. q. 2. art. 2., ubi opinionem eorum, qui suffragia damnatis prodesse dicebant ad pœnæ æternæ allevationem, vocat „ præsumptuosam, utpote Sanctorum dictis contrariam, & nulla auctoritate fultam, & irrationabilem, tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem ".

284. Ceterum negari haud potest, hanc opinionem de aliqua pœnarum inferni mitigatione fuisse olim pervulgatam; inveniuntur enim Missalia non pauca, in quibus Orationes sunt pro aliquo damnatorum refrigerio. Unum refert Mabillonius ib. *Act. Sanct. Ord. S. Benedicti* Sæcul. V. Abbatiæ Gellonensis in Occitania inferiori, in quo hæc Oratio legitur: „ Omnipotens, & misericors Deus ... te humiles, trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de præsenti sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacræ oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipsa tormenta ". Non paucos similes missales libros, tum Mss., tum etiam editos norunt eruditi.

285. Verum hæc probant tantummodo, apud aliquos Fideles hanc invaluisse opinionem, secundum quam hujusmodi preces institutæ fuerunt; non tamen hunc orandi modum fuisse universalem, aut saltem in majori Ecclesiæ parte usurpatum; neque enim modo adeo rari libri liturgici existerent, in quibus similes orationes inveniantur. Multo minus inde erui potest, ab Ecclesia universa fuisse illas orationes probatas; quæ teste Sancto Augustino nunquam pro damnatis orare consuevit. Et hæc satis sint pro nostro instituto. Plura cupienti satisfacere poterit Angelicus Præceptor in loco jam citato ex Libro V. *Sententiarum*.

APPENDIX ALTERA.

De Purgatorio.

286. Postquam egimus de æternitate pœnarum inferni, locus opportunus videtur, ut etiam pertractemus de pœnis purgatorii. Ii porro, qui æternitatem supplicii infernalis inficiabantur, eo tandem devolvebantur, ut nonnisi purgatorium admitterent, locum scilicet, vel statum, in quo animæ peccatrices suarum culparum pœnas luerent, quosque omni sorde mundatæ ad æternam beatitudinem pertransirent. Atque hæc hæresis Ecclesiam diu, multumque turbavit.

287. Sed, ea fere extincta, alia multo obstinatior orta est, quæ adhuc Deo sic permittente grassatur, nempe multorum, qui solum infernum impiis impœnitentibus paratum esse dicunt, nullum vero esse volunt purgatorium ignem iis justis destinatum, qui levibus sordibus maculati, vel operibus satisfactoriis non plene expiati ex hac vita decedunt.

288. Prima hujus hæresis origo reperitur ab Aerio Sæc. IV., qui Episcopatum ambiens, spe frustratus ab Ecclesia recessit, atque Arianis, quorum factio tunc magnas acquisierat vires, se impie conjunxit. Peculiares tamen ejus errores duo erant; *primo* Episcopatum, quem obtinere non potuerat in nulla re præcellere simplici Sacerdotio: *secundo* non esse pro mortuis fidelibus eleemo-

mo-

mosynas, oblationes, aut preces faciendas. S. Augustinus in Lib. *De Hæresibus* n. LIII. hujus sectæ errores exponit; & ante eum S. Epiphanius Hær. LXXV. qui opportune monet, novam hanc esse doctrinam, & communi Ecclesiæ traditioni oppositam. Quamvis hujus sectæ homines non tam Purgatorium negasse videntur, quam iis animabus prodesse nostra suffragia. Hujus autem erroris nulla amplius mentio habetur in Annalibus Ecclesiasticis usque ad Sæculum XII.

288. Illum etiam suscitarunt Petrobusiani, ita dicti a Petro de Bruis nefariæ sectæ auctore, qui teste Petro Abbate Cluniacensi in Ep. ad Archiepiscopos & Episcopos &c. *Sacrificia*, *orationes*, *eleemosynas*, *& reliqua bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta deridebat*. Idem refert S. Bernardus de iis Hæreticis, qui se intolerabili præsumptione *Apostolicos* nuncupabant, quasi Apostolos in paupertate, aliisque virtutibus imitarentur. *Non credunt*, inquit Serm. LXVI. in Cantica, *ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem*. Waldenses quoque purgatorium negasse, testantur Reinerus, Pilichdorffius, & præcipue Claudius Sersellus, qui pro eorum conversione plurimum laboravit. Etiam venerab. noster P. Moneta, qui non multo post initium Sæc. XIII. florebat, eorum errores refert, & confutat in suo Opere contra Catharos & Valdenses Lib. IV. cap. 9.

290. Hos, aliosque pestiferos Hæreticos ab Ecclesia condemnatos magistros habuerunt Lutherani, aliique Novatores, qui Sæc. XVI. Ecclesiam reformare præsumpserunt, reipsa autem crudeliter dilacerarunt, & quamvis in multis inter se dissideant, in hoc tamen impie conveniunt, ut purgatorium ignem nullatenus admittant (*a*). Contra quos sit

PROPOSITIO I.

Existere Purgatorium, seu locum aliquem, quo in altera vita animæ justorum non plene in hac vita purgatæ detinentur, usque ad integram divinæ justitiæ satisfactionem, probatur ex veteri Testamento.

291. Omissis autem quibusdam locis obscurioribus sufficiat decretorius ille textus Lib. II. Mach. XII. 43. & seq. de Juda, qui scilicet „ Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit „ Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, & religiose de resurrectione cogitans (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum „ orare pro mortuis). Et quia considerabat, quod „ hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, „ optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur ". Decretorius inquam est hic sacer textus, in quo expresse declaratur, *primo* esse locum, in quo animæ cum pietate decedentes morantur, inde resurrecturæ; qui locus nullus alius esse potest, quam purgatorius; *secundo* eas animas posse nostris suffragiis levari, & liberari; ac *demum* sanctum, & salutare esse orare pro mortuis, *ut a peccatis solvantur*.

292. Quantum Adversarii tam aperto testimonio torqueantur, satis declarant multis, ac diversis modis, quibus illud eludere tentant. Dicunt itaque *primo*, Librum hunc Machabæorum non esse divinæ auctoritati, utpote quem nec Hebræi in Canonem recipiunt: & Scriptor ipse hunc sui Sermonis finem faciat: *Si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi*. Quæ certe veniæ pe-

(*a*) Lutherus quidem in Disputat. Lipsiensi orthodoxe de Purgatorio sensisse dicitur. Et in art. 37. *Ego*, inquit, *& credo Purgatorium esse & consulo, suadeoque credendum*. Certe Urbanus Rhegius celebris Lutheranæ factionis Scriptor *De Formulis caute loquendi* c. 16. fidenter asserit, Lutherum suum *non putasse a Christiana pietate alienum, si pro defunctis semel, atque iterum* (quare non sæpius?) *ex libera devotione oravimus*. Rhegium acri censura notavit Mich. Waltherus *in Harmonia Biblica*; sed Rhegii defensionem suscepit Mart. Sylvester Grabius in *Append. apologetica ad Rhegii libellum de formulis caute loquendi*. Communiter tamen creditur, Lutherum, ut in multis aliis Fidei dogmatibus, semper magis, ac magis ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina recessisse, & alterius vitæ purgatione omnino sublata docuisse, hujus vitæ miserias, horrorem mortis, atque ipsam mortem satis esse ad leves justorum maculas eluendas. Hunc Hæresiarcam non solum ejus asseclæ, paucis exceptis, in Purgatorio tollendo secuti sunt, sed etiam omnes fere aliarum Sectarum hæretici, ac præcipue Calvinus, qui Lib. II. *Instit.* c. 5. §. 6. hoc esse, inquit, *exitiale Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, quod fidem nostram labefacit, & evertit*. Vah sacrilegas hominis blasphemias!

De Græcis dubium est, an Purgatorium negaverint, eo quod in Concilio Florentino contra eos congregato fuerit etiam istud dogma confirmatum; cui tamen lubentes subscripserunt in Decr. *Unionis* his verbis: *Tres sunt Ordines Defunctorum. Unus Sanctorum: secundus peccatorum: tertius mediorum; Christianorum videlicet, qui peccaverunt, quos peccatorum pœnituit, quique confessionem ediderunt, pœnitentiæ autem opera non expleverunt; pro quibus etiam preces, & eleemosynæ offeruntur*. Vid. Petrus Arcudius in Opusc. *De Purgatorii existentia*, & in alio *De igne Purgatorii contra Monachum Barlaamum*; tam Leo Allatius *De utriusque Ecclesia Occident. & Orient. perpetua in Dogmate de Purgatorio consensione*; tum Jac. Goat. in *Euchologio* Græco Annot. 3. ad *off. exequiorum*, & Mich. Le Quien Dissert. V. inter *Damascenicas*.

petitio Auctori divinitus inspirato nullatenus convenit (*a*). *Secundo* ibi dicitur non esse vanum orare pro mortuis, quia speratur eorum resurrectio; at vero in sententia Catholicorum dogma purgatorii nullatenus dependet a spe, immo etiam a fide resurrectionis corporum. *Tertio* illa conclusio: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio* &c. videtur potius aliqua nota marginalis, quæ in textu comigrarit, quam Historiæ contextus: quamobrem in Originario textu græco particula illativa *ergo* desideratur. *Quarto*, quia illi, pro quibus sacrificium offerri voluit Judas, non videntur in Purgatorio, sed in inferno fuisse, quia sub illorum tunicis inventa sunt donaria idolorum ex templo Samniæ, quod expilaverant, contra divinum præceptum Deuter. VII.; ob quam causam eos in prælio cecidisse, creditum fuit. *Quinto* potius dicendum est, eos infelices fuisse ad infernum damnatos; voluisse tamen Judam pro iis orari, ad pium erga eos affectum ostendendum; vel etiam ut Deus placatus iram suam ad alios non extenderet. *Demum* non desunt, qui negent, singulare hoc, ut dicunt, Judæ exemplum posse pro lege, aut infallibili testimonio statui; neque enim, quæ in sacris litteris facta leguntur, omnia probari merentur, ut nos ipsi cum Sanctis Augustino, & Thoma supra diximus de facto Raziæ n. 123.

293. Sed facile est, omnes istas evasiones præcludere, & vim fortissimi hujus argumenti tueri. Atque ad *primum* dicimus, Ecclesiam latinam duos Machabæorum Libros semper ut Canonicos fuisse veneratam; quidquid sit de Canone Hebræorum, in quo prætermissi sunt. *Libros Machabæorum*, inquit S. Augustinus Lib. XVIII. *de Civ. Dei* cap. 36., *non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet* (*b*). Quod facile esset ex antiqua traditione ostendere. Nec obsunt postrema illa divini Scriptoris verba; neque enim veniam a lectoribus petit, quasi aliquid in historia erraverit, sed de stylo minus ornato, & eleganti, seu, ut ipse loquitur, de sermone non *semper exacto*, prout aliquibus videri poterat. Quomodo etiam Paulus 2. ad Cor. XI. 6. *se imperitum sermone* fatetur, *sed non scientia*.

294. Ceterum prætermissa illa quæstione de divina Machabæorum voluminum auctoritate, nobis abunde sufficere potest historica illorum Librorum fides, quam negare non possunt Adversarii. Hoc enim Judæ factum probat communem sui ipsius, aliorumque Judæorum, qui pecuniam liberaliter contulerunt, fidem, animas defunctorum detineri in Purgatorio ad eluendas leviores peccatorum maculas, ibique posse vivorum suffragiis juvari; ac propterea nostros Adversarios id negantes, non solum ab Ecclesia Christi, sed etiam a veteri Synagoga condemnari.

295. Secunda evasio est pura, putaque cavillatio; resurrectio enim, de qua ibi sacer auctor loquitur, non est resurrectio corporum interfectorum, quam certe Judas tunc non sperabat, sed resurrectio animarum, idest earumdem liberatio, vel solutio a peccatis, pro qua sacrificia offerebat, ut Deus iis placatus easdem animas a Purgatorii pœnis liberaret.

296. Perperam *tertio* loco comminiscuntur, illam conclusionem: *Sancta ergo & salubris* &c. non esse genuinam sacri textus partem, sed alicujus Interpretis notationem, quæ postea furtim in textum irrepserit: perperam, inquam, cum hæc clausula in omnibus exemplaribus tam Mss., quam impressis legatur. In exemplaribus græcis aliqua parva est, non rerum, sed verborum differentia. Ita enim habent: „ Deinde considerans (*Judas*), „ iis, qui cum pietate obdormierant, optimam re- „ positam gratiam, quæ sancta, & pia considera- „ tio fuit, ideo pro mortuis expiationem fecit, ut „ a peccatis solverentur ".

297. Quarta evasio præcluditur ab ipso textu, quo insinuatur aperte, eos milites, qui ceciderant, *cum pietate dormitionem accepisse, & optimam habere repositam gratiam:* non ergo Judas putavit, eos impœnitentes obiisse, ut igne æterno damnarentur. Cum postea voluerit, sacrificia pro iis offerri, *ut a peccatis solverentur*, manifeste innui-

(*a*) Scurriliter Brentius, *Demus*, inquit, *illi veniam, quod erraverit, cum suffragia pro defunctis laudavit*. Interim hic hæreticus non inficiatur, hoc loco doctrinam de mortuorum suffragiis contineri, quod nostram causam contra alios mirifice juvat.

(*b*) Quæstionem de divina utriusque Machabæorum Libri auctoritate prætermittimus; sed præterire non possumus Ochini, & Petri Martyris impudentiam, quorum primus a nullo veterum Doctorum mentionem eorumdem librorum factam aperte mentitur. Alter vero abutitur verbis S. Augustini in Lib. I. cont. Gaudentium c. 23. dicentis: *Et hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi, sicut Legem, & Prophetas, & Psalmos; sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur*. Quantum ad primum, fatendum est cum Nat. Alexandro in VI. Mundi ætate Dissert. VII. art. 8. olim a quibusdam Ecclesiis non fuisse eos inter Canonicos recensitos. Hoc tamen non impedit, quin Ecclesia jure merito eosdem ut canonicos, & divinos receperit, propter multorum veterum Patrum, Pontificum, ac Conciliorum auctoritatem, a quibus divini ut allegati sunt. Quantum vero ad secundum, S. Augustinus Lib. II. *De Doctr. Christ.* cap. 8. in Canone sacr. Scripturarum aperte comprehendit duos Machabæorum Libros. Quod autem alio in loco scripturam Machabæorum receptam esse ab Ecclesia dicit, *non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur*, hoc referendum est ad suicidium Raziæ, quo Circumcelliones abutebantur. In iis autem refellendis totus est S. Doctor, contendens; Raziæ suicidium esse improbandum, utpote qui *non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum*. Explicat postea, laudes, quibus sacer Scriptor eum exornare videtur; ac propterea infert, hanc divinam Scripturam esse *sobrie* legendam.

nuitur, existimasse Heroem illum Machabæum, aut illos milites lethaliter non peccasse auferendo templi donaria, aut peccati ante mortem pœnituisse, ut proinde non essent solvendi, nisi a peccatis venialibus, aut liberandi a satisfactoriis, quas in hac vita persolvere non potuerunt, quod expressius innuitur in textu græco, ubi ponitur vox τελέως *perfecte*: scilicet rogasse Judæos, ut admissum delictum *perfecte*, *& omnino* aboleretur. Quo loco obiter animadvertimus, Novatores enormiter falli, dum volunt, mortis pœnam sufficere ad nostrorum peccatorum reliquias delendas, cum illa non suffecerit fortissimis iis militibus, qui pro religionis defensione in prælio obierant.

298. Quod *quinto* loco respondent, non solum mera est divinatio, omni fundamento destituta; sed etiam non potest cum sacro contextu conciliari, ubi dicitur, collegisse Judam duodecim millia drachmas argenti, ut offerrentur *pro peccatis mortuorum*, non pro affectu ostendendo, sed *ut a peccatis solvantur*; nempe ut Deus placatus illorum animabus parceret, quorum corpora occidi juste permiserat.

299. Postrema responsio facile refellitur ex eo, quod factum Judæ viri fortissimi fuit a toto populo laudatum, ejusque exemplo omnes *ad preces conversi rogaverunt*, *ut id*, *quod factum erat*, *delictum*, *oblivioni traderetur*; & omnes pecuniam contulerunt ad sacrificia pro defunctis offerenda: Publica hæc approbatio invicte nobis ostendit communem Judæorum persuasionem Purgatorii, & suffragiorum, quibus infelices illæ animæ juventur.

300. Dices. In Lege Mosaica nihil invenitur præscriptum de hujusmodi sacrificiis pro Defunctis, ut a peccatis solvantur: quod ergo fecit Judas, proprio arbitratu fecit, ut non possit trahi in exemplum doctrinale.

301. Resp., ea comprehendi sub lege generali de sacrificiis pro peccatis totius populi, quæque proderant non præsentibus tantummodo, sed etiam absentibus. Ab hoc populo enim non censebantur alieni, qui cum pietate dormitionem acceperant: variis tamen modis peculiariter curam pro mortuis habebant; unde illud Ecclesiastici (qui circa tempora Machabaeica vixisse creditur) cap. VII. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam*, nempe eleemosynas, preces, & sacrificia (*a*).

302. Obj. *primo* verba Psalmi CXXVI. *Cum dederit dilectis suis somnum*, *ecce hæreditas Domini*; nulla ergo est mora inter mortem justorum, eorumque hæreditatem in cœlo.

303. Resp., reipso immediate post mortem præsto esse hæreditatem gloriæ cælestis, quæ statim per supremi Judicis sententiam illis irrevocabiliter adjudicatur, licet non illico eis tribuatur, si aliqua obstent impedimenta: quia *nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum*: Textus hebraicus habet ה יתן *sic dabit*. Ceterum idem S. Rex David in Ps. LXV. justos ita loquentes inducit: *Transivimus per ignem*, *& aquam*, *& eduxisti nos in refrigerium*. Quæ verba Origenes, aliique nobiles Interpretes de aqua baptismi, & igne Purgatorii intellexerunt. S. Ambrosius Serm. III. in Psal. CXVIII. *Per aquam*, inquit, *ut abluantur peccata: per ignem*, *ut exurantur*.

304. Obj. *secundo*. Ecclesiastes IX. 10. dicitur: „ Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec „ sapientia erunt apud inferos, quo tu properas ". Nullum itaque superest in altera vita pro peccatis remedium. Et clarius cap. XI. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum*, *aut ad aquilonem*, *quocumque loco ceciderit*, *ibi erit*; quibus verbis designatur perpetuitas status alterius vitæ, omnino immutabilis, cujusmodi non est Purgatorius.

305. Resp. ad *primum*, ibi docet, quod verissimum est, atque ab omnibus Theologis traditur, post hanc vitam nullum amplius esse locum merito; unde etiam animæ justorum in Purgatorio non merentur apud Deum, sed solum patiendo divinæ justitiæ satisfaciunt: possunt a nobis, qui in via sumus, ad satisfaciendum nostris suffragiis adjuvari. S. Gregorius Papa lib. IV. *Dial.* c. 39. postquam hoc, & alia similia Scripturarum loca commemorasset, ita subdit: *Ex quibus sententiis constat*, *quia qualis hinc quisque egreditur*, *talis in judicio præsentatur*. Deinde vero considerans alium locum, ubi Salvator dicit, blasphemiam in Sanctum Spiritum neque in hoc sæculo remitti, neque in futuro, sic colligit: *In qua sententia datur intelligi*, *quasdam culpas in hoc sæculo*, *quasdam vero in futuro posse laxari*. Post autem clarius explicat, *de parvis*, *minimisque peccatis id fieri posse*.

306. Alter Ecclesiastæ locus communiter intelligitur de sententia finali præmii, vel supplicii æterni; ita ut nunquam fieri possit, ut aliquis ex Aquilone, qua in parte, teste S. Augustino ep. CXI. ad Honoratum, intelliguntur reprobi, transeat ad Austrum, ubi erunt electi. Nihil autem hinc colligi potest contra Purgatorium, in quo electi non plene purgati aliquandiu morari debent.

307. Obj. *tertio*. Sap. III. 1. dicitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt: & non tanget illos tormentum mortis .... & sunt in pace*. Item IV. 7. *Justus autem*, *si morte præoccupatus fuerit*, *in refrigerio erit*: quæ vera non essent, si ipsorum animæ purgatorio igne torquerentur.

308.

(*a*) Antiquam, & constantem Judæorum traditionem de Purgatorio demonstravit noster P. Henricus a Porta in suis *Exercitationibus contra Theodoricum Hackspanium &c.* Mediol. 1758. .... Judæos pro mortuis orare consuevisse, tradit etiam Hugo Grotius in *Annot. ad Cassandri Consult.* ad art. 20. & alibi. Sed plenius id ostendunt Joseph de Voisin in Proœmio ad *Pugionem fidei* Raym. Martini, & Bartoloccius in *Bibli. Rabbinica* P. II. Dissert. III. Vid. etiam Card. Gotti *De Vera Christi Ecclesia* Tom. II. art. 10. §. 11.

508. Resp. etiam animas justorum, quæ purgantur, esse in manu Domini, immunes a tormento mortis æternæ, & de cœlorum regno tandem aliquando consequendo securæ. Unde & esse dicuntur in requie, & refrigerio, & dormire in somno pacis, quia non amplius obnoxiæ sunt tentationibus hujus sæculi, quamvis purgatorio igne torqueantur; unde Ecclesia in Canone Missæ postmodum subdit: *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur.*

509. Obj. *quarto* illa loca sæpius repetita, in quibus Deus vere pœnitentibus remissionem omnium peccatorum promittit. Ezech. XVIII. 21. „ Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, „ quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea &c. .... omnium iniquitatum ejus, quas „ operatus est, non recordabor ": nulla ergo supersunt post pœnitentiam peccata, temporali aliqua pœna luenda.

510. Resp., has Dei promissiones esse verissimas, sed esse de reatu culpæ intelligendas, non de reatu pœnæ, qui vel in hoc mundo salutaribus pœnitentiis, vel in alio mundo purgatorii igne delendus est, juxta illud: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Matth. V. 26.

PROPOSITIO II.

Probatur, existere Purgatorium, ex novo Testamento.

511. Potissimum ex sententia Christi Domini apud Matth. XII. 32.: „ Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui „ autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro ". Ex his autem verbis ita Purgatorium eruit S. Augustinus Lib. XXI. *de Civ. Dei* c. 24.: „ Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, „ quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, „ neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non „ in isto, tamen remittetur in futuro "; nempe in Purgatorio. Similiter ratiocinatur Lib. VI. *Contra Julian.* c. 5. Et ante eum S. Ambrosius *De Elia & jejunio* c. 20.; tum postea S. Gregorius Lib. IV. *Dialog.* cap. 39.; S. Fulgentius Lib. I. *De remissione peccatorum*, cap. 24.; ac demum Sanct. Bernardus, qui Serm. LXVI. *in Cantica* ita Purgatorium negantes convincit: „ Nam si non credunt, „ ignem Purgatorii restare post mortem, quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur, cur hoc dixerit, si nulla maneat „ in futuro remissio, purgatione peccati "?

512. Hujus argumenti vim, quod ineluctabile putarunt veteres Patres, se infringere posse arbitrantur Novatores, dicentes, iis verbis apud Matthæum nihil aliud significari, quam exaggerate, & per *auxesim*, quod planius dicitur apud Marcum III. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum*; & apud Lucam XII. 10. *Ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur*; ubi nulla fit distinctio hujus sæculi, & futuri.

513. Verum præpostere agunt Adversarii, dum, quod est clarissime dictum apud Matthæum cum distinctione hujus sæculi, & futuri, explicandum volunt ex locis minus planis, quæ legunt ex Marco, & Luca; cum potius & critices regulæ, & sana ratio contrarium dictent. Profecto ineptum erat dicere, aliquod peccatum non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro, si, ut Adversarii volunt, nulla prorsus peccata in futuro sæculo delerentur. Quemadmodum ineptissimus esset, qui diceret, non nubam neque in hoc sæculo, neque in futuro; cum certum sit, in futuro sæculo homines non nupturos.

514. Reponunt tamen, nihil aliud voluisse Christum iis verbis significare, quam gravitatem blasphemiæ in Spiritum Sanctum; alias sequeretur, blasphemiam in Patrem, & Filium, quæ certe gravia sunt peccata, remitti in futuro sæculo, solamque blasphemiam in Spiritum Sanctum esse irremissibilem; quod nemo dicet.

515. Resp., verba Christi esse intelligenda de perfecta remissione tam culpæ, quam pœnæ, quam pro aliis peccatis sperare possumus, saltem in futuro sæculo per ignem purgatorii (nempe quantum ad pœnam): pro hoc autem omnium gravissimo eamdem veniam sperare non possumus.

516. Excipit Calvinus, hic sermonem esse, non de remissione pœnæ, quæ dicitur fieri in Purgatorio; sed de remissione culpæ, quæ nonnisi in hac vita fieri potest.

517. Ita Calvinus; sed non probat, Christum locutum esse duntaxat de remissione culpæ; nullatenus autem de remissione pœnæ; cum potius obvius verborum Christi sensus referatur ad utramque remissionem, culpæ scilicet, & pœnæ. Volebat enim nos docere, quanta sit hujus peccati gravitas, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittitur (a). Falsum autem est, in Purgatorio solas peccatorum pœnas remitti: remittuntur enim etiam ipsa peccata venialia.

518. Cavillantur demum Petrus Martyr, Ochinus, & alii quidam contendentes, ex quo Christus dixerit, peccatum in Spiritum Sanctum non esse remittendum neque in hoc sæculo, neque in futuro sæculo non sequi, aliqua esse peccata, quæ in

(a) Obiter notandum cum Interpretibus, iis verbis non significari, peccatum in Spiritum Sanctum esse prorsus irremissibile, ut errabant Novatiani; sed solum magnam illius remittendi difficultatem. Vid. si places, Natalis Alexander in Sæc. IV. Dissert. XXII. adversus Novatianos, ubi multas Sanct. Patrum auctoritates affert ad hunc Evangelii locum explanandum. Vid. etiam S. Thomas 2. 2. qu. 14. art. 1.

in futuro sæculo remittantur, quia, ut Logici præcipiunt, ex negatione non sequitur affirmatio.

519. Inanis isthæc est cavillatio; quis enim in hujusmodi loquendi formulis exactissimas requirat Dialecticæ regulas? Annon sufficit sanus sensus, ut credamus, Christum non fuisse inepte locutum, cum dixit, peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc sæculo remitti, neque in futuro? Ineptissime autem locutus esset, si nullum prorsus esset peccatum, quod in futuro sæculo remittatur. Sic, si allegatam Dialecticorum regulam attendamus, dicendum erit; Christum non affirmasse se Regem esse, quando Pilato, eum interroganti: *Tu es rex Judæorum?* respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Jo. XVIII. 36. quia ex negatione non sequitur affirmatio.

520. Atqui id sufficiat ad probandum ex sacris litteris N. T. Purgatorium. Plurima quidem alia loca a Vener. Bellarmino, aliisque controversistis adduci solent, sed quæ multis, & non levibus difficultatibus obnoxia sunt: & ab ipsis Catholicis non admodum efficacia contra Hæreticos reputantur, utpote quia a S. Patribus diversimode explicantur; ut erudite ostendit Nat. Alexander in Diss. XLV. in sæc. IV. singulis illis testimoniis rite perpensis; qui propterea majus hujus dogmatis fundamentum in perpetua, ac constanti Ecclesiæ traditione reponit. Id innuerat etiam Magnus Augustinus in Libro *De cura pro mortuis* c. 1. Postquam enim testimonium attulisset ex Lib. II. Machabæorum, ita subdit: „ Sed, etsi nunquam in Scripturis veteri- „ bus omnino legeretur, non parva tamen est u- „ niversæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine cla- „ ret auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ „ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum „ suum habet etiam commendatio mortuorum ". Quam Ecclesiæ traditionem & nos exponemus, postquam nonnullas adversariorum objectiones ex N. T. petitas diluerimus.

521. Obj. *primo*. In sacris litteris nonnisi duo receptacula commemorantur, ubi omnibus hominibus, sive bonis sive malis, retributio parata est, scilicet cœlum, & infernus; nullibi autem fit tertii receptaculi mentio. Matth. XXV. 34. sequ. *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi... Tunc dicet his, qui a sinistris: discedite maledicti in ignem æternum &c.* Hoc argumentum maximi fit ab Heterodoxis, qui non alia volunt admittenda esse dogmata, quam quæ in sacris Litteris expresse continentur.

522. Resp. hanc objectionem, quæ Adversariorum potissima est, facile solvi, observando, Matthæi textum, aliosque similes, spectare ad ultimi judicii diem, post quam certe nonnisi duo erunt omnium receptacula, scilicet regnum æternum pro Beatis, & infernus pro damnatis. Inde autem inferri non potest, ante ultimi judicii diem non esse aliquod tertium receptaculum, nempe Purgatorium, in quo animæ justorum non omnino a sordibus mundæ detineantur, quoad divinæ justitiæ usque ad novissimum quadrantem satisfaciant. De loco Matth. XXV. dubitari non potest, quin spectet ad finale judicium.

523. Quædam alia sunt Scripturarum testimonia, quæ nonnisi duas esse vias memorant, latam unam, quæ ducit ad perditionem, arctam alteram, quæ ducit ad vitam, ut Matth. VII. 13.; vel triticum congregandum in horrea, zizania autem alliganda in fasciculos ad comburendum Matt. XIII. 30.; vel demum qui crediderint, salvandos esse; qui vero non crediderint, condemnandos, Marci XVI. 16.

524. Sed hæc etiam facile explicantur de *vita æterna* præparata justis, postquam ab omni inquinamento mundati fuerint; & de supplicio æterno, quod paratum est reprobis. Et istis quidem statim pœna rependitur: justis autem non plene purgatis, nisi postquam fuerint a sordibus leviorum culparum emundati; quia *nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum*. Vel dici potest, in allatis scripturarum testimoniis solum indicari, duas esse hominum classes, salvandorum & damnandorum. Ad primam autem classem etiam ii pertinent, qui in Purgatorio sunt.

525. Inst. *primo*. Apud Lucam XVI., ubi historia Epulonis, & Lazari describitur, sicut primus immediate post mortem sepultus est in inferno, ita Lazarus in sinu Abrahæ illico deportatus est. Etiam pœnitenti Latroni, Christus in cruce positus immediatam gloriæ consecutionem promisit, Lucæ XXIII. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quod plane consonat iis Christi verbis Jo. V. 24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam ... & transit a morte in vitam*.

526. Resp. *primo*, ut alias diximus n. 119. incertum est, an illa narratio apud Lucam sit vera historia, an duntaxat parabola, ad significandum bonorum, malorumque finem. Porro si hæc secunda opinio adoptetur, nullum ex ea narratione contra dogma Purgatorii erui potest argumentum. Si vero contendatur, veram esse historiam, tunc dicendum est, aut Lazarum fuisse adeo sua paupertate, ulceribus, aliisque hujus vitæ miseriis plene a peccatis mundatum, ut nihil haberet Purgatorii igne expiandum: aut ibi non designari præcise tempus, quo ab Angelis in sinu Abrahæ deportatus fuit, sed quo ab Epulone visus est; quod potuit contingere, postquam Lazarus fuerat a pœnis Purgatorii, si quas pertulit, jam liberatus.

527. De pio etiam Latrone credere debemus, tanta fuisse a Christo moriente gratia roboratum, ut admiranda sua fide, ferventissima caritate, & incredibili patientia in supplicio crucis tolerando, integram consecutus fuerit suorum criminum remissionem, non solum quantum ad reatum culpæ, sed etiam quantum ad reatum pœnæ.

528. Inst. *secundo*. Etiam ceteri justi ex hac vi-

vita decedunt plene mundati, dicente S. Jo. in 1. epist. I. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato;* & Cap. III. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est:* per fidem ergo, & spem justi, jam mundati, & sanctificati nihil habent Purgatorii igne expiandum.

329. Resp., hæc esse intelligenda de gravioribus culpis, pro quibus non purgatorius, sed infernalis ignis est destinatus; non autem de venialibus, quas etiam justi in hac vita negligunt aliquando per fidem vivam, & per caritatem perfectam plene emundare. Negligunt insuper nonnunquam opera satisfactoria plene exercere, quibus omnis reatus pœnæ tollatur.

330. Neque vero inde sequitur, sanguinem Christi pretiosissimum non esse valoris infiniti ad nos emundandos *ab omni peccato;* aut ejus satisfactionem Deo Patri oblatam non esse sufficientem. Pretium sanguinis Christi est infinitum, ejusque satisfactio superabundans; sed utrumque debet nobis applicari per Sacramenta, & pia nostra opera; alias sequeretur, etiam impiorum peccata esse deleta, ut nullus supersit ad eorum punitionem infernalis ignis. Si quid igitur defuit in justis perfectæ caritatis, debet Purgatorii igne expiari. Porro S. Paulus ad Coloss. I. 24. in suis afflictionibus dicebat: *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi*, multa patiendo pro Christo. Nec tamen timebat S. Apostolus, se propterea evacuare crucem Christi, aut valorem infinitum ejusdem satisfactionis tollere; quemadmodum perperam nobis exprobrant Protestantes, dum catholicum Purgatorii dogma tuemur.

331. Inst. *tertio*. Apostolus Paulus Heb. X. 14. de Christo ait: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:* non ergo aliis oblationibus, & sacrificiis opus est ad animas defunctorum purgandas, & sanctificandas.

332. Resp. eadem semper chorda oberrare Heterodoxos, dum varia colligunt hujus generis testimonia; quæ si aliquid valerent, probarent etiam nobis opus non esse operibus bonis, & præcipue actibus virtutum theologicarum, fidei, spei, & caritatis; quandoquidem Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Genuinus autem horum verborum sensus ille est, quem noster Angelicus, & omnes Interpretes assignant, nempe unam Christi oblationem, utpote Dei, & hominis abunde suffecisse ad omnia delenda peccata; cum *Sacerdos legalis per hostiam unam non auferret peccata, & ideo oportebat plures alias offerre*. Virtute igitur illius hostiæ nostra auferuntur peccata, si tamen ea adhibeantur media, quæ Deus ipse ad nostram sanctificationem præscripsit.

333. Inst. *quarto*. Idem Apostolus ad Rom. VIII. 1. inquit: *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu;* cum ergo justi sint in Christo Jesu, nihil in iis est, quo ad pœnas Purgatorii damnari mereantur.

334. Resp., Apostolum suam mentem statim aperire, cum dicit *his, qui sunt in Christo Jesu*, nempe his, in quibus per fidem, & dilectionem, & baptismi Sacramentum culpa originalis deleta est; & cum subdit: *Qui non secundum carnem ambulant;* in quibus propterea nec culpa originalis, nec actualis invenitur. Quod si aliqui venialibus culpis coinquinati sint, isti non damnabuntur quidem æterno igne inferni, debebunt tamen eas Purgatorii flammis expiare; ut *nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum*.

335. Inst. *quinto*. In Apocalypsi cap. XIV. 13. S. Joannes hæc habet: „ Beati, qui in Domino „ moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, ut requie„ scant a laboribus suis; opera enim illorum se„ quuntur illos": omnes igitur justi, qui in Domino moriuntur, *amodo* ἀπὸ τοῦ νῦν *ex nunc*, *illico* requiescunt in æterna requie.

336. Resp. S. Joannem loqui de perfecte justis, imo de Sanctis Martyribus, qui nihil habent Purgatorii pœnis luendum. De istis loqui S. Prophetam liquet ex commate præcedenti, ubi dicit: *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu*. Nihil tamen impedit, quin etiam id extendatur ad omnes alios, qui in Domino moriuntur, idest in fide, & caritate perfecta, ut Augustinus admonet Lib. XX. *De Civ. Dei* cap. 9. Diversa autem est ratio aliorum justorum, qui leviorum culparum maculas eluendas habent; quos S. Gregorius Nyssenus in Orat. de mortuis dicit: „ vel in præsenti vita sapientiæ studio, & preci„ bus purgatos, vel post obitum per expurgantis „ ignis fornacem expiatos ad sempiternam felici„ tatem pervenire". Quod innuit ipse S. Jo. subdens: *Opera enim illorum sequuntur illos;* nempe ut pro illis retributionem accipiant.

PROPOSITIO III.

Antiquissima, & perpetua Ecclesiæ traditione invicte demonstratur dogma Purgatorii, & usus offerendi pro animabus ibi detentis sacrificia, eleemosynas, & orationes.

337. Quoniam nimis longum esset innumera, quæ sese offerunt, utriusque Ecclesiæ Patrum testimonia coacervare, nos præcipuis contenti erimus. Et primo quidem auctor Librorum *De ecclesiastica Hierarchia*, qui sub nomine S. Dionysii vulgati sunt, ita sui temporis consuetudinem exponit: „ Accedens venerandus Antistes precem „ sacram super mortuum peragit: precatur divi„ nam clementiam, ut cuncta dimittat per infir„ mitatem humanam admissa peccata defuncto, „ eumque in luce statuat, & regione vivorum". Nihil disertius dici potest ad statuendum catholicum

cum dogma Purgatorii, & suffragiorum pro animabus in eodem detentis.

338. Idipsum testantur magno consensu alii Patres, ut Cyrillus Jerosolymitanus in *Catechesi mystagogica* V. n. 6. inquiens: ,, Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, dum sanctum illud, & tremendum Mysterium in Altari positum est ". Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. X. in funere fratris sui Cæsarii; alter item Gregorius, nempe Nyssenus in *Orat. de mortuis*, Jo. Chrysostomus *Hom.* XXXII. in Matth., & multis aliis in locis; S. Epiphanius *Hæresi* LXXV., inquiens: *Quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant;* & magnus Basilius, qui in cap. IX. Isaiæ ipsum quoque Purgatorii nomen usurpat dicens: ,, Si per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen auferimus, dignum plane, quod depascatur, ac devoret purgatorius ignis ". Eusebius denique Lib. IV. de Vita Constantini c. 75. ejus funus describens: ,, At beatus quidem Princeps, *inquit*, alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur; innumerabilis autem populus una cum Sacerdotibus Dei, non sine gemitu, ac lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio Principi officium exhibentes ".

339. Neque minus aperte hæc dogmatica veritas invenitur apud Patres Ecclesiæ latinæ, quorum perantiquus Tertullianus in Lib. *de corona militis* c. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis pro natalitiis annua die facimus*. Et c. 4. *Harum*, inquit, *& aliarum hujusmodi disciplinarum* (inter quas etiam oblationes pro defunctis memoraverat) *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix*. Cujus similia superius ex S. Augustino recitavimus n.319.

340. S. Cyprianus epist. LII.: ,, Aliud est, *inquit*, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim virtutis, & fidei ardore mercedem accipere: aliud pro peccatis longo calore cruciatuum emundari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione (*in Martyrio*) purgare ".

341. S. Ambrosius in Orat. funebri de obitu fratris sui Satyri: ,, Tibi, *inquit*, nunc omnipotens Deus, innoxiam commendo animam: tibi hostiam meam offero: cape propitius, ac serenus fraternum munus, sacrificium Sacerdotis ". Eademque fere repetit in Orat. *de obitu Valentiniani*, & in alia *de obitu Theodosii*.

342. S. Hieronymus ep. LXVI. olim XXVI. Pammachium laudat, quod animam Paulinæ demortuæ eleemosynis juvare satageret: ,, Ceteri, *inquit*, Mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat ... sciens scriptum: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum*, Eccl. III. 33. ".

343. S. Augustinus non minus frequenter, quam perspicue hanc veritatem docuit. Insignis est locus ille Lib. IX. *Confessionum* c. 12., ubi suæ matris Monicæ funus describit, atque inter alia memorat *preces ad Deum fusas, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri*. Postea ita pergit: ,, Inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam &c. " Alia ejusdem generis sæpe occurrunt apud hunc S. Ecclesiæ Doctorem; qui etiam in Serm. XXXII. *De Verbis Apostoli*, postquam dixisset, pompam funebrem, agmina exequiarum, sumptuosam diligentiam sepulturæ, & monumentorum opulentam constructionem, qualiacumque esse solatia vivorum, non adjumenta mortuorum, ita pergit: ,, Orationibus vero Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia ", cum ceteris, quæ sequuntur lectu dignissima; ostendit enim, hæc nonnisi iis prodesse, *qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem*. Facile esset plura ejusdem generis agglomerare; sed necessarium non est, cum hanc fuisse veterum Patrum communem sententiam, ipsi hæretici inficiari non audeant, sed potius eo audaciæ progrediantur, ut non dubitent eos erroris insimulare (*a*).

344.

(*a*) Calvini hæc fuit audacissima vox, Lib. III. Inst. c. 5. n. 10. Patres per tredecim, & amplius sæcula *in hoc aliquod humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse, quod fecerunt*. Calvinum secutus est Jo. Dallæus *De pœnis, & satisfactionibus humanis* Lib. V. cap. 1.; tum postea Forbesius ita ex suo tripode pronuncians in *Instruct. historico-theologicis* Lib. XIII. cap. 1. *Non est tutum veteres imitari*. Jo. Franc. Buddeus in *Instit. Theol. Dogmat.* Lib. II. cap. 3. §. 50. cum negare non posset, preces pro defunctis tam apud Judæos, quam apud priscos Christianos, in usu semper fuisse, eas ex Ethnica Philosophia præsertim Platonica derivata fuisse commentus est, non aliam afferens hujus paradoxi rationem, quam quod apud ethnicos Philosophos mentio habeatur cujusdam animarum purgationis post mortem. Præclara sane probatio, cui statim quilibet acquiescere debeat! Modestior fortasse ceteris hac in parte visus est Petrus Ver-

344. His Sanct. Patrum testimoniis magnum pondus addunt veteres tam Orientales Liturgiæ, in quibus preces, & oblationes pro Defunctis sæpissime occurrunt. Neque vero audiendi sunt adversarii, qui cum Jos. Binghamo in *Originibus Eccl.* Lib. XV. cap. 3. §. 16. ad elevandam earumdem Liturgiarum auctoritatem respondent, in iis contineri preces etiam pro Sanctis, non excepta ipsa beatissima Virgine Maria.

345. Non inquam ista exceptio admittenda est. *Primo* enim ex diversitate formularum facile apparet, commemorationem Sanctorum fieri, non ad opem ipsis ferendam, sed potius ad opem ab iis implorandam, atque ad eorum gloriam celebrandam; vel etiam ut eorumdem commemoratio ad sanctas ipsorum virtutes imitandas nos excitet. Ita in Sacramentario Leoniano facta Sanctorum memoria, hæc subnectitur deprecatio: *Quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* In Liturgia S. Jo. Chrysostomi sacrificium offerri dicitur *in honorem, & memoriam super omnes benedictæ gloriosæ Reginæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, cujus precibus suscipe Domine sacrificium istud.* In Liturgia S. Basilii Magni commemoratis Sanctis additur: *Quorum precibus, & intercessionibus nostrum miserere.* Et facillimum esset plura addere ex omnibus fere antiquis Liturgiis (*a*).

346. Inficias tamen non eo, aliquando etiam pro Sanctis fuisse in quibusdam Liturgiis oratum; cujus rei documentum suppeditat Missa S. Leonis Magni, in qua hæc olim legebantur: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio &c.* Et quamquam postea in Missalibus recusis hæc correcta fuerit oratio, non tamen correcta fuit *Secreta*, ubi dicitur: *Ut per hæc piæ placationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet.*

347. Observat vero eminentissimus Card. Bona Lib. II. *Rerum liturgicarum* cap. 14. n. 4., id ortum fuisse ex antiqua Ecclesiæ disciplina, quando solis Martyribus publicus, & solemnis cultus concedi solebat: „ Reliqui autem, præsertim Episcopi, qui in pace Ecclesiæ etiam cum opinione sanctitatis decedebant, sacris defunctorum tabulis inscribi, eorumque nomina promiscue legi consueverant; ita ut nullum discrimen esset inter illos, qui postea Sancti nuncupati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius, &c. ... Cum igitur eo tempore utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiæ declaratione constaret, quemquam ex illis Dei visione frui, & consequenter viventium non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim preces, & sacrificia offerebantur ". Fortasse illa pro S. Leone oratio eo tempore facta fuit, quo recens ejusdem depositio recolebatur, ac postea in ejusdem Missa retenta, quando Sanctis etiam Confessoribus Liturgiæ tributæ fuerunt. Quanquam Innoc. III. in cap. *Cum Marthæ de celebrat. Missarum* illam Secretam S. Leonis sic explicat, *ut oblatio illi prosit* ad honorem: ut magis a fidelibus glorificetur. Vid. quæ dicta sunt Tom. II. Dissert. III. n. 299. seq.

348. Dices. In Liturgiis Ecclesiæ inveniuntur preces etiam pro damnatis, quibus tamen certum est, easdem nihil prodesse. Sic Ecclesia orat in Missa Deum: „ Ut liberet animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; ut liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c. *Præterea Ecclesia orat, ut liberentur* de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt, & terra, dum venerit (*Christus*) judicare sæculum per ignem ": non ergo &c.

349. Resp. *ad primum*, nomine *inferni*, *profundi lacus &c.* non proprie designari infernum ipsum, ubi nulla est redemptio; sed Purgatorium, cujus locus subterraneus esse creditur; & cujus pœnæ acerrimæ sunt, quanquam cum pœnis damnatorum non comparandæ.

350. Ad *secundum*. Ecclesia orat pro suis fidelibus, ut non inveniantur simul cum reprobis in tremenda die judicii. Quanquam vero defunctorum sors sit jam decisa, nec fieri possit, ut qui modo in Purgatorio sunt, in die judicii ex parte sinistra simul cum reprobis inveniantur, utitur tamen iisdem precandi formulis eas referendo ad illud instans, quo animæ e corpore migrarunt, quod in memoriam revocatur, quando preces ad Deum funduntur. Sic etiam Ecclesia tempore Adventus orat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem;* non certe quasi id quotannis fieri debeat, sed in memoriam illius felicissimi temporis, quo id factum est. Idem etiam fieri consuevit in aliis Fidei nostræ mysteriis, quando majores solemnitates recurrunt. *Nempe sæpe ita loquimur*, inquit S. Augustinus epist. XXIII. ad Bonifacium, *ut Pascha propinquante dicamus, crastinam, vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit &c.*

351.

milius, vulgo Petrus Martyr, dum P. III. *Locorum communium* cap. 9. §. 52. *De Patribus*, inquit, *quid senserint hac de re, non habeo quid aliud referam, nisi majorem illorum partem in eam sententiam esse propensos, ut Purgatorium concedant. Sed apud nullum eorum memini me legisse, articulum esse fidei, ut qui secus opinatus fuerit, salutem habere non possit.*

(*a*) Nicol. Cabasilas in expositione Liturgiæ græcæ cap. 33. de oblationibus pro Sanctis ita loquitur: *Pro iis offert* (Ecclesia) *rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & præ ceteris omnibus pro Beata Dei Matre, ut quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, sed potius eos orat, ut ab eis orationibus adjuvetur. Quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem.*

551. Ceterum non omnes Ecclesiæ preces pro defunctis ad illud tempus referuntur, quo ex hoc sæculo transierunt. Sunt enim aliæ, quæ spectant ad præsentem eorum statum; ut cum orat ab omni delictorum vinculo absolvantur, ut Deus ipsis requiem donet, ut perducat eos ad lucem sanctam, ac ut Sanctorum felicitati conjungantur. Orat autem pro omnibus, quia de singulorum statu Ecclesia certa non est, exceptis Martyribus, & iis, quos ipsa Sanctorum albo adscribit.

552. Ex his autem, aliisque pluribus, quæ brevitatis gratia omisimus, manifeste apparet, jure meritoque contrarium Novatorum errorem fuisse ab œcumenica Tridentina Synodo condemnatum. Et *primo* quidem Sess. VI. can. 30. his verbis: ,, Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit; ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit. *Postea Sess. XXII. can.* 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. *Sess. demum XXV. hoc de Purgatorio decretum factum est:* Cum catholica Ecclesia, Spiritu S. edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissime in hac œcumenica synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcepit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a Sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam a Christifidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, & quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant ". Quo sapientissimo decreto os malignantium obstructum est, ne privatos aliquorum abusus, quos Ecclesia improbat, sanæ Purgatorii doctrinæ objiciant.

553. Ob. *primo*. Sancti Patres aperte docent, nullum post hanc vitam esse pœnitentiæ, aut satisfactionis locum. *Primo* enim S. Cyprianus in Tract. I. contra Demetrianum circa finem hæc habet: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus. Secundo* S. Ambrosius *de bono mortis* c. 2. ita scribit: *Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria Beatorum. Tertio* S. Jo. Chrysostomus Hom. *de Lazaro* inquit: *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere.* Addit: *Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt.* Denique S. Hieronymus exponens illa Apostoli verba ad Gal. VI.: ,, Unusquisque onus suum portabit, *inquit:* Dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis posse nos adjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe (*a*) rogare posse pro quopiam, sed unumquemque portare onus suum ". Ubi aperte Doctor maximus statum vitæ præsentis opponit statui vitæ futuræ, ut nullus sit amplius post mortem satisfactioni pro peccatis, aut suffragiis locus.

554. Resp., hæc testimonia Sanctorum Patrum esse intelligenda de pœnitentia, & conversione, qua homines fiunt ex malis boni, quæ certe pœnitentia locum non habet in futuro sæculo. Ita S. Cyprianus, qui paulo antea dixerat: ,, Hortamur vos, dum adhuc aliquid de hoc sæculo superest, Deo satisfacere, & veræ Religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere ".

555. S. etiam Ambrosius loquitur de remissione peccatorum mortalium; quod statim declarat, inquiens: *Non erit autem* (in patria Beatorum), *quia ad vitam æternam non poterit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est.* Certissimum est autem, peccata mortalia nullo modo posse in altera vita remitti.

556. Similiter de peccatis mortalibus loquitur S. Jo. Chrysostomus; quod aperte liquet ex Epulonis exemplo, quo ibi utitur ad suæ sententiæ confirmationem. Aliter loquitur de peccatis venialibus, & maculis levioribus. Quam in rem multa afferre possemus; sed ea sufficiant, quæ habet in Hom. XLI. in ep. 1. ad Corinth., ubi commemorato illo usu, ut ille, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamet: ,, Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, *inquit:* Non sunt res nostræ scenici ludi, absit. Hæc enim fiunt ordinatione Spiritus: eis ergo opera feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat Patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, ,, of-

(*a*) Alludit Hieronymus ad verba Ezech. XIV. 14. seq. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job .... Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt.*

,, offerentibus, eis existat aliqua consolatio? .... Et ,, fieri potest, ut veniam eis omni ex parte conciliemus &c. ".

557. S. Hieronymus denique loquitur de eo tempore, quo omes adstabimus ante tribunal Domini, ut judicemur, quo certe tempore nihil proderit intercessio Sanctorum; quod manifeste indicant ipsa objecta verba: *Cum ante tribunal Christi venerimus &c.* Videtur etiam loqui de damnatis ad ignem æternum, præsertim si locus iste aliquando obscurior conferatur cum alio clariore in Lib. IV. *Commentar.* in Ezech. cap. XIV., ubi inquit: ,, Quod si Noe, Daniel, & Job pariter congregati, & in uno loco positi peccatricem terram, ,, hoc est eos, qui in terra peccatrice habitant, ,, non possunt iræ Dei subtrahere, quid dicendum ,, est de his, qui putant, merito parentum, atque ,, virtutibus, posse filios peccatores de gehennæ ,, ignibus liberari "? Hac ratione objectum Hieronymi locum explicandum censuit Gratianus, Causa XIII. qu. 2. cap. *In præsenti*.

558. Ob. *secundo* aliqua S. Augustini testimonia, quibus aperte Purgatorium negare videtur, aut saltem de eo dubitare. *Primo* enim ep. CXCI. alias 80. dicit, unumquemque nostrum, qualem dies mortis invenerit, talem esse in novissimo die judicandum; & Tract. XLIX. in Joan. *Requiem*, inquit, *quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur*. Item Serm. 183.: *Non hic sumus*, inquit, *sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato*. Tandem Lib. II. *De peccat. meritis, & remiss.* c. 33. docet, peccata hic remissa non obesse post mortem; & Lib. *De Spiritu & littera* c. 28., peccata venialia hominem justum non impedire a vita æterna.

559. Præterea saltem de purgatorio dubius fuisse videtur. Nam in *Enchiridio* cap. 68. postquam verba Apostoli 1. Corinth. III. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* de tribulationibus hujus sæculi explicuisset, quibus justi purgantur, ita subdit: ,, Tale aliquid etiam post ,, hanc vitam fieri, *incredibile non est*, *& utrum ita sit*, *quæri potest*; & aut inveniri, aut ,, latere, nonnullos fideles per ignem quemdam ,, purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque salvari. Et similiter Lib. XXI. *De Civ. Dei* cap. 26. eos, qui explicant de igne purgatorii illum ignem, de quo loquitur Apostolus, *se non redarguere* dicit, *quia forsitan verum est*. Fuit ergo S. Doctor de Purgatorio anceps, & dubius.

560. Resp., certe prodigii loco habendum, quod S. Augustinus putetur fuisse dubius de dogmate Purgatorii in altera vita, aut illud aperte negasse, quod tam frequenter & apertè in suis libris confessus est (Vid. supr. num. 541.). Et *primo* ubi dicit, talem futurum esse unumquemque nostrum, qualem ultima dies invenerit, solum docere vult, sententiam, quæ a summo judice tunc profertur, nunquam esse immutandam, quia tunc omne meritum cessabit, & omnes erimus in termino. *Secundo* verissime dicit Tract. XLIX. in Jo., *Requiem, quæ continuo datur post mortem*, unumquemque accipere, cum moritur, *si ea dignus est*; videlicet, nisi obstent aliqua impedimenta peccatorum, quæ nondum sint plene deleta. *Tertius* locus ex Serm. CLXXXIII. significat, nos cum vivimus, esse semper obnoxios peccatis, erimus postea sine peccatis, quando ex hac vita exibimus. *Quartus, & quintus* locus objectus solummodo indicat, peccata venialia, aut etiam mortalia, quæ hic remissa sint, hominem minime impedire, quin tandem aliquando ad vitam perveniat æternam, quando nempe purgatorio igne plene purgatus fuerit.

561. Neque vero unquam S. Doctor de purgatorio, aut de suffragiis pro animabus ibi detentis dubitavit, cum tam multis aliis in locis id indubie asseruerit; sed solum dubitavit, utrum in futuro sæculo remaneant affectus quidam vitiosi, quos purgatorius ignis abstergat, quemadmodum sunt in hac vita, & per ignem tribulationem purgantur, dum istæ tribulationes nos ab inordinato rerum temporalium amore retrahunt. Est enim opinio multorum, hujusmodi affectus veniales non tolli in hac vita, nisi per actus contrarios; quia, ut dicit S. Thomas in IV. *Sentent.* Dist. 21. qu. 1. art. 3., *culpa actualis, etiam venialis, non dimittitur sine actuali contritionis motu*; qui consequenter docet: ,, quod culpa venialis in eo, qui ,, cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur ,, per ignem purgatorium, quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia ,, stare potest ". De tota hac re, quæ ad ipsum dogma purgatorii non spectat, anceps hæsit Augustinus; adeoque an de igne Purgatorii in vita futura, an vero de igne tribulationis in præsenti ea verba Apostoli 1. Corinth. III. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* intelligenda sint; de quibus omnibus disputari, ac dubitari potest sine ullo dogmatis Purgatorii præjudicio.

562. Ceterum quis audeat suspicari, dubitasse S. Augustinum, an Purgatorium existat, cum in *Enchiridio* cap. 9. expresse dicat: ,, Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum ,, viventium relevari, cum pro illis sacrificium ,, Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia ,, fiunt "? Et in Libro *De cura pro mortuis gerenda* cap. 4. dubium non esse asserat, sacrificia, & orationes *prodesse iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt?* Et innumeris aliis in locis hanc veritatem Purganti Ecclesiæ adeo utilem fidelibus suis inculcet?

563. Dices *primo*. Idem S. Pater exponens verba Psalmi XXXI. ,, Beati quorum tecta sunt peccata, *sic ait:* Si texit peccata, noluit adverte-

,, re: si noluit advertere, noluit animadvertere: ,, si noluit animadvertere, noluit punire, noluit ,, agnoscere, maluit ignoscere ": iis igitur, quorum peccata per caritatem tecta sunt, nihil amplius luendum superest; adeoque &c.

564. Resp., S. Doctorem excludere ab eis, quorum peccata tecta sunt, pœnam æternam, non autem pœnas temporales, sive in hac, sive in altera vita, quas Tract. CXXIV. in Joan., & alibi aperte confitetur.

565. Dices *secundo*. S. Pater Lib. I. *De peccatorum meritis & remiss.* cap. 28. in alia vita *non esse ullum ulli medium locum*, docet. Cui consonans auctor Libri *Hypognosticon*, qui olim fuit eidem Augustino tributus, inquit Lib. V. cap. 5.; ,, Primum locum fides Catholicorum divina ,, auctoritate regnum credidit cælorum: secundum ,, gehennam, uti omnis apostata, vel a Christi fi- ,, de alienus æterna supplicia experietur: tertium ,, penitus ignoramus; immo nec esse in Scripturis ,, sanctis invenimus ". Non itaque S. Augustinus, nec etiam ejus Discipuli, cujusmodi fuit Auctor Libri *Hypognosticon*, vel *Hypomnesticon*, tertium Purgatorii locum agnoverunt (*a*).

566. Resp., tam Augustinum, quam auctorem Libri *Hypognosticon* negare illum *tertium* locum, in quo Pelagiani degere infantes sine baptismo mortuos commenti sunt, & in quo beatitudine quadam naturali fruerentur, & quidem in perpetuum. Diversus omnino est Purgatorii locus, quem agnoscit, & confitetur Ecclesia Catholica.

567. Obj. *tertio* ex ratione thelogica. Communiter docetur in Ecclesia Catholica ita per baptismum remitti non solum originale, sed etiam actualia peccata, ut nihil prorsus pœnarum luendum sit, neque in hac, neque in futura vita: cur ergo eadem ratio non erit etiam pœnitentiæ, quæ est secundus Baptismus?

568. Respondent Tridentini Patres Sess. XIV. cap. 2. ,, Alium esse Baptismi, & alium Pœnitentiæ ,, fructum. Per Baptismum enim Christum induen- ,, tes, nova prorsus in illo efficimur creatura, ple- ,, nam, & integram peccatorum omnium remissio- ,, nem consequentes: ad quam tamen novitatem, ,, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ si- ,, ne magnis nostris fletibus, & laboribus, divi- ,, na id exigente justitia, pervenire nequaquam pos- ,, sumus; ut merito Pœnitentia laboriosius quidam ,, Baptismus dictus fuerit. *Et cap.* 8., *addunt*, ,, Falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, ,, culpam a Domino numquam remitti, quin u- ,, niversa etiam pœna condonetur: perspicua enim, ,, & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, ,, quibus præter divinam traditionem hic error quam ,, manifestissime revincitur. Sane & divinæ justi- ,, tiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gra- ,, tiam recipiantur, qui ante baptismum per igno- ,, rantiam deliquerint: aliter vero qui semel a pec- ,, cati, & dæmonis servitute liberati, & accepto ,, Spiritus Sancti dono scienter templum Dei vio- ,, lare, & Spiritum Sanctum contristare non for- ,, midaverint ".

569. Inst. *primo*. Pœna est effectus culpæ: ergo remissa culpa tolli debet & pœna; & quemadmodum ubi culpa est gravior, vel levior, etiam pœna debet esse gravior, vel levior, ita ubi nulla est culpa, nulla quoque debet esse & pœna.

570. Resp., effectus alicujus causæ esse duplicis generis; quidam enim ita cum sua causa connexi sunt, ut ea remota, etiam ipsi tollantur, ut calor, & splendor ita dependet ab igne, ut eo imminuto imminuantur, & sublato penitus tollatur. Sunt tamen alii effectus, qui etiam remota causa perseverant; ut vulnus extracto gladio non cessat. Ita similiter pœna est talis culpæ effectus, ut etiam eadem culpa remissa non tollatur, nisi per actus pœnitentiæ.

571. Inst. *secundo*. Peccata venialia non possunt post hanc vitam remitti, quia non remittuntur absque pœnitentia, cui post obitum nullus amplius locus est: nullum ergo est Purgatorium, quod delendis venialibus culpis dicitur destinatum.

572. Respondet S. Thomas in IV. *Sentent.* Dist. 21. qu. 1. art. 3. ,, Quod culpa venialis in eo, ,, qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimit- ,, titur per ignem purgatorium, quia pœna illa a- ,, liqualiter voluntaria virtute gratiæ habet vim ex- ,, piandi culpam omnem, quæ simul cum gratia ,, stare potest. *Et iterum ad* 2. Post hanc vitam, ,, *inquit*, non potest esse meritum respectu præ- ,, mii essentialis, sed respectu alicujus accidenta- ,, lis potest esse, quamdiu manet homo in statu ,, viæ aliquo modo: & ideo in purgatorio potest ,, esse actus meritorius, quantum ad remissionem ,, culpæ venialis ". Quæ quidem Angelici explicatio admodum probabilis est, quamvis Ecclesia de modo, quo culpæ veniales in Purgatorio deleantur, nihil definire voluerit; sed solum in peccatore pœnitente ,, remanere reatum pœnæ tempora- ,, lis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro ,, in Purgatorio; & animas ibi detentas fidelium ,, suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sa- ,, crificio juvari ,,. Vid. sup. n. 550.

573. Obj. *ultimo*. Illi homines, quos mundi finis

(*a*) P. Jo. Garnerius in Dissert. VI. Append. ad 1. P. Operum Marii Mercatoris Librum *Hypognosticon* Xysto Presbytero Romano, qui S. Cœlestino in Pontificatu successit, multis argumentis tribuere conatus est; quibus tamen omnibus invicte respondit noster P. Seraphinus Piccinardus *De novitio opere, quod inscribitur Prædestinatus* &c. Patavii 1686. in 4. art. 2. §. 11. & sequ.; & una cum Patribus Maurinis editoribus Operum S. Augustini *Hypognosticon*, seu *Hypomnesticon* Mario Mercatori tribuendum esse judicat. Ceterum temere prorsus Erasmus in margine loci objecti ex Lib. V. *Hypognosticon* hanc notam apposuit: *Tertium locum ignoramus, Purgatorium.*

nis inveniet, quique aut non morientur, aut statim resurgent (Vide dicta sup. n. 101.) nullis Purgatorii pœnis erunt obnoxii: ergo nec alii; cum nulla appareat alicujus discriminis ratio.

574. Resp., quamvis de iis hominibus nihil revelatum inveniatur, neque in Scriptura, neque in Traditione, ex analogia tamen certo concludere possumus, eosdem etiam purgatum iri a piacularibus maculis, si quas habent, vel in anima sola eo brevissimo tempore, quo separata a corpore erit, gravitate pœnarum supplente earumdem diuturnitate, vel etiam per universalem conflagrationem simul cum corpore; vel etiam fortasse Sanctis intercedentibus, eorumdem pœnas esse a divina clementia condonandas.

Quæres *primo*, quænam sit, quam gravis, & quam diuturna Purgatorii pœna?

575. Resp., ex communi fere omnium sententia, esse ignem. Disputatum quidem hac de re fuit in Concilio Florentino cum Græcis, qui Purgatorium non ignem volebant, ut obscurum quemdam locum, cruciatibus, & doloribus plenum. Disputatio tamen non diu duravit, & in fine Concilii sic Græci de Purgatorio locuti sunt: *Quod quidem, sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, non putamus referre*.

576. Ecclesia nihil hac de re definire voluit, in suis tamen precibus videtur voluisse omnia comprehendere, dum orat Deum, ut det illis animabus *refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem*.

577. Quidquid vero sit de qualitate pœnarum, dubitari non potest, illas esse gravissimas; nam S. Augustinus in Psal. XXXVII. inquit: „ Quia dicitur, *Salvus erit, quod per ignem*, contemnitur ille ignis ..... gravior tamen erit ille ignis, „ quam quidquid potest homo pati in hac vita ". Et S. Gregorius Papa in Ps. III. Pœnitentialium: *Illum*, inquit, *transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem*. Et S. Thomas in IV. *Sentent.* Distinct. 12. Quæst. 1. art. 1. rationibus probat, pœnam Purgatorii *excedere omnem pœnam istius vitæ*. Quamobrem recte Ecclesia filios suos adhortatur ad opera satisfactionis in hac vita exercenda, maximoque studio commendatur indulgentiarum usus, quibus illæ pœnæ relaxantur.

578. De illarum pœnarum duratione varie opinantur Theologi. Sunt qui neminem ultra decem, aut viginti annos in Purgatorio detineri posse existiment, quia, inquiunt, clementia Dei non patitur amicos suos multo tempore a suo conspectu cohiberi. Verum si hæc ratio valeret, nimis longum videretur etiam spatium viginti, vel decem annorum. Satius est dicere id Deo soli notum esse, qui in numero, pondere, & mensura omnia disponit. Sane si Deus ex inscrutabili judiciorum suorum abysso potuit Sanctos Vet. Testamenti a suo conspectu arcere per millia annorum, usque ad Christi resurrectionem, ut communis Theologorum opinio habet, eccur non poterit etiam justorum animas in Purgatorii carcere detinere quousque reddant novissimum quadrantem?

579. Sane magnus Augustinus pro Matre sua Monica, ante 30., & amplius annos mortuam Deum orabat, aliosque ut pro ea orarent, majorem in modum hortabatur. Hinc etiam Ecclesia probat anniversaria pro Defunctis instituta, quæ ab ipso Tertulliani tempore memorata inveniuntur. Quamobrem justissime ab Alexandro VII. præscripta fuit illa propositio n. 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos*.

Quæres *secundo*. Utrum Animæ in Purgatorio certæ sint de sua salute?

580. Resp., Lutherus quando initio sui schismatis Purgatorium admittebat art. 38. negavit, eas esse de sua salute securas; quamvis postea sententia mutata Purgatorium ipsum sustulerit. Ille articulus Lutheri fuit una cum ceteris a Leone X. reprobatus. Et quidem merito, *primo* enim cum statim post mortem subsequatur judicium, unaquæque anima debet decretoriam judicis sententiam audire, videlicet aut damnationis æternæ, aut salutis, sive immediate consequendæ, sive post debitam suarum culparum purgationem. Præterea sciunt infelices illæ animæ in Purgatorio detentæ se Deum ex toto corde diligere; spem habent regni cælestis, & Purgatorii pœnas patienter sustinent; quæ omnia conciliari non possunt cum incertitudine cœlestis Beatitudinis. His accedunt orationes Ecclesiæ, quibus in Canone Missæ dicitur eas animas *dormire in somno pacis, & quiescere in Christo*. Qui plura desiderat, adeat Card. Bellarminum Lib. II. *de Purgatorio* cap. 4., qui tamen hanc sententiam ad fidem pertinere non putat asserens quosdam esse „ Catholicos, qui existimant, varias esse in Purgatorio pœnas, & unam esse omnium maximam, incertitudinem salutis, qua dicunt, quasdam solum animas mulctari ". Pro hac sententia citat Dionysium Carthusianum, Michaelem Bajum, Gersonem, & Joan. Roffensem.

BREVIS TRACTATUS

De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate.

Virtus definiri solet ex S. Augustino Lib. II. *de lib. arb.* cap. 18. & 19. *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quamque Deus in nobis sine nobis operatur*. Hanc definitionem probat Angelicus (*a*), sed loco *qualitatis*

(*a*) 1. 2. quæst. 55. art. 4., ubi tamen observat iis verbis: *quamque Deus in nobis operatur*, definitionem restringi ad virtutes infusas; si autem ea verba demantur, *reliquum definitionis*, inquit, *erit commune omnibus virtutibus & acquisitis, & infusis*.

tis ponendum esse putat, *habitum*, *qui est genus propinquum*. Duæ autem sunt virtutis species: aliæ enim perficiunt intellectum, sive in ordine speculativo, sive in ordine practico, & *intellectuales* vocantur; aliæ perficiunt appetitum, & dicuntur *morales*. Vide S. Thomas 1. 2. qu. 58. art. 3. Virtutes intellectuales sunt sapientia, intellectus, ars, & prudentia (S. Thoma 1. 2. qu. 57. art. 2. & seq.). Morales autem versantur vel circa passiones, ut fortitudo, & temperantia, vel circa operationes, ut justitia, & ceteræ, quæ eam comitari solent. Sed inter virtutes morales quatuor eminent *cardinales* dictæ, quod sint veluti cardines, *in quibus*, ut loquitur S. Thomas Quæst. V. *de Virt.* art. 1. *fundatur vita humana:* sunt autem prudentia (*a*), justitia, fortitudo, & temperantia.

Præter has aliæ tres virtutes sunt, fides, spes, & charitas, quæ appellantur *theologicæ*, tum quia habent Deum pro objecto, „ inquantum per eas „ recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo „ nobis infunduntur; tum quia sola divina reve- „ latione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes „ traduntur ". Ita S. Thomas 1. 2. qu. 62. art. 1. in eo vero reliquis virtutibus antecellunt, quod objectum theologicarum virtutum sit ipse Deus, qui est ultimus omnium rerum finis, prout nostræ rationis cognitionem excedit: objectum autem virtutum intellectualium, & moralium est aliquid, quod humana ratione comprehendi potest. Vid. S. Thomas loco cit. art. 2.

In hoc tractatu solum de virtutibus theologicis disputabimus, quibus Christiana Religio potissimum continetur. Ut enim inquit S. Augustinus Serm. XXVI. alias XX., domus Dei *credendo fundatur*, *sperando erigitur*, *diligendo perficitur*. Primum autem de fide agemus, tum de spe, ac postremo de charitate; quia ut S. Thomas observat 1. 2. qu. 72. art. 4., quamquam *ordine perfectionis* charitas præcedit fidem, & spem, inquantum est omnium virtutum mater, & radix, *ordine tamen generationis* fides præcedit spem, & charitatem: „ non enim potest in aliquid motus appeti- „ tivus tendere, vel sperando, vel amando, nisi „ quod est apprehensum sensu, vel intellectu: per „ fidem autem apprehendit intellectus ea, quæ „ sperat, & amat ".

DISSERTATIO I.

De Fide. Vid. S. Thomas 2. 2. qu. 1. & seq.

1. Celebris est illa fidei definitio ab Apostolo tradita in epist. ad Hebr. cap. XI. *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, *argumentum non apparentium*. His paucis S. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 1. omnia contineri dicit, *ex quibus fides potest definiri*, *licet verba non ordinentur sub* forma definitionis (*b*) „ .... Si quis autem, *subdit*, in forma definitionis hujusmodi verba re- „ ducere velit, potest dicere, quod fides est ha- „ bitus mentis, quo inchoatur vita æterna in no- „ bis, faciens intellectum assentire non apparen- „ tibus ".

2. In hac Paulina fidei definitione nonnulla occurrunt, quæ explicationem desiderant. Primo obscuritatem aliquam habet illa vox *substantia* græce ὑπόστασις quam non omnes interpretes eodem modo intelligunt. Sunt qui eam a verbo ὑφίσαμαι repetunt, quod non raro significat *persuasum habere*, seu *certo expectare*, quasi Apostolus dicat: *fides est firma persuasio*, & *certa expectatio rerum sperandarum*. Hanc interpretationem confirmat Grotius comment. in hunc loc. nonnullis, cum sacris, tum profanis adductis testimoniis, Vid. Jo. Augustus Ernesti *de vanitate Philosophantium in interpret. librorum sacrorum*.

3. S. Thomas aliam hujus vocis interpretationem affert in Comment., quæ textui Apostoli videtur accommodatior; ut scilicet fides dicatur „ sub- „ stantia, idest facere in nobis substare res spe- „ randas, quod facit duobus modis: uno modo „ quasi merendo; ex hoc enim quod captivat, & „ submittit intellectum suum his, quæ sunt fidei, „ meretur, quod aliquando perveniat ad videndum „ hoc, quod sperat; visio enim est merces fidei „ (*c*). Alio modo quasi per suam proprietatem „ præsentialiter facit, quod id, quod creditur fu- „ turum in re, spe aliquo modo jam habeatur ": ut nempe nihilo minus certi simus de rebus per fidem creditis, ac si illa propriis oculis ut præsentia aspiceremus. Hæc secunda expositio, ut testatur Estius in Comment., est S. Jo. Chrysostomi, quem Theodoretus, aliique Græci secuti sunt.

4. Porro Apostolus solum rerum sperandarum expressam mentionem facit, tamquam partis principalioris, non tamen alia excludit, quæ sub objecto

(*a*) Negotiam minime facessat, quod prudentiam tum inter intellectuales, tum inter morales virtutes recensuerimus; siquidem ut scite S. Thomas observat 1. 2. quæst. 57. art. 3. ad 1., *prudentia secundum suam essentiam est intellectualis virtus; sed secundum materiam convenit cum virtutibus moralibus*, *est enim recta ratio agibilium*, & *secundum hoc virtutibus moralibus connumeratur*.

(*b*) Non desunt tamen, qui post Erasmum negant, voluisse Paulum hic fidem accurate describere. Vid. Nicolaus l' Herminier in hoc Tract., & Juenin Tom. VI. Dissert. IV. cap. 1.. Immo Erasmus hic fidem sumi putavit, non pro ea virtute, qua revelatis firmiter assentimur, sed pro fiducia, qua speramus: a vero tamen Apostoli sensu in hoc vehementer aberrat.

(*c*) Id clarius explicat Angelicus 2. 2. qu. 4. art. 1. inquiens: „ Dicitur fides esse substantia rerum spe- „ randarum, quia scilicet prima inchoatio rerum spe- „ randarum in nobis est per assensum fidei, quæ vir- „ tute continet omnes res sperandas. In hoc enim spe- „ ramus beatificari, quod videbimus aperta visione „ veritatem, cui per fidem adhæremus ".

jecto fidei comprehenduntur, ut præsentia, & præterita, quæ sperare non possumus, immo neque mala, quæ objectum timoris sunt: quamobrem ibidem subdit vers. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent:* ulterius vers. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est;* ac denique vers. 7. *Fide Noe responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ.*

5. Postremo notanda sunt ea verba: *Argumentum non apparentium*, seu ut ex Græco eruitur, *convictio eorum, quæ non videntur* ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. In hoc enim posita est laus fidei; ut propter divinam auctoritatem, ea etiam firmissime credamus, quæ supra nostram rationem sunt posita: unde Sanctus Augustinus Tract. XL. in Jo. *Fides*, inquit, *est virtus qua creduntur, quæ non videntur* (a).

6. Ceterum communiter fere Fides definiri a Theologis solet *virtus a Deo nobis infusa, qua libero, & pio voluntatis affectu iis firmiter assentimur, quæ nobis a Deo revelata sunt, propter ipsius Dei revelantis auctoritatem*. Dicitur autem *virtus a Deo nobis infusa*, quod est fidei cum omnibus aliis virtutibus theologicis commune, & genericum. Additur præterea *liber, & pius voluntatis affectus;* quod Apostolus indicat dicens Philip. II. 17. *sacrificium, & obsequium fidei vestræ;* quia in hoc potissimum nostra fides a fide dæmonum distinguitur, qui, ut S. Jacobus dicit II. 19., *credunt, & contremiscunt:* credunt, inquam, non libere intellectum Deo submittentes, sed necessaria convictione compulsi.

7. Hinc patet, quantum a vera fide ii Christiani procul sint, qui eodem modo sacris Religionis mysteriis assentiuntur, ac profanis historiis, nihil de eorum sublimitate cogitant, multoque minus eadem pio animi affectu meditantur. Si ad credendum divina auctoritate permoverentur, intelligerent profecto, res esse summi momenti, quas Deus hominibus revelare propter suam ipsorum utilitatem dignatus est. Audiatur Sanctus Augustinus Tr. XXIX. in Jo. n. 9., ubi inquit: ,, Quid est ergo credere in Deum? Credendo diligere, credendo amare, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis, exigit Deus; & non invenit, quod exigat, nisi donaverit, quod inveniat".

CAPUT I.

Quid proprie sit fides, & circa quid versetur?

8. Fides Christianorum non solum exigit, ut firmiter, ac sine ulla dubitatione omnia ea credamus, quæ Religio sancta nobis credenda proponit; sed etiam ut ea credamus propter supernaturale motivum divinæ revelationis. Quamobrem S. Paulus in prima epist. ad Thessalon. II. 13. eos ita collaudabat: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei*. Atque hoc est, quod Theologi scholastici vocant, *formale* objectum fidei, ut mox dicemus.

9. Neque vero a divina revelatione, quæ continetur in sacris Litteris, vel in Traditione, separari debet, aut potest suprema auctoritas Ecclesiæ quæ divini verbi sive revelati, sive traditi, custos est, & interpres, & magistra infallibilis, & quæ non aliunde, quam ab ipso Deo suam habet definiendi, & proponendi fidei articulos potestatem, ut in I. Tom. Diss. III. copiose declaratum ac demonstratum fuit. Multifariam, multisque modis olim Deus locutus est Patribus, & Prophetis, qui internæ ejusdem Dei revelationi credere tenebantur. Novissime autem nobis locutus est in Filio suo, qui omnem doctrinam suam, tanquam sacrum, & divinum depositum reliquit Ecclesiæ, eamque audire nos jussit, quando Apostolis dixit Lucæ X. 16. *Qui vos audit, me audit*. Hinc fit, eos Hæreticos, qui aliqua nobiscum credunt fidei dogmata, non alia de causa, nisi quia fallibili ipsorum ingenio a Deo revelata videntur, veram & proprie dictam fidem non habere, quia non propter id ea credunt, propter quod ea credenda sunt. Imo cum in credendo nonnisi judicio suo innitantur, quod ipsis dictat, aliquod esse revelatum, & aliunde inficiari non possint, judicium nostrum quacumque adhibita cautione, & diligentia esse errori obnoxium, non video, quomodo ipsi queant de aliquo dogmate certum, & indubium actum fidei elicere; semper enim dubitare debent, si prudentes sint, an in discernendo vero, & legitimo divinæ revelationis sensu fallantur; præcipue cum videant, alios, nec paucos, nec indoctos homines sibi aperte repugnare, aliumque, & oppositum iisdem

(a) Patet ex his, quantum ab Apostolo, sanctisque Patribus abludat auctor epistolarum *sur la Religion essentielle à l'homme*, dum I. P. ep. 16. fidem esse vult *perceptionem evidentem Divinitatis, ejusque attributorum:* & paulo post dicit, fidem nihil aliud essentialiter esse, quam *certitudinem fundatam in cognitione naturali attributorum supremi entis*. Et quod omnem admirationem superat, audet in eadem epistola auctoritatem S. Pauli in sui patrocinium vocare. Frustra autem hanc absurdam fidei definitionem excusare, vel purgare conatur P. V. *dans une lettre accessoire sur la Foi*, dicens se non fidei peculiaris Christianorum, sed fidei generalis, & particularis distinctionem tradere voluisse; futilis enim est, vana, contradictoria, atque inaudita hæc Fidei generalis, & particularis distinctio. Sed ille urget: nonne existentia Dei, ejusque essentialia attributa objecto fidei comprehenduntur? at hæc clara, evidentique demonstratione patescunt. Contra hoc argumentum vide, quæ diximus Tom. I. Dissert. I. n. 20.

dem sacræ Scripturæ verbis sensum tribuere.

10. Ita S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. docet, in hæretico, qui aliquem articulum fidei non credit, non manere fidem *neque formatam*, *neque informem*; cujus hanc reddit rationem: „ quia species „ cujuslibet habitus dependet ex formali ratione „ objecti, qua sublata, species habitus remanere „ non potest. Formale autem objectum fidei est „ veritas prima, secundum quod manifestatur in „ Scripturis sacris, *& doctrina Ecclesiæ*, quæ „ procedit ex veritate prima. Unde quicumque non „ inhæret, *sicut infallibili*, *& divinæ regulæ*, *do-* „ *ctrinæ Ecclesiæ*, quæ procedit ex veritate pri- „ ma in Scripturis manifestata, ille non habet ha- „ bitum fidei: sed ea, quæ sunt fidei, alio mo- „ do tenet, quam per fidem .... Manifestum est „ autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Eccle- „ siæ, *tanquam infallibili regulæ*, omnibus as- „ sentit, quæ Ecclesia docet; alioquin si de his, „ quæ Ecclesia docet, quæ vult, tenet, & quæ „ non vult, non tenet, jam non inhæret Eccle- „ siæ doctrinæ, *sicut infallibili regulæ*, sed pro- „ priæ voluntati. Et sic manifestum est, quod „ hæreticus, qui *pertinaciter* discredit unum ar- „ ticulum fidei, non est paratus sequi in omnibus „ doctrinam Ecclesiæ: si enim *non pertinaciter*, „ jam non est hæreticus, sed solum errans ". Id antea docuerat S. Augustinus Lib. XVII. *contra Faustum* cap. 3. ita Manichæos urgens: „ Aperte „ dicite, vos non credere Christi Evangelio. Nam „ qui in Evangelio, quod vultis, creditis, & quod „ non vultis, non creditis, vobis potius, quam E- „ vangelio creditis ". Sed hac de re alibi dictum est satis, nunc pauca de ipso credendi actu addamus.

11. Qui quidem *primo* pertinet ad intellectum; quia assentire veritati est actus cognitionis, & judicii ab intellectu procedens; & sana cujuslibet ratio dictat, supremæ, & infallibili Dei revelationi sine ullo dubio credere, quantumvis credendorum rationem non intelligamus; imo etiam si ea, quæ Deus nobis revelat, viderentur rationi ipsi repugnare. Sic ab Apostolo Rom. IV. 18. seq. commendatur fides Abrahæ: „ Qui contra spem in spem „ credidit, ut fieret pater multarum gentium .... „ & non infirmatus est fide, nec consideravit cor- „ pus suum emortuum, cum jam fere centum es- „ set annorum, & emortuam vulvam Saræ. In „ repromissione etiam Dei non hæsitavit diffiden- „ tia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, „ plenissime sciens, quia quæcumque promisit „ Deus, potens est & facere. Ideo reputatum est „ illi ad justitiam ".

12. Quamvis autem hæc assentiendi firmitas sit ad fidem omnino necessaria; per hanc enim fides distinguitur ab opinione fluctuante, atque instabili, non tamen in ea sola consistit fides supernaturalis, & Christiana; sed ad eam requiritur pius voluntatis consensus, quo, ut ait Apostolus in secunda ad Corinth. X. 5. *in captivitatem redigamus intellectum in obsequium Christi*. Assensus igitur fidei est etiam voluntatis actus, atque hinc exoritur fidei meritum; quod meritum sine libero nostræ voluntatis actu esse non potest. S. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 9.: „ Ipsum autem credere, *in-* „ *quit*, est actus intellectus assentientis veritati di- „ vinæ ex imperio voluntatis a Deo motæ per gra- „ tiam, & sic subjacet libero arbitrio in ordine „ ad Deum: unde actus fieri potest esse merito- „ rius ".

13. Hinc idem Doctor Angelicus qu. 5. art. 2. ut dubium, an in dæmonibus sit fides? accurate resolvat, ita ratiocinatur: „ Intellectus *credentis* „ assentit rei creditæ, non quia ipsam videat, vel „ secundum se, vel per resolutionem ad prima „ principia per se visa; sed propter imperium vo- „ luntatis moventis intellectum. Quod autem vo- „ luntas moveat intellectum ad assentiendum, pot- „ est contingere ex duobus: uno modo ex ordine „ voluntatis ad bonum; & sic credere est actus „ laudabilis: alio modo, quia intellectus convin- „ citur ad hoc, quod judicet, esse credendum his, „ quæ dicuntur, licet non convincatur per evi- „ dentiam rei: sicut si aliquis Propheta prænun- „ tiaret *in sermone Domini* aliquid futurum, & „ adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc „ signo convinceretur intellectus videntis, ut co- „ gnosceret manifeste, hoc dici a Deo, qui non „ mentitur; licet illud futurum, quod prædicitur, „ in se evidens non esset. Unde per hoc ratio fi- „ dei non tolleretur ". Hac præmissa doctrina ita dubium resolvit: „ Dicendum est ergo, quod in „ fidelibus Christi laudatur fides secundum pri- „ mum modum, & secundum hoc non est in dæ- „ monibus, sed solum secundo modo: vident enim „ multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt, „ doctrinam Ecclesiæ a Deo esse; quamvis ipsi „ res ipsas, quas Ecclesia docet non videant, pu- „ ta Deum esse trinum, & unum, vel aliquid hu- „ jusmodi ".

14. His pauca addamus etiam de objecto fidei, de quo breviter agit S. Thomas quæst. 1. art. 1. & 2.; & observat *primo*, objectum cujuslibet habitus cognoscitivi duo continere, scilicet id, quod materialiter cognoscitur, quod est objectum materiale: & id, per quod cognoscitur, quod est *formalis ratio* objecti. Hoc præhabito concludit S. Doctor, objectum *formale* fidei non esse, nisi *veritatem primam*; non enim fides assentit alicui veritati, nisi quia est a Deo revelata; unde ipsi veritati divinæ fides innititur, tanquam medio. Objectum autem *materiale* fidei non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum. Sic etiam objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Plura cupientibus abunde satisfacient Scholastici.

CA-

CAPUT II.

De necessitate fidei ad salutem.

15. Vetus olim Gnosticorum error fuit, etiam sine fide supernaturali, cum sola Dei cognitione Philosophos paganos consecutos esse salutem: quamobrem Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque imagines adorabant. Id testantur S. Irenæus Lib. I. cap. 25. S. Epiphanius *Hæresi* XXVII., Sanct. Augustinus *de Hæresibus* num. 7. & Theodoretus *de fabulis Hæret*. Idem sensisse visus est Pelagius, qui, teste Sanct. Augustino Lib. II. *Operis imperf.* n. 118. *definivit:* „ Quod non ex fide Incarnationis Christi antiqui vixerint Justi, quia videlicet nondum in carne venerat „ Christus": Hunc errorem revocavit ab orco ante duo sæcula Zvvinglius, qui *in Exposit. Fidei ad Franc. I.*, quæ post ejus mortem ab Henr. Bullingero edita fuit, videndos esse dicebat cum beatis in cœlo Herculem, Theseum, Antigonum, Numam, Aristidem, aliosque hujus generis plures; præcipue autem Senecam, quem sanctissimum vocat.

16. Dolendum est etiam nonnullos Catholicos ea tradidisse, quæ huic errori proxime accedere videntur (*a*); contra quos necessitatem fidei supernaturalis in Deum, ut auctorem gratiæ, & in Christum humani generis redemptorem, demonstrabimus.

17. Pro majore autem dicendorum luce, duplex distinguenda est necessitas, altera quæ dicitur *medii;* altera, quæ est *præcepti* tantum. Prima est quando aliquid ita ad salutem necessario requiritur, ut sine eo salus nullo prorsus modo obtineri queat; nec ulla proinde ignorantia vel impotentia excusat: talis est secundum omnes Theologos Baptismi necessitas. Illud autem dicitur solum de *præcepto*, quod si propter impotentiam, vel ignorantiam invincibilem omittatur, ab æterna salute obtinenda non impedit.

18. Etiam duplex distingui solet fides, *explicita*, & *implicita*. Prima est, quando articuli fidei clare, distincte, & in se ipsis cognoscuntur, & creduntur: *secunda* autem, quando duntaxat confuse aliquid creditur; ut qui generaliter Ecclesiæ credit, etiam implicite ea omnia credit, quæ Ecclesia definivit, omnibusque Fidelibus credenda proponit. Calvinus hanc fidem *implicitam* veluti Catholicorum commentum, ad fovendam ignorantiam acriter insectatur Lib. III. *Inst.* cap. 3. Sed aliud est sub fidei implicitæ prætextu debitam in Religionis studio diligentiam omittere, quod culpabile esse, maximeque deplorandum, Catholici omnes profitentur; aliud plenam, distinctamque omnium fidei nostræ articulorum intelligentiam consequi, quod vix sapientes, & docti; rudes autem, & illiterati ne vix quidem possunt; quod Calvinus, ut Catholicos reddat odiosos, subdole confundit. Sed ad rem.

19. Inventi sunt Theologi, qui putarent, ad salutem sufficere fidem *implicitam* Dei, ut auctor est supernaturalis, qualis fides esse potest in homine in sylvis, vel inter barbaros enutrito, qui solum lumine naturali Deum, ut primam omnium rerum causam agnoscat, in votis autem habeat, cetera quoque agnoscere, credere, & facere, quæ ad salutem pertinent (*b*). Sed iis bona, & melior Theologorum pars una cum S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 3. refragatur.

PRO-

(*a*) Nonnulli Theologi arbitrati sunt, solam existentiæ Dei, ejusque Providentiæ fidem ad salutem esse necessariam. Ita Ambrosius Catharinus in cap. II. ep. ad Rom., Tostatus in cap. XVIII. Gen., Jac. Faber Stapulensis, Fortunius Licetus, Petrus Jarricius, Horatius Tubero, aliique, quos citat Arnaldus in libro inscripto *De la necessité de la foi en* J. C. Tom. II. in fine. (Hic liber vulgatus est a Dupinio contra opus *De la vertu des Payens de M.* de la Motthe le Vayer). Etiam celebris Didacus Payva de Andrada in suis *Explicationibus Orthodoxis de controv. Rel. Capit.* Philosophis Paganis, qui Deum cognoscere, & colere, quantum in se erat, conati sunt, salutem denegare, vocat immanitatem, qua deterior nulla esse potest. Longius progressus est Erasmus, cujus ea de Socrate vox erat: *Parum abest ut dicam: S. Socrates ora pro me;* de Cicerone autem, *Me certe*, inquit, *non admodum adversum habituri sunt in ferendis calculis, qui sperant apud superos illum quietam vitam agere*. Præf. in Tusc. Qu. ad Jo. Ulatenum. Probus autem, apud Lupum Ferrariens. ep. 20., Ciceroni adjungit Virgilium, ceterosque probatissimos Gentiles. Latomus denique non aliam in Abrahamo, quam in Xenophonte, & Cicerone fuisse fidem, ausus est scribere, si vera narrat Vossius ex fide Phil. Melancthonis Lib. III. *Hist. Pel.* P. III. Thesi XI. Ita dilatata semel via, tam multis apertus est salutis ingressus. Pejus vero omnibus deliravit auctor libri *De Salute Aristotelis*, qui hunc Ethnicum Philosophum cum S. Joanne Baptista pene comparare non dubitavit. Novissime autem P. Gavina in sua editione *Dissertationis anagogicæ, theologicæ, paræneticæ de Paradiso*, Panormi 1762. p. 689. eam sententiam defendere se dicit, quæ *Ethnicos, Mahometanos, Hæreticos, Schismaticos, Hebræos turmatim salutem assequi sempiternam docet*. Ejusdem erroris accusatus est Marmontellus in suo *Belisario* c. 10., ubi pluribus Paganis idololatris salutem æternam in cœlo concedit, contra quem videri possunt *Censura Facultatis theologicæ* Parisiensis an. 1767., & *Instructio Pastoralis* Archiepiscopi Parisiensis eod. anno 1767.

(*b*) Ita sentiunt Andreas Vega Lib. VI. *in Trid. Conc.* c. 17., & 20. quem secuti sunt Suarez, Tamburinus, Card. de Lugo, aliique. Vid. Calmet Diss. præmissa Comm. in ep. S. Pauli, *An Gentiles, quibus neque de Lege Moysis, neque de Evangelio aliquid innotuit, salutem obtinere potuerint?*

PROPOSITIO I.

Fides explicita, & supernaturalis in Deum, ut auctorem gratiæ, ad salutem necessaria fuit in omni statu.

20. Et quidem *primo* aperta, & decretoria est Apostoli sententia Hebr. XI. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Porro loqui Apostolum de fide supernaturali, quæ per revelationem habetur, constat ex præmissa fidei definitione initio capitis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* quæ definitio nonnisi in fidem supernaturalem revelatione innixam cadere potest. Id etiam magis constabit ex testimoniis infra adducendis.

21. Præterea idipsum confirmatur auctoritate Concilii Trid. ita Sess. VI. cap. 3. definientis: „Cum „ vero Apostolus dicit Rom. V. justificari hominem per fidem, & gratiam, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ „ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, „ & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire".

22. Haud sum nescius, hæc, aliaque id genus testimonia, quæ magna copia afferre possemus, ab adversariis explicari de fide saltem in voto, quemadmodum similia Scripturarum, sanctorumque Patrum testimonia, quæ omnimodam baptismi, & pœnitentiæ necessitatem evincunt, de baptismo, & pœnitentia saltem in voto explicari solent. Ita Vega, & Ripalda apud Concinam Lib. I. *in Decal.* Dissert. I. cap. 7. n. 6.

23. Veruntamen, præterquam quod hujusmodi distinctio omni prorsus destituta est fundamento, potest etiam hac invicta ratione refelli. Nemo sine charitate actuali æternam salutem consequitur, dicente S. Joanne I. epist. III. 14. *Qui non diligit, manet in morte:* charitas autem sine fide supernaturali nulla esse potest; ut enim docet S. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 7. *Fides est prima omnium virtutum*, ubi etiam laudat S. Augustini doctrinam Lib. IV. cont. Julian. cap. 3. quod nullæ esse possunt vere virtutes, nisi præsupposita fide. Ulterius, ut idem Angelicus Doctor observat 2. 2. qu. 2. art. 3. cùm ultima beatitudo hominis in quadám supernaturali Dei visione consistat, necesse est etiam, ut media, quibus eam consequimur, sint ordinis supernaturalis, ut scilicet proportio inter finem, & media servetur: „ Ultima beatitudo hominis, *inquit S. Doctor*, consistit in quadam „ supernaturali Dei visione, ad quam homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis „ a Deo doctore, secundum illud Jo. VI. Omnis, „ qui audit a Patre, & didicit, venit ad me.... „ Unde ad hoc, quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur, quod „ credat Deo, tanquam discipulus Magistro docenti".

24. Huc etiam spectat damnatio trium propositionum facta ab Innocentio IX. 2. Martii 1679. quarum prima hæc erat: „ Nonnisi fides unius Dei „ necessaria videtur necessitate medii, non autem „ explicita remuneratoris. *Secunda:* Fides late „ dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit. *Tertia:* Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini". Quæ tres propositiones a Clero quoque Gallicano an. 1700. hac censura affectæ fuerunt: *Hæ tres propositiones in Deum remuneratorem, & in Christi mediatoris nomen contumeliosæ sunt, erroneæ, & hæreticæ.*

PROPOSITIO II.

In Lege naturæ, & in Lege Mosaica ante Christi adventum necessaria semper fuit necessitate medii ad salutem aliqua fides saltem implicita mysterii Incarnationis (a).

25. Prob. *primo*; quia Abrahamo prædictum jam fuerat, omnes nationes esse per Jesum Christum salvandas. Gen. XXII. 18. *Benedicentur in semine tuo* (nempe Christo) *omnes gentes terræ*. Ulterius Judæos non fuisse justificatos, nisi per fidem in Christum venturum, multis in locis Apostolus tradit; ad Gal. II. 26. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi*. 1. Tim. II. 5. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus;* & 2. Cor. X. 3. idem Apostolus loquens de Patribus vet. test. *Omnes*, inquit, *eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali, consequente eos petra; petra autem erat Christus*. Etiam S. Petrus Actor. IV. 12. de Christo dicebat: *Non est aliud nomen de cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Ac demum, ut sexcenta alia omittam, Christus ipse Joannis XVI. 6. hanc veritatem luculentissime tradit, inquiens: *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me:* & cap. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*.

26. Prob. *secundo* ex SS. Patribus, quorum omni-

(a) Id negabat post Pelagium Julianus Eclanensis apud S. Augustinum Lib. II. *Operis impe f.* cap. 188. ubi eum ita alloquitur: *Agnoscimus hæresim vestram, definivit enim Pelagius, quod non ex fide Incarnationis Christi antiqui vixerint justi, quia scilicet nondum in carne venerat Christus &c.*

mnium instar esse poterit S. Augustinus, qui Lib. I. *cont. duas epist. Pelagian.* c. 24. *Quantælibet*, inquit, *fuisse virtutis antiquos prædices justos*, *non eos salvos fecit*, *nisi fides Mediatoris*. Et Lib. II. *de pecc. origin.* c. 24. *Sine fide Incarnationis*, *& mortis*, *& resurrectionis Christi*, *nec antiquos justos*, *ut justi essent*, *a peccatis potuisse mundari*, *& Dei gratia justificari*, *fides christiana non dubitat*. Et epist. CXC. alias CLVII. *Illa fides sana est*, inquit, *qua credimus*, *nullum hominem sive majoris*, *sive parvæ ætatis liberari a contagio mortis*, *& obligatione peccati*, *nisi per unum Mediatorem Dei*, *& hominum Jesum Christum*. Magistrum autem sequuntur Discipuli, S. Prosper in Ps. CIV., S. Leo Serm. XXIX. cap. 7., S. Fulgentius *de Incarn. & gratia* cap. 25., aliique.

27. Sed nemo, ut puto, clariore in luce hanc rem collocavit, quam S. Thomas, inquiens 2. 2. quæst. 2. art. 7. „ Illud proprie, & per se pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur: via autem veniendi ad beatitudinem est mysterium incarnationis, & passionis Christi: dicitur enim Act. IV. 12. *Non est aliud nomen &c.*: *ideo mysterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes*, *diversimode tamen secundum diversitatem temporum*, *& personarum* .... Aliter non præfigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis, & ante legem, & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicite Majores cognoscebant; Minores autem sub *velamine illorum sacrificiorum*, *credentes*, *ea divinitus esse* disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ea, quæ ad mysterium Christi pertinent, tanto *distinctius* cognoverunt, quanto Christo propinquiores fuerunt. Post tempus autem gratiæ revelatæ, tam Majores, quam Minores tenentur habere fidem *explicitam* de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia *solemnizantur*, & publice pronuntiantur, sicut sunt articuli Incarnationis &c.".

28. Idem tradit multis aliis in locis; & 1. 2. quæst. 106. art. 1. ad 3. ita absolute pronunciat: *Nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti*, *nisi per fidem Christi explicitam*, *vel implicitam*. Hinc S. Augustinus omnes justos, qui ante Christum floruerunt, *Christianos* fuisse dicit, quamquam hoc nomine non appellarentur (*a*).

29. Obj. *primo*. Nihil aliud ex Christi testimonio ad salutem requiritur, quam mandatorum observantia. Matth. XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi*, *serva mandata*; & Apostolus Rom. II. 13. *Factores*, inquit, *legis justificabuntur*; atqui hæc sine aliqua supernaturali, vel explicita fide Dei, ut auctoris gratiæ, vel implicita Christi Redemptoris servari possunt, dicente Paulo Apostolo Rom. II. 14. *Gentes*, *quæ legem non habent*, *naturaliter ea*, *quæ legis sunt*, *faciunt*: ergo &c.

30. Resp., primum, & maximum legis mandatum esse Dei dilectionem super omnia; hoc autem mandatum ab eo certe adimpleri non potest, qui Deum ut auctorem gratiæ vel non cognoscit, vel non credit. Rursus non solam mandatorum observantiam, sed peccati originalis remissionem ad salutem requiri, plusquam certum est; hæc autem sine fide explicita Dei, & saltem implicita Redemptoris obtineri nullo tempore potuit, dicente S. Augustino „ De natura & gratia *cap.* 44. Ea „ fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, „ idest Mediatoris Dei, & hominum hominis Jesu „ Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, „ fides mortis, & resurrectionis ejus" Ceterum Apostoli dictum: *Gentes &c.* intelligendum est de Gentilibus ad fidem jam conversis, qui legem scriptam non habentes, *naturaliter*, hoc est per naturam gratia reparatam, ea, quæ legis sunt, faciebant. Quod si acrius quis contendat, Paulina hæc verba de Gentibus ad fidem non conversis esse intelligenda, ut reipsa a quibusdam Sanctis Patribus explicata sunt, tunc dicimus, non esse extendenda ad omnia legis naturæ præcepta, quæ certe a nemine inter Gentiles adamussim observata sunt, sed ad aliqua duntaxat; & hæc ipsa adimplere quidem potuerunt quantum ad substantiam solum, non autem quantum ad modum, ut scilicet Deo placare possent, & ad salutem pervenire: ut enim dicit idem Apostolus Heb. XI. 6. *sine fide impossibile est placere Deo*, Confer Tract. *de Gratia* Tom. VI. Diss. II. c. 2. num. 14. seq.

31. Dices. Fides, sine qua impossibile est placere Deo, ad mentem Apostoli non est supernaturalis, sed naturalis tantum, ut patet ex iis verbis sequentibus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, *quia est*, *& inquirentibus se remunerator sit*; tum ex aliis Rom. I. 20. & seq., quibus declarat, veteres Philosophos fuisse *inexcusabiles*, *quia cum cognovissent Deum*, *non sicut Deum glorificaverunt &c.*; videtur enim innuere, potuisse eos ad salutem pervenire, si ea naturali Dei cognitione, quam ex creaturis hauserant, bene usi fuissent ad ipsum glorificandum.

32. Resp., Apostolum ad Hebræos loqui, non de quacumque Dei cognitione, sed de ea, quæ per fidem est supernaturaliter a Deo infusam, ut patet ex verbo *credere*, & magis etiam ex fidei definitione præmissa. *Est autem fides &c.* In epist. autem ad Rom. Gentiles Philosophos recte arguit, non quod naturalis Dei cognitio iis ad justificationem, & salutem satis fuisset, sed quod ex i-

(*a*) *Eadem igitur*, inquit Lib. III. *Contra duas epistolas Pelagianorum* cap. 4. n. 11. „ fides est, & in illis, „ qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea Christiani, & in istis, qui non solum sunt, verum etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum".

ipsa male abusi sunt, „ mutantes, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentum;" hoc est, abutentes Dei cognitione, ut Idolis divinos exhiberent honores.

33. Obj. *secundo*. Apoc. VII. 9. dicitur: „ Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis stantes ante thonum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum". Id autem nil aliud significare videtur, quam Gentilium turbam.

34. Resp. cum Bossueto, eo loco designari Martyres, ut patet ex iis verbis: *Et Palmæ in manibus eorum*. Porro hi in variis, quas Ecclesia passa est, persecutionibus innumerabiles plane sunt; unde recte appellari possunt *turba magna*, *quam dinumerare nemo poterat*. Dicuntur etiam *ex omnibus gentibus*, *& tribubus*, *& linguis*, quia S. Joannes spiritu prophetico præviderat, ex toto mundo strenuos, & gloriosos athletas Christi Domini futuros.

35. Eodem etiam sensu explicanda sunt verba Prophetæ Malachiæ I. 11. „ Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum". Hæc quippe prophetice prænunciata sunt de eo tempore, quo, Evangelio per Apostolos prædicato, ubique terrarum Deo sacrificari debebat oblatio munda, nempe panis Eucharisticus, ut S. Justinus explicat in *Dialogo cum Tryph.* n. 41. Justino concordant Irenæus Lib. IV. 32., Tertullianus *adv. Judæos*, & Lib. IV. *contra Marcionem*, S. Cyprianus Lib. I. *adv. Judæos*, Eusebius Cæsariensis Lib. I. *Demonstr. Evang.*, S. Joann. Chrysost. Hom. III. *Contr. Judæos*, S. Augustinus Lib. XVIII. *De Civ. Dei* cap. 35., aliique citati a Dupino (*Defense de la censure de la Faculté de Theol. de Paris*, du 18. *Oct.* 1700. *&c.* p. 411.) quod etiam fuit a Concilio Trident. animadversum Sess. XXII. cap. 1.

36. Obj. *tertio*, & est palmare adversariorum argumentum. Plures Gentiles, testibus sanctis Patribus, & justificationem, & salutem consecuti sunt. Nam S. Dionysius, vulgo Areopagita, id expresse dicit *de Eccl. Hier.* cap. 1.; cap. autem 9. hæc habet: *Altissimi unica illa rerum omnium providentia cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus tradidit promovendos*. *Secundo* etiam clarius idipsum perhibet S. Justinus Apol. I. n. 46. inquiens: „ Qui cum ratione vixerunt, Christiani sunt, etiamsi Athei existimati sint, quales apud Græcos fuere Socrates, & Heraclitus, & eorum similes; apud barbaros autem, Abraham, Ananias, Azarias, Misael, & Elias;" ubi Socratem, & Heraclitum, cum Abramo, Elia, aliisque justis vet. Test. confundens, manifeste innuit, illos non minus, quam istos ad salutem pervenisse (*a*). *Tertio* Clemens Alex. *Ipsa quoque Philosophia*, inquit Lib. I. *Stromatum*, *Græcos pædagogi more ducebat*, *sicut lex Hebræos ad Christum;* & de eadem philosophia addit: *Quanquam per se quoque aliquando Græcos justificabat*. *Quarto* Origenes explicans ea Apostoli verba Rom. II. 10.: *Gloria*, *& honor*, *& pax omni operanti bonum*, *Judæo primum*, *& Græco*, inquit in Comment.: *Quod*, *ut ego capere possum*, *de Judæis*, *& Gentilibus dicit; utrisque nondum credentibus*. *Quinto* S. Joannes Damascenus in Serm. *de defunctis* paullo post medium: „ Solius misericordiæ gratia, *inquit*, salvatos opinor omnes, qui in vitæ puritate nullum non fecerunt bonum, temperanter, sobrie, tenuiterque vivendo, licet non satis exercitati fuerint, nec divinam, ac sinceram fidem acceperint". Demum Tostatus, aliique recentiores Theologi eamdem sententiam amplexi sunt.

37. Resp., nihil plane absurdius fingi posse, quam Paganos omni supernaturali fide in Deum, & Messiam venturum destitutos, salutem potuisse consequi, non solum quia, ut hactenus demonstratum est, hæc sine aliqua fide in Christum obtineri nullatenus potest, sed etiam quia facile esset ex historia ostendere, eos ipsos, qui majoribus virtutum laudibus celebrari solent, fuisse pluribus vitiis, præcipue autem idololatria, & superstitione, turpiter conspurcatos. Hinc ille ipse Socrates, qui ceteris morum sanctitate præfertur, jamjam moriturus Æsculapio gallum gallinaceum sacrificari jussit, quanquam Idolorum vanitatem perspectam habebat (*b*).

38. Addo, vel ipsas eorum virtutes, ob quas aliquibus visi sunt apotheosi digni, fuisse superbiæ cœno adeo coinquinatas, ut potius vitia appellari de-

(*a*) Hoc loco quammaxime abutuntur ex Heterodoxis Casaubonus in suis *Exercit. cont. Baronium*, ex Catholicis autem Card. Sfondrati in *Nodo Prædestinat. dissoluto*, Jacobus Payva Andradius in *Explicat. Orthod.*, Abbas Senon. *Dissert.* in epist. Sancti Pauli, aliique laudati a Rich. Simonio T. III. *epist. select.* epist. 24. Vid. etiam *Lettres* de Sainiore (ejusdem Auctoris) Tom. IV. Lett. 28. & Præfat. in S. Justinum P. II. cap. 7. n. 5. Qui autem plura desiderat Justini, Clementis Alex. aliorumque testimonia, adeat P. Calmet in Dissert. *De salute Gentilium*.

(*b*) Etiam παιδεραστίας Socrates accusatus fuit; unde illud Juvenalis Sat. 2. *Inter Socraticos notissima fossa Cynædos*. Lactantius autem Lib. III. *Divin. Institut.* cap. 20. observans, illum solitum fuisse jurare *per canem*, *& anserem*, scilicet in contumeliam Deorum (ut explicat Tertullianus in *Apolog.* cap. 14.) *O hominem scurram*, inquit, *ineptum*, *perditum*, *desperatum*, *si cavillari voluit Religionem: dementem*, *si hoc serio fecit*, *ut animal turpissimum pro Deo haberet*.

debuerint, quam virtutes; similes iis Sodomæ, & Gomorrhæ fructibus, qui in exteriori cortice pulchri, intus nonnisi cinerem habebant. Quamobrem apposite Julianus Pomerius nos monet Lib. VIII. *de vita contempl.* cap. 1. ,, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sunt aliquas per corpus virtutes operati, quod eas nec a Deo suo se accepisse crederent, nec ad eum, qui est finis omnium bonorum, referre voluerant ". Et iterum: *Et quidem dico, nihil eis profuerunt* (virtutes), *immo etiam nocuerunt*. Vid. Francisc. Collius Doctor Collegii Ambros. Mediol. in Lib. *de animabus Paganorum*. Sed accedamus ad singula.

39. Ad *primum* respondet S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 3., S. Dionysium, vel quisquis sit Auctor Lib. *de Eccles. Hier.*, loqui de iis Gentilibus, quibus facta est revelatio de Christo, ut patet ex Melchisedechi exemplo, quod ibidem cap. 9. adducit, *qui nequaquam inanium Deorum, sed altissimi, verique Dei sacerdos fuit*. Addit autem, *cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus traditos esse promovendos;* docens scilicet, omnibus omnino hominibus Angelos custodes fuisse destinatos, non quasi reipsa cuncti homines eamdem salutem assequantur, sed quod Deus auxilia ad eamdem consequendam omnibus misericorditer præparaverit; unde etiam subdit; *Solus ferme Israel præ omnibus ad veri Dei notitiam fuit conversus*. Eodem sensu Minutius Felix in *Octavio* num. 20. postquam ostendisset, Philosophos pene omnes Dei unitatem agnovisse, concludebat, ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos jam tunc fuisse Christianos.

40. Addit S. Thomas ibidem: ,, Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam in divina providentia, credentes, Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundum illud Job XXXV. *Qui docet nos super jumenta terræ* ".

41. Atque idipsum docuerat antea S. Bernardus in Epist. LXXVII. ad Hugonem, inquiens: ,, Prophetæ, & qui illustriores videbantur in illo populo (*Judaico*), non omnes omnia liquido æqualiter agnoscere valuerunt, sed alii plus, alii minus: quanto magis simpliciores quique justi, sine detrimento salutis salvationis tempus, modum, & ordinem nescire potuerunt: quæ tamen certa spe, & fide, uti promissa fuerant, firmissime tenuerunt? *Et infra:* Multi ergo ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem: credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide, & expectatione salvati sunt, licet quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent ".

42. Ad *secundum* S. Justinus eos Philosophos qui exploso polytheismo unum nobiscum Deum confitebantur, *Christianos* aliqua ratione, & improprie appellat; ut si quis nostrum Lutheranos, vel Calvinistas de Trinitatis mysterio orthodoxe sentientes, Catholicos in hac parte appellare vellet, vel Hæreticos a puritate fidei discedentes *Paganos* diceret, quemadmodum Constantinus M. Arianos appellari jussit *Porphyrianos;* non quia Porphyrii in omnibus doctrinam sequerentur, sed quia Christi divinitatem, non minus quam Porphyrius, negabant. Eodem sensu Tertullianus Paganos, qui in subitis, repentinisque casibus Deum singulari numero invocabant, *naturaliter Christianos* appellavit, inquiens *Apolog.* cap. 17.: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Quis tamen fingat, Tertullianum eos pro Christianis naturaliter natis habuisse, cum ibidem subdat cap. 18. *Fiunt, non nascuntur Christiani?* & alibi *de testimon. animæ* post initium: *Fieri, non nasci solet anima Christiana*. Hoc itaque sensu S. Martyr quosdam veteres Philosophos appellavit Christianos, scilicet ex parte tantum; unde etiam subdit, *Socratem ex parte Christum cognovisse*, hoc est, cognovisse Christi religionem in aliquibus capitibus, præcipue autem in Dei unitate, ratione, quæ a Deo est, ipsi facem præferente. Ceterum in *Apolog.* secunda n. 8. & 10. eos duntaxat perfecte Christianos esse declarat, *qui non ad partem aliquam disseminatæ rationis vitam instituere, sed ad totius, idest Christi cognitionem, & contemplationem*. Illa autem commixtio Socratis, & Heracliti cum Abrahamo, Elia, aliisque Justis vet. Test., non est accipienda quantum ad omnia, ita ut illi, non secus ac isti, ad æternæ salutis portum pervenerint; sed quantum ad aliqua, præcipue autem quantum ad Dei unitatem, quam Socrates, Heraclitus, aliique saniores Philosophi, non secus ac Abraham, Elias, aliique Justi, agnoverunt. Confer Prud. Maranum in Præf. ad Opp. S. Justini. Nat. Alex. Dissert. VI. in Sæc. II. & Arnaldum *Necessité de la foi en J. C.* p. 2. cap. 1.

43. Ad *tertium*. Clemens Alexandrinus vim justificandi Philosophiæ tribuit sensu omnino improprio, quatenus recta, sanaque Philosophia homines ab idololatriæ, superstitionisque præjudiciis liberans, eos quodammodo ad suscipiendas Religionis Christianæ veritates disponebat, quamquam remote solum, & ut ita dicam *negative*. Se luculenter explicat Alexandrinus Philosophus ibidem dicens. ,, Non comprehendit quidem Græca Philosophia veritatis magnitudinem & est adhuc imbecillis ad mandata Domini exequenda, & regali doctrinæ maxime viam parat, utcumque castigans, & mores formans prius. *Tum postea:* ,, Quamquam per se quoque aliquando Græcos justificabat Philosophia, sed non ad universam, ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix, & adjutrix invenitur, sicut primus, & secundus gradus ei, qui ascendit in cœnaculum, & gram-

,, ma-

„ maticus ei, qui est philosophaturus ". Etiam Philosophia dicitur a Clemente *justificare*, quia, ut ipse ait Lib. I. *Strom.*, *Debilem adversus eam* (scilicet Salvatoris nostri doctrinam) *efficit sophisticam argumentationem*, *& propulsans dolosas adversus veritatem insidias*, *dicta est vineæ apta sepes*, *& vallus*. Sed alibi luculenter tradit, hanc philosophiam iis prorsus inutilem esse, qui præterea ad veram Christi fidem non perveniunt. *Iis*, inquit Lib. VI. *Stromatum*, *qui justi erant a Philosophia*, *non solum opus erat fide in Deum*, *sed etiam ut ab idolorum cultu discederent* (*a*).

44. Ad *quartum*. Origenes verba Apostoli de quadam gloria temporali interpretatur, quam reddendam putabat, nedum Judæis, sed etiam Infidelibus, si bene operentur; non autem loquitur de vita æterna, quam sine fide in Christum obtineri posse, aperte inficiatur dicens: „ Et vis scire, „ quia nullius est vita æterna, nisi ejus, qui credat in Christum? Audi Salvatoris ipsius vocem „ evidenter in Evangeliis designatam: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum „ Deum, & quem misisti Jesum Christum. Omnis enim, qui non agnovit Patrem solum Deum, „ & Filium ejus Jesum Christum, alienus est ab „ æternitate vitæ ".

45. Ad *quintum*. Ab emunctiorum narium criticis hujusmodi sermo S. Damasceno abjudicatur, utpote tanto Theologo prorsus indignus (Vid. infra num 68.). Ulterius tantum abest, ut ex eo possit gentilium salus ostendi, quin potius contrarium luculenter eruitur. Illius enim sermones Auctor pro certo habet; omnes, qui sine fide in Christum Servatorem vixerunt, quamvis operum probitate inclaruerint, damnatos tamen fuisse, quod nostræ sententiæ conforme omnino est. At vero putat, Christum descendentem ad inferos istis hominibus damnatis Evangelium prædicasse, eosque prius ad fidem adduxisse, deinde autem ad salutem. Quæ doctrina etiamsi admitteretur, nobis nec minimum efficeret; falsa tamen, & erronea est, & a SS. Philastrio *Hær.* LXXIV., & Augustino *Hær.* LXXIX., in hæresibus numerata. Quemadmodum etiam fabulis accenseri debet similis opinio Hermæ, qui in *Pastore* Lib. III. *Similit.* 9. putavit, Apostolos post obitum descendentes ad inferos, his, qui ante obierant, prædicasse, & baptismum ministrasse, ut salvi fierent.

46. Ad *ultimum*. Non vacat recentiorum Scriptorum libros diligentius examinare; neque enim tanta est eorumdem auctoritas, ut etiamsi contrarii essent, nostram propositionem adeo validis argumentis comprobatam labefactare possent.

47. Obj. *quarto*, S. Gregorius Nazianz. *Orat.* XXII. doctrinam de necessitate fidei in Christum ad salutem, non tanquam omnino certam, sed solum *ut probabilem* tradit: „ Hic sermo, *inquiens*, „ est mihi quidem, atque omnibus Dei amore præditis vehementer probabilius, neminem videlicet „ eorum, qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis expleverunt, id citra Christi fidem „ esse consecutum ". *Secundo* S. Jo. Chrysostomus Hom. XXXVII. in Matth. de Vet. Test. loquens: „ Poterant homines, *inquit*, tunc etiam „ ipsum (*Christum*) non confessi salvari; non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut idolorum cultu spreto solum Deum conditorem omnium noscerent..... „ tunc enim sufficiebat, unum Deum nosse. Nunc „ autem non ita est, sed necessaria est ad salutem „ Christi cognitio; *quod uberius ibidem declarat*. „ Tertio *S. Cirillus Lib. III.* de adorat. in spiritu „ & veritate *docet*: Deum per legis anfractus Judæos ad terram promissam deduxisse, cum e „ contra novi Testamenti fideles brevi compendio, „ nimirum per fidem in Christum, deducat ".

48. Resp. ad *primum*, *Probabile* a S. Gregorio ibi sumi non pro opinione dubia, sed pro certa sententia, quo sensu non raro apud veteres hæc vox usurpata invenitur. Id patet ex ipsis verbis: σφόδρα πίθανος λόγος έμοι, καὶ πᾶσι τοῖς φιλοθέοις; idest *probabilis admodum sermo mihi*, *atque omnibus Deum amantibus*; neque enim dicere potuisset, hanc sententiam omnibus *Deum amantibus*, *seu fidelibus* probari, si dubia esset. Vid. Billius in not. in hunc locum.

49. Ad *secundum*. Verba S. Joan. Chrisostomi explicanda sunt de fide *explicita* in Salvatorem, quæ in Vet. Testamento minime necessaria erat: ceterum sine aliqua fide, saltem implicita, non putuisse homines in veteri lege salvari, sexcentis in locis tradit S. Pater; ut cum Hom. VII. in epist. ad Rom. inquit: „ Nam si neque lex naturalis „ profuit, neque lex scripta amplius quidquam „ præstitit, sed ambæ istæ leges gravaverunt eos, „ qui eis non, ut par erat, usi sunt, restat, ut „ necessaria sit salus; quæ per fidem obtinetur ". Et iterum: *Omnes peccaverunt*, *nec aliter*, *quam per fidem salvari possumus*. Adi sis Sixtum Senensem Lib. VI. *Biblioth. sanctæ* adnot. 51.

50. Ad *tertium*. S. Cyrillus nihil aliud sibi vult, quam Deum in Vet. Testamento clare non revelasse Judæis omnia Religionis nostræ mysteria, quemadmodum fecit Christus in novo, hinc recte dicit, Judæos per legis anfractus, addita tamen fide saltem *implicita*, fideles autem brevi compendio sine lege per fidem *explicitam* fuisse ad salutem perductos.

51. Obj. *quinto* ex ratione. *Primo* pugnat cum bo-

(*a*) Mala fide Montacutius in hoc textu particulam *solum* transposuit, legens: *iis*, *qui justi erant a Philosophia non requirebatur fides*, *sed ut solum recederent ab idololatria*, male inquam; ita enim textus græcus habet: Τοῖς δὲ κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις οὐχ ἡ πίστις μόνον, ἡ εἰς τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποστῆναι τῆς εἰδωλολατρείας.

bonitate Dei, qui *omnes homines vult salvos fieri*, I. Tim. II. 4., exigere ab omnibus fidem supernaturalem, quæ quamplurimis, qui nihil unquam de Deo auctore gratiæ, aut de Messia audiverunt, est omnino impossibilis: ut enim ajebat Apostolus Rom. X. 14.: „ Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt; aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante "? Deus autem Optimus Maximus impossibilia non jubet. *Secundo* nostra sententia pugnat etiam cum ea veritate sæpius in Scripturis insinuata, *quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi*. Act. X. 34., & Rom. II. 11., & alibi. *Tertio* pugnat cum axiomate illo Theologico: *Facienti quod in se est, Deus non denegat, gratiam*.

52. Resp. ad *primum*, supposito peccato originali, nullam divinæ bonitati maculam aspergi, etiamsi omnes prorsus homines in massa perditionis desererentur: „ Nulla, *inquit Bellarminus Lib. II.* de Grat., & Lib. arb. *cap.* 4. esset in Deo iniquitas, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus auxilium sufficiens ad salutem negaret. Hæc propositio certissima est apud eos, qui ex divinis Litteris peccatum originale noverunt &c. ": & ante Bellarminum S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1.: „ Si in potestate hominis, *inquit*, aliquid esse dicatur, excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut S. Augustinus dicit de corrept. & gratia *cap*. 5. *&* 6. ".

53. Id vero absurdum minime esse, liquido, apparet in exemplo tot puerorum, qui in utero matris decedunt, quin ullum suppetat medium, quo per baptismum originalis noxa in iis deleri possit. Quemadmodum enim fide certum est, omnes istos pueros sola peccati originalis labe aspersos, cujuscumque autem alterius peccati immunes, nulla posse ratione salvari, quin tamen aliquid vel minimum divinæ bonitati derogetur: ita multo minus iniquitas erit apud Deum, si alios homines, nedum originali culpa, sed aliis etiam sceleribus pollutos, in tenebris gentilitatis, & in umbra mortis relinquat, ubi salus ipsis plane impossibilis est. *Vobis ora obstruunt*, dicebat olim in simili occasione Pelagianis S. Augustinus, *& linguas premunt, qui loqui nondum valent*. Illud tamen serio attendendum est, quod sicut parvulis non imputatur ad culpam, si baptismum non recipiant, quem recipere nequeunt, sed solum in ipsis remanet culpa originalis, quæ deleri sine baptismate nequit; ita infidelibus non imputatur ad culpam, quod non credant ea, quæ ipsis non annunciantur.

54. Audiatur S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 1., ubi docet, hanc infidelitatem pure *negativam* in illis, qui nihil audierunt de fide, *non habere rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est*. Post autem addit: „ Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum ". Sed & illud addendum, Deum pro infinita sua misericordia etiam istis Infidelibus præsto adfuturum, si ipsi divinæ lucis, quæ illuminat omnem hominem, ductum sequentes, facerent, quod in se est. Quod tamen axioma recte intelligendum est, ut mox explicabimus.

55. Ad *secundum* ita respondet S. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 4. ad 2.: „ Acceptio personarum habet locum in his, quæ ex debito dantur. In his vero; quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio personarum locum non habet. Non enim est personarum acceptor, qui ex liberalitate de suo dat uni, & non alteri ..... Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex sua gratia: unde non est personarum acceptor, si quibusdam præ aliis conferat: unde S. Augustinus dicit *de prædest.* SS. cap. 8.: Omnes, quos Deus docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet; hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis ".

56. Ad *tertium*. Illud axioma: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* &c. cum S. Thoma, aliisque Catholicis Theologis, paucis exceptis, quorum doctrina nimis laxa est, de illis intelligi debet, qui faciunt, quod in se est ex viribus gratiæ, qua præveniuntur, non autem ex viribus naturæ, quæ ad opera salutaria nihil valet sine gratia. Vid. Tract. *de Gratia* Tom. VI. Diss. II. n. 115.

57. Inst. Saltem puer baptizatus, si postea in sylvis, vel inter barbaros enutritus juxta rationis dictamen vivat, etiam sine fide salutem obtinebit.

58. Resp. cum S. Thoma Quæst. XIV. *de Verit.* art. 11. ad 2. „ certissime tenendum esse, quod Deus tali homini, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ". Cum enim puer per baptismum gratia habituali instructus sit, illi deesse non possunt auxilia ad salutem necessaria. Vid. Tom. VI. Diss. IV. num. 53. seq.

59. Colliges, hæc dicta esse de lege ordinaria Dei; sunt enim Theologi, qui aliam disputationem instituunt, an *absolute, & de potentia Dei extraordinaria* possit homo sine fide salvari; quam controversiam aliis dirimendam relinquimus.

AP-

APPENDIX

Qua ostenditur, commentitiam esse Trajani ab igne æterno liberationem S. Gregorii precibus.

60. Pervulgata olim, pluribusque credita fuit de Trajani ab inferni pœnis liberatione fabula. Res autem communiter sic exponi solet. Trajano aliquando ad bellum cum exercitu eunti vidua se se obtulit, quæ senio, dolore, ac paupertate confecta, justam de unici filii sui occisoribus vindictam postulabat. Imperator viduæ commiseratione tactus, totam illam bellicam expeditionem suspendit; viduæ causam ex juridicis sanctionibus integre cognovit; nec prius se loco movit, quam viduæ plene satisfactum fuisset. Fertur itaque, S. Gregorium M. insignis hujus Trajani pietatis aliquando recordatum, ad S. Petri Basilicam tantum orasse, & flevisse, quousque de illius liberatione ab inferno ex divina revelatione certior factus fuerit. Alii rem aliter narrant, & fabulas fabulis insarciunt, ut quod incredibile per se est, multo incredibilius efficiatur.

61. Exploditur autem primo hæc fabula, quia lex est generalis, supplicium, quod reprobis in alia vita paratum est, futurum æternum, Matth. XXV. 41. 46.: neminem insuper sine baptismo, & fide posse salutem assequi, Joann. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; & Marci XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur:* non est itaque verisimile contra præfatas leges Trajanum ab æternis pœnis, quibus justissime addictus erat, fuisse liberatum, & absque fide, & baptismo in cœlum evectum. Et quamquam concedatur, potuisse Deum *absolute* hujusmodi leges dispensare, quis tamen asserere audeat, reipsa eum dispensasse, cum neque ex S. Gregorio, neque ex aliis testibus, qui valeant fidem indubiam facere, id eruatur?

62. Præterea S. Gregorius Lib. XXXIV. *Moral.* cap. 16. aperte negat, esse pro damnatis orandum. Confutans enim quorumdam opinionem, putantium, Sanctos oraturos pro damnatis: „ Quomodo, *inquit*, pro illis tunc orabunt, quando jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo, Angelisque ejus æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiissime defunctis ". Quæ cum docuerit S. Gregorius, quis verisimile putet, eum contra sua principia voluisse pro Principe Ethnico, & Ecclesiæ persecutore, avaro insuper, injusto, vino dedito, aliisque vitiis coinquinato orare? Confer Dion. Cassium in ejus vita, Spartianum in *Hadriano*, & Julianum Apostat. *in Convivio Deorum*; ac de ejus persecutione in Christianos, vide Ruinart Præf. *in Acta Martyrum* n. 51. (*a*).

63. Ultimo loco non levem in re per se incredibili suspicionem ingerit auctorum dissentio; ut enim Baronius observat ad an. 604.: „ Alii dicunt Trajanum ad vitam revocatum a S. Gregorio, & baptizatum, rursusque vita functum abiisse in cœlum: alii non revixisse corpus, sed clanculo animam a Gregorio baptizatam: alii, nequaquam ab inferis liberatam, sed pœnis, ut dicunt, alleviatam: atque ita fabulas fabulis addidere, ut ridiculum etiam demum sit superadditum de Trajani cranio cum vivida adhuc lingua reperto, quo ipse suam miseriam deplorans, ad commiserationem S. Gregorium commoverit ". Accedit, tam præclari illius facinoris, quo ad orandum pro Trajano S. Gregorium premotum fuisse dicunt, altum esse apud veteres silentium, præcipue vero apud Plinium, qui cum in Panegyrico Trajano dicto, nihil eorum, quæ ad Trajani laudes pertinebant, omiserit, hujus tamen eximiæ erga illam viduam pietatis nullam habet mentionem.

64. Obj. *primo*. Paulus Warnefridus Diaconus Ecclesiæ Aquilejensis, & Monachus Cassinensis, cujus obitus secundum Mabillonium Lib. XXIV. *Annal.* p. 341. contigit an. 784. in *vita S. Gregorii* n. 27. hoc factum narrat. Id ipsum refert S. Jo. Damascenus, auctor Paulo coævus, cujus mors contigit ante an. 787., in *Oratione de iis, qui in fide dormierunt*, quam legitimum esse ejusdem fœtum, Philippus Solitarius, Zonaras, Glycas, Theodorus Balsamon, aliique testantur. Accedit demum auctoritas Joannis Diaconi Ecclesiæ Rom. in vita S. Gregorii, jussu Joann. VIII. adornata Lib. II. cap. 44., quam fuisse a summis Pontificibus unanimi calculo probatam, a pluribus Ecclesiis receptam, & a populis cum ædificatione versatam, testis est Guitmundus Lib. II. *De Eucharistia* (*b*).

65.

(*a*) Addi possunt, quæ habet Lib. VII. epist. 15. ad Gregorium Presbyterum, & Theodorum Diaconum Ecclesiæ Constantinopol. ita scribens: *Agnovi, quod Dilectio vestra dixisset, Jesum Christum ad inferos descendentem omnes, qui illic confiterentur eum Deum, salvasse, atque a pœnis debitis liberasse. De qua re volo, ut Charitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos solos illos per suam gratiam liberavit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. Constat autem, quia post Incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (ad Titum I. 16.).

(*b*) Utraque vita S. Gregorii a duobus Diaconis Paulo Warnefrido, & Joanne scripta habetur in Tom. IV. Operum S. Gregorii edit. Monachorum S. Benedicti.

65. Resp. ad *primum*. Non sufficere auctoritatem Pauli Warnefridi, ut rem credamus, quæ & incredibilis per se est, & ab auctoribus majori fide dignis prætermittitur, & cum S. Gregorii doctrina aperte pugnat: præcipue cum hujus tam insignis miraculi nullum prorsus afferat testem; & quamquam fatetur, hac de re a minus perfectæ fidei, & curiosis quædam quæri posse, ea tamen silentio præterit concludens: *Tutius videtur in hoc actu divinæ pietatis, & potestatis judicium venerari, & a nemine discuti*.

66. Ad *secundum*, a viris eruditissimis Arcudio, Bellarmino, Leone Allatio, & P. le Quien Diss. V. inter *Damascenicas* hanc Orationem S. Joan. Damasceno abjudicari, & quidem pluribus de causis. *Primo* enim dicit, non solum animas Trajani, & Falconillæ a gehenna in cœlum migrasse, verum etiam plures alios infernalibus pœnis propter infidelitatem damnatos, fuisse a Christo descendente ad Inferos ad fidem, & pœnitentiam adductos: hoc autem & per se falsum est, & iis aperte contrarium, quæ S. Joan. Damascenus docet Lib. II. *de fide* cap. 4., videlicet: „ Illud hominibus mortem præstare, quod lapsus „ Angelis. Post lapsum enim nulla ipsis est pœ„ nitentia, uti nec hominibus post mortem ". Ulterius laudat Orationem S. Athanasii *de iis, qui e vita discesserunt*, quæ nullibi extat, nec ab ullo alio memoratur; tum etiam quamdam S. Gregorii Nysseni sententiam, quæ in ejus operibus non invenitur. Accedit diversitas styli, verborum, sententiarum, ut nihil magis dissimile aliis S. Joan. Damasceni operibus inveniri possit. *Demum* prodigii fere loco est, Joannem Diaconum, qui ad stabiliendam hujusmodi fabulam obscuris & apocryphis documentis est usus, voluisse tanti Patris auctoritatem præterire: quamquam enim Joannes Diaconus græcas litteras ignoraret, scimus tamen, eum Anastasii Bibliothecarii opera usum fuisse, ut Græcorum libros cognosceret.

67. Sed si etiam certis argumentis ostenderetur, illam Orationem esse S. Jo. Damasceni, nobis religio minime foret, ab eo hac in parte modeste recedere; quemadmodum nemo prudens ei fidem adjungeret, dum in eadem Oratione ex Lausiaca Palladii historia refert, Macarium quemdam ab humano cranio in via reperto sciscitatum fuisse, an defuncti nonnihil solatii aliquando perciperent? respondisse autem cranium: *Quo tempore mortuorum causa preces offers, tum sane nonnullius solatii sensu afficimur;* erat autem cranium illud Sacerdotis ethnici, ut nonnulli opinantur apud S. Thomam in IV. *Sent.* dist. 45. qu. 2. art. 2. arg. 4. Porro hæc fabula neque in Lausiaca Palladii historia, neque in vita S. Macarii reperitur. Addit etiam, Falconillam feminam Paganam, fuisse precibus S. Theclæ, non minus quam Trajanum ab inferni pœnis extractam, cujus rei nullibi apud alios auctores vestigium extat. Ne igitur his, aliisque similibus somniis assentiri cogamur, auctori *Orationis de Fidelibus defunctis* fidem adjungere non possumus.

68. Ad *tertium*. Multa sunt, quæ, ne Joanni Diacono hac in re subscribamus, nos movent. *Primo* ille auctor est 300. circiter annis S. Gregorio posterior: hanc vero fabulam non ex probatis S. Gregorii actis, quæ in Ecclesia Rom. asservabantur, sed ex obscuris quibusdam Anglo-Saxonis monumentis hausit. *Legitur*, inquit, *penes easdem Anglorum Ecclesias*. *Ulterius* fatetur, non fuisse suæ narrationi a Romanis adhibitam fidem, ibidem subdens: „ Sed cum de superioribus miracu„ lis Romanorum sit nemo, qui dubitet, de hoc, „ quod apud Saxones legitur; hujus precibus Tra„ jani animam ab inferni cruciatibus liberatam, „ ob id vel maxime dubitari videtur, quod tan„ tus Doctor nequaquam præsumeret pro Pagano „ prorsus orare &c. " Illud vero lepidum, quod ad hanc objectionem retundendam subjungit: *Non legitur pro Trajano Gregorium exorasse, sed tantum flevisse*. *Demum* & illud plane ad mensuræ cumulum addit, quod notandum ibidem dicit, animam Trajani fuisse solummodo ab Inferni cruciatibus liberatam, non autem in Paradiso repositam, quasi medius sit inter Paradisum, & Infernum locus (*a*).

69. Obj. *secundo*. In Euchologio Græcorum c. 96. edit. Venetæ ap. Christoph. Zanettum p. 214. (Vid. etiam Bibl. Græca Fabricii Tom. V.) ita Deo supplicatur: „ Quemadmodum Trajanum per „ intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessio„ nem flagro solvisti, exaudi etiam nos te orantes „ non pro idolorum cultore, sed pro fideli servo „ tuo &c. " videtur igitur verum esse, quod auctor *Orationis pro defunctis* asserit, totum scilicet orientem esse hujus miraculi testem.

70. Resp., Euchologia in rebus historicis, cujusmodi ista est, non majore fidem facere, quam eorumdem auctores; neque enim historias, quæ in Euchologiis continentur, Ecclesia ut credendas proponit, & earum aliquæ a diligentioribus Criticis falsitatis convictæ sunt, atque Euchologia non semel emendata. Id multo facilius contingere potuit in Euchologiis Græcis: postquam enim Ecclesia Græca dolendo schismate a Latinis divisa est, vix dici potest, in quantas ignorantiæ tenebras inciderit. Verisimile autem est, ut Jacobus Billius observat in hunc loc. *Orat. pseudo-Damasc.* ex memorata mox pseudo-Damasceni Oratione hanc fabulam in Græcum Euchologium irrepsisse.

71. Obj. *tertio*. Trajani liberatio habetur etiam in Revelationibus S. Birgittæ Lib. IV. c. 13. quæ in Concilio Basileensi approbatæ dicuntur: quasque Card. Turrecremata non solum probavit, sed acri-

„ ter

(*a*) Ceterum de fide Joannis Diaconi videri potest Liber Apologeticus Antonii Gallonii Congregat. Oratorii apud Richardum Simonium *Lettres Choisies* Tom. III. pag. 63.

ter defendit; tum in Revelationibus S. Methildis Lib. V. cap. 6.

72. Resp., hujusmodi Revelationibus fidem non esse adhibendam, quando rem continent & per se incredibilem, & quæ etiam cum Revelatione divina, quæ certissima sine dubio est, parum cohæret; divina autem revelatio nos docet, æternam futuram impiorum damnationem (*b*). Addo, has revelationes inter se non congruere; nam S. Birgitta dicit, animam Trajani fuisse ex inferis in sublimen gradum evectam, Sancta vero Methildes dicit, velle Deum, ut homines lateat, quid ex sua liberalitate de Trajani anima statuerit. Vid. Baronius ad an. 604. n. 47.

73. Obj. *quarto*. Similis ab inferno liberationis habetur exemplum in *Actis S. Perpetuæ*, quorum authentiam contra Basnagium vindicavit Card. Orsi Diss. *de Actis &c.* ibi enim refertur, Dinocratem S. Perpetuæ fratrem, qui in loco tenebricoso damnatus jacebat, fuisse ejus precibus liberatum.

74. Resp. cum S. Augustino Lib. I. *de Orig. anim.* cap. 10., & Lib. III. c. 9., Dinocratem non ex inferno, sed ex Purgatorio, ubi quorumdam levium peccatorum pœnas luebat, fuisse liberatum. Cum enim septennis obierit, probabile est, aliquo levi peccato fuisse coinquinatum. Certum est etiam, eum fuisse baptizatum, cum S. Perpetua testetur, totam familiam suam, excepto patre, Christianam Religionem coluisse.

75. Obj. *ultimo* nubem veluti Auctorum, quibus hæc Trajani liberatio omni fide digna visa est. Inter ceteros S. Thomas eam pro certa habet in IV. Dist. 45. qu. 2. art. 2. sol. 1. ad 1. quem sequuntur S. Antoninus, Vinc. Bellovacensis, Gersonius, Tostatus, Ciacconius, aliique innumeri (*a*).

76. Resp., Auctoribus istis opponi posse alios, sin minus numero; saltem auctoritate certe præferendis; utpote qui severioris criticæ lancibus in factis ponderandis usi sunt, Baronium Tom. VIII. Ann. ad an. 604., Bellarminum Lib. II. *de Purg.* c. 8., Melchiorem Canum Lib. II. *De Locis Theol.* c. 2., Nat. Alexandrum Diss. I. in Sæc. II., Card. Orsium Tom. XX. *Hist. Eccl.* Lib. XLV. n. 68., aliosque non paucos. Quantum vero ad S. Thomam, recte observat Joan. Nicolai in not., eum hypothetice loqui, non autem absolute; videlicet supposita historiæ veritate (quam discutere ipsius instituti non erat), eam fidei dogmati de æternitate pœnarum conciliat, docens, si qui ab inferno liberati dicuntur, eos non fuisse inferno finaliter deputatos, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam.

CAPUT III.

Ostenditur, in lege Evangelica esse necessariam ad salutem fidem explicitam Incarnationis D. N. J. C., & Trinitatis (*b*).

77. Il Christus Dominus aperte declarat Joan. III. 14. & seq. dicens: „ Sicut Moyses exaltavit „ serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium „ hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non „ pereat, sed habeat vitam æternam"; quibus verbis ostenditur, ita ad salutem esse necessariam fidem in Christum Dominum, quemadmodum a serpentum morsibus in deserto laceratis necesse erat aspicere serpentem æneum a Moyse erectum, ut sanarentur, Num. XXI. Præterea Christus generaliter, & sine ulla restrictione discipulis suis mandavit, Marci XVI. 15., ut euntes in mundum universum Evangelium prædicarent omni creaturæ, & immediate subdit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur:* quæ verba S. Bernardus expendens in tract. ad Hugonem de Sancto Victore c. 2. (alias epist. 17.) observat, quod Salvator non dixerit: „ Qui vero baptizatus non fuerit, sed tan- „ tum: qui vero non crediderit, condemnabitur, „ nimirum innuens, solam interdum fidem suffi- „ cere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil": unde concluditur, in adultis majorem esse fidei, quam

(*a*) Bened. XIV. *De Canonizat. Sanctorum* Lib. II. c. 32. n. 11. *Sciendum est*, inquit, *approbationem istam* (revelationum) *nihil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem, & utilitatem post maturum examen; siquidem in hisce revelationibus taliter approbatis licet non debeatur, nec possit adhiberi assensus fidei catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas.* Et Fr. Veronius in sua *Regula fidei Cathol.* quam probarunt & ediderunt duo doctissimi fratres Adrianus, & Petrus de Walenburch, ad calcem Tom. II. *de Controv. fidei* Coloniæ Agripp. 1670. cap. I. §. 3. inquit, *nihil esse de fide divina eorum omnium, quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum .... quarum myriades sunt in Vitis Sanctorum, Catharinæ Senensis, Birgittæ &c.; etiamsi approbatæ forent tales visiones a quibusdam Conciliis, etiamsi universalibus, quales aliquæ referuntur in secundo Niceno &c.* Vid. Eus. Amort. *de Revelationibus*.

(*b*) Lepidum est, quod Tostatus scribit super IV. Reg. Qu. 57. *De Gregorio autem dicendum, quod ipse orando pro Trajano peccavit, quia oravit pro eo, quem damnatum esse sciebat vel credebat firmiter; & ob hoc punitus est, quia tota vita ejus in languoribus fuit.* Alphonsus autem Ciacconius, quem Jac. Augustus Thuanus *rei antiquariæ peritissimum* vocavit, *Historiam edidit de anima Trajani precibus D. Gregorii Papæ ab inferis liberata*, primo quidem Romæ an. 1566. simul cum columna Trajani figuris æneis Hieronymi Mutiani illustrata, cum hoc titulo: *Historia utriusque belli Dacici a Trajano Cæsare gesti ex simulacris, quæ in ejusdem columna Romæ visantur collecta* in fol.; post autem iterum seorsim recusa est in quarto an. 1585.; ac tandem in linguam italicam versa a Franc. Pifferi Monacho Camaldulensi.

(c) Id negant Arminiani, Phil. Limborchius Lib. V. *Theol. Christ.* c. 9. §. 8. seq., & Episcopius *Inst. Theol.* Lib. IV. Sect. V. c. 10.

quam actualis baptismi necessitatem; cum actualis baptismi susceptio in casu impotentiæ per ardens ejusdem suscipiendi votum suppleri possit.

78. Hanc veritatem adeo certam apud omnes Catholicos reputavit S. Augustinus, ut non dubitaverit ex ea contra Monachos Adrumetinos ita argumentum efformare *de Corrept. & gratia* cap. 7., „ Si enim, ut Veritas loquitur, nemo liberatur a „ damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per „ fidem Jesu Christi, & tamen ab hac damnatione „ non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se „ audivisse Evangelium Christi, cum fides ex au- „ ditu sit Rom. X. 17., quanto minus se libera- „ bunt, qui dicturi sunt, perseverantiam non ac- „ cepimus? Justior enim videtur excusatio dicen- „ tium, non accepimus perseverantiam; quoniam „ potest dici: homo, in eo quod audieras, & te- „ nueras, in eo perseverares, si velles: nullo au- „ tem modo dici potest: id quod non audieras, „ crederes, si velles ".

79. S. etiam Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. postquam docuerat, mysterium Incarnationis *implicite, & obumbrate* fuisse ante Messiæ adventum a minoribus creditum subdit: „ Post tempus autem gra- „ tiæ revelatæ tam majores, quam minores tenen- „ tur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, „ præcipue quantum ad ea, quæ communiter in „ Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur, „ sicuti sunt articuli Incarnationis (*qui scilicet con- „ tinentur in Symbolo*). Alias autem subtiles con- „ siderationes circa Incarnationis articulos tenentur „ aliqui magis, vel minus explicite credere, se- „ cundum quod convenit statui, & officio unius- „ cujusque ".

80. Idemque in art. seq. de Mysterio Trinitatis „ docet: quia, inquit, Mysterium Incarnationis Chri- „ sti explicite credi non potest sine fide Trinitatis: „ quia in mysterio Incarnationis Christi hoc con- „ tinetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, „ quod per gratiam Spiritus Sancti mundum re- „ novaverit, & iterum quod de Spiritu Sancto con- „ ceptus fuerit. Et ideo eodem modo, quo myste- „ rium Incarnationis Christi ante Christum fuit „ explicite creditum a majoribus, implicite au- „ tem, & quasi obumbrate a minoribus, ita et- „ iam & mysterium Trinitatis. Et ideo post tem- „ pus gratiæ divulgatæ, tenentur omnes ad expli- „ cite credendum mysterium Trinitatis; & omnes „ qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per „ invocationem Trinitatis &c. *Ac demum in III. „ Dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *fol.* 2. In tertio statu, *in- „ quit:* post adventum Christi, quia jam myste- „ rium Redemptionis impletum est, & corporali- „ ter, & visibiliter est prædicatum, omnes tenen- „ tur ad explicite credendum. Et si aliquis instru- „ ctorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex „ sua culpa remaneret ". Vid. propositio ab Innoc. XI. damnata *Absolutionis &c.* sup. n. 24.

81. Hæc Angelici doctrina confirmatur exemplo Cornelii, qui fidem quamdam Incarnationis implicitam habebat; alioquin ejus *orationes & eleemosynæ non ascendissent in memoriam in conspectu Dei*, ut ipsi Angelus dixit Act. X. 4.; & hæc fides tunc sufficiens erat, nondum manifestata Evangelii veritate; sed postea cum illi necessaria esset fides explicita, missus fuit Petrus, qui eum plene instrueret, ut bene advertit S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 3.

82. Neque vero huic doctrinæ obest, quod plerisque hæc Incarnationis, & Trinitatis fides impossibilis plane sit, iis nempe omnibus, qui nihil de fide audierunt, cujusmodi etiam nunc esse populosissimas nationes certum est. Non, inquam, id obest; nam infidelitas ista, quæ negativa a Theologis appellatur, non est peccatum, dicente Christo Jo. XV. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent;* quamobrem infideles isti negativi nullam hac de causa pœnam luent; attamen vitam æternam consequi non poterunt, defectu medii ad illam obtinendam necessarii: quemadmodum vitio non datur ægroto, quod medicinam ad salutem recuperandam invincibiliter ignoret; sine ea tamen salutem nulla ratione recuperabit. Vide, quæ supra diximus n. 54.

83. Obj. *primo*. Angeli explicite non crediderunt mysterium Incarnationis, quia, ut docet S. Dionysius cap. 7. *Cœlestis Hierarchiæ*, illud ignorarunt: ergo nec homines ad illud mysterium credendum adstringuntur.

84. Respondet Sanct. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 1., Angelis non latuisse *mysterium regni Dei*, ut dicit S. Augustinus Lib. V. *sup. Genesim ad litt.* cap. 19., sed quasdam rationes hujus mysterii solum postea cognovisse, Christo revelante.

85. Obj. *secundo*. Etiam Sanct. Joann. Baptista, de quo dixit Christus Matth. XI. 11., neminem eo majorem surrexisse inter natos mulierum, hoc mysterium ignorasse videtur: misit enim duos ex Discipulis suis, ut Christum interrogarent, an ipse esset, *qui venturus erat*, Matth. XI. 3.: ergo non tenebantur, etiam majores inter Judæos explicitam Incarnationis fidem habere.

86. „ Respond. cum Sanct. Thoma loc. cit. ad „ 2., quod Joannes Baptista de adventu Christi in „ carne non quæsivit, quasi hoc ignoraret; cum „ ipse hoc expresse confessus fuerit dicens: *Ego „ vidi, & testimonium perhibui, quia hic est „ Filius Dei*, ut habetur Joan. I. 34. ... Similiter „ non est credendum, quod ignoraverit, eum ad „ passionem venturum. Ipse enim dixerat Jo. I. „ 29.: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata „ mundi*, prænuntians ejus immolationem futu- „ ram ". Quare autem miserit Discipulos ad interrogandum ipsum Christum, non una est SS. Patrum explicatio, prout notat Angelicus: sed omnium probabilior illa videtur S. Joan. Chrysostomi, non ut sibi ipsi, sed ut suis discipulis satisfaceret, quos ipse Christus postea instruere dignatus est.

87. Obj. *tertio*. Apostolus Paulus ad Hebr. XI. 6. nobis declarat, qualis fides sit necessaria ad ju-

 sti-

stificationem, & salutem, inquiens: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est;* nulla facta mentione mysteriorum Incarnationis, & Trinitatis.

88. Resp., mentionem necessitatis fidei Incarnationis, & Trinitatis fieri in aliis Scripturæ Sacræ locis. Ideo autem in loco objecto nulla fit talis mentio, quia illa duo, scilicet Deum esse, & remuneratorem esse, oportuit credere *explicite* omni tempore; quamvis aliis temporibus necessarium fuit & alia *explicite* credere, prout hactenus exposuimus.

89. Obj. *quarto*. Illud tenemur de Deo explicite credere, quod est nostræ beatitudinis objectum; sed objectum nostræ beatitudinis est summa Dei bonitas, quæ potest cognosci, & credi etiam sine distinctione personarum: ergo &c.

90. Respondet S. Thomas art. 8. ad 3., quod „ summa bonitas Dei secundum modum, quo „ nunc intelligitur per effectus, potest intelligi abs- „ que Trinitate Personarum, sed secundum quod „ intelligitur in seipsa, prout videtur a Beatis, „ non potest intelligi sine Trinitate Personarum".

CAPUT IV.

De externa fidei professione.

91. Quemadmodum Apostolus docet Roman. X. 10., duplex est fidei actus; alter internus, *quo corde creditur ad justitiam*, alter externus, quo *ore confessio fit ad salutem*. De primo hactenus egimus, nunc pauca de altero: & quidem duo discutienda suscipimus; *primum* an liceat fidem aliquando extrinsecus aperte negare, dummodo occulte interius retineatur in corde? *Deinde* an eam saltem occultare liceat, falsam religionem simulando?

92. Quantum ad primum, vetus fuit Helcesaitarum error, qui referente Origene apud Eusebium Lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 38. „ indifferentem rem „ esse docebant, Christum abnegare, eumque, qui „ sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine ne- „ gaturum esse, sed non ex animi sententia". Idem etiam docebant Priscillianistæ, ut ex S. Augustino colligitur Lib. *contra Mendacium*, quorum illud erat impium effatum:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Mirum est, tam perniciosum errorem potuisse sequioribus etiam temporibus patronos invenire (*a*).

93. Quantum vero ad secundum, refertur in Actis concilii Provincialis in Albania P. I. cap. 2. & 3. edit. Rom. an. 1706., fuisse quosdam Missionarios, qui imprudenti fidei dilatandæ zelo suis Neophytis in Ottomanico imperio Mahumeticam sectam sacrilega simulatione publice profiteri permittebant, dummodo Christianam Religionem intus in corde tenerent. Huc etiam spectat rituum idololatricorum in Sinensi imperio, & apud Malabaros tolerantia, de quibus nonnulla in appendice dicemus.

PROPOSITIO I.

Numquam licitum est fidem exterius ejurare, tametsi ea in corde servetur.

94. Prob. *primo* ex verbis Christi Domini Matt. X. 32. & 33.: „ Omnis ergo, qui confitebitur me „ coram hominibus, confitebor & ego eum coram „ Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem nega- „ verit me coram hominibus, negabo & ego „ eum coram Patre meo, qui in cœlis est. *Et* „ *Lucæ IX.* 26. Qui me erubuerit, & meos ser- „ mones, hunc Filius hominis erubescet, cum ve- „ nerit in majestate sua". Accedit funestum Petri exemplum, quem graviter peccasse, cum Jesum præ timore negavit, nemo est, qui dubitet; quem tamen interius fidem retinuisse, plusquam certum est.

95. Prob. *secundo* Apostolorum, atque innumerabilium Martyrum exemplo, qui a primis Ecclesiæ incunabulis tormenta quælibet, ipsamque atrocissimam mortem subire maluerunt, quam vel minimo exteriori signo a fide deficere; unde recte S. Augustinus Lib. *cont. Mend. ad Consentium* cap. 2. de hoc ipso Priscillianistarum errore loquens: *Quæ sententia*, inquit, *sanctos Martyres exhonorat, immo vero aufert sancta omnia martyria.*

96. Prob. *tertio* ex constanti Ecclesiæ praxi, qua semper gravissimi criminis rei habiti sunt quotquot a Religione etiam exterius solum defecerunt. Hinc illi Libellatici, qui tempore persecutionis fidem exterius ejurantes libellos a Magistratibus obtinebant, quibus ejuratæ Christianæ Religionis testimonium ipsi tradebatur, duris, diuturnisque pœnitentiis subjecti fuerunt (*b*). Quorsum vero tanta

(*a*) Eum revocavit ab orco Sæc. XIV. ineunte quidam Dulcinius Novariensis vivicomburio Vercellis damnatus, de quo videri possunt auctores a Natali Alexandro citati Sæc. XIII., & XIV. cap. 3. art. 11.; & ulterius duæ historiæ a Lud. Ant. Muratorio in calcem editæ Tom. IX. *Historiæ Ital.* Eodem Sæc. XIV. eumdem errorem evulgasse dicitur Raymundus Lullus Tarraconensis, qui ex Judæo malus Christianus factus est, ab altero celebratiss. Raymundo Lullo diversus; Sæc. autem XVI. Greg. David, Belga, qui eo audaciæ processit, ut Apostolos, sanctosque Martyres stultitiæ accusaret, quod mortem subire, quam Christi fidem abnegare maluerint. Libertini etiam indifferentismum in Religionis negotio profitentes in idipsum consentiebant, duce Quintino, qui ex sartore caput impiæ sectæ factus, meritas luit pœnas Tornaci flammis damnatus anno 1530.

(*b*) De his Libellaticis videri possunt Baronius ad an. 253. n. 19. & seq., Nat. Alexander Diss. V. in Sæc. III. Gabriel Albaspinæus *Observ.* Lib. I. cap. 25., Carolus

ta Ecclesiæ severitas, si nulla culpa fuisset, Religionem extrinsecus solum abnegare? Videri possunt canones 1. 2. 3. 4. & 5. Ancyrani.

97. Accedit auctoritas Innocentii XI., qui propositionem illam n. 18. confixit: „ Si a potestate „ publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, „ ut peccaminosum per se non damno ": & ante ipsum Paulus V. duobus Brevibus prohibuerat Anglis catholicis, ne templa hæreticorum ingrederentur, eorumque concionibus assisterent. Vid. Pallavicinus Lib. III. *Hist. Concil. Trid.* c. 3. n. 5.: ac demum Benedictus XIV. in sua Constitutione 1. Augusti 1754. vetuit Christianis in Turcarum ditione degentibus, Turcarum nomina ad tegendam Religionem Christianam imponere, injuncta pœna privationis Sacramentorum in vita, & sepulturæ Ecclesiasticæ post mortem.

98. Demum nec desunt momenta rationum: nam fidem exterius negare est mendacium in re gravi, immo omnium gravissima. Porro si juxta Poetam Ethnicum Juvenalem Sat. VIII. 81., ita quilibet comparatus esse debet, ut

.... Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admotuo directe perjuria tauro,
Summum crede nefas, animum præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas;

quanto magis, ubi de Religionis negotio agitur?

Quæ contra hanc propositionem objiciuntur, adeo levia sunt, ut nec operæ pretium videatur, in iis immorari.

PROPOSITIO II.

Numquam fas est, falsam Religionem exterius simulate exercere, ad veram, & Christianam occultandam.

99. Prob. *primo* ex celebri facto Eleazari Lib. II. Machab. cap. VI. Hic vir ætate jam grandævus, inter Judæos insignis, sacrilego Regis Antiochi edicto contra Mosaicæ legis præcepta carnes suillas comedere cogebatur: „ At ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium .... „ Hi autem, qui adstabant, iniqua commiseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, „ tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes, „ quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus; ut hoc facto a morte liberaretur. *Quid* „ *vero ad hæc Eleazarus?* Respondit cito dicens, „ præmitti se velle in Infernum &c. ". Nihil in rem nostram luculentius potest desiderari.

100. Neque vero aliquis sibi fingat, id fuisse indebitum heroicæ virtutis actum, non autem stricti juris obligationem: non inquam; ad id enim præstandum se fuisse divina lege adstrictum satis luculenter idem Eleazarus declaravit, subdens v. 26. *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

101. Prob. *ulterius* ex SS. Patribus. S. Cyprianus *De lapsis* circa medium de hujus generis simulatoribus loquens: „ A diaboli aris revertentes, „ *inquit*, ad sanctum Domini sordidis, & infectis „ nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum „ cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam „ nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta „ redolentibus, Domini Corpus invadunt. *Istis au-* „ *tem simulationibus verba illa Scripturæ oppo-* „ *nit*, *I. Cor. X.* 20. Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ „ dæmoniorum ".

102. S. autem Augustinus Lib. *cont. mend.* c. 6. acute observat, quod si hujusmodi simulatio liceret, potuisset Christus ovibus suis præcipere, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent. Et Lib. VI. *de Civit. Dei* c. 10. cit. a S. Thoma 2. 2. qu. 94. art. 2., postquam erudite ostendit, Senecam externe quidem idola veneratum, interne autem execratum fuisse, ita concludit: „ Colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat .... eo damnabilius, quo illa, „ quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret ".

103. Demum S. Thomas 2. 2. q. 111. artic. 1. hanc veritatem non solum sua auctoritate, sed etiam ratione ita confirmat: „ Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius „ per signa exteriora, qualis est; signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta: „ sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per „ verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet, ita „ etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur ".

104. Obj. *primo*, Naaman Syrus, postquam idololatriæ nuncium remiserat, ita Eliseum allocutus est, 4. Regum V. 18.: „ Hoc autem solum est, „ de quo depreceris Dominum pro servo tuo: quando ingredietur Dominus meus templum Remnon, „ ut adoret, & illo innitente super manum meam, „ si adoravero in templo Remnon, adorante eo in „ eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo „ pro hac re ". Eliseus autem respondit illi: *vade in pace*. Quo responso manifestum est, Eliseum, sin minus exercendæ, saltem simulandæ idololatriæ veniam Naamano indulsisse.

105.

du Fresne in *Glossario*, Joan. Cabassutius in *not. ad Conc. Illiberit.* Sæc. III., Nicol. Rigaltius in not. ad Cyprian. & ex Protestantibus Josephus Binghamus *Orig. Eccl.* Lib. XVI. cap. 4.

105. Resp. locum hunc esse explicatu difficilem, & Teologorum ingenia torquere, qui propterea in varias distrahuntur sententias (*a*): sed quantum ad rem nostram, illud sufficere potest, quod omnes in hoc conveniunt, nec licitum unquam fuisse, nec permitti ullo modo Naamano potuisse, vel ut idololatriam simularet, vel ut superstitioso cultui operam conferret, quomodocumque postea locus ille explicetur. Vulgaris tamen, & quæ ceteris probabilior videtur, responsio est: Naamanum, ut in aliis locis, ita etiam in templo Remnon potuisse servitium mere civile suo Regi præstare, eumque ad adorandum se se inclinantem brachio sustentare, unaque cum illo se se prosternere, non ad adorandum idolum, sed unice ut Regi famularetur; quandoquidem alii etiam Patriarchæ, & Prophetæ Regibus idololatris deservire licitum esse putarunt, ut Joseph Pharaoni, Daniel autem Babyloniorum Regi. Illud proinde verbum *adorare* minus proprie ibi sumendum est, scilicet pro sola inclinatione, vel prostratione corporis.

106. Huic tamen explicationi non paucæ, nec leves objiciuntur difficultates. *Primo* scandalum spectatoribus datum, qui certe ex ipsa actionis natura credere debebant, Naamanum cum Rege, aliisque Idolum colere. *Secundo* cooperatio in Regis superstitionem. Porro Innocentius XI. hanc propositionem n. 51. damnavit: „ Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur “. Id vero tam simile videtur facto Naamani, quam ovum ovo. Accedit *demum* Tertulliani auctoritas, dicentis in Lib. *de idololatria* c. 17.: „ Quid facient servi, vel liberti fideles? Item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel præsidibus adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, immo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores etiam magistratibus, & potestatibus officium possumus reddere, secundum Patriarchas, & ceteros majores; qui regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt “. Si ergo Naamano licuit idololatriam simulare, licebit etiam &c.

107. Ad *primam* objectionem haud difficilis est responsio: cum etiam Naaman publice jam idololatriam ejurasset, insuper in toto vitæ suæ genere se ab Idolorum cultu alienum demonstraret, facile cuilibet constare poterat, ipsum nonnisi civili ministerio Regi inservire, non autem superstitioso cultui operam dare.

108. Difficilior est *secundus* nodus; hoc tamen afferri solet Naamanum inter & servum &c. discrimen; quod Naamani ministerium commune fuerit, ordinarium, & generale, quo servi communiter fungi solent, ut scilicet heros comitentur, iisdemque inclinantibus suppetias ferant, quamobrem Naaman, qui alioquin unius ac veri Dei Religionem palam profitebatur, nullatenus idolatriæ cooperari censebatur, nisi ad summum *materialiter*, ut ajunt. Famulus contra hero suo scalam, aut humeros subministrans, quo fenestram ascendere ad constuprandam virginem possit, non commune, & generale, quod a famulis præstari debet, & solet, obsequium præstat: sed peculiare, & insolitum, quodque unice ad peccatum est ordinatum; ac proinde peccato cooperatur formaliter. Conf. P. Milante *Exercit.* XXVIII. T. II.

109. Ad *tertium* eadem sit responsio: Tertullianus enim intelligi debet de iis servitiis, quibus formaliter idololatriæ famuli cooperantur, ut ex ipsis verbis patet; alia enim servitia exhiberi non prohibet, dicens ibidem: *Licebit adesse quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent*.

110. Obj. 2. Exemplum Jehu Regis Israelis, qui simulavit se velle Idolo Baal victimas immolare, ut hac arte omnes illius cultores simul congregatos exterminaret. Hanc autem Jehu simulationem probavit Deus, eidem dicens, 4. Regum X. 30.: „ Quia studiose egisti, quod rectum erat, & „ pla-

(*a*) Commodissima videtur via, quam non ita pridem iniit eruditissimus S. Scripturæ interpres P. Calmet in Diss. ad hunc locum, contendens cum Bocharto, & paucis aliis Heterodoxis, ex hebraico fonte Naamani petitionem esse referendam ad præteritum: *Adoravi in templo Remnon; ignoscat mihi Dominus;* ut ita Naaman non licentiam pro futuro, sed veniam pro præterito petierit. Sed illud parum verisimile videtur, Naamanum de hac una idololatriæ specie, quæ certe non erat omnium maxima, veniam postulasse. Vid. *la Diss. sur la priere de Naaman* in IV. Tomo *de la sainte Bible avec des notes* &c. Sec. edit. 1769., *& les Mem. de Trevoux* mens. Mart. 1713. ubi hæc sententia confutatur. Non minus commoda esset via Hugonis de S. Charo, putantis, tam Naamanum, quam Eliseum peccasse, illum simulatione idololatriæ, istum scandalosa conniventia. Huic sententiæ subscribere videtur Gregorius de Valentia 2. 2. de fide disp. 1. q. 3. puncto 2. docens, Eliseum reliquisse Naamanum in ea opinione, qua sibi persuaserat, simulationem licere, nec contrarium eum docuisse (ut alioquin debuisset). Sed nimis durum videtur, S. Prophetam criminosæ indulgentiæ damnare. P. Concina Lib. I. in *Decl.* Dissert. IX. *de Scandalo* cap. 7. censet, Naamanum timuisse, ne ut sibi antea acciderat, cogeretur Regi in sacrificiis inservire, & cum eo adorante se se prosternere, adeoque anxium, & meticulosum ab Eliseo petiisse, quid factu opus esset; Eliseum autem respondisse: *vade in pace*, hoc est tibi id nunquam futurum esse prædico. Demum non defuerunt, qui ea verba Elisei: *Vade in pace* ita interpretarentur: *Vade, & noli amplius id facere, quod manifestam idololatriam redolet, cui jam nuncium remisisti.*

„ placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant „ in corde meo, fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt „ super thronum Israel ".

111. Resp. S. Thomas 2. 2. qu. 111. art. 1. ad 2.; „ Simulationem Jehu non est necesse excusare a „ peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab idololatria Jeroboam non recedens; commendatur tamen, & temporaliter remuneratur a „ Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo „ destruxit cultum Baal." Id S. Thomas a S. Augustino didicit, qui Lib. *contra mendacium* c. 2. peccasse Jehu, nec a nobis imitandum, ostendit.

112. Obj. 3. Exemplum Apostolorum, qui antiquatæ jam Judaicæ legis cæremonias observarunt, utique non ex animo, sed externa tantum simulatione; quemadmodum docet S. Hieronymus in c. II. epist. ad Gal., qui pro se allegat Origenem, Didymum, Laodicenum, Alexandrum, Eusebium Emissenum, Theodorum Heracleensem, & Jo. Chrysostomum. Et quidem Erasmus in ep. ad Gal. in his rebus majorem Origeni fidem deberi dicit, quam decem Patribus orthodoxis. Id etiam colligitur ex Scripturæ verbis Gal. II. 13.: *Et simulationi ejus* (Petri) *consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*.

113. Resp. cum S. Augustino in ep., XXVIII. XL., & LXXXII., alias VIII. IX. & XIX. cum nostro Angelico, & communi SS. PP. sententia, legalia in Christi morte mortua & ipsa fuisse, non tamen mortifera illico evasisse, ut proinde ea observare minime liceret. Ea vero quamvis mortua observare Apostoli opportunum duxerunt, ut Synagogam jam *emortuam cum honore sepelirent*, quemadmodum inquit Augustinus. Illa autem legalium observantia vocata est ab Apostolo Paulo *simulatio*, non quod ficto animo fieret, ut *mendacium* dici posset, sed quod Gentiles illa observantia adducebantur, ut falso crederent, sibi quoque esse Judaicos ritus exercendos, tamquam ad salutem necessarios.

114. Porro S. Hieronymus in contraria aliquando sententia fuit, & gravem propterea cum S. Augustino controversiam habuit; sed postea senior factus & pacatior, sententiam mutasse visus est in *Dial. I. cont. Pelag.* c. 8. Quemadmodum S. August. observat in ep. CLXXX. ad Oceanum. Quantum vero ad reliquos Patres ab Hieronymo allegatos, S. Augustinus respondet ep. LXXXII. c. 3., Laodicenum, teste ipso S. Hieronymo, de Ecclesia fuisse egressum: Alexandrum veterem esse hæreticum, Origenem vero (qui primus fuit hujus sententiæ architectus), & Didymum ab eodem Hieronymno reprehensos, *& non mediocriter*, *nec de mediocribus quæstionibus*. Aliis autem tribus, scilicet Eusebio Emisseno, Theodoro Heracleotæ, & Joann. Chrysostomo opponit Ambrosium, opponit Cyprianum, & quod plus est, opponit S. Paulum, qui in eadem epist. ad Gal. I. 20. ita sancte profitetur: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*: unde concludit magnus Augustinus: *Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris juranti, quam cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti*.

115. Inst. S. Paulus 1. Cor. IX. 20. seq.: Factus sum, *inquit*, Judæis tanquam Judæus, ut „ Judæos lucrarer: his qui sub lege erant, quasi „ sub legem essem .... ut eos, qui sub lege erant, „ lucrifacerem: iis qui sine lege erant, quasi sine lege essem .... ut lucrifacerem eos .... Factus „ infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem „ salvos ".

116. Resp. cum S. Augustino in epist. XL. & LXXXII., Apostolum factum esse omnia omnibus, *non mentientis astu*, sed *compatientis affectu*, seu *compassione misericordiæ*, *non simulatione fallaciæ*; quomodo qui ægrotis ministrat, fit tanquam ægrotus, non febres se habere simulans, sed alteri condolens, perinde ac si ipse ægrotaret.

117. Ob. 4. quorumdam vitæ sanctitate insignium exempla, qui ob bonum finem falsam Religionem simulare non dubitarunt. *Primo* S. Auxilius hoc a S. Marco Christi Discipulo consilium habuit: *Nullus modo Christianum esse te noverit: sed ipsorum te superstitionem sectari simula*. Ita habetur in ejus Actis a teste oculato exaratis ap. Bolland. 19. Febr. *Secundo* celebris est sæc. IV. Eusebii Vercellensis historia, qui se Arianum simulavit, ut ab illa hæresi Dionysium Mediol. revocaret. Factum narrat S. Ambrosius Serm. XV. n. 69. & calculis suis probat, immo laudibus extollit inquiens: „ Sicut enim, ait S. Paulus: factus „ sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem, ita Eusebius hæreticis se esse hæreticum mentitus est, ut de hæresi filium liberaret. „ Dixit enim se consentire perfidiæ, hoc sibi placere, quod illis; sed quod sibi filium Dionysium in subscriptione præponerent, graviter se „ moveri. Vos enim, inquit, qui dicitis Filium „ Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur „ mihi filium prætulistis? Qua illi ratione permoti, „ statim S. Dionysii chirografum deleverunt, priorem locum subscribendi B. Eusebio deferentes. „ Quos ille increpans, & irridens ait: neque ego „ vestris me sceleribus polluo, neque filium meum „ vobiscum participare permitto ". *Tertio* S. Ephrem Syrus se Hæreticorum sectam profiteri velle simulavit, ut ab iis librum, quo errores ipsorum continebantur, acciperet. *Quarto* S. Julianus Martyr ap. Bolland. die 9. Jan. se in templo simul cum aliis Idolo sacrificaturum finxit: cum autem populum simul omnem convenisse vidit, fusis ad Deum precibus templi ruinam; omniumque, qui intus erant, oppressionem impetravit. *Quinto* simile illud est sanctarum Virginum exemplum, quod in *Actis S. Basilii* legitur ex Metaphraste apud Surium die 3. Feb. Hæ enim se sacri-

crificaturas spoponderunt, si prius ducerentur ad lacum, ubi lavare se possent; quod cum factum esset, idola illuc deportata projecerunt in aquam. Alia id genus non pauca afferri possunt.

118. Resp. ad *primum*, Acta illa supria esse, ab inepto scribillatore longe post V. sæc. consarcinata, anachronismis, næniis, putidisque fabellis plena, ut Tillemontius ostendit Not. V. in *Hist. S. Marci*. Vel unicum specimen habere possumus in ea ratione plane ridicula, qua S. Marcus ad probandum, licitam esse hanc simulationem utitur: „ Si enim, *inquit*, diabolus transfigurat se in „ Angelum lucis, ut eos, qui ipsi credunt, ad se „ pertrahat .... quanto magis debemus nos transfi- „ gurare &c. " Præclara sane ratio, & ab imitando exemplo ducta!

118. Ad *cetera* resp. distinguendum esse inter mendacium, & ironicam locutionem. Primum nunquam licitum est, altera justis de causis adhiberi potest, si talis sit, ut auditores minime stupidi possint a deceptione cavere. Hoc secundo modo accipienda est Eusebii Vercellensis locutio; & potuissent Ariani ejusdem ironiam facile ex iis verbis animadvertere: *Vos enim*, inquiebat, *qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis?* S. autem Ambrosius (vel potius alius incertus illius sermonis auctor) bonam Eusebii intentionem, felicemque rei exitum laudare, & probare potuit, non autem simulationem, & fraudem, si ulla in hoc negotio fuit. Ceterum non omnia, quæ Sancti etiam ex bono fine fecerunt, sancta sunt; nonnunquam enim & ipsi suos passi sunt manes, & vehementiori zelo abrepti rectæ justitiæ limites transilierunt. Eademque responsio ad cetera exempla abhibenda est, si tamen vera sunt; plura enim fuisse antiquitus pia, ut dici solet, fraude conficta, ab oculatioribus criticis posteriori ævo animadversum est.

Quæritur, an liceat tempore persecutionis fugam arripere?

120. Resp. *affirmative*; id enim expresse declaravit Christus Dominus Matth. X., ubi, postquam Discipulis suis prædixisset, quæ, & quanta deberent pro suo nomine pati, subjungit vers. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Plura in hanc rem affert S. Athanasius in *Apologia pro fuga sua*. Aliquæ tamen esse circumstantiæ possunt, in quibus tempore persecutionis se occultare minime liceat: sic Pastor relinquere oves suas tyranni sævitiæ expositas non potest, pro quibus tenetur & animam suam dare. Sed de his, & similibus quæstionibus plura videri possunt apud Theologiæ moralis tractatores.

APPENDIX I.

De ritibus Sinensibus.

121. Antequam hanc primam de fidei virtute partem absolvam, pauca adjicere de famosis controversiis circa ritus Sinenses, & Malabaricos sæculo superiore exortis, necessarium puto, ne Auditores mei in celebri adeo quæstione hospites, & peregrini inveniantur. Sed quoniam totam harum controversiarum historiam sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. duabus suis Constitutionibus, quarum altera incipit: *Ex quo singulari* 9. August. 1742. altera *Omnium sollicitudinum* 12. Sept. 1744. complexus est, ejusdem verbis plene utar, quo omnem invidiæ causam a me amoveam.

122. Quis primus in Sinense Imperium Religionem Christianam invexerit, nondum plane constat. Sunt, qui S. Thomam Apostolum Evangelium ibi prædicasse contendant. V. P. Mamachius Tomo II. *Orig. & Antiq. Christ.* p. 55. not. I. Sed quidquid de S. Thoma Apostolo sit, certum est a primis sæculis fuisse Sinenses Christianam Religionem edoctos, quamquam postea, nescio quo fato, Deo permittente, hæc ita extincta fuit, ut quando Lusitani an. 1517. Ferdinando Peresio Duce ad Sinas appulerunt, ne vestigium quidem nostræ Religionis invenerint.

123. Post medium sæculum XVI. an. 1555. Gaspar a Cruce Dominicanus, ac post illum nonnulli alii ex eadem mea Familia primi omnium in florentissimo illo Regno Religionem Catholicam iterum plantare conati sunt: tum post paucos annos eodem appulit P. Martinus Rada Augustinianus, ac demum sub ejusdem sæculi exitu Matthæus Riccius S. J., multique alii ejus socii, tum Franciscani, aliorumque Institutorum alumni in eamdem regionem penetrarunt (Vid. P. Mamachius loco cit. p. 279. seq.); quorum opera Christiana Fides progressus ingentes fecit, *longe etiam majores factura, nisi coorta inter Operarios a S. Sede illuc missos dissidia cursum intercidissent*.

124.; „ Occasionem dissidiis ejusmodi dederunt „ cæremoniæ quædam, & ritus, quibus Sinenses „ ad Confucium Philosophum, & majores suos ho- „ noribus prosequendos uti consueverunt (*a*), cum „ nonnulli ex Missionariis contenderent, eas esse „ cæremonias, & ritus mere civiles, adeoque con- „ cedendos iis, qui relicto Idolorum cultu Christia- „ nam Religionem amplectebantur: contra vero a- „ lii (*inter ceteros P. Jo. Bapt. Morales Domi- „ canus, & P. Ant. a S. Maria Franciscanus*) „ eos

(*a*) Confucio celeberrimo olim Sinensium Philosopho multa, & magnifica erecta sunt templa; in quibus bis in anno solemnia ipsi offeruntur sacrificia suis, & capræ immolatione, ac vini, candelarum, florum, thymiamatum oblatione. Sinenses templa etiam habent suis majoribus dicata, ad quæ pariter bis in anno convenire solent, solemnia sacrificia peracturi, quæ in oblationibus carnis, vini, candelarum, thuris, capitum etiam caprarum consistunt. Habent insuper mortuorum nomina quibusdam tabellis inscripta, quas earumdem animarum sedes appellant, dictoque cultu honorant.

,, eos utpote superstitionem olentes, sine gravi Re-
,, ligionis injuria permitti nullo modo posse assere-
,, rent .... Primo itaque ad Sanctæ Sedis Tribu-
,, nal causam hanc detulerunt ii, qui cæremonias
,, illas, & ritus Sinicos superstitione imbutos su-
,, spicabantur. Super illis dubia nonnulla propo-
,, sita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide,
,, quæ anno 1645. comprobavit responsa, ac de-
,, cisiones Theologorum, qui cæremonias, & ri-
,, tus eosdem superstitione revera infectos judica-
,, runt. Proinde Innocentius X. ad præfatæ Con-
,, gregationis preces omnibus, & singulis Missio-
,, nariis sub pœna excommunicationis latæ senten-
,, tiæ, sibi ac S. Sedi reservatæ, mandavit, ut
,, responsa, ac decisiones prædictas omnino obser-
,, varent, easque ad praxim deducerent, donec si-
,, bi, & Apostolicæ Sedi aliter visum non esset ".

125. ,, Verum paulo post ab aliis ejusdem mis-
,, sionis Operariis (*præcipue P. Martino Marti-*
,, *nez*) alia dubia de iisdem ritibus, & cæremo-
,, niis ipsimet Congregationi de Propaganda Fide
,, fuerunt exhibita, ex quibus cæremoniæ ipsæ,
,, ritusque nullam in se superstitionem habere vi-
,, debantur. Negotium itaque ejusmodi ab Alexan-
,, dro Papa VII. S. Inquisitionis Congregationi com-
,, missum fuit, quæ prout varia, diversaque ra-
,, tione fuerat sibi de iisdem cæremoniis exposi-
,, tum, alias quidem tanquam mere civiles, &
,, politicas esse permittendas, alias vero minime
,, tolerari posse judicavit. Idemque Alexander VII.
,, Pontifex ann. 1656. hanc sententiam probavit,
,, & confirmavit ".

126. Hæc quasi opposita Decreta liti iterum instaurandæ occasionem dederunt, & varia utrinque scripta prodierunt in lucem. Ex Dominicanis PP. Navarette, & Varo, ex Jesuitis PP. Bartoli, & le Tellier præcipue inclaruerunt. Hinc tertio ad S. Sedem controversia delata est. P. Jo. Polanco Dominicanus Romam veniens plura dubia S. Inquisitionis Congregationi proposuit, illudque imprimis:
,, Utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. præ-
,, ceptum, quod sub pœna excommunicationis la-
,, tæ sententiæ mandabat observantiam responsio-
,, num, ac decisionum, quæ a Congregatione de
,, Propaganda an. 1645. ut supra dictum est, e-
,, manaverunt .... Respondit ad hæc S. Inquisitio-
,, nis Congregatio an. 1669. præfatum Congregatio-
,, nis de Propaganda Fide decretum adhuc vige-
,, re, habita ratione rerum, quæ fuerunt in du-
,, biis expositæ, neque illud fuisse circumscriptum
,, a decreto S. Inquisitionis, quod an. 1656. ema-
,, navit: immo esse omnino observandum juxta
,, quæsita, circumstantias, & omnia, quæ in an-
,, te dictis dubiis continentur. Declaravit pariter,
,, eodem modo esse observandum prædictum S.
,, Congregationis Decretum an. 1656. juxta quæ-
,, sita, circumstantias & reliqua in ipsis expres-
,, sa. Hoc autem decretum Clemens Papa IX. com-
,, probavit ". Nempe quanquam illa duo decre-
,, ta sibi ipsis videbantur opposita, reipsa tamen
,, opposita non erant, quia diversis sibique con-
,, trariis facti relationibus innitebantur.

127. Porro ad contentiones, quæ semper majorem in modum augebantur, tandem tollendas, & ut constaret, quænam pars in facti expositione erraret, necessarium videbatur, aliquem in iis regionibus ocularem testem habere: opportune autem contigit, ut Carolus Maigrot Sorbonæ Doctor, & Socius, ex Congregatione Missionariorum sæcularium noviter in Gallia erecta, vir & litteris excultus, & pietate commendatus, nulli parti addictus, Vicarius Apostolicus in Provincia Fokiensi degens, adeoque rem prout erat, propriis oculis conspiciens anno 1693. celebre ediderit decretum, quo cultum Confucio, & progenitoribus adhibitum, tabellasque eis appensas, ut superstitiosas cæremonias prohibebat, cui decreto ceteri Vicarii Apostolici assensi sunt.

128. Verum, cum nec sic turbæ componi potuissent, Clemens XI.
,, post accuratissimam rei di-
,, scussionem, post auditas ex utraque parte ratio-
,, nes, quibus libere producendis unicuique locus
,, amplissimus datus fuit, anno 1704. confirmavit,
,, & Apostolica auctoritate comprobavit Sacræ Con-
,, gregationis responsiones, quibus ritus Sinenses,
,, utpote superstitione imbuti prohibebantur (*a*) ":
Instituerat antea idem Clemens XI. amplissimum virum Carol. Thom. de Tournon, tunc Patriarcham Antiochenum in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum; cui proinde in mandatis dedit, ut *exactam* decreti sui *observantiam omnibus, & singulis Missionariis*, *pœnis quoque canonicis in refractarios indictis*, *præciperet*.

129. ,, Promulgavit quidem Patriarcha Antioche-
,, nus

(*a*) Hæc autem in S. Congregationis responsis continebantur. *Primo* Deum appellandum esse nomine *Tien-Chù*, hoc est *Cœli Dominum*, non autem *Tien Cœlum*: neque *Kanag Ti*, quod supremum Imperatorem significat, ac propterea inhibendas esse tabellas in templis appendi solitas cum inscriptione Sinica *King-Tien*, *Cœlum colito*. *Secundo* non licere Christianis præesse, ministrare, aut interesse solemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quæ a Sinensibus in utroque Æquinoctio cujuscumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis celebrantur; idemque statuitur de aliis cæremoniis, ritibus, & oblationibus, quæ in ædibus Confucii, *Miao* appellatis, in Novilunio, Plenilunio, aliisque occasionibus in honorem ejusdem Confucii fieri solent. *Tertio* prohibentur oblationes minus solemnes in templis, sive ædibus Progenitorum, aut etiam coram eorum tabellis in domibus privatis, ne quidem præmissa publica, vel privata secreta protestatione, se non religioso, sed civili, ac politico tantum cultu erga defunctos illa præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare. *Demum* permittendum non esse Christi fidelibus, tabellas defunctorum Progenitorum in suis privatis domibus retinere juxta illarum partium morem, hoc est cum inscriptione Sinica, qua thronus, seu sedes spiritus; vel animæ N. significetur.

„ nus decisionem Apostolicam addito decreto, quo
„ ab universis ejus observantiam exigebat (*a*). Cum
„ autem illam tentassent eludere, variisque ina-
„ nibus rationibus effugere ii, qui Sinenses ritus
„ tamquam politicos, ac mere civiles propugna-
„ verant, prædictus Pontifex Clemens XI. decre-
„ to, quod per Sacræ Inquisitionis Congregatio-
„ nem emanavit 1710. præcepit omnimodam, &
„ inviolabilem earumdem responsionum ab se A-
„ postolica auctoritate confirmatarum observantiam
„ .... At vero nec decretum hujusmodi ad diffici-
„ les animos subjiciendos valuit. Itaque Clemens
„ idem Papa XI. quo illos tandem aliquando fræ-
„ naret, Constitutionem an. 1715. evulgavit, *Ex*
„ *illa die*, qua solemniter iterum confirmavit an-
„ tedictas Sacræ Inquisitionis responsiones, easque
„ exacte, & adamussim observari mandavit, præ-
„ clusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam ea-
„ rum observantiam contumaces homines aliquo
„ pacto evadere potuissent ".

130. „ Per Constitutionem Apostolicam adeo so-
„ lemnem; qua Clemens Papa XI. se huic contro-
„ versiæ finem dedisse testatur, justum, & æquum
„ videbatur, eos, qui S. Sedis auctoritatem sese
„ quam maxime revereri profiterentur, humili,
„ & obsequenti animo illius judicio semel omnino
„ subjicere, nec ulterius quidquam cavillari. Ni-
„ hilominus inobedientes, & captiosi homines e-
„ xactam ejusdem Constitutionis observantiam se
„ effugere posse putarunt ea ratione, quod illa
„ præcepti titulum præferret, quasi vero non in-
„ dissolubilis legis, sed præcepti mere Ecclesias-
„ tici vim haberet; tum etiam quod illam debi-
„ litatem existimarent ex permissionibus quibus-
„ dam, quas super iisdem Sinensibus ritibus pu-
„ blicavit Carolus Antonius Mediobarbus Patriar-
„ cha Alexandrinus, cum Commissarium, & Vi-
„ sitatorem Generalem Apostolicum in iis regio-
„ nibus faceret (*b*) ".

131. „ Vix Sinarum regnum Patriarcha Alexandr.
„ ingressus, in iis angustiis se positum intellexit,
„ ut coactus fuerit in publicum emittere ..... per-
„ missiones octo (*c*): *sed cum tot, talibusque cau-*
„ *tionibus, & conditionibus*, ut omnis, ad quem
„ Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi
„ modo haud obscure inferre deberet, quantis il-
„ le animi angustiis obsessus, & quam anceps,
„ ac perplexus in permissionibus hujusmodi pro-
„ ponendis extitisset, adeo ut œconomia quadam
„ usus fuisset ad loci, & temporis circumstantias
„ prorsus necessaria; a qua putandum est, eum
„ recessurum fuisse, si libertas ipsi data esset rem
„ discutiendi cum Episcopis, aliisque doctis viris,
„ qui nihil aliud, quam Christiani cultus purita-
„ tem & Apostolicæ Constitutionis observantiam an-
„ te oculos haberent .... Pekini Episcopus per bi-
„ nas suas Pastorales mandavit sub pœna suspen-
„ sionis ipso facto incurrendæ, universis suæ diœ-
„ cesis Missionariis, ut observarent, & observari
„ præciperent Constitutionem (*Ex illa die*) *jux-*
„ *ta permissiones*, *quas* ipse contendebat, ad ea
„ potissimum referri, quæ in præcitata Constitu-
„ tione fuerant solemniter interdicta ".

132. Clemens vero XII. „ tam audax Episcopi
„ Pekinensis factum (*utpote quod etiam contra*
„ *expressum ipsius Mediobarbi præceptum erat*)
„ æquo animo ferre haud potens, muneri suo ma-
„ xime interesse judicavit, binas illas epistolas
„ damnare, ac penitus reprobare Apostolico Bre-
„ vi, quod anno 1735. promulgavit, *Post autem*,
„ quo Christianæ Religionis puritatem, quæ in iis
„ regionibus per exactam præmemoratæ Constitu-
„ tionis observanda erat, assereret, & controver-
„ siis istiusmodi finem aliquando imponeret, exa-
„ mini per quam diligenti totum permissionum
„ negotium commisit; ita ut a Theologis, tum e-
„ tiam a S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus S. Inqui-
„ sitioni præpositis mature, serioque discuteretur ".

I-

(*a*) Tournonius post hujus decreti promulgationem maximis molestiis affectus est, ac demum in arcta, qua detinebatur, custodia in urbe Macao anno 1710. gloriose occubit. Qui de eximiis hujus viri meritis, ingentibusque pro fidei puritate tuenda ejusdem laboribus, & ærumnis plura scire cupit, adeat Polidorium *De vita, & rebus gestis Clementis* XI. Urbini anno 1727., & le *Memorie Storiche dell' Eminentiss. Mons. Card. di Tournon.* Vol. 8. in Venezia 1761.

(*b*) Carolus Ambrosius Mediobarbus Ticinensis Patriarcha Alexand. fuit a Clemente XI. ut Apostolicus Visitator, cum facultate *Legati de latere* ad imperium Sinarum missus anno 1719. ut Pontificiarum Constitutionum executionem urgeret: sed paulo post iterum transmisso mari re infecta in Italiam remeavit. Ejus itineris, & legationis *Diarium* extat a P. Vianio ex Ordine Servorum Beatæ Mariæ ejusdem Theologo scriptum.

(c) Permissiones erant istæ. I. Permittitur Christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti Tabellis defunctorum, inscriptis solo nomine defuncti, apposita ad latus declaratione debita, & omissa quacumque superstitione in earum constructione, necnon secluso omni scandalo. II. Permittuntur omnes cæremoniæ nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non sint aut superstitiosæ, aut suspectæ, sed civiles. III. Permittitur Confucii cultus ille, qui civilis est, & etiam ejusdem Tabellæ purgatæ, & litteris, & superstitiosa inscriptione, & adjuncta declaratione debita, sicuti permittitur ante ejus Tabellam correctam accendi candellas, uri odores, apponi comestibilia &c. IV. Permittitur pro usu, & expensis funerum offerri candelas, & odores, adjuncta in schedula debita declaratione. V. Permittuntur reverentiæ genuflexionum, & prostrationum erga tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum. VI. Permittitur præparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit tabella correcta cum debita declaratione, & omissis superstitiosis, pro quædam honestate tantum, & pietate erga defunctos. VII. Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta *Koteu*, tum in anno novo Sinico; tum in aliis anni temporibus. VIII. Permittitur coram tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus.

Idem tamen Clemens XII. tanti momenti opus morte præoccupatus absolvere minime potuit.

133. Illud perficiendi, gravissimumque controversiam penitus dirimendi onus post centum solidos annos (nam an. 1642. Jo. Baptista Morales e Sinis hanc caussam ad summum Pont. Urbanum VIII. detulit) Benedicto XIV. Pontifici sapientissimo Divina Providentia reservaverat, quod ille fecit edita Bull. *Ex quo singulari*, in qua tota re serie iis plane verbis, quibus nos usi sumus, fusius exposita, ita concludit: „ Permissiones illas „ (*Caroli Mediobarbi*) & quidem singulas, coram „ nobis summo studio, ac diligentia examinari cu„ ravimus ...... ac tandem satis compertum habe„ mus, ante dictas permissiones numquam a S. Se„ de probatas Apostolicæ Clementis P. XI. Consti„ tutioni repugnare, atque adversari, utpote quæ „ partim cæremonias, ritusque Sinenses a prædi„ cta Constitutione proscriptos admittant, ac ve„ luti probatos, atque utendos concedant, partim „ regulis in ipsa traditis ad vitandum superstitio„ nis periculum opponantur. Nolentes itaque, „ quemquam ad Constitutionem ipsam summo Chri„ stianæ Religionis damno malitiose evertendam, „ permissionibus ejusmodi uti, definimus, ac de„ claramus, præfatas permissiones ita esse haben„ das, ac si nunquam extitissent, earumque pra„ xim tamquam superstitiosam omnino damnamus, „ & execramur. Itaque præsentis hujus nostræ „ Constitutionis perpetuo valituræ vi revocamus, „ rescindimus, abrogamus; atque omni vigore, & „ effectu vacuas esse volumus omnes illas, & sin„ gulas permissiones, easque semper uti cassas, „ irritas, invalidas, & nullius prorsus roboris, aut „ vigoris habendas esse dicimus, ac pronunciamus". Atque ut de cujuslibet obedientia magis certo constaret omnes Missionarios solemni juramento, non solum ad exactam constitutionis Clementis XI. observantiam adstrictos voluit, sed etiam ut eadem jurisjurandi religione se obligarent, ne ritus & cæremonias a Carolo Mediobarbo concessas unquam ad praxim deducerent. Et hunc gravissima illa causa exitum habuit.

133. Prætermittendum autem hoc loco non esse, puto, in ceteris bonis quæ Benedictina Constitutio *Ex quo singulari* peperit, gloriosum Petri Martyris Sancii, Episcopi Mauricastrensis, aliorumque quatuor Sociorum; nempe Serrani, qui Sancto in Episcopatu successerat, Alcoberi, Diazii, & Royi martyrium numerandum esse. Hi omnes ex Dominicana Familia, pro supradictæ Constitutionis observantia, fideique puritate laborantes, ab Ethnicis extremo supplicio affecti sunt. Vid. *Allocutio Sanctissimi D. N. Benedicti XIV. habita in Consist. Secr. die* 16. *Septemb.* 1648. Romæ typis R. C. A. edita, & postea a P. Antonio Touron notis illustrata *Virorum Illustr. Ord. S. Dominici* Tom. VI.

APPENDIX ALTERA.

De Ritibus Malabaricis.

134. Similis fere generis controversiæ in Malabaria (quæ vastissima regio in Asia est) excitatæ inter Missionarios fuerunt, quas eamdem methodum sequentes verbis Benedicti XIV. in Bulla *Omnium sollicitudinum* breviter exponemus. Jam a tempore Gregorii XV. in regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnutensi Indiarum Orientalium contentiones exortæ fuerant de quibusdam ritibus, quos Missionarii Jesuitæ ut mere civiles permittendos esse statuebant, alii vero præcipue PP. Cappucini, ut plane superstitiosos execrabantur. Hujus nostri sæculi initio, cum ad oram Coromandelli appulisset Carolus Thomas Maillard Tournonius, tunc Patriarcha Antiochenus, cum potestate Legati a latere in Indiis Orientalibus Commissarius, & Visitator Apostolicus, *ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab aliquibus Missionariis observabantur, vel permittebantur, ab aliis* vero tamquam Christianæ pietatis spiritui minime conformes rejiciebantur, unde discordiarum & funestissimarum disputationum semina: exploratis ea, qua par erat, diligentia, factis, & circumstantiis, *e re Christiana esse, suique officii partes exigere judicavit, plures ejusmodi cæremonias gravi interdicto proscribere, atque damnare Decreto edito Pudicherii* 23. *Junii* 1704. (a); quod Tournonii decretum Clemens XI. diligenti præmisso exa-

(a) Hæc porro erant, quæ Tournonius, decrevit. I. Prohibuit, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis omittantur Sacramentalia, signanter saliva, sal, & insufflatio. II. Jussit, ut baptizando nomen alicujus Sancti Martyrologio Romano descripti imponatur, interdictis nominibus Idolorum, vel falsæ Religionis pœnitentium. III. Prohibuit, ne Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per translationem immutentur. IV. Ne baptismus protrahatur. V. Ne ante legitimam ætatem matrimonia fiant. VI. Ne mulieres nuptæ signum *Tally* (quod imaginem *Pallevaris* sive *Pillayaris* Idoli cæremoniis nuptialibus præpositi præfert) collo suspensum, deferre permittantur. VII. Prohibuit etiam usum funiculi centum, & octo filis compositi, & cocco deliniti, cui dicta imago appendi solebat. VIII. Plures cæremonias nuptiales, paganam superstitionem olentes interdixit; cujusmodi erant ramus Arboris *Arescionara*, certus ferculorum numerus, circuli super caput sponsorum, lutea vasa, fractio fructus cocco ad capienda auspicia &c. IX. Nonnullas vetuit cæremonias Christianæ puellarum pietati, & verecundiæ plane contrarias. X. Missionariis districte præcepit, *ut Pareas* (hoc est infimæ conditionis homines) ægrotantes invisant, iisque in propriis domibus Sacramenta, aliaque spiritualia auxilia administrent, non autem eos cum gravissimo vitæ temporalis periculo ad Ecclesiam deferendos expectent. XI. Christiani tibicines, aliique artis musicæ periti ad Idolorum festivitates, & sacrificia accedere, nec in *Pagodis*, nec extra, cum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum super-

xamine in omnibus servandum, & exequendum esse statuit 7. Jan. 1706.

155. Verum hanc providentiam, uberesque, quos inde spes erat proventuros fructus, frustratus est falsus rumor, qui paucos post annos per Indias increbuit, ipsum nempe Clementem XI. & relatum Patriarchæ (Tournonii) decretum revocasse, & nonnullas ex eis cæremoniis approbasse, quas ille tamquam superstitiosas, minimeque ferendas proscripserat. Cui falso rumori cursum intercepturus Clemens XI., utque omnibus manifesta redderet animi sui sensa, *atque impugnatoribus decretorum a Patriarcha prædicto editorum omne penitus effugium adimeret, extrahi ex tabulariis mandavit authenticum exemplum decreti sui 7. Jan. 1706. illudque Episcopo Meliapurensi transmitti jussit* 17. Sept. 1712. Et cum unus, & alter annus elapsus esset, nec ullo argumento constaret, Episcopum Meliapurensem Apostolicas litteras accepisse, idem Clemens alias litteras ad Claudiopolitanum Episcopum transmitti curavit, præcipiens, *ut Episcopo Meliapurensi juridice redderentur; eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præstare aut reluctante, aut differente, idem ipse Claudiopolitanus Episcopus Apostolicæ Sedis judicium, nulla interposita mora, executioni mandaret*. Benedictus etiam XIII. post iteratum, diutissimeque protractum totius rei examen, decreta Patr. Antioch. Tournonii confirmavit 12. Decemb. 1727.

156. „ Tantum vero abfuit, ut qui pro ritibus „ eo decreto damnatis pugnabant, huic novæ ejusdem decreti confirmationi acquiescerent, quin „ potius anno 1732. Clementi P. XII. in Benedicti locum subrogato declaraverint, se nihil de „ nova confirmatione audivisse, neque aliquid, quod „ ad ea spectaret, Episcopis, & Missionariis Indiarum fuisse legitime denunciatum; adeoque „ enixis precibus ab eo postulaverint, ut non obstante Benedicti XIII. dispositione, dignaretur, „ hanc eamdem causam denuo S. Officii Congre„ tionis examini, & cognitioni subjicere. Et quamquam aliis earum partium Missionariis causam „ finitam esse, & in rem judicatam abiisse reputantibus, seu excipientibus non deessent, qui „ postulatis haud annuendum esse crederent, iisque „ adversarentur; attamen idem Pontifex Clem. XII. „ supremum tandem acerrimis, perniciosisque dissidiis finem fieri peroptans, supradictorum preces admittendas existimavit ". Iterum igitur totius materiæ instaurata disceptatio est, ac demum 24. Augusti 1734. Tournonii decreta servanda esse, paucis concessis moderationibus, & declarationibus, statutum est (*a*).

157. „ Post diutinam, accuratamque factorum, „ atque rationum in utramque partem disceptationem, post tam solemne denique causæ judicium „ in magnam spem venerat Apostolica Sedes, non „ secus ac Romæ litigiis finis erat impositus, ita „ in Indiis tandem aliquando a discordiis, abusibusque cessatum iri .... At tam felicibus initiis „ conceptum gaudium statim evanuit: tristissimus „ siquidem nuncius quamcitissime Sedi Apostolicæ „ allatus est Missionarios scilicet, qui Card. Tournonii decretum impugnaverant, non obstantibus „ Clementis XII. litteris Apostolicis solemni formula ab iis acceptatis, publicatisque, damnatos tamen ritus, ac cæremonias juxta earumdem „ litterarum præscriptum minime aboleri posse „ causantes, tantum licentiæ sibi sumere, ut eos, „ easque adhuc usu permittere, & retinere non „ dubitarent. Cumque de tamdiu dilatæ ab iis obedientiæ in dies fama increbresceret, præfatus „ Clemens XII., ut debitum Pontificiis mandatis „ obsequium, & observantiam vindicaret ... alteris „ in simili forma Brevis datis *die* 13. *Maji* 1739. „ Apostolicis litteris, earum regionum Episcopis, „ & Missionariis præceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impositis, ut nedum exactissime servarent ea, quæ in suis præmissis litteris „ mandabantur, sublata cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illico se adstringerent „ so-

stitioso cultu imbutarum sonare, aut canere audeant. XII. Declaravit, Pontificiam Constit. Gregorii XV. prohibentem lavacra tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi solent, æque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non licet sub quacumque alia causa, & fine, etiam ad effectum, ut existimentur *Sanias*, seu *Brachmanes*, præ ceteris dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti. XIII. Prohibuit, ne cineres ex vaccæ stercore confecti, impiam Gentilium pœnitentiam a *Rutrem* institutam redolentes benedicantur, fontique sacro Chrismate delinitæ impingantur: neve alia quæcumque signa adhibeantur albi, vel rubri coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur. Demum lectionem librorum de falsa Religione, & de rebus obscœnis, superstitiosisque tractantium interdixit.

(*a*) I. Dispensatio concessa est ad decennium omittendi in collatione Baptismi salivam, & occulte utendi insuflationibus in casibus tamen particularibus, & in quibus gravis, & proportionata necessitas urgeat, & dummodo non laborent errore habendi salivam, & anhelitum tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inserviendum pro sacramentalibus cæremoniis in baptismo. II. Non præcipiendum, sed consulendum, tantum ut nomen alicujus Sancti Martyrologio Rom. descripti baptizandis imponatur, firma tamen remanente interdictione quoad nomina Idolorum, & falsæ Religionis Pœnitentium. III. Decretum Eminentissimi de Tournon de non immutandis nominibus Crucis, Sanctorum & rerum sacrarum, non habere locum in vocibus, & nominibus ab institutione Missionis communiter jam receptis, quæ tamen per hanc declarationem nec approbantur, nec reprobantur. IV. Formam a Tridentino Concilio pro matrimonio præscriptam servandam non esse, nisi in iis locis, ubi Concilium jam publicatum est, curandum tamen a Missionariis, ut ubique publicetur. V. Posse permitti festum pro puellis, non quidem inverecundis illis titulis, quibus consueverat, sed tantummodo sub titulo nuptiarum.

„ solemni jurejurando interposito juxta formulas „ respective præscriptas.

138. „ Hasce Clementis XII. litteras aliæ sub- „ secutæ sunt earum regionum Episcopis peculia- „ riter inscriptæ, quibus idem Pontifex, & con- „ ceptum animo intimum dolorem ob nondum si- „ bi delatam certam, exoptatamque notitiam de „ præstita Apostolicis mandatis debita observantia, „ gravibus verbis patefecit, & eorumdem Episco- „ porum zelum, ac Religionem excitare curavit, ut „ ipsi exemplo, ac diligentia sua præeuntes, ce- „ terorum obedientiam sollicite promoverent. Ne- „ que vero his, quamvis adeo enucleate præscri- „ ptis, plane contentus idem Clemens P. XII. Su- „ periores quoque Generales Missionarium in O- „ rientalibus Indiis degentium, eorum præsertim, qui „ ut Apostolicæ Sedi relatum erat, detrectabant „ adhuc obsequentis animi erga ejusdem Sedis man- „ data certa argumenta exhibere, adstrinxit, eos- „ que sub pœnis suspensionis a divinis, privatio- „ nis vocis activæ, & passivæ, aliisque graviori- „ bus arbitrio suo reservatis, Apostolicæ etiam Se- „ dis indignationis, formali præcepto, eoque ju- „ ridice indicto adegit ad transmittenda suis respe- „ ctive Religiosis exempla Apostolicarum littera- „ rum a se tunc editarum, atque ad earum pu- „ blicationem, & exactam, integram, inviolabi- „ lemque observantiam pro viribus præcipiendam, „ ea lege addita: ut si aliquis esset Missionarius, „ qui mandatis reluctaretur, aut contra facere au- „ deret, solemni statim præcepto per Superiorem „ Generalem cogeretur relictis missionibus e pro- „ vincia decedere, atque in Europam reverti. Et „ ne in re adeo gravi intentatum aliquod reme- „ dium relinqueretur, terminum annorum trium „ constituit, intra quem Superiores Generales præ- „ dicti tenerentur certis, authenticisque documen- „ tis Sedi Apostolicæ plenam, atque integram de- „ cretorum, litterarumque observantiam indubitate „ probare &c."

139. His mediis adacti, maxime autem Dei gratia operante, obtemperarunt tandem omnes Episcopi, & Missionarii, & juramento interposito exactam, integram, inviolabilemque decretorum observantiam promiserunt. Tria duntaxat a Benedicto XIV., Clementis successore, postularunt, *primo*, ut in posterum tot juramentorum, censurarumque onere sublevarentur, quibus velut inextricabilibus laqueis suas conscientias vinciri conquerebantur. *Secundo*, ut dispensatio alias a Clemente XII. concessa super salivæ, atque insufflationis usu in Baptismi administratione prorogaretur. *Tertio*, ut saluti Parearum, seu ignobilium hominum (nobiles appellari solent *Brachmanes*) provideretur, non adigendo sacros Operarios ad ingrediendum in eorum domos, sed alia ratione: *atque ea potissimum, quam ipsi primo induxerunt .... obtentu verbalis cujusdam declarationis, quam ipsis suus Missionum Procurator significaverat*.

140. Ad *primum* sapientissimus Pontifex *negative* respondit: immo & juramentum, & censuras omnes iterum confirmavit, inquiens: „ Animadver- „ tentes, impositam jurisjurandi legem esse velut sa- „ luberrimum antidotum, extinguendo gliscentium „ litium, discordiarumque veneno, aptissimumque „ ad cohibendam licentiam, libertatemque opinan- „ di, interpretandi, agendi denique pro libito in „ re tam gravi, & periculosa frœnum existere, „ Censuras quoque a prædicto Clemente XII. præ- „ decessore nostro in enunciatis litteris incipienti- „ bus *Concredita nobis* constitutas ad solos dun- „ taxat pertinere Apostolicæ legis, præceptorum- „ que violatores, easdemque in hujusmodi tantum „ refractarios, quorum animos neque Ecclesiasti- „ cæ mansuetudinis officia, neque paternæ admo- „ nitionis charitas vincere, aut inflectere nullo „ modo possent, justissimam pœnam esse, & fore „ reputantes, non solum inopportunum censuimus, „ jusjurandum aliqua in parte remittere, aut mo- „ derari censuras, quod primo fuit ab illis pro- „ positum: verum etiam .... de plenitudine pote- „ statis a Deo nobis concreditæ, illud, illasque „ probamus, confirmamus, & innovamus &c."

141. Ad *secundum* primo conquestus est, Missionarios nondum satis curasse a Neophytorum animis eam aversionem eradicare, quam erga salivam, & anhelitum sine ulla causa habent: deinde ægre tandem ad hanc dispensationem ad aliud decennium prorogandam consensit, oneratis tamen Missionariorum conscientiis, ut ea nonnisi gravi urgente necessitate uterentur: Volumus autem, *inquit* „ *sanctissimus Pontifex*, atque omnibus & sin- „ gulis prædictorum regnorum Episcopis, & Mis- „ sionariis, in virtute S. obedientiæ præcipimus, „ ut & communibus studiis, atque consiliis, & „ singuli pro virili parte intra præfinitum decen- „ nii tempus omnibus viribus, nervisque conten- „ dant, ut quemadmodum fuerat eisdem a S. me- „ moriæ prædecessore nostro imperatum, non in- „ termissis laboribus assidue curent, ut ex illa- „ rum gentium animis errorum tenebræ, malesa- „ næque opiniones, quibus obcæcantur, & miser- „ rime detinentur, penitus discussæ, ac radicitus „ evulsæ eliminentur. Ut vero indultum, proro- „ gatumque a nobis tempus sanctissimis Romanæ „ Ecclesiæ cæremoniis prædictis, quæ tamdiu a „ Sede Apostolica commendatæ, atque inculcatæ „ fuerunt, facilius apud nationes illas insinuandis „ vere conducat, utque ulterior hujusmodi rituum „ prætermissio (quam tamen extra veros necessi- „ tatis casus ut supra nullatenus concessam, aut „ licitam esse, iterum declaramus), alendis po- „ pulorum erroribus, atque difficultatibus, augen- „ dis, confirmandisque ansam non præbeat, uni- „ versis gentium illarum Episcopis, & Missiona- „ riis prædictis notum esse volumus, hoc exacto „ decennio nullis aut precibus, aut rationibus, quæ „ porrigi, proferrique unquam possent, aliam de- „ nuo prorogationem concessum iri".

142. Ad *tertium*, observavit primo nullum illius

lius verbalis declarationis Clementis XII. exemplum, aut vestigium reperiri potuisse, nihilque de ea ab ullo unquam auditum fuisse: post autem oblationem a Missionariis factam acceptavit, qua pollicebantur, se sufficientem Operariorum numerum delegaturos, qui *Parearum* conversioni, & saluti *præcipue* incumberent; ita tamen ut Brachmanes edocerentur, in Christiana Religione non esse distinctionem in divinis inter servos, & nobiles &c.; ut enim Apostolus dicit Gal. 28., *non est Judæus*, *neque Græcus; non est servus*, *neque liber .... omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. De hoc Parearum puncto Vid. P. Concina in Append. ad Dissert. II. Lib. III. in *Decal.* post cap. 2. nov. edit. contra gallicam epist. Hoc autem nisi eos fecisse intra quinquennium certis argumentis constiterit, minatus est, refractariis expunctis, se alios Missionarios ad eam Domini vineam excolendam missurum, immo ipso facto ab omni missionis jure eos excidisse declaravit.

143. Conqueritur demum idem Benedictus XIV. se ingenti cum dolore accepisse, *ex Missionariis esse*, *qui nulla habita interdicti a Card. Tournonio lati*, *amplissimeque a Clemente XII. confirmati*, *ratione*, superstitiosos illos ritus adhuc vigere permittant; propterea necessarium duxit, supradicta decreta in omnibus, & per omnia *innovare*, *& confirmare*, atque illud in pari argumento a S. Augustino sapienter dictum commemorat, nullum scilicet esse meliorem Infideles convertendi modum, quam si profanos suos superstitiosos ritus abigere cogantur. *Si quæritis*, *unde vincantur Pagani*, *unde illuminentur*; *si quæritis*, *unde ad vitam vocentur*, *deserite solemnitates eorum*, *deserite nugas ipsorum*.

144. Porro cum (ut hactenus ex Bullis Benedicti colligere quisque potest) ex pluries repetitis decretis Card. Tournonii, Clementis XI., Benedicti XIII., Clementis XII., ac postremo Benedicti XIV., Malabaricos non minus, quam Sinenses ritus tamquam superstitiosos, & idololatricos damnatos esse constet, non est necesse eos data opera, longaque instituta disputatione confutare; quod ab aliis satis multis factum est (*a*), sed concludere possumus cum S. Augustino Serm. CXXI. *De Verbis Domini* alias II. in fine: *Responsa Roma venerunt: causa finita est*, *utinam aliquando & error finiatur*.

DISSERTATIO II.

DE SPE.

Vid. S. Thomas 2. 2. *qu.* 17., *in III. Dist.* 27. *qu.* 2. *&* de Virt. *Qu. IV.*

Tractatum de fide rectissimo ordine excipit Dissertatio de spe; quæ enim fides summa, & incomprehensibilia bona credenda proponit, eadem nobis spes ut aliquando consequenda præscribit, ut observat S. Thomas 2. 2. qu. 17. art. 7. *Dicit fides*, inquit S. Bernardus Serm. X. in Ps. *Qui habitat*, *parata sunt magna*, *& inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis: dicit spes: mihi illa servantur* (*a*). Hanc autem dissertationem in quatuor capita dividemus, in quorum primo quæremus, quid sit spes, quid ejus objectum, characteres, & fundamentum, ac quæ ejus divisiones: in secundo pseudomysticorum doctrinas confutabimus: in tertio ostendemus, spem sine charitate perfecta, seu gratia habituali esse posse: in postremo autem nonnullas quæstiones breviter perstringemus.

CAPUT I.

Quid sit spes, *quid ejus objectum*, *characteres*, *& fundamentum*, *ac quæ ejus partitiones?*

1. Nomen spei, si latiore sensu sumatur, significat cujuscumque rei exspectationem, sive bona illa sit, sive mala. Hinc illud de civibus Bethuliensibus dictum Judith XIII. 15. *Sperabant jam*, *eam* (Judith) *non esse venturam;* idest exspectabant, seu timebant: immo nec desunt profanorum auctorum exempla, ut cum Dido apud Virgilium Lib. IV. *Æneid.* ajebat.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, *soror*, *potero*.

Spes tamen sumpta pro virtute theologica, *nonnisi bonarum rerum est*, ut S. Augustinus docet *in Enchiridio* cap. 8., *nec nisi futurorum*, *& ad eum pertinentium*, *qui earum spem gerere perhibetur*. Definiri autem potest *Virtus a Deo infusa*, *qua ab infinita ipsius misericordia bona nobis præparata exspectamus:* qua in definitione tria concluduntur, scilicet objectum nostræ spei, characteres, & fundamentum.

2. *Circa objectum spei*, inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 1., *quatuor conditiones attenduntur*. „Primo quidem quod sit bonum: non e-„nim proprie loquendo est spes nisi de bono, & „per

(*a*) Ex his patet, ea, quæ fides docet, non esse steriliter consideranda, & credenda, sed nobis omnino applicanda. Qua autem ratione id fieri debeat, egregie

explicatur in parvo libello ex gallico in italicum idioma translato, cui titulus: *Trattato della Confidenza Cristiana* ec. Venezia 1751.

„ per hoc differt spes a timore, qui est de malo. „ Secundo, ut sit futurum; non enim spes est de „ præsenti jam habito; & per hoc differt spes „ a gaudio, quod est de bono præsenti. Tertio „ requiritur, quod sit aliquid arduum cum diffi„ cultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur a„ liquid sperare minimum, quod statim est in sua „ potestate ut habeat; & per hoc differt spes a de„ siderio, vel cupiditate, quæ est de bono futu„ ro absolute; unde pertinet ad concupiscibile, „ spes autem ad irascibile (*a*). Quarto, quod il„ lud arduum sit possibile adipisci; non enim a„ liquis sperat id, quod omnino adipisci non po„ test; & secundum hoc differt spes a desperatio„ ne ". Subdit autem, spem differre a desiderio, „ *sicut differunt passiones irascibilis a passioni-* „ *bus concupiscibilis: & propter hoc præsupponit desiderium; sicut & omnes passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis*. Et hæc quidem profunde a S. Thoma de spe in genere.

3. Sed si spes consideretur ut virtus theologica est, objectum ipsius primarium est ipse Deus, seu illius beata fruitio in vita æterna: *Non enim*, inquit Angelicus Doctor 2. 2. qu. 17. art. 2., *minus aliquid a Deo sperandum est, quam sit ipse; cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam ejus essentia*. Media autem ad illam consequendam necessaria sunt objectum secundarium. *Spes*, inquit idem S. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 2. ad 2.: „ Principaliter respicit beatitudinem æternam; alia ve„ ro, quæ petuntur a Deo respicit secundario in „ ordine ad beatiudinem æternam; sicut & fides „ principaliter quidem respicit Deum, & secun„ dario respicit ea, quæ ad Deum ordinantur ".

4. Characteres autem spei sunt potissimum desiderium, & fiducia; & desiderium quidem; neque enim potest aliquis ea sperare, quæ nullo modo amat, nec concupiscit; quamobrem Christus dicebat Matth. V. 6. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur:* quæ verba ita commentatur S. Augustinus in Psalmum LXIV. num. 8.: *Ut inde satieris, cum perveneris, hoc te oportet esaurire, & sitire, cum peregrinaris*. Fiducia vero, qua obtenturos nos ea bona, quæ cupimus, certo confidamus; certo inquam, non certitudine fidei, quemadmodum aliqui inter Protestantes somniant, sed certitudine spei, quæ divinæ misericordiæ innititur. (Vide, quæ dicta sunt Tom. II. pag. 355.). Hæc tamen fiducia non excludit salutarem illum timorem, qui nobis in Sacris Litteris sæpissime inculcatur, juxta illud Philipp. II. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Quod etiam exemplo suo nos docuit idem Apostolus 1. Corinth. XI 27. inquiens: *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*b*).

5. Porro S. Thomas observat, timorem servilem ea ratione diminui, qua spes, & caritas augentur: non ita vero timorem filialem, hic enim eo magis augetur, quo augentur spes, & caritas: „ Ti„ mor pœnæ, *inquit Angelicus* 2. 2. *quæst.* 19. „ *art.* 10. *ad* 2., est, qui diminuitur crescente spe; „ sed ea crescente crescit timor filialis, quia quan„ to aliquis certius expectat alicujus boni conse„ cutionem per auxilium alterius, tanto magis ve„ retur eum offendere, vel ab eo separari ".

6. Fundamenta denique spei nostræ sunt Dei omnipotentia, & misericordia, unde David in Ps. XIII. *Ego autem*, dicebat Domino, *in misericordia tua speravi*. Sunt item infinita Salvatoris nostri Jesu Christi merita Sanctorum quoque, qui sunt in cælis, ac imprimis Mariæ Virginis, ac Genitricis Dei intercessio, aliaque hujus generis; præcipue autem gratia Dei efficax, ex qua omnia nostra bona merita sobolescunt. Audiatur S. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 4. " Spes, *inquit*, duo „ respicit, scilicet bonum, quod obtinere inten„ dit, & auxilium, per quod illud bonum obti„ netur. Bonum autem, quod aliquis sperat obti„ nendum, habet rationem causæ finalis: auxi„ lium autem, per quod aliquis sperat illud bo„ num obtinere, habet rationem causæ efficientis. „ *Et iterum:* Spes respicit beatitudinem æternam, „ sicut finem ultimum, divinum autem auxilium, „ sicut primam causam inducentem ad beatitudi„ nem ". Post autem loquens de auxiliis hominum, vel Sanctorum in cœlo, vel viventium in terris, docet posse nos de iis sperare: „ Sicut de „ agente secundario, & instrumentali, per quod „ aliquis adjuvatur ad quæcumque bona conse„ quenda, in beatitudinem ordinata. Et hoc mo„ do, *concludit*, ad Sanctos convertimur, & ab „ hominibus etiam aliqua petimus ".

7. Frustra vero aliqui objiciunt, cum gratia per se, & ab intrinseco efficax non omnibus detur, ac proinde non omnibus promissa sit, non posse in Thomistica schola hanc ab omnibus ut fundamentum spei haberi. Frustra inquam; nam hæc ob-

(*a*) S. Thomas in III. *Sentent.* Distinct. 26. quæst. 1. art. 2. „ Difficile, inquit, vel arduum addit quam„ dam specialem rationem bonitati, scilicet pretiosi„ tatem ex hoc ipso, quod non de facili habetur, sic„ ut dicitur: *Omne rarum carum*. " Hinc Deus æternam beatitudinem, quæ spei nostræ objectum est, arduam esse voluit, & difficilem, quam nonnisi laboribus, afflictionibus, & maxima patientia consequi possumus. Hinc Beati in patria corporum suorum resurrectionem expectantes, proprie eamdem sperare dici non possent, sed potius desiderare, cum non sit aliquod bonum arduum, quod laboribus, & conatibus acquiri debeat.

(*b*) Quæ verba ita pulchre commentatur Augustinus apud S. Thomam in hunc locum Apostoli Pauli: *Suo timore nos terruit Apostolus. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit? Quid faciet infirmus, ubi timet fortior?*

objectio in omni scholarum catholicarum systemate locum habet: certum est enim, gratiam efficacem quomodocumque explicetur, non omnibus usque ad vitæ finem dari, sed iis solis, quos Deo gratuita sua bonitate efficaciter ita juvare placuit, ut finaliter perseverent in bono. Imo si hæc ratio valeret, nec ipsam vitam æternam sperare liceret, quam Deus nonnisi iis misericorditer concedit, quos ab æterno secundum propositum suæ voluntatis elegit. Quemadmodum igitur omnibus vita æterna speranda est, quia unusquisque sperare debet, se in numero electorum esse, quibus certo vita æterna promissa est: ita omnes confidere debent, sibi etiam efficacem Dei gratiam, atque ipsam finalem perseverantiam non defuturam, quæ ad illam consequendam est necessaria. *Fidentes*, inquit Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 6. (non credentes), *sibi Deum propter Christum propitium fore*; & cap. 6. *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, per gratiam nempe efficacem, quæ operatur in nobis velle, & perficere. Ut enim S. Gregorius papa ajebat Hom. VIII. super Ezech., *Quidquid in Sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratia, qui merita largitur*. Quamobrem cum dicitur, etiam merita nostra esse spei fundamentum, semper ea debemus, non tamquam virium nostrarum effectus, sed prout revera sunt, tamquam divinæ gratiæ dona (*a*).

8. Et sane spes nostra non in nobis sita esse debet, neque in bono usu gratiæ, qui tantummodo a nobis sit, vel a determinatione nostri liberi arbitrii unice dependeat, sed tota spes nostra inniti debet virtute ejusdem gratiæ, quæ potens est perversitatem nostræ voluntatis corrigere, infirmitatem sanare, ac naturali nostra inconstantia, levitateque superata, nos in bono perseverantes facere. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*, inquit Jeremias cap. XVII. 7.; & Ecclesia in suis orationibus testatur, debere nos *in sola spe gratiæ cœlestis* inniti; ut proinde eos errare oporteat, qui spem suam partim in Deo, partim in homine reponunt, id quod dicere videntur, qui gratiam non ex seipsa efficacem, sed versatilem, & ab hominum voluntate pendulam esse docent. Sed id obiter (*b*).

9. Porro fundamenta spei nostræ sunt ab ejusdem motivis distinguenda. Motiva autem multa esse possunt, & *primo* quidem gratiæ a Deo nobis misericorditer hactenus concessæ, quæ aliarum majorum quasi pignus esse possunt; unde etiam Apostolus dicebat Philipp. I. 6. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi*. Profunde tamen S. Thomas obvervat 2. 2. quæst. 18. art. 4. ad 2., hoc motivum principale non esse. „ Spes, *inquit*, non „ innititur principaliter gratiæ jam habitæ, sed „ divinæ omnipotentiæ, & misericordiæ, per quam „ etiam qui gratiam non habet, eam consequi po„ test, ut sic ad vitam æternam perveniat. De „ omnipotentia autem Dei, & misericordia ejus „ certus est quicumque fidem habet ". Etiam præceptum sperandi, nobis a Deo datum, maximum motivum nostræ spei esse debet; non enim Deus præciperet, ut speremus in eum, nec toties nobis hujusmodi præceptum inculcaret, nisi veram, sincerámque nostræ salutis voluntatem haberet. Vid. *Trattato della confidenza cristiana* cap. 15. & seq.

10. Innumera autem sunt loca, in quibus præcipitur nobis sperare in Deo. Psalmo LXI. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; & sæpissime id in aliis Psalmis repetitur. XII. Oseæ 6. *Spera in Domino tuo semper*. Et 2. Petri II. 9. *Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam*. Vid. S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 1.

11. Spes autem dividitur *primo* in *habitualem*, & *actualem*, quarum prior est habitus in homine permanens, altera consistit in actibus transeuntibus. *Secundo* spes habitualis alia est *infusa*, cujusmodi est ea, quam parvuli in baptismate recipiunt; alia *acquisita*, quæ in fidelibus adultis ex sæpius iteratis actibus Dei ope formatur. *Tertio* utraque spes tam *habitualis*, quam *actualis* subdividitur in *vivam*, & *formatam*, quæ nempe a gratia sanctificante animata est, & in solis justis invenitur: & in *mortuam*, atque *informem*, quæ caritate destituta est, & etiam in peccatoribus inveniri potest, ut infra ostendemus c. 5.

CAPUT II.

Ostenditur actus spei bonos esse, & commendandos.

12. Aliqui olim Pseudo-Mystici fuerunt, qui falsa devotionis, & sanctitatis larva decepti, in eo perfectionis apicem constituebant, ut omnem spem cœlestis præmii abjicerent, soliusque caritatis puræ, ut ipsi dicebant, motivo operarentur (*c*). Non se-

(*a*) Pulchra sunt verba S. Bernardi super Ps. XC. explicantis illum versic. *Quoniam tu es, Domine, spes mea*. „ Bona omnia, inquit, non modo propter Deum „ constat fieri, sed per eum; *Deus enim est, qui o„ peratur in nobis velle, & perficere pro bona volunta„ te*. Ipse ergo auctor, ipse remunerator operis, ipse „ remuneratio tota .... Quidquid igitur agendum sit, „ quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quid„ quid optandum, *Tu es Domine, spes mea* "; cum iis, quæ Mellifluus Doctor eximia sua eloquentia, & animi devotione addit.

(*b*) Observat tamen Doctor Angelicus 2. 2. qu. 17. art. 4., hanc doctrinam minime obesse, quin etiam *ad Sanctos convertamur*, quorum orationibus adjuvari possumus ad ea bona consequenda, quæ sunt in beatitudinem ordinata.

(*c*) Aicardus, vel Ekardus, insignis alioquin ex Prædicatoria Familia Theologus, sæc. XIV. in hunc erro-

semel hic error fuit in scenam a Quietistis revocatus, potissimum autem sæculo elapso a Michaele Molinos, qui omnium Pseudo-Mysticorum fæces collegit. Sed quantum ad rem nostram pertinet, duo erant præcipui illius errores: *primo* desiderium felicitatis nostræ, atque æternæ mercedis expectationem puritati, & perfectioni divini amoris officere: *secundo*, animum propterea perfectionis cupidum, tum ad æterna supplicia, tum ad beatam felicitatem indifferentem esse oportere (*a*). Et quamquam Molinosium ab Apostolica Sede damnatum boni omnes execrabantur, quidam tamen spiritualis vitæ desiderio capti, non satis ab ejus doctrina recedere visi sunt, etsi ab impurissimis ejus moribus longe abessent (*b*). Contra quos sit

PRO-

rem incaute lapsus est, cujus hanc propositionem Joannes XXII. an. 1329. proscripsit: *Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec regnum cælorum, sed omnibus iis renunciaverunt etiam quod suum est, in illis hominibus honoratur Deus*. Ekardus tamen non expectata Pontificis sententia hunc errorem simul cum nonnullis aliis jam antea revocaverat. Confer Jacobus Echard. Tom. I. *Scriptor Ord. Præd.* Referente autem Nicolao Eymerico P. II. *Directorii Inquisitorum* qu. 11. n. 8., etiam tempore Innocentii VI. quidam in Catalonia, & Aragonia *ausi sunt dogmatizare, quod omnia de genere bonorum, quæ fienda sunt, fienda sunt Dei puro amore, & non ex alia causa, & spe mercedis æternæ*. Denique celebris Raymundus Lullus ejusdem erroris ab eodem Eymerico loc. cit. qu. 9. n. 5. accusatur: Lulli tamen apologiam ediderunt Wadinghus in *Annal. Ord. S. Francisci* ad an. 1315. n. 10. seq., & Joan. Bapt. Sollerius in *Actis Sanct.* ad diem 30. Junii. Sed contra eos videri possunt Nat. Alexander sæc. XIII. & XIV. cap. 3. art. 20., Echardus in *Script. Ord. Præd.* Tom. I., ubi de Nicol. Eymerico, & Antoninus Bremond Tom. II. *Bullarii Dominic.* in notis ad Const. XXXIX. Gregorii XI. Addi potest, hunc errorem de abjicienda spe æternæ retributionis esse multo antiquiorem; illum nempe disseminavit Antigonus, qui simul cum Sadok 300. circiter annis post captivitatem Babylonicam Sadducæorum Sectæ originem dedit. Ita refert Basnagius in Hist. Judæorum.

(*a*) Hic natione Hispanus Romæ domicilium fixerat, ibique exteriori quadam sanctitatis imagine plures in sui admirationem, & sequelam traxit. Nonnullos spirituales: & asceticos edidit libros, quibus doctiores, & oculatiores non parum commoti sunt. Nata inde occasio de ejus vita, & moribus attentius perquirendi, repertum est demum, Molinosium pestilentem esse hypocritam, qui sub fictæ pietatis cortice salacissimum abscondebat Epicurum. Octo supra sexaginta ejus propositiones ab Innocentio XI. proscriptæ sunt, ipse autem post errores suos palam ejuratos, & decem annos cum veræ pœnitentiæ indiciis in carcere exactos anno 1695. e vivis excessit. Molinosium refutarunt inter alios P. Dominicus Ricci Ord. Præd. edito libro in quarto, cui titulus: *Homo interior, juxta Angelici doctrinam, necnon SS. PP. expositus ad explodendos errores Mich. de Molinos* Neap. 1709., & Card. de Laurea. *De oratione Christiana contra Quietistas, & errores nuper invectos Mich. Molinosii*.

(*b*) In his numeratur Franc. Malavallus Massiliensis, qui tamen audita censura contra suum librum *Pratique facile pour élever l'ame à la contemplation*, ab Apostolica Sede an. 1688. lata, palinodiam humilem cecinit. Sed postea pseudo-mystica hæc doctrina majores in Gallia turbas excitavit, quas aliquanto fusius exponere non erit inutile. Illustris quædam Matrona de Guyon pietati majorem in modum dedita, malis avibus in P. la Combe incidit, quem Molinosii discipulum Romæ fuisse, fama erat. Quæ ab hoc Directore pseudo-mystica principia hauserat, aliis quoque insinuare sategit, edito libro: *Moyen court & facile pour faire l'oraison;* eumque hoc primo ingenii sui partu non paucos præcipue sequioris sexus asseclas invenisset, plura alia similia opuscula in lucem prodire curavit; & quod vix credibile est, in sui admirationem traxit celeberrimum etiam Fenelonium, qui postea Archiepiscopus Cameracensis fuit. Tentavit postea Guyonia Bossueti, qui ut Galliæ oraculum merito habebatur, longe gravissimam sibi auctoritatem conciliare; sed oculatissimus Præsul feminæ, alioquin piæ, illusiones aperte improbare cœpit. Instituto postea ex Regis mandato diligentiore totius negotii examine, in secretis quibusdam Congregationibus, quibus Noaillius, Bossuetus, Præpositus S. Sulpitii, atque ipse Fenelonius intererant, res definita est, & corpus, ut vocant, doctrinæ constitutum, 34. articulis germana Theologiæ mystica principia comprehendens, quibus & Guyonia subscripsit. Harlæus etiam Archiepiscopus Parisiensis Instructione Pastorali novæ Mystagogiæ aberrationes proscripsit. Porro res videbatur omnino composita; sed cum postea Bossuetus Literas quasdam Pastorales *De statibus orationis* edidisset, Fenelonius contra eas librum, cui titulus *l' Explication des maximes des Saints*, publici juris fecit. Hic liber quasi classicum magni & diuturni belli fuit inter insignia duo Gallicanæ lumina Bossuetum, & Fenelonium: cumque contentiones quotidie acerbiores fierent, Apostolicæ Sedis judicium imploratum est. Innocentius XII. re quamdiligentissime perpensa 12. Martii 1699. decretorium oraculum fudit, quo Fenelonii liber damnatus est, quia *ex ejus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent;* & insuper tres supra viginti propositiones ex eodem libro extractæ, *ut temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, atque etiam erroneæ* proscriptæ sunt. Fasces humillime submisit Fenelonius, & coram frequenti multitudine Pontificiam Bullam ex suggestu in Ecclesia legit 9. April. 1699., suumque librum ac errores in eo contentos *simpliciter, & absolute* damnavit; isque fuit diuturnæ & implexæ controversiæ finis. Porro ut Bossuetus observat in *Avertissement sur les écrits* ec. Tom. VI, ad quatuor veluti fastigia Fenelonii errores revocabantur. *Primo* licitum esse de salute æterna desperare, vel saltem ejusdem salutis sacrificium Deo offerre. *Secundo* possibilem esse statum amoris, in quo nullum sit propriæ salutis desiderium: immo hunc solum statum perfectum esse, & purum. *Tertio* esse aliquem statum, in quo anima nonnisi instinctu ducitur, exclusis omnibus actibus propriæ industriæ, petitionibus, gratiarum actionibus etc. *Quarto* esse aliquem contemplationis statum, a quo omnia Dei attributa cum absoluta, tum relativa, Personæ item Divinæ, atque ipse Christus excluduntur, solaque divina Essentia in se consideretur. Quæ omnia ex Molinosii, & Quietistarum doctrina dimanare compertum fuit. Videri de hac controversia possunt Relatio facta ad modum Diarii a Philippeau, ipse Bossuetus Tom. VI., & *La Vie de M. de Fénelon* per M. de Ramsay.

PROPOSITIO.

Actus Spei Christianæ plane boni sunt, & commendandi, cum in omnibus fidelibus, tum etiam in justis quantumvis perfecta charitate instructis. S. Thomas in Lib. IV. Sent. Dist. 29. q. 1. art. 4.

13. Prima hujus propositionis pars satis aperte fuit in Concilio Trid. definita, ubi declaratur Sess. VI. c. 11., eos orthodoxæ fidei adversari: „ Qui „ statuunt in omnibus operibus justos peccare, si „ in illis suam ipsorum socordiam excitando, & „ sese ad currendum in stadio cohortando cum „ hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem „ quoque intuentur æternam: cum scriptum sit „ Ps. CXVIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas* „ *justificationes tuas propter retributionem:* & „ de Moyse dicat Apostolus Heb. XI. 27., *quod* „ *respiciebat in remunerationem* ". Et can. 31. ita eadem Trid. Synodus statuit: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.*

14. Sed præter indicata a Patribus Tridentinis, multa alia sunt in sacris paginis, quæ nos ad bene operandum æternæ mercedis intuitu invitant. Psalmi pleni sunt desideriis, & ferventibus precibus possidendi regnum Dei. Ps. XXVI. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Quæ verba expendens S. Augustinus Tract. III. in Joan. „ Quidam, inquit, suspirans amator in Psalmis di„ cit: *unam petii a Domino, hanc requiram....* „ Quid est hoc, quod requirit? *ut inhabitem*, in„ quit, *in domo Domini per omnes dies vitæ* „ *meæ .... ut contempler*, inquit, *delectationem* „ *Domini ....* Talia nobis præmia promissa sunt, „ fratres mei; tale aliquid amate, tali regno su„ spirate, & talem patriam desiderate. S. Paulus „ ita Colossenses laudabat c. I. 4. ": *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cælis.* Et iterum ita eos exhortabatur c. III. 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini .... scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et magna plane sacr. Litterarum pars exscribenda nobis esset, si omnia loca huc spectantia coacervare vellemus. Nihil etiam in Traditione sanctorum Patrum, nihil in Ecclesiæ precibus frequentius occurrit, ut proinde supervacaneum videatur in rem tam manifesta diutius immorari.

15. Prob. secunda pars. Christus Apostolos alloquens, quos certe ad supremum perfectionis apicem tendere, & pervenire volebat, ipsis æternæ beatitudinis præmium semper ob oculos ponit. Lucæ X. 20. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Præterea idem Christus Dominus Matth. V. 10. iis, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, promittit regnum cælorum; ii autem certe perfecti erant: & ulterius ibidem Apostolos ad omnia mala propter ipsum toleranda intuitu mercedis ita accendit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

16. Hisce, aliisque sexcentis similibus testimoniis addi possunt etiam illustria eorum exempla, qui prima perfectionis, & sanctitatis veluti subsellia occuparunt. Certe de Moyse ita scribit Apostolus Hebr. XI. 26.: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* David autem nihil frequentius in suis Psalmis repetit, quam Dei mandata se observare *propter retributionem* Psal. XV. 5. XXVI. 14. LXXII. 25. CXVIII. &c. S. Paulus Philipp. I. 23.: *Cupio dissolvi*, inquiebat, *& esse cum Christo;* & quamvis hoc suum justum & sanctum desiderium postponeret ejusdem Christi gloriæ, quæ ex longiori mora in terris augeri debebat, non tamen propterea hoc ipsum desiderium tamquam malum, vel inutile abjiciebat. Non pauca hujus generis alia, brevitatis amore prætermittimus, cum hæc sufficiant.

17. Prætermittimus etiam ea plurima, quæ ex sinceris Martyrum Actis in hanc rem excerpi possent. Spes enim futuræ gloriæ in cælis ad toleranda immanissima supplicia eos maximopere confortabat. *Oculis cordis respiciebant ad ea bona, quæ tolerantibus reservantur;* ut dicitur in celebri epistola Ecclesiæ Smyrnensis (apud Cotelerium Tom. II. *Patrum Apostolic.*). Unde etiam Ecclesia in officio Martyrum canit: *Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.*

18. Hinc jure meritoque Innocentius XI. hanc inter alias propositiones in Molinosio damnavit Constit. *Cælestis Pastor* anno 1685.: *Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate, n. 7.* & alteram n. 12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet:* aliaque id genus imaginariæ, ac ridiculæ sanctitatis portenta, quibus hypocrita ille docebat, eum, qui Divinæ voluntatis conformis est, nec aliquid a Deo petere oportere, nec pro acceptis beneficiis gratias agere, neque indulgentiam quærere ad pœnam propriis peccatis debitam imminuendam.

19. Etiam Innocentius XII. tres & viginti Fenelonii, novorumque Pseudo-mysticorum propositiones proscripsit, quarum prima hæc erat: „ Da„ tur habitualis status amoris Dei, qui est caritas „ pura, & sine ulla admixtione motivi proprii in„ teresse. Neque timor pœnarum, neque deside„ rium remunerationum habent amplius in eo par„ tem. Non amatur amplius Deus propter meri„ tum, neque proter felicitatem in amando inve„ nien-

„ nientiam. *Secunda vero:* In statu vitæ contem-„ plativæ, sive unitivæ amittitur omne motivum „ interessatum amoris". Nonnullæ aliæ his similes erant, quibus mirabilis quidam, & antea inauditus hominis perfecti status describebatur, quem illusi illi mystici, *profundissimam resignationem, derelictionem, annihilationem, mortem, destructionem propriæ voluntatis, ac viam amoris perfecti* nuncupabant (*a*).

20. Ob. 1. Christus Dominus Matth. XVI. 24. ita discipulis suis præcepit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum;* & rursus Lucæ XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem .... adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus:* atqui abnegare se ipsum, & animam suam nihil est aliud, quam omni salutis suæ spei renunciare: ergo &c.

21. Resp. neg. min. Et quidem quam absurda sit hæc Pseudo-mysticorum interpretatio, liquet ex verbis Christi Matth. XIX. 29., ubi tantum abest, ut in abnegatione sui ipsius includatur æternæ beatitudinis abnegatio, aut cujuscumque spei abjectio, ut potius vitæ æternæ retributio, tamquam hujus abnegationis præmium proponatur. *Omnis*, inquit Christus, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit*. Sola itaque abnegatio passionum nostrarum hic præcipitur; ne scilicet illæ a premendis Jesu Christi vestigiis nos retrahant. Merito igitur Innocentius XII. præposteram illius Evangelici præcepti intelligentiam in septima Fenelonii propositione damnavit, quæ erat his verbis expressa: „ Derelictio „ non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio „ requirit, postquam externa omnia reliquerimus. „ Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad „ interesse proprium &c.".

22. Ob. *secundo*. Moyses Exodi XXXII. 31. seq. quodam charitatis œstro Dominum ita pro Hebræis orabat: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti;* hoc est de libro vitæ æternæ. Apostolus etiam Paulus multo majori charitate propriæ salutis jacturam pati paratus erat, ut aliis esset emolumento, inquiens Rom. IX. 3. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis:* licet ergo potiore jure ita amare Deum, ut omnis salutis spes procul abjiciatur; imo hic erit gradus perfectionis Christianæ omnium sublimior.

23. Resp. ad *primum*, duas esse, & diversas illius loci interpretationes a Sanctis Patribus traditas, quarum tamen neutra Pseudo-mysticis favet. *Primo* bene multi per librum vitæ non æternam, sed temporalem vitam intelligunt, ita ut Moyses nihil aliud petierit, quam aut veniam populo peccatori, aut mortem sibi, ordinata scilicet charitate, qua paratus erat pro spirituali populi sui utilitate temporalis suæ vitæ jacturam pati; quemadmodum etiam Num. XI. 15. dicebat Deo: *sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me*. Ita hunc locum interpretantur Origenes in epist. ad Rom., S. Hieronymus in epist. 121. al 151. ad Algasiam qu. 9., & S. Gregorius M. Lib. X. in Job cap. 6. num. 9.

24. Huic tamen expositioni, ne quid dissimulemus, obstare videtur Dei responsio ibid. v. 33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*. Sed nihil impedit, quin eodem sensu locutus sit Dominus; videlicet de morte temporali, qua reipsa populum idololatram punivit; quamvis etiam mortem spiritualem, & æternam sua idololatria promeritus fuerit. Verum si hæc expositio non plene satisfaciat,

25. Altera est, quæ traditur a S. Augustino qu. CXLVII. in *Exod.* ut scilicet per librum Dei intelligatur vita æterna; sed S. Doctor dictum Moysi exponit de hypothesi impossibili, quod scilicet servus Dei familiari quadam securitate dixerit; aut dimitte hanc noxam, aut me de libro æternæ prædestinationis dele, videlicet si fieri id potest. *Securus autem hoc dixit, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret:* & alibi (Serm. LXXXVIII. *de verbis Domini*) *Securus hoc dixit, attendens justitiam, & misericordiam Dei; ut quia justus est, non perderet justum; quia misericors est, ignosceret peccatoribus*.

26. Verba autem Apostoli aliquanto difficiliorem habent explicationem, & diverso modo ab Interpretibus exponuntur (Vid. Estius in hunc loc.). Omnium probabilior illa videtur, quam Nat. Alexander vestigia secutus S. Joan. Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii, Photii, & S. Thomæ tradit (Diss. XIV. in sæc. XIII. & XIV.), scilicet S. Paulum locutum esse in hypothesi impossibili, & explicare voluisse desiderium conditionatum, non absolutum: *Optarem esse anathema pro fratribus meis, si modo id fieri posset, & mihi liceret*. Aliam etiam valde probabilem difficilis hujus loci explicationem suppeditat S. Thomas 2. 2. qu. 27. art. 8. ad. 1., ut scilicet voluerit

(*a*) De his propositionibus præter jam laud. Jac. Benignum Bossuet, videri etiam possunt Antonin. Massoulie *De Amore Dei*, & in Tract. *de vera Oratione*, Bern. de Rubeis *Diss. Theol. de Carit.* cap. 39., Nat. Alexandr Diss. XV. in Sæc. XIII. & XIV., & Duguet *Explication du Mystere de la Passion*, ec. P. I. c. 7. §. 7. Obiter tamen notandum est, præcipuum harum propositionum vitium esse, quod ponatur aliquis status *habitualis*, a quo excludatur exercitium spei, atque timoris; neque enim negatur, posse aliquando justos prorumpere in actus puros amoris Dei, non excludendo actus spei, atque timoris, sed illos *explicite* non exprimendo.

rit Apostolus privari visione divina ad tempus per vitæ suæ prolungationem, ut ita fratrum suorum saluti prodesset, juxta illud ejusdem Apostoli Philipp. I. 23.: *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos* (a). S. Hieronymus autem epist. 121. al. 151. ad Algasiam qu. 9., post S. Gregorium Nazianzenum Orat. I., anathematis nomine mortem corporis, non æternam damnationem intelligendam esse putavit; ut nempe Apostolus optaverit *perire in carne, ut alii salverentur spiritu: suum sanguinem fundere, ut multorum animæ salvarentur*.

27. Dices. Apostolus Paulus 2. Cor. XIII. 5.: *Charitas*, inquit, *non quærit, quæ sua sunt*; qui ergo volunt esse in charitate perfecti, nullam debent sibi ipsis mercedem quærere.

28. Resp., Apostolum loqui de iis, qui quærebant, quæ sua sunt, privatis suis commodis studentes, eaque communi religionis bono præferentes, de quibus etiam conqueritur ad Philipp. II. 21. inquiens: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi*. Perfecti igitur in charitate omnibus aliis privatis commodis pro Dei amore libenter renunciant, sed non possessioni, & fruitioni ipsius summi boni, quod super omnia diligunt, & cui propterea intime uniri per ipsam charitatem anhelant.

29. Ex his patet, quid respondendum sit ad similes emphaticas loquendi formulas, quæ ex S. Francisco Salesio, S. Theresia, aliisque nonnullis referri solent; videlicet intelligendæ sunt *conditionate*, & quidem de conditione impossibili, ut si quis diceret: „ Si per impossibile cum meæ salutis dispendio possit aliorum salus, & divina gloria conjungi, paratus essem æternam subire damnationem ": excludendo tamen odium Dei. Confer Bossuetum in opere: *Mystici in tuto*.

30. Obj. *tertio*. Clemens Alexandrinus Lib. IV. *Stromatum* num. 22. „ Si quis ergo, *inquit*, per positionem ei, qui est cognitione præditus, proposuerit, utrum malit Dei cognitionem, an salutem æternam: sint autem ea separata, cum sint omnino eadem: nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se, judicans esse expetendam eam, quæ fidem transcendit per charitatem ad cognitionem ". Et postea circa finem pluribus declarat, hominem perfectum neque timore pœnarum, nec propter *aliquod utile lucrum*, vel *delectationem aliquam* operari. Lib. autem VII. num. 11. de iis loquens qui rectam rationem sequuntur, quosque *Gnosticos*, seu *sapientes* vocat: „ Propter suam in Deum charitatem, *inquit*, lubentes parent vocationi nullum alium sibi scopum proponentes nisi ut Deo placeant, non autem propter præmia laborum ". Multaque alia similia habet, quibus ostendit, hominem sapientem, seu perfectum, ad omnia, sive bona, sive mala indifferentem esse oportere, Deumque unice propter seipsum amare.

31. Respond. Clemens Alexandrinus duplicem charitatis actum distinguit, alterum primarium, qui fertur in Deum, ut est in se summe bonus; alterum secundarium, qui respicit Deum ut est felicitas, & beatitudo nostra. Contendit autem, hominem sapientem, ac perfectum amaturum esse Deum, etiamsi actus ille præcipuus, & primarius posset ab altero separari, quam tamen hypothesim ille impossibilem reputat, ut patet ex iis verbis: *sint autem ea separata, cum sint omnino eadem*; quod a nostris Pseudo-mysticis quamlongissime distat, qui eum statum perfectionis sibi fingunt, quo Deus ita pure ametur, ut nulla prorsus ejus fruendi spes admisceatur, imo expresse debeat excludi.

32. Nonnunquam etiam Alexandrinus Philosophus ea, quorum spem a perfectis Christianis procul ablegat, non illa esse vult, quæ in beatifica Dei visione consistunt, sed bona temporalia, & ab ipso Deo distincta, cujusmodi illa erant, quæ Judæi carnales in veteri lege a Deo expectabant. Id patet maxime in testimonio ex Lib. VII. *Stromatum* nobis objecto, ubi postquam dixerat, Justos Dei vocationi lubentes parere, *nullum alium scopum sibi proponentes, nisi ut Deo placeant*; non autem *propter præmia laborum*, ita subdit: „ Nam alii quidem propter gloriæ cupiditatem, alii vero quod vitent aliud gravius supplicium, alii vero propter quasdam lætitias, & voluptates post mortem futuras patiuntur ". Ceterum Christianos utut in sublimi perfectionis apice constitutos spe æternæ remunerationis, quæ est ipse Deus, ad operandum impelli, toties in suis *Stromatum* libris Clemens Alexandrinus docuit, ut plane mirabile videatur, novæ Mystagogiæ patronos, aliquod in ea causæ suæ præsidium quærere potuisse. Speciminis loco ea esse possunt, quæ habet Clemens Lib. VII. num. 7. ubi suum *Gnosticum*, idest *Sapientem* vult, *ut nihil requirat ex iis, quæ ad vitam pertinent*, cum illi persuasum esse debeat, *Deum, qui omnia novit, quod est utile, suppeditare bonis etiam non petentibus*. Non vult tamen, ut omnem futurorum spem abjiciat; unde subdit: „ Gaudet quidem de bonis præsentibus, lætatur autem propter ea, quæ sunt promissa, tanquam jam præsentia. *Et Lib. II.* Unum, *inquit*, oportet expetere, per quem facta „ sunt

(a) Integer textus Angelici sic habet: „ Vel potest dici, sicut dicit Chrysostomus in Lib. I. *De Compunctione* cap. 8., & Hom. XVI. in epist. ad Rom., quod per hoc non ostenditur, quod Apostolus plus diligeret proximum, quam Deum; sed quod plus diligeret Deum, quam seipsum. Volebat enim *ad tempus* privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei ". Vid. etiam in Lect. I. ad cap. 9. epist. ad Romanos.

„ sunt omnia, & qui eis, qui digni sunt, pro-
„ missa tribuit “. Vid. Bossuet *Tradition des noveaux mystiques* Tom. III. *Oeuvr. posth.* Massoulié *de l'amour de Dieu* P. II. cap. 15. & Bern. de Rubeis *de Carit.* cap. 45.

53. Inst. Idem Clemens Alexandrinus tres distinguit Justorum status, scilicet alium servorum, qui timent, alium mercenariorum, qui sperant, tertium filiorum, qui duntaxat amant. Clementem secuti sunt S. Gregorius Nazianz., S. Basilius, & Cassianus.

54. Resp. statum Filiorum non excludere spem illius mercedis, quæ est ipse Deus, sed mercedis alterius cujuscumque, quæ sit a Deo diversa. Et ne ullum sit erroris periculum, præmittendum duco, necesse plane esse in omnibus hisce tribus statibus charitatem dominari, sine qua nemo justus esse potest; & quidem eam charitatem, quæ ut ait Apostolus I. Corinth. XIII. 5. *non quærit, quæ sua sunt;* alias non erunt tres status *Justorum*. Sed primus status imperfectior est, quia charitas sustentatur a timore æterni supplicii. Secundus est nobilior primo, sed non perfectus, quia charitas sustentatur a spe mercedis, sed non illius mercedis *tantum*, quæ Deus est. Tertius demum status est perfectus, quia charitas sustentatur per seipsam, quatenus Deus diligitur propter seipsum. Hæc autem Dei dilectio non excludit desiderium, & spem ipsum possidendi, tamquam summum, & ineffabile bonum. Hæc est S. Thomæ doctrina, qui 2. 2. qu. 24. art. 9. tres pariter distinguit charitatis gradus, scilicet incipientis, proficientis, & perfectæ. In hoc autem primum perfectæ charitatis gradum reponit, *ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur; & hoc*, subdit, *pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo*, Philipp. I. 23. (*a*).

55. Ob. *quarto* S. Bernardus *De diligendo Deo* c. 7. *Non sine præmio*, inquit, *diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit:* igitur in justis, qui Deum perfecto amore diligunt, nulla debet esse præmii spes.

56. Resp. cum S. Thoma in III. Dist. 29. qu. 1. art. 4. ad 2. (ubi tamen mendose Sanct. Augustinus loco S. Bernardi citatur): *Sine intuitu præmii serviendum est, ita quod præmium non ponatur finis ejus, quod amatur, & cui servitur, sed quod ponatur finis ipsius servitii, vel amoris*, seu, quod in idem recidit, ut non quæratur præmium extra ipsum Deum; ita enim laudato loco S. Bernardus subdit: *Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id, quod amatur ... Amor ipse meritum, ipse præmium est sibi*.

57. Inst. *primo*. S. Bern. Serm. LXXXIII. A-
„ mant filii, *inquit*, sed de hæreditate cogitant ...
„ suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipi-
„ scendi spes suffragari videtur ... Impurus est, qui
„ & aliud cupit: purus amor mercenarius non
„ est “: ergo ab amore puro omnis spes secludenda est.

58. Resp. S. Bernardum loqui in hypothesi, quod hæreditas sit aliquid ab ipso Deo distinctum, quemadmodum hæreditas, quam filii a parentibus expectant, est aliquid ab ipsis parentibus diversum. Mentem suam perspicue S. Doctor eodem in loco declarat, utens exemplo filiorum, qui de hæreditate paterna cogitant, *quamdum verentur quoquo modo amittere, ipsum, a quo expectatur hæreditas, plus reverentur, minus amant*. Ulterius ibidem sic prosequitur: *Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit*.

59. Inst. *secundo*. Idem S. Pater *De diligendo Deo* cap. 12. num. 34. *Est*, inquit, qui confite-
„ tur Domino, quoniam potens est, & est, qui
„ confitetur, quoniam sibi bonus est: & item qui
„ confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Pri-
„ mus servus est, & timet sibi: secundus merce-
„ narius est, & cupit sibi: tertius filius est, &
„ defert patri, itaque & qui timet, & qui cupit,
„ uterque pro se agunt: sola, quæ in filio est
„ charitas, non quærit quæ sua sunt. *Et iterum:*
„ Facit (*opus Dei*) & mercenarius; sed quia non
„ gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Por-
„ ro ubi proprietas, sibi singularitas; ubi autem
„ singularitas, ibi angulus; ubi vero angulus, ibi
„ sine dubio sordes, sive rubigo “.

40. Resp. ibi pariter a S. Bernardo sumi mercedem a Deo distinctam, cujus certe amor imperfectus est. Id patet ex verbis sequentibus n. 5. *Servus*, inquit, *& mercenarius habent legem, non a Domino, sed quam ipsi fecerunt, ille Deum non amando, iste plus aliud amando;* mercedem scilicet, quæ non sit ipse Deus. Talis erat carnalium Judæorum Dei amor.

41. Ob. *quinto*. Quotiescumque homo propter spem præmii operatur, ita animo affectus est, ut nisi præmium illud sibi paratum speraret, bene non operaretur; ergo nec bonum in se, nec Deum, sed instar sordidi mercenarii unice mercedem amat, quod a Christo vituperatur Jo. X. 12. & seq.

42. Resp., id verum esse, quotiescumque homo ad bene operandum mercede, & præmio temporali movetur; non autem quando objectum spei est ipse Deus. Cujus ratio est, quia non possumus Deum sperare, nisi aliquo charitatis, vel habitualis, vel saltem actualis affectu in eum feramur: nemo enim sperat, quod non desiderat, nec aliquid desiderari potest, quod non amatur. Audiatur

(*a*) Quam doctrinam Angelicus etiam facto comprobavit, tunc scilicet quando Christus Dominus post ipsius scripta laudata iis verbiis: *Bene scripsisti de me, Thoma*, eum interrogavit: *Quam ergo mercedem accipies?* Respondit autem S. Thomas: *Non aliam nisi te, Domine*. Videatur P. Touron in *Vita S. Thomæ* Lib. III. cap. 2.

tur S. Thomas; qui huic ipsi difficultati respondens in III. Dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 5.: *Facere aliquid*, inquit, *propter aliquod commodum temporale*, *facit actum mercenarium*, *non autem facere propter remunerationem æternam*. Et alibi Dist. 39. qu. 1. art. 4. ad 1. explicans locum ex Cap. X. S. Joannis objectum, *Mercenarius*, inquit, *ibi dicitur*, *qui opus spirituale propter mercedem temporalem exercet*. Hujusmodi autem non sunt justi, qui Deum super omnia diligentes, ipsi uniri desiderant, & sperant; & quo major est in eis Dei dilectio, eo majus, & ardentius esse debet desiderium ipsum possidendi, eoque fruendi.

43. Inst. *primo*. Amor, quo quis Deum amat ut sibi beneficum, est amor cupiditatis, seu concupiscentiæ, qui sine dubio imperfectus, & vitiosus est: ergo ipsius amoris actus vitiosi sunt, adeoque &c.

44. Resp. (cum Illustriss. Bossueto Tom. VI. pag. 282. edit. Paris 1743.), tres esse distinguendos amores Dei. *Primus* est amor *amicitiæ*, nempe ipsa charitas, qua Deus propter seipsum unice amatur; alter est amor *concupiscentiæ*, quo Deus amatur ut bonus nobis. Sed iste subdividitur in amorem *concupiscentiæ* innocentem, castum, & sanctum, quo nihil aliud desideratur, nisi Dei possessio; & in amorem *puræ concupiscentiæ* inordinatum, & vitiosum, quo Deus non diligitur, nisi propter nostram utilitatem: quemadmodum cetera creata bona unice nostri commodi causa diligimus. Primus amor charitatis est amor justificans; secundus est amor spei, bonus, & sanctus, qui ad Deum ut summum bonum, ac propterea nobis benevolum tendit: tertius est amor *concupiscentiæ* vitiosæ, utpote qui mercedem respicit, ut ultimum finem. Ut ergo amor concupiscentiæ castus, innocens, & sanctus sit, necesse est, ut plus diligamus Deum, quam Dei fruitionem, & hanc Dei fruitionem, quæ beatitudo, & felicitas nostra est, in Deum ipsum referamus, saltem implicite; non autem Deum ad nostram felicitatem: „ Sicut ergo, *inquit S. Thomas Opusc. LXI. cap.* „ 3. minus bonum ad majus bonum; sic beatitu- „ do creata in anima per influentiam beatitudinis „ increati, & summi boni, ad ipsum summum „ bonum, quod influit, est referenda. In infini- „ tum ergo major debet esse motus, quo appeto „ Deum, & summum bonum, quam ille, quo „ appeto vitam æternam creatam, & fruitionem „ meam: nam & istud appeto propter illud ut fi- „ nem, quo quiesco, illud ut finem, in quo quie- „ sco ".

45. Et quoniam hac in re versatur cardo difficultatis, non erit inutile hanc nostram doctrinam auctoritate corroborare gravissimi Theologi, & fidelis S. Thomæ Discipuli Guill. Estii. Hic in Comment. ad Lib. I. *Sent.* Dist. 1. §. 3. quæstioni, *an mercedis intuitu Deo servire liceat?* respondet, non licere, si nomine mercedis intelligatur aliquid præter, aut extra Deum; licere autem homini, imo ipsum *debere* Deo servire intuitu mercedis, quæ est ipse Deus nobis per charitatem intime unitus. Hanc autem doctrinam probat auctoritate Scripturarum, & Sanctor. Patrum in quibus *mercedis*, & *retributionis* æternæ mentio frequentissime occurrit; ejusque consequendæ spes summopere commendatur.

46. Addit insuper hanc theologicam rationem: „ Inordinatum est, media non referri in proprium, „ & legitimum finem: finis autem servitutis no- „ stræ, quam Deo exhibemus in hac vita, est vi- „ ta æterna, qua in futuro sæculo perfecte Deo „ conjungemur; erit ergo inordinata nostra servi- „ tus, si non in illum finem a nobis referatur: „ qui quidem finis, quoniam ex servitute expe- „ ctatur *retributionis*, seu *mercedis* rationem ha- „ bet: id quod plenius probandum est, ubi de „ meritis operum agitur. Item, sicut sine fide, „ ita sine spe impossibile est Deo placere: spes „ autem Christiana facit in nobis, ut *intuitu re-* „ *tributionis* futuræ Deum colamus; est enim spes „ expectatio futurorum bonorum ex Dei gratia, „ & bonis operibus. Imo spes hoc includit, ut „ illa bona expectentur sub ratione *mercedis*, quia „ Deus sic ordinavit; & hoc credere debemus per „ fidem; ergo & per spem expectare ".

47. Sed ad omne erroris periculum removendum, illud caute advertendum est, ne Dei possessionem, & fruitionem ad nostrum tantummodo commodum referamus, ita ut nostra felicitas sit ultimus spei nostræ finis; iste enim esset amor concupiscentiæ inordinatus, & malus; nec Deum diligeremus *super omnia*, sed nos ipsos diligeremus *supra Deum*, utpote qui non nos ad Deum, sed Deum ad nos ipsos, nostramque felicitatem præpostere ordinaremus. Id declarat Doctor Angelicus 2. 2. q. 19. art. 6. inquiens: „ *Amor sui* tripliciter se potest habere ad charitatem. Uno enim mo- „ do contrariatur charitati, secundum quod aliquis „ *in amore proprii boni finem constituit*. Alio „ vero modo in charitate includitur, secundum quod „ *homo se propter Deum*, *& in Deo diligit*. „ Tertio modo a charitate quidem distinguitur, sed „ charitati non contrariatur: puta cum aliquis dili- „ git seipsum, secundum rationem proprii boni, „ ita tamen, *quod in hoc proprio bono non con-* „ *stituat finem*." Sancti ergo ex perfecta charitate diligentes Deum, non renunciant illi beatissimæ ejusdem Dei possessioni, quæ erit eorumdem charitatis retributio, & *merces magna nimis*. Interim tamen diligentes Deum *super omnia*, etiam suam ipsorum mercedem, & felicitatem ad Dei gloriam, tamquam ad summum, & ultimum finem dirigunt; *cum hoc in primis*, *ut glorificetur Deus*; quemadmodum Patres Tridentini loquuntur supra laudati num. 13. Unde etiam Apoc. XIX. 6. Sanctorum illa vox est: „ Dicentium: alleluja; „ quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipo- „ tens. Gaudeamus, & exultemus, & demus glo- „ riam ei ".

48.

48. Inst. *secundo*. Charitas perfecta excludit timorem pœnæ, dicente S. Joanne 1. epist. IV. 18.: „ Timor non est in charitate, sed perfecta charitas „ foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate „: ergo etiam excludit spem mercedis.

49. Resp. cum S. Thom. in III. Dist. 29. q. 1. art. 4. ad. 5. neg. cons. in hoc esse discrimen: „ Quod bonum, de quo est spes, magis est consonum amori, quam malum, de quo est timor; „ & ideo quamvis perfecta charitas foras mittat timorem pœnæ, non tamen oportet, quod foras „ mittat intuitum mercedis „.

50. Ob. ultimo. Communis fere Scholasticorum vox est, objectum formale, & specificativum charitatis esse Deum, ut bonum in se *sine ullo ad nos respectu*; unde etiam Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 8: „ Perfectus amor est, *inquit*, „ quo aliquis secundum se amatur ... hic autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum. *Et quæst.* 23. *art.* 6. Fides, „ *inquit*, & spes attingunt Deum secundum quod „ ex ipso provenit nobis, vel cognitio veri, vel „ adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, „ ut in ipsa sistat, non ut ex eo aliquid nobis „ proveniat „.

51. Respond. cum Bossueto, has, & similes sive Scholasticorum, sive etiam Mysticorum phrases posse ita explicari, ut non Deus debeat ad nos referri, quasi nos simus ultimus hujus amoris finis, & terminus; contra enim charitas ordinata exigit, ut nos ipsos ad Deum referamus, ut mox explicatum est. Sive hac, sive quacumque alia ratione Scholasticorum, Mysticorumque phrases explicentur, non admodum refert, dummodo ratum, fixumque maneat, non posse nos Deum actu amare cum totali, & omnimoda præcisione illius bonitatis divinæ, quæ nos respicit. Dum enim Deum, ut summe bonum, concipimus, non excluduntur, immo implicite omnino includuntur attributa bonitatis, misericordiæ, & beneficentiæ erga homines, quorum attributorum consideratio magnam in nobis spem excitare debet, & solet.

52. Ceterum Sanctus Thomas sexcentis in locis proprium charitatis actum explicans, numquam eum a spe sejungit: „ Charitas, *inquit* 1. 2. *quæst.* 65. „ *art.* 5. *ad* 1., non est qualiscumque amor Dei, „ sed amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem, & spem „. Et 2. 2. quæst. 23. artic. 2. charitatem ita ex Sancto Augustino Lib. II. *de doctrina Christiana* cap. 10. definit: *Charitatem voco motum animi, ad fruendum Deo propter ipsum*. Quando autem Angelicus Doctor dicit 2. 2. quæst. 17. art. 8., amorem spei esse *imperfectum*, id est intelligendum, non *absolute*, quasi actus spei aliquam imperfectionem secum afferat, sed *comparative* ad actum primarium charitatis, quo Deum secundum seipsum amamus. Vel etiam dici potest, S. Thomam loqui de spe informi, quæ peccatores introducit *ad charitatem*, non autem de spe *formata* per charitatem, qualis est in justis, & de qua ibidem S. Thomas explicat illud dictum Sancti Ambrosii Lib. VIII. in Lucam: *Ex fide est charitas, ex charitate spes*.

53. Inst. Si charitas, æque ac spes fertur in Deum ut nobis bonum, hæ duæ virtutes, earumque objecta confundentur, quod a sana Theologia abhorret.

54. Resp. cum S. Thoma 2. 2. quæst. 21. art. 6. ad 3.; „ Idem bonum est objectum charitatis, & „ spei; sed charitas importat unionem ad illud bonum, spes autem distantiam quamdam ab eo. „ Et inde est, quod charitas non respicit illud bonum, ut arduum, sicut spes. Quod enim unitum est, non habet rationem ardui „.

55. Quod si quis omnino contendat, hujusmodi actus hominum justorum, quos hactenus descripsimus, & quos bonos, laudabiles, ac commendandos esse probavimus, non tam spei esse tribuendos, quam charitati, qua Deum *super omnia* diligimus, & nostram etiam beatitudinem, æternamque mercedem ad ipsum referimus; si quis inquam hoc pugnaciter contendat, nec otium nec animus est, funem disputationis hac de re longius protendere. Ego vero censeo, esse actus spei, sed *charitate informatæ*. Sunt actus spei, quia tendunt in bonum distans, & arduum, eoque consecuto cessabunt: sunt actus spei *charitate informatæ*, quia sine charitate non tenderent in Deum super omnia dilectum, nec ad ipsum, ut ultimum nostrum finem, dirigerentur (*a*).

Quæres, an licitum sit a Deo sperare, non solum vitam æternam, sed etiam alia bona, sive spiritualia, sive etiam temporalia a Deo distincta?

56. Resp., Cum supra non semel dictum sit, ideo actus spei in Justis nullam redolere imperfectionem, quia objectum ipsius spei non est aliquid a Deo distinctum, sed ipse Deus, qui testatur se futurum *mercedem nostram magnam nimis*, dubium suboriri potest, an alia bona a Deo distincta sperare l s sit, quin aliquid imperfectionis in hujusmodi actibus involvatur.

57. Certe si aliquis serviat Deo propter bona temporalia, ita ut ad illorum consecutionem, tamquam ad finem ultimum referantur illa pietatis opera, quibus Deo servit, dubium non est, quin hoc contra illum ordinem sit, quo tenemur, finem

(*a*) Confer varia Bossueti opera Tom. VI. & VII. & Nicolium *Traité de l'Oraison*, ejusdemque Nicolii *Refutation des principales erreurs des Quietistes* 1695., quod opus a Bossueto sollicitatus ultimo suæ vitæ anno elucubravit; *Les Dialogues sur le Quietisme faits par M. Jean. de la Bruyere, & achevés par M. Dupin* in 12. 1699. & P. Euseb. Amort *Ideam divinis amoris*; præter Masso lié, Bern. de Rubeis, & Nat. Alexandrum jam citatos.

nem nostrarum operationum præstantiorem respicere, quam sint media, quæ propter ipsum suscipiuntur: jam vero bona animi, vel corporis quantumvis præstantia, longe inferiora sunt iis Religionis actibus, quibus Deo servimus; adeoque &c. Sin vero non de fine primario, sed secundario sermo sit, qui ulterius ad primarium referatur, dubium non est, posse nos Deum licite colere, etiam propter bona temporalia ab ipso Deo distincta, in ipsum tamen Deum relata. Sic Abraham Gen. XV. confidenter Deo dicebat: *Domine, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis*, &c. Jacob. pariter Gen. XXVIII. *Si fuerit Dominus mecum, erit mihi Dominus in Deum*. Hinc etiam primo, & maximo præcepto diligendi Deum adjuncta fuit promissio vitæ, & felicitatis temporalis.

CAPUT III.

Ostenditur, spem etiam sine charitate perfecta, seu justificante haberi posse.

58. Certum est, charitatem esse omnium virtutum animam, & formam, sine qua nulla vera, & perfecta virtus esse potest. Vid. S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 8., & 1. 2. qu. 65. art. 4. Sed aliqui fuisse dicuntur, qui ita charitatem ad christianam spem necessario requiri putaverint, ut in homine peccatore nulla prorsus spes esse possit, non solum viva, & formata (de quo nemo ambigit), sed neque informis, & mortua.

59. Verumtamen contrarium satis aperte statutum videtur a Patribus Concilii Tridentini, dum Sess. VI. c. 6. ita de peccatoribus definierunt: „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati a divina gratia, & adjuti..., a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt &c. & *can. 3. ejusdem Sess.* Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit ". Præcedit igitur spes ipsam peccatoris justificationem; adeoque etiam gratiam habitualem, seu charitatem habitualem; quamvis hæc spes informis, sine gratia Dei actuali haberi nequeat, a qua peccatores *excitantur*, & *adjuvantur*.

60. Prob. *secundo* ex S. Prospero, qui hanc generalem S. Augustini sententiam affert *In Sent. ex S. Augustino delibat.*, n. 7.: „ Dilectio Dei, & proximi propria, & specialis virtus est piorum, atque sanctorum, cum ceteræ virtutes, & bonis, & malis possint esse comunes ": igitur & spes potest esse in malis charitate destitutis. Et S. Thomas 1. 2. qu. 6. art. 4.: „ Actus spei, *inquit*, est expectare futuram beatitudinem a Deo: qui quidem actus perfectus est, si fiat ex meritis, quæ quis habet, quod non potest esse sine charitate. Si autem hoc expectat ex meritis, quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus, & hoc potest esse sine charitate. Et ideo fides, & spes possunt esse sine charitate; sed sine charitate, proprie loquendo virtutes non sunt ".

61. Sed & manifesta ratio hoc ipsum suadet. Quamquam enim sine charitate felicitatem æternam consequi nemo potest, potest tamen peccator, divina ope se justitiam, & charitatem adepturum sperare; quemadmodum licet captivus sine pecunia redemptionem obtinere nequeat, suam tamen libertatem sperare potest, si amicos habeat, a quibus pecuniam necessariam obtineat. Hinc est etiam quod de nullo peccatore, quamdiu in hac mortalitate degit, desperandum est: *potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ*, Lucæ III. 8.

62. Merito igitur a Clemente XI. hæc inter alias Quesnelli propositio damnata est n. 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deum, ubi non est amor Dei*. Et antea Alexander VIII. an. 1690. hanc aliam n. 13. proscripserat: „ Quisquis enim æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur ". Quæ utraque propositio in eo sensu, ni fallor, censuram meruit, quod nullam aliam spem, nisi formatam, & vivam, cujusmodi certe in peccatoribus non est, adstruere videremus.

63. Obj. *primo* ex sacris paginis. Prov. XXIV. 20. dicitur: *Non habent futurorum spem mali*. Similia leguntur Sap. V. 15. *Spes impii, tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur*: & cap. XVI. ult. *Ingrati spes, tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet, tamquam aquæ supervacua*, & Ecclesiastici XXXIV. 1. *Vana spes, & mendacium viro insensato*. Etiam Apostolus Paulus Rom. V. 3. & seq. „ Tribulatio, *inquit*, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c. "; quibus verbis S. Paulus spem nedum patientia, & probatione, sed etiam charitate posteriorem esse supponit. Concinit S. Joannes, qui I. Ep. III. 3. *Omnis*, inquit, *qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est*: & ibidem 21. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Denique nihil frequentius reperitur in sacra Scriptura, potissimum autem in Psalmis, quam *beatos esse qui sperant, & confidunt in Domino*; nemo autem sine charitate beatus esse potest.

64. R. duplicem esse distinguendam spem, sicuti & charitatem, aliam perfectam, suisque numeris absolutam, aliam imperfectam, & inchoatam. Spes perfecta nonnisi cum charitate habitua-

li,

li, & perfecta esse potest; & de ea loquitur S. Petrus I. Epist. I. 3. cum dicit de Jesu Christo: *secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam*. Spes autem imperfecta, informis, & mortua, cujusmodi est spes peccatoris, potest esse sine charitate perfecta, & habituali, quamquam nec ista sine omni in Deum amore esse potest; quod enim non desiderat, homo non sperat; nec desiderat, quod nullo modo amat. Hinc S. Thomas 2. 2. qu. 17. art. 8. ad 2. „ Spes, *inquit*, & omnis motus appetitivus ex a„ more provenit aliquo, quo scilicet aliquis amat „ bonum expectatum. Sed non omnis spes prove„ nit a charitate, qua scilicet aliquis sperat bo„ num a Deo, ut amico"; nempe charitate perfecta, & habituali. Et S. Bonaventura in III. Dist. 26. qu. 3. art. 2. *Nullus*, inquit, *sperat*, *nisi quod amat*. Et ante utrumque S. Augustinus in *Enchir.* cap. 8. *Spes sine amore esse non potest .... nec amor sine spe est*, *nec sine amore spes*, *nec utrumque sine fide*. Aliquando etiam S. Litteræ loquuntur de peccatoribus quibusdam, in quibus non est spes, sed præsumptio, *quæ importat quamdam immoderationem spei* (*a*).

65. Obj. *secundo* ex SS. Patribus. S. Ambrosius Lib. VIII. in Lucam „ Ex fide est charitas, „ *inquit*, ex charitate spes. *S. Augustinus Lib. I.* „ de Doctrina Christ. *cap.* 37. Si credit, *inquit*, „ & diligit... efficit, ut etiam speret, se ad id, „ quod diligit, esse venturum: *&* *c.* 40. Ille enim „ se ad id, quod credit, & diligit, perventurum „ esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus „ inest. *Et in* Enchiridio *c.* 117. Qui non amat, „ *inquit*, inaniter credit, inaniter sperat". Hinc etiam Magister *Sententiarum* in III. Dist. 26. docet, spem nostram esse charitate posteriorem.

66. Resp., hæc etiam, & si quæ sunt alia id genus Sanctorum Patrum testimonia, de spe perfecta, viva, & formata intelligenda esse, quæ utique sine charitate esse non potest. Ita Sanct. Thomas 2. 2. qu. 17. art. 8. ad 3. Magistri Sententiarum mentem exponit: „ Magister, *inquit* loquitur „ de spe formata, quam naturaliter præcedit cha„ ritas, & merita ex charitate causata. *Et* 1. 2. „ *qu.* 65. *art.* 4. *ad* 3. verba S. Augustini: Spes „ sine amore esse non potest, *ita explicat:* Au„ gustinus ibi loquitur de spe, secundum quod a„ liquis expectat futuram beatitudinem per meri„ ta, quæ jam habet, quod non est sine chari„ tate". Possunt etiam hæc testimonia intelligi de spe meritoria, quæ sine charitate perfecta esse non potest. Confer Estium in III. Dist. 26. §. 2. & P. Berti Lib. XXIII. de *Theol. discipl.* c. 11. n. 4.

CAPUT IV.

Nonnullæ quæstiones de spe breviter perstringuntur.

Quæres *primo*, quænam sit spei certitudo?

67. Resp. Sæpenumero tum in sacris Litteris, tum apud SS. Patres spes nostra in Deo adeo firma describitur, ut plane ad certitudinem pervenire videatur. Rom. V. 5. „ Spes non confundit: 2. „ *Tim. I.* 11. Scio cui credidi, & certus sum, quia „ potens est depositum meum servare; *&* *ad Hebr.* „ *VI.* 18. Ut per duas res immobiles, quibus im„ possibile est mentiri Deum, fortissimum sola„ tium habeamus, qui confugimus ad tenendam „ propositam spem, quam sicut anchoram habe„ mus animæ tutam, ac firmam. *Cohærenter hu„ jusmodi sæpe repetitis Sacrorum codicum phra„ sibus S. Augustinus Præfat. in Psal. CXXIII.* „ *dicebat:* Spes nostra tam certa est, quasi jam „ res perfecta sit. Neque etiam timemus, promit„ tente veritate. Veritas nec falli potest, nec fal„ lere: bonum est, ut hæreamus illi: illa nos li„ berat, sed si manserimus in verbo ejus".

68. Hinc putarunt quidam inter Protestantes, debere unumquemque ita de sua salute sperare, ut plane omnis formido, & timor excluderetur; ad quem errorem explodendum Sacra Tridentina Synodus Sess. VI. cap. 12. & 13. ita decrevit: „ Ne„ mo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de ar„ cano divinæ prædestinationis mysterio usque a„ deo præsumere debet, ut certo statuat, se o„ mnino esse in numero prædestinatorum, quasi „ verum esset, quod justificatus aut amplius pec„ care non possit, aut si peccaverit, certam sibi „ resipiscentiam promittere debeat; nam nisi ex „ speciali revelatione sciri non potest, quos Deus „ sibi elegerit. Similiter de perseverantiæ mune„ re... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudi„ ne polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissi„ mam spem collocare, & reponere omnes debent. „ Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sic„ ut

(*a*) Id explicat Angelicus Præceptor 2. 2. q. 21. art. 1., inquiens: „ Spei objectum est bonum arduum pos„ sibile: possibile autem est aliquid homini dupliciter: „ uno modo per propriam virtutem; alio modo non„ nisi per virtutem divinam. Circa utramque autem „ spem *per immoderantiam* potest esse præsumptio. Nam „ circa spem, per quam aliquis de propria virtute con„ fidit, attenditur præsumptio ex hoc, quod aliquis „ tendit in aliquod bonum, ut sibi possibile, quod „ suam facultatem excedit, secundum quod dicitur Ju„ dith VI. 15. *Præsumentes de se humiliat;* & talis præ„ sumptio opponitur, virtuti magnanimitatis, quæ me„ dium tenet in hujusmodi spe. Circa spem autem, „ per quam aliquis inhæret divinæ potentiæ, potest „ *per immoderantiam esse* præsumptio in hoc, quod „ aliquis tendit, in aliquod bonum, ut possibile per „ virtutem, & misericordiam divinam, quod possibi„ le non est: sicut cum aliquis sperat, se veniam ob„ tinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Hæc „ autem præsumptio est proprie species peccati in Spi„ ritum Sanctum; quia scilicet per hujusmodi præ„ sumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spi„ ritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato".

„ ut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans „ velle, & perficere. *Hinc etiam contrarium aliquorum errorem anathemati subjecit can.* 15. „ Si quis dixerit hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse „ in numero prædestinatorum, anathema sit. *Et can.* 16.; Si quis magnum illud usque in finem „ perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi speciali revelatione didicerit, anathema sit".

69. Certitudo itaque spei supponit *primo*, fide certum esse, quod si homo in bonis operibus perseveraverit usque in finem, salutem certissime consequetur, juxta illud Matth. XXIV. 13. *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*. Et cum Deus & omnipotens sit, ut a nemine impediri possit, & summe verax, ac fidelis in verbis suis, ut mentiri nequeat, certi sumus certitudine fidei, adimpleta conditione perseverantiæ usque in finem, vitam æternam nos consecuturos. Hinc nostræ salutis certitudo non est absoluta, sed conditionata. Absoluta autem certitudo spei innititur Dei misericordiæ, qui vult omnes homines salvos facere; sed non tanta est, ut omnem excludat timorem, quem non minus frequenter nobis sacræ Literæ, & Sancti Patres inculcant. Philipp. II. 12. „ Cum „ metu, & tremore vestram salutem operamini, „ 1. *Cor. X.* Qui se existimat stare, videat, ne „ cadat; *&* 2. *Cor. XI.* 3. Timete, ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri &c.". Hic ipse Apostolus corpus suum castigabat, atque in servitutem redigebat, ne forte cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur 1. Cor. IX. 27. Et ut Chrysostomus commentatur in cap. II. epist. ad Philipp. neque David securus erat; unde Dominum orabat: *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*. Ps. L.

70. Hinc recte Conc. Trid. Patres laud. Sess. VI. c. 13. ita prosequuntur: „ Veruntamen qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in „ laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, in oblationibus, in jejuniis, & castitate; formidare enim debent scientes, quod in „ spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt „ de pugna, quæ superest, cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent „ dicenti; Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, non moriemini; si autem spiritu „ facta carnis mortificaveritis, vivetis".

71. Eademque est S. Patrum doctrina, licet aliquando videantur certitudinem omnimodam nostræ spei attribuere. Aliorum mentem exprimit magnus Doctor Augustinus multis in locis; præcipue autem *De dono persev.* cap. 8. ubi inquit: „ Deus melius esse judicavit miscere quosdam non „ perseverantes certo numero Sanctorum suorum; „ ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione „ securitas, non possint esse securi: multos enim „ a perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus: Qui videtur stare, videat, ne cadat. *Et* „ *Lib. XI. De Civ. Dei c.* 12. *de justis ita loquitur:* Qui licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia reperiuntur „ incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem „ sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, „ qui hac de re justo, latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit"? Et in Ps. CXXIII. ita certitudinem spei cum incertitudine nostræ perseverantiæ conjungit: „ Spes nostra tam „ certa est, quasi res jam perfecta sit: neque enim timemus, promittente Veritate. Veritas enim nec falli, nec fallere potest. Bonum est, „ ut hæreamus illi: ille nos liberat: *sed si manserimus in verbis ejus*".

Quæres *secundo*, an in Beatis, vel damnatis spes remaneat?

72. Resp. *neg.* Et quidem de Beatis res est manifesta, cum Deum jam possideant; ut enim inquit Apostolus Rom. VIII. 24. *Spem autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Et S. Augustinus *in Enchiridio* c. 8. *Spes*, inquit, *nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum*.

73. Hoc ipsum probat Angelicus 2. 2. qu. 18. art. 3. hac metaphyca ratione: „ Subtracto eo, „ quod dat speciem rei, resolvitur species, & res „ non potest eadem remanere; sicut remota forma „ corporis naturalis non remanet idem secundum „ speciem. Spes autem recipit speciem a suo objecto principali, sicut & ceteræ virtutes: *Objectum autem principale ejus est beatitudo æterna, secundum quod est possibilis haberi ex auxilio divino*. Quia ergo bonum arduum possibile non cadit sub ratione spei, nisi secundum quod „ est futurum: ideo cum beatitudo jam non sit „ futura, sed præsens, non potest ibi esse virtus „ spei. Et ideo spes sicut & fides, evacuatur in „ patria, & neutrum eorum in Beatis esse potest".

74. In art. autem 3. probat S. Doctor, spem in damnatis esse non posse, primo quia spes causat gaudium, dicente Apostolo ad Roman. XII. 12.: *Spe gaudentes:* damnati autem non sunt in gaudio, sed in dolore, & luctu. Præterea, „ cum perpetuitas damnationis pertineat ad pœnam damnatorum, non vere haberet rationem pœnæ, nisi „ voluntati repugnaret; quod esse non posset, si „ perpetuitatem suæ damnationis ignorarent. Et „ ideo ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet, ut ipsi sciant, quod nullo modo possunt „ damnationem evadere, & ad beatitudinem pervenire. Unde dicitur Job XV. 22. *Non credit*, „ *quod reverti possit de tenebris ad lucem*. Unde patet, quod non possunt apprehendere beatitudinem, ut bonum possibile, sicut nec Beati, „ ut bonum futurum. Et ideo neque in Beatis,

„ ne-

„ neque in damnatis est spes. Sed in viatoribus, „ sive sint in vita ista, sive in purgatorio potest „ esse spes, quia utrobique apprehendunt beatitu- „ dinem, ut futurum possibile".

Quæres *tertio*; an actus spei præcipiatur omnibus adultis, sitque necessarius?

75. Resp. *affirmative*, & quidem frequentissime hoc spei præceptum in Scripturis occurrit, ut Psalmo IV. *Sperate in Domino:* & I. epist. S. Petri I. 13. *Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam*. Necessarios autem esse actus spei ad justificationem consequendam, liquet ex verbis Concilii Tridentini Sess. VI. c. 6.

Quæres *quarto*. Quandonam hos actus spei eliciendi præceptum specialiter obliget?

76. Resp., damnatam ab Alexandro VII. eam „norumdam Casuistarum propositionem fuisse: „Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur e- „ licere actum fidei, & spei, & charitatis ex vi „ præceptorum divinorum ad eas virtutes perti- „ nentium". Ex communi autem Theologorum doctrina hoc præceptum obligat, cum primum rationis lumen homo attingit, sicuti etiam in mortis articulo. Tenetur insuper quilibet fidelis actus spei, non minus ac charitatis, & fidei sæpius iterare, potissimum vere cum tentationes contrariæ urgent, & quando ad Sacramentum pœnitentiæ accedit, ut gratiam amissam recuperet. Sed de his fusius Moralistæ. Vid. Concina *Theol. Christ.* L. I. in *Decal.* Diss. III.

DISSERTATIO III.

De Charitate Virtute Theologica.

Sanctus Thomas 2. 2. qu. 23. art. 6. probat, Charitatem esse omnium virtutum excellentissimam *primo* ex Apostolo scribente in prima ad Corint. XIII. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc: major autem eorum est charitas*. Deinde hac solida, & evidenti ratione id ipsum demonstrat: „ Cum bonum in humanis a- „ ctibus attendatur, secundum quod regulantur „ debita regula, necesse est, quod virtus humana, „ quæ est principium bonorum actuum, consistat „ in attingendo humanorum actuum regulam. Est „ autem duplex regula humanorum actuum, sci- „ licet ratio humana, & Deus; sed Deus est pri- „ ma regula, a qua etiam humana ratio regulan- „ da est. Et ideo virtutes theologicæ, quæ consi- „ stunt in attingendo illam regulam primam, eo „ quod earum objectum est Deus, excellentiores „ sunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, „ quæ consistunt in attingendo rationem humanam. „ Propter quod oportet, quod etiam inter ipsas „ virtutes theologicas illa sit potior, quæ magis „ Deum attingit. Semper autem id, quod est per „ se, majus est eo, quod est per aliud. Fides au- „ tem, & spes attingunt quidem Deum, secundum „ quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, „ vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, „ ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis „ proveniat; & ideo charitas est excellentior fide, „ & spe; & per consequens omnibus aliis virtuti- „ bus, sicut etiam prudentia, quæ attingit ratio- „ nem secundum se, est excellentior, quam aliæ „ virtutes morales, quæ attingunt rationem, se- „ cundum quod ex eâ medium constituitur in o- „ perationibus, vel passionibus humanis": Et art. 8. ad 2. charitatem comparat fundamento, & radici, *inquantum ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes*; & ad 3. charitatem dicit esse *matrem* aliarum virtutum; *quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos*.

Nimis autem longum esset, omnia ex Sanctis Patribus huc afferre, quibus hæc virtus supra ceteras alias extollitur. S. Hieronymus in cap. V. ep. ad Gal. *primatum* charitati tribuit, quia *sine illa virtutes ceteræ non reputantur esse virtutes*. S. Augustinus Conc. I. in Psalm. CIII. nihil inveniri dicit in divinis libris charitate *eminentius*; & Lib. XV. *de Trinit.* cap. 18. *Nullum est*, inquit, *isto dono excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*. His breviter indicatis ad ipsam virtutem exponendam accedamus.

CAPUT I.

Explicantur Charitatis notio, objectum, & divisio.

1. Charitas, quæ græce ἀγάπη *amor*, aut φιλία *dilectio* dicitur, est virtutum omnium suprema, ut mox cum S. Thoma explicatum est. Unde Apostolus eam etiam peculiariter commendavit, dicens Coloss. III. 14.: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*.

2. Quantum ad nomen S. Augustinus Lib. XIV. *de Civ. Dei* c. 7. quosdam refellit, qui putarunt, *dilectionem*, seu charitatem accipiendam esse in bono, *amorem* in malo, ostendens, in sacris litteris *usitatius* quidem esse nomen *caritatis*, seu *dilectionis*, sed etiam *amorem* quandoque usurpari; ut cum S. Petrus Joan. XXI. 15. seq. semel, iterum, ac tertio respondit Christo: *Tu scis, quia amo te*. Angelicus autem Doctor 1. 2. q. 26. art. 3. „ Quatuor, inquit, nomina inveniuntur ad idem „ quodammodo pertinentia; scilicet *amor*, *dilectio*, „ *charitas*, *amicitia*. Differunt autem in hoc, quod „ *amicitia* secundum Philosophum est quasi habi- „ tus; *amor* autem, & *dilectio* significantur per „ modum actus, vel passionis: *charitas* autem u- „ troque modo accipi potest. Differenter tamen si- „ gnificantur actus per ista tria. Nam *amor* com- „ munis inter ea est; omnis enim *dilectio*, vel

„ *charitas* est *amor*, sed non e contra. Addit e-„ nim *dilectio* supra *amorem* electionem præce-„ dentem, ut ipsum nomen sonat; unde *dilectio* „ non est in *concupiscibili*, sed in voluntate tan-„ tum, & est in sola rationali natura. *Charitas* „ autem addit supra *amorem* perfectionem quam-„ dam amoris, inquantum id, quod amatur, ma-„ gni pretii æstimatur, ut ipsum nomen designat". Et hæc quantum ad nomen.

3. Quantum autem ad rem ipsam, seu ad ipsam charitatis essentiam, quatenus virtus est, non naturalis, & acquisita, sed supernaturalis, & a Deo infusa, multæ inveniuntur apud Sanctos Patres, & apud Theologos ejusdem definitiones; sed omnium accuratissima illa videtur, quam noster S. Præceptor tradidit 2. 2. qu. 23. art. 1., quod sit *Amicitia quædam hominis ad Deum*, juxta illud Jo. XV. 15. *Jam non dicam vos servos ... sed amicos*. Sic Abraham appellatus est *amicus Dei*, Judith VIII. 22., Isaiæ XLI. 8., & Jacobi II. 3., & de omnibus justis charitate perfectis dicit David Ps. CXXXVIII. 17.: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*.

4. Qualis autem sit, & in quo proprie consistat hæc hominis amicitia ad Deum, sic explicat Angelicus loco laud. inquiens: „ Non quilibet amor „ habet rationem amicitiæ, sed amor, *qui est* „ *cum benevolentia;* quando scilicet sic amamus „ aliquem, *ut ei bonum velimus*. Si autem rebus „ amatis non bonum velimus, *sed ipsum earum* „ *bonum nobis velimus*, sicut cum dicimus ama-„ re vinum, aut equum, aut aliquid hujusmodi, „ non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupi-„ scentiæ. Ridiculum enim est dicere, quod ali-„ quis habet amicitiam ad vinum, vel ad equum".

5. „ Sed nec benevolentia (pergit Angelicus) „ sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quæ-„ dam *mutua amatio*, quia *amicus est amico a-* „ *micus*. Talis autem mutua benevolentia funda-„ tur super aliqua communicatione".

6. Unde tandem concludit: „ Cum ergo sit ali-„ qua communicatio hominis ad Deum, secundum „ quod nobis suam beatitudinem communicat, su-„ per hanc communicationem oportet aliquam a-„ micitiam fundari: de qua quidem communica-„ tione dicitur 1. ad Corinth. I. 9. *Fidelis Deus*, „ *per quem vocati estis in societatem Filii ejus*. „ Amor autem super hanc communicationem fun-„ datus, est charitas; unde manifestum est, quod „ *charitas amicitia quædam est hominis ad Deum*". Hæc fusius explicare cum Angelico non piguit; nullo enim modo potest melius natura charitatis intelligi.

7. Celebris est etiam definitio charitatis, quam tradidit S. Augustinus Lib. III. *De doctr. Christ.* cap. 10. inquiens: *Charitatem voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum*. Quid autem significet illa vox *frui*, explicat idem S. Doctor in eodem opere Lib. I. cap. 3. his verbis: *Frui est amore alicui rei inhærere, propter seipsam;* unde S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 3. recte infert, ex charitate *Deum diligendum esse propter seipsum*. Et 1. 2. qu. 11. art. 3., & 4. Jam probaverat, etiam ex S. Augustino, *fruitionem* proprie non esse, nisi ultimi finis, qui appetitur, non propter alium ulteriorem finem, sed propter seipsum. Quod S. Doctor frequentissime repetit, ut proinde communis evaserit Scholasticorum loquela; scilicet charitatem esse *dilectionem Dei super omnia*, seu propter ipsum Deum.

8. Sed redeamus ad primam definitionem. S. Thomas 1. 2. qu. 26. art. 4. amorem *amicitiæ* ita distinguit ab amore concupiscentiæ. „ Sicut Phi-„ losophus dicit (in II. *Rhetor*. c. 4.) amare est „ velle alicui bonum: sic ergo motus amoris in „ duo tendit; scilicet in bonum, quod quis vult „ alicui, vel sibi, vel alii; & in illud, cui vult „ bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult „ alteri, habetur amor *concupiscentiæ;* ad illud „ autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor „ *amicitiæ*. Hæc autem divisio est secundum prius, „ & posterius. Nam id, quod amatur amore *ami-* „ *citiæ*, *simpliciter*, *& per se* amatur; quod au-„ tem amatur amore *concupiscentiæ*, non *simpli-* „ *citer*, *& secundum se* amatur, sed *amatur al-* „ *teri*. Sicut enim ens *per se* simpliciter est, quod „ habet esse; ens autem *secundum quid*, quod „ est in alio; ita bonum, quod convertitur cum „ ente, *simpliciter* quidem est, quod ipsam ha-„ bet bonitatem; quod autem est bonum alterius, „ est bonum *secundum quid:* & per consequens „ amor, quo amatur aliquid, *ut ei sit bonum*, „ est amor *simpliciter:* amor autem, quo amatur „ aliquid, ut sit bonum alterius, est amor *secun-* „ *dum quid*.

9. Ita profunde, & accurate S. Thomas ex principiis sanæ Philosophiæ; qui subinde ad 3. cum sibi objecisset, triplicem esse amicitiam, nempe *utilem*, *delectabilem*, & *honestam*, ita respondet. „ In amicitia *utili*, & *delectabili*, vult quidem a-„ liquis aliquod bonum amico; & quantum ad hoc „ salvatur ibi ratio amicitiæ. Sed quia illud bo-„ num refert ulterius ad suam delectationem, & „ utilitatem, inde est quod amicitia *utilis*, & *de-* „ *lectabilis*, *in quantum trahitur ad amorem con-* „ *cupiscentiæ*, *deficit a ratione veræ amicitiæ*". Ita veri nominis amicitiam describit Doctor Aquinas, unde pronum est intelligere, charitatem, quæ est *amicitia hominis ad Deum*, non esse amorem *concupiscentiæ*, quo amatur Deus, ut bonus nobis, sed amorem *amicitiæ*, & *benevolentiæ*, quo amatur Deus propter seipsum, seu ut bonus *in se*, & *simpliciter*.

10. Explicata notione Charitatis, nunc explicandum superest ejusdem charitatis objectum; quod communiter duplex statuitur, aliud *materiale*, circa quod virtus charitatis versatur; aliud *formale*, nem-

nempe ratio, sub qua charitas suum objectum respicit. Objectum *materiale* est iterum duplex: aliud *primarium*, & adæquatum, quod non est aliud, quam ipse Deus; aliud *secundarium*, scilicet nos ipsi, & alii homines, quos propter Deum diligere tenemur.

11. Objectum formale charitatis est infinita bonitas, per se ipsam amabilis. „Charitate, inquit „ S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 5. ad 2., *diligitur* „ *Deus propter seipsum;* unde *una sola ratio* „ *diligendi* attenditur principaliter a charitate, scilicet divina bonitas, quæ est substantia, secundum illud Psal. CV. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ, & consequentes ex prima". Et qu. 87. art. 9. Finis noster Deus est in quem noster affectus tendit dupliciter; uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei, alio modo secundum quod volumus frui gloria Dei: quorum primum pertinet *ad dilectionem qua Deum in seipso diligimus;* secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo.

12. Hac de causa amor charitatis vocari solet amor *benevolentiæ*, & *complacentiæ* quatenus Deo volumus *bonum*, & *de bono*, quod in se habet, gaudemus. Unde qui amant vere Deum, desiderant, ut ab omnibus aliis ametur, & glorificetur; & maxime dolent, quando eum offendi nostris culpis vident (*a*). Alius vero est amor Dei, quatenus est nobis beneficus, scilicet *concupiscentiæ*, ut n. 8. explicatum est.

13. Hic vero actus dilectionis Dei, prout nobis beneficus est per dona gratiæ, & gloriæ, ab aliquibus vocatur objectum charitatis *secundarium*, & in primario saltem virtute, & implicite contentum; neque enim Deus ens esset perfectissimum, nisi esset etiam summe beneficus: quo fit, ut Deum eo magis amemus, quo inter ejus infinitas perfectiones hanc etiam detegimus, benevolentiam scilicet, & effusissimam erga nos clementiam, & voluntatem. Veruntamen S. Thomas 2. 2. qu. 17. art. 8. id refert ad spem charitate formatam: *Adveniente charitate*, inquit, *spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus*. Et in resp. ad 2. *Non omnis spes*, inquit, *provenit a charitate*, *sed solum motus spei formatæ*, *quo scilicet aliquis sperat bonum a Deo*, *ut amico*. Vid. sup. Dissert. II. n. 15.

14. Ex objectorum diversitate petitur etiam distinctio charitatis a duabus aliis virtutibus theologicis: a fide quidem, quæ Deum respicit sub ratione primæ veritatis, a spe autem, quia ad Deum ordinatur pariter, ut bonum in se, sed ut distans & arduum; ut enim inquit Sanctus Thomas 2. 2. qu. 23. art. 6. ad 3., „Idem bonum est objectum charitatis, & spei; sed charitas importat unionem ad „ illud bonum: spes autem distantiam quamdam „ ab eo; & inde est, quod charitas non respicit „ illud bonum, ut arduum, sicut spes. Quod enim jam unitum est, non habet rationem ardui; & ex hoc apparet, quod charitas est perfectior spe. *Idem S. Doctor* 2. 2. *qu.* 17. *art.* 6. *spem a charitate distingui observat*, *quia* „ Charitas facit hominem inhærere Deo propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, „ ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem „ provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio „ perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem „ Deo inhærere, inquantum est nobis principium „ co-

(*a*) Præclarum habetur Cardin. Cajetani Commentarium in 2. 2. quæst. 23. artic. 1. ubi inquit: Cum „ audis, charitate *nos Deo bonum velle propter seipsum*, intellige, quod duplicia sunt Dei bona: quædam in ipso, quædam ad ipsum. Bona, quæ sunt „ in ipso, scilicet sua vita, sapientia, potentia, bonitas, justitia, misericordia, & hujusmodi, quæ nihil aliud sunt, quam ipsemet Deus, ex charitate Deo „ volumus, quia complacet nobis, Deum esse, sicuti „ est... Bona autem, quæ ad Deum sunt, ut honor, „ regnum, & obedientia, & breviter, ut omnia in gloriam suam fiant, ex charitate sic Deo volumus, quod „ hæc non solum complacent, quod sint, sed desideremus, ut sint, & augeantur. Procuramus, quantum possumus, quod sint, gaudemus, cum sunt, „ tristantur, cum desunt, timemus, ne desint &c...." Atque ita prosequitur amorem benevolentiæ describere. Nuperrime autem illustris nostrorum temporum Scriptor, multis editis operibus clarus Joan. Vinc. Bolgeni in Diss. italica *Della Carità o Amor di Dio*, Romæ 1788. in 8., demonstrare conatus est, hunc amorem *benevolentiæ*, seu *amicitiæ* nonnisi a Scholasticis invectum, esse fictitium, & chimericum, nullumque in Sacris Litteris, Sanctorumque Patrum doctrina inveniri illius amoris vestigium, solumque amorem *concupiscentiæ* commendari, quo Deum amamus, ut *summum bonum nostrum*, *nostramque æternam felicitatem;* hunc amorem concupiscentiæ esse verum, ac perfectam charitatem theologicam, quæ nos etiam ante Pœnitentiæ Sacramentum justificat. Hæc Bolgeni sententia nova multis visa est, & omnino falsa, nec solum communi Scholasticorum consensui opposita (quod haud ægre concedere videtur ipse Bolgenius); sed etiam Verbo Dei tradito, & scripto, ac sanæ Theologiæ principiis omnino opposita. Illam oppugnavit semel, & iterum alter celebris Religionis, & Ecclesiæ defensor Comes Alph. Muzzarelli, cui Bolgenius libellum opposuit cum hoc titulo: *Rischiaramenti in Conferınazione*, *e difesa della Dissertazione sopra la Carità*, *o Amor di Dio*, Fuligni 1790. in 8. Sed novus, isque acerrimus supervenit Bolgenio adversarius Joachimus Cortez Hispanus, qui in *Anti-Bolgeniana* Dissertatione *De amore Dei* edita Forolivii 1790.; antiquam, & vulgatissimam Scholarum distinctionem amoris *benevolentiæ*, & *concupiscentiæ* restituit, atque omnis generis theologicis argumentis ita communivit, ut non amplius convelli, aut solide impugnari posse videatur. Dignum profecto opusculum, quod a Theologiæ studiosis integrum evolvatur.

„ cognoscendi veritatem: credimus enim, ea vera „ esse, quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem „ facit Deo inhærere, prout est in nobis princi„ pium perfectæ bonitatis, inquantum scilicet per „ spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem „ obtinendam (*a*)".

15. Neque omittenda est ejusdem Angelici nostri Præceptoris doctrina 2. 2., quæst. 27. art. 3., ubi duplicem distinguit amorem Dei, *perfectum*, *& imperfectum*. „ Perfectus quidem amor est, in„ quit, quo aliquid secundum se amatur; ut pu„ ta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, „ *sicut homo amat amicum*. Imperfectus amor „ est, quo quis amat aliud, non secundum ipsum, „ sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat; sicut „ homo amat rem, quam concupiscit. Primus a„ mor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo „ secundum seipsum; sed spes pertinet ad secun„ dum amorem: quia ille, qui sperat, aliquid si„ bi obtinere intendit". Quæ Angelici doctrina intelligenda est de spe, quæ in via generationis prior est charitate, & quæ ad ipsam charitatem introducit, *inquantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, & servandum præcepta ejus*, ut ipspe S. Doctor ibidem tradit. Vide, quæ diximus Dissert. II. cap. 3. de spe informi num. 64.

16. Charitas alia est *habitualis*, alia *actualis*. Prima dicitur habitus a Deo infusus, quo homo promptus efficitur ad diligendum Deum, & proximum; seu ut Angelicus loquitur 2. 2. qu. 23. art. 2., *est forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad charitatis actum, & faciens eam prompte, & delectabiliter operari*. Charitas autem actualis definiri potest cum S. Augustino Lib. III. *de doctrina Christ.* c. 20. *Motus animi ad fruendum Deo propter seipsum, & se, atque proximo propter Deum*. Habitualis charitas nonnisi in justis est; charitas autem actualis potest auxilio gratiæ Dei etiam in peccatoribus esse; neque enim quicumque amor Dei a peccatis liberat; unde S. Thomas 1. 2. qu. 113. art. 20. „ Est, *in„ quit*, communis, & consuetus cursus justifica„ tionis, ut Deo movente interius animam homo „ convertatur ad Deum, primo quidem conversio„ ne imperfecta, ut postmodum ad perfectam de„ veniat, quia charitas inchoata meretur augeri, „ ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus di„ cit Tract. V. in epist. S. Jo.". Sed hæc ubi de alicujus amoris ad justificationem necessitate agitur, uberius expendi solent.

17. Charitatem habitualem nihil aliud esse, quam ipsam Spiritus Sancti divinam personam in Sanctis habitantem, docuisse perhibetur Petrus Lombardus (Vide quæ diximus Tom. VI. P. II. cap. 1.), quia in sacris litteris Spiritus Sanctus vocatur *Charitas*: 1. Joan. IV. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*. Sed charitatem a persona Spiritus Sancti manifeste distinguit Apostolus dicens Rom. V. 5. *Charitas Dei, quæ diffusa est per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; ubi *primo* exprimitur *Charitas*; tamquam aliquid creatum, & in cordibus nostris diffusum; *secundo* ipsa divina Spiritus Sancti persona increata, quæ recte dicitur *Charitas*, quia a Patre, Filioque procedit per mutuum amorem. Et dicitur *tertio* ipse Spiritus Sanctus nobis datus, idest missus ad nostram sanctificationem. *Spiritum Sanctum*, inquit Angelicus Lect. I. in hunc Apostoli locum, *qui est amor Patris, & Filii, dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus Sanctus*.

18. Charitas actualis dividitur in amorem *affectivum*, *& effectivum*. Primus est, qui in corde, & voluntate remanet, nec in exteriores actus prorumpit: amor autem *effectivus* est idem interior animi affectus; qui ad exteriores etiam actus progreditur. Primus esse potest sine secundo, sed non secundus sine primo. Rursus hic amor sive *affectivus*, sive *effectivus* dividitur in amorem *appretiativum*, *& intensivum*: amor *appretiativus* est, cum Deum omnibus creaturis præferimus: *intensivus*, quo Deum majore, intensiore, teneriore, quam ullam aliam rem dilectionis conatu prosequimur. De amore Dei affectivo, seu de internis charitatis actibus controversia exorta est, an a Deo præcepti sint? pro qua dirimenda sit.

CAPUT II.

Demonstratur, esse peculiare aliquod charitatis præceptum ab aliis distinctum, quo tenemur, Deum interno charitatis affectu diligere.

19. Quamquam esse aliquod charitatis præceptum nemo hactenus inficias iverit, inventi sunt tamen aliqui recentiores docentes, divino hoc mandato formalem, explicitumque amoris actum non præcipi, sed duntaxat integram præceptorum divinæ legis observantiam; & „ tantam proinde bo„ nitatem Dei esse, *dixerunt*, ut non tam præ„ cipiat amorem sui, quam odium vetet, sive for„ male, & actuale, quod non humanum, sed dia„ bolicum est; sive materiale, quod in mandato„ rum transgressione positum est (*b*)".

20. At vero nihil in Sacris Literis occurrit frequen-

(*a*) Quam doctrinam repetit ibidem ad 3. his verbis. *Spes facit tendere in Deum, sicut in quoddam adjutorium efficax, ad subveniendum: sed charitas propriæ facit tendere in Deum, uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo*.

(*b*) P. Antonius Sirmondus in Opere *Defense de la certu* Tract. II. Sect. I. cap. 2. hanc erroneam doctrinam tradidit, eamdemque postea acrius defendit in opella, cui titulus: *Responsio ad libellum famosum*. Nonnullos alios ejusdem erroris patronos commemorat P. Concina in *Theologia Christiana* Lib. I. in *Decal.* Diss. IV. cap. 2., item in Epist. V. ad Nocetium §. 18. Vi-

quentius, quam interioris charitatis, amorisque formalis, & expliciti præceptum. Deut. VI. 5. *Audi Israel: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Matth. XXII. 36. seq. Legis doctori interroganti: *Magister quod est mandatum magnum in lege?* respondit Jesus: „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum ". Tantaque est hujus præcepti adimplendi necessitas, ut S. Paulus ita suam primam epist. ad Corinth. concludere non dubitaverit cap. ult. 22.: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*. S. autem Joannes 1. epist. III. 14. *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte*. Hæc omnia, & alia multa, quæ brevitatis gratia omittimus, quid aliud indicant, nisi verum præceptum affirmativum eliciendi actus amoris, distinctum ab aliis præceptis? in quibus tamen adimplendis etiam charitas intervenire debet; ita ut nullum præceptum sine charitate, *meritorie*, & prout oportet, adimpleri possit; præceptum autem charitatis per se distinctum adimpleri a nobis debeat, etiam quando illud solum adimplendi occasio occurrit.

21. Non me latet subtile Sirmondi effugium, amoris divini præceptum toties in sacris paginis inculcatum, de amore affectivo, sed de effectivo tantum intelligendum esse, ut scilicet *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate* 1. Ep. Joannis III. 18.: *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, ib. Ver. 3.

22. Sed facile hoc effugium præcluditur; neque enim horum, & similium textuum ille sensus est, ut externa mandatorum observantia sine ulla interna animi dilectione, & charitate sufficiat: talis enim observantia ab omni interno affectu sejuncta, esset illa Judaica observantia mandatorum, de qua conquerebatur Deus ore Prophetæ Isaiæ XXIX. 13., & Marci VII. 6. dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me:* sed quod internæ charitatis affectibus etiam exterior legis adimpletio adjungenda sit, juxta illud S. Gregorii Magni Hom. XXX. in Evang. *Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis;* quod antea etiam Theodoretus observaverat, dicens Orat. *de charitate: Evidens nostri erga Deum amoris indicium est legum ejus divinarum observatio:* unde & Christus ipse apud Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me*, inquit, *sermonem meum servabit .... Qui non diligit me, sermones meos non servat*. Amor itaque *effectivus* non ille est, qui caret affectu; sed qui in affectu non sistit, transiens in effectum. Potest igitur esse amor *affectivus* tantum, quando occasio operandi deest, non autem potest esse amor *effectivus* tantum, intimo cordis affectu carens.

23. Scripturis concinunt Sancti Patres, qui nedum *effectivi*, sed etiam *affectivi* amoris necessitatem sæpius inculcant. S. Augustinus Lib. I. *de moribus Ecclesiæ* cap. 11.: „ Summum bonum, „ *inquit*, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus". Et Lib. VIII. *De Civ. Dei* cap. 8. sententiam Platonis laudat asserentis, *hoc esse philosophari, amare Deum*. S. Bernardus Serm. XX. in *Cant.* explicans illa verba: „ Diliges Dominum Deum „ tuum &c. Mihi videtur, *inquit*, amor quidam „ cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ vero amor ad industriam, seu judicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto, & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia, & circumspectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, quoniam fortis est ut mors dilectio ".

24. Sed nemo clarius hanc veritatem, quam S. Thomas exposuit, in quo tamen potissimum suæ causæ præsidium adversarii reponunt. Nam 1. 2. qu. 100. art. 10. „ Actus charitatis, *inquit*, dupliciter considerari potest: uno modo secundum „ quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter „ datur; scilicet: Diliges Dominum Deum tuum „ &c. "; & 2. 2. quæst. 44. art. 1. præceptum charitatis *per se* obligare docet, alia autem per accidens, ratione charitatis, quæ est finis legis: „ Est „ autem, *inquit*, aliquid debitum dupliciter: uno modo per se, alio modo propter aliud. Per „ se quidem debitum est in unoquoque negotio „ id, quod est finis, quia habet rationem per se „ boni. Propter aliud autem est debitum id, quod „ ordinatur ad finem, sicut medico per se debitum est, ut sanet, propter aliud autem ut medicinam det ad sanandum. Finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod „ fit per charitatem, & ad hoc ordinantur, sicut „ ad finem, omnia, quæ pertinent ad spiritualem „ vitam: unde Apostolus dicit I. *Tim. I.* 5.: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta ..... In quolibet „ autem genere, id quod est per se, potius est „ eo, quod est propter aliud: & ideo maximum „ præceptum est de charitate, ut dicitur Matth. „ XXII.

deri etiam potest Arnaldi *Dénonciation de l' hérésie impie contre le Commandement d' aimer Dieu*, 1689., ejusdemque Epistola a M. Bodart. Franc. Fitz-James Episcopus Suession. in sua *Instructione Pastor.* an. 1760. Tom VII. pag. 43. edit. in 12. hunc ipsum errorem ex doctrina Harduini consequi ostendit. Non defuerunt, qui Dominicanos duos Serram, & Bannezium, ut præcepti charitatis eversores accusarent; sed utriusque apologiam ediderunt P. Concina loco citato n. 5., & alibi, ac P. Vincentius Patuzzi sub nomine Eusebii Eranistes *Osservazioni sopra varj punti d' Istoria Letteraria* Tom. II. Lettera 13.

„ XXII. *Item* 2. 2. *ad* 1. Præcepta dantur de a-„ ctibus virtutum; & ideo oportuit esse plura præ-„ cepta charitatis "; scilicet dilectionis Dei, & dilectionis proximi, ut in corpore articuli explicaverat. Idemque repetit aliis in locis, manifeste distinguens præceptum caritatis ab aliis præceptis, & actum hujus virtutis ab actibus aliarum virtutum.

25. Huc etiam specat damnatio plurium propositionum facta a Summis Pontificibus Alexandro VII., Innocentio XI. & Alexandro VIII. Primus anno 1665. hanc propositionem n. 1. proscripsit: „ Homo nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur e-„ licere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præ-„ ceptorum divinorum ad eas virtutes pertinen-„ tium. *Innocentius autem XI. an.* 1679. *has a-„ lias tres*: *num.* 5. An peccet mortaliter, qui „ actum dilecticois Dei semel tantum in vita eli-„ ceret, condemnare non audemus: *num.* 6. Pro-„ babile est, ne singulis quidem rigorose quin-„ quenniis per se obligare præceptum charitatis er-„ ga Deum; *& n.* 7. Tunc solum obligat, quan-„ do tenemur justificari, & non habemus aliam „ viam, qua justificari possimus. *Demum Ale-„ xander VIII. an.* 1690. *hanc propositionem hæ-„ reseos censura notavit*: Bonitas objectiva con-„ sistit in convenientia objecti cum natura rationa-„ li; formalis vero in conformitate actus cum re-„ gula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis „ tendat in finem ultimum interpretative. Hinc „ homo non tenetur amare, neque in principio, „ neque in decursu vitæ suæ moralis ". Præter has Clerus Gallicanus duas alias acri censura perstrinxit anno 1700. (apud Bossuet Tom. XI. pag. 144.), quarum altera hæc erat: „ Præceptum a-„ moris Dei per se tantum obligat in articulo mor-„ tis. *Altera autem*: Præceptum affirmativum a-„ moris Dei, & proximi non est speciale, sed ge-„ nerale, cui per aliorum præceptorum adimple-„ tionem satisfit ": Hæc propositio fuerat jam damnata a S. Facultate Parisiensi anno 1665.

26. Ob. *primo*. Apostolus 1. Corinth. XIII. 4.: „ Charitas, *inquit*, patiens est, benigna est: chari-„ tas non æmulatur, non agit perperam, non in-„ flatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua „ sunt, non irritatur, non cogitat malum, non „ gaudet super iniquitate, congaudet autem veri-„ tati; omnia suffert, omnia credit, omnia susti-„ net "; at vero hæc sunt vitæ Christianæ præcepta: non itaque charitatis præceptum est ab aliis distinctum. Accedit S. Augustinus, qui *De perfectione justitiæ* cap. 5. „ Generalis, inquit, proi-„ bitio est: *Non concupisces*; & generalis jussio: „ *Diliges* ".

27. Resp., Apostolum eo loco varios, eosque insignes charitatis characteres recensere; ut quisque noscere possit, an excellentissimam hanc virtutem habeat. *Hæc enim est charitas Dei*, ut S. Joannes inquit 1. Epist. V. 3., *ut mandata ejus custodiamus*; non quasi ad justificationem, & salutem externa mandatorum custodia sine interno charitatis actu sufficiat; sed quia qui veram, perfectamque Dei charitatem habet, etiam mandata ejus custodit; *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, Joan. XIV. 23.

28. Verba autem S. Augustini explicat S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 4. ad 3. inquiens: „ Præ-„ ceptum de diligendo dicitur esse jussio genera-„ lis, quia ad hoc reducuntur omnia alia præ-„ cepta, sicut ad finem, secundum illud 1. Tim. „ I. 5. Finis præcepti charitas est ". Duo ergo in hoc præcepto distinguenda sunt, & peculiare debitum quod *per se* obligat, ut inquit S. Thomas 2. 2. qu. 44. art. 1. (sup. num. 24.), & generalis extensio istius præcepti ad alia omnia, quatenus alia ad hoc tanquam ad finem reducuntur.

29. Obj. *secundo*. S. Bernardus Serm. L. in Cantica: „ est charitas in actu, *inquit*, est & in „ affectu. Et de illa quidem, quæ operis est, „ puto datam esse legem hominibus, mandatum-„ que formatum. Nam in affectu quis ita habeat, „ ut mandatur? ergo illa mandatur ad meritum, „ ista in præmium datur ". Nihil apertius desiderari posse videtur.

30. Resp., charitatem *in actu* ad mentem S. Bernardi esse observantiam mandatorum non disjunctam a dilectione interna, seu esse illam charitatem cum *effectu* conjunctam, quæ in justis viatoribus reperitur; charitatem autem in *affectu* a Sancto Bernardo illum ardentem, & suavissimum affectum intelligi, qui æternam nostram felicitatem constituet in cœlis. Ipse Sanctus Pater sui interpres est, dum dicit: „ Illa (*charitas in affectu*) „ in præmium datur, cujus initium quidem, pro-„ fectumque vitam quoque præsentem experiri di-„ vina posse gratia, non negamus: sed plane con-„ summationem defendimus futuræ felicitatis. Quo-„ modo ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo „ modo erat "? Ceterum illius actualis charitatis, quæ pro statu præsentis vitæ possibilis est, præceptum se minime excludere S. Bernardus ibidem declarat, subdens: *Non hoc dico, ut sine affectione simus, & corde arido solas moveamus manus ad opera*. Post autem triplicem distinguens affectionem, *quam caro gignit, quam ratio regit, & quam condit sapientia*, ita concludit: „ Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa cha-„ ritas sedet, non illa affectualis, quæ sale sa-„ pientiæ condita pinguescens magnam menti im-„ portat multitudinem dulcedinis Domini; sed quæ-„ dam potius actualis, quæ etsi nondum dulci il-„ lo amore suaviter reficit, amore tamen amoris „ ipsius vehementer accendit ". Cœcus plane est, qui non videat, in his locis per *charitatem in affectu*, quam præceptam esse negat, a S. Bernardo illam intelligi, quæ nos beatos efficiet in patria.

31. Obj. *tertio*. S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 4. ad 2. Deum dupliciter ex toto corde diligi posse, docet: „ Uno quidem modo in actu, id est,

„ ut.

„ ut totum cor hominis semper actualiter in Deum „ feratur; & ista est perfectio patriæ. Alio modo „ ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc est perfectio viæ; cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, cum „ non tendat in oppositum objectum, sed solum „ impedit charitatis usum ". Censet igitur Angelicus, ad perfectionem charitatis in via nihil aliud pertinere, nisi ut nihil contra Dei dilectionem habitualem cor hominis recipiat, seu ut mandata serventur.

52. Resp., S. Thomam a perfectione charitatis viæ non excludere omnes actus internos, & explicitos affectionis Dei, sed solum actus perpetuos, & nunquam interruptos, qui utique ad perfectionem patriæ spectant. Sibi enim duntaxat proposuerat Angelicus Doctor discrimen afferre inter modum, quo Beati in patria Deum amant, nempe actibus continuis, & numquam interruptis; & modum, qui justis viatoribus convenit, quorum cor *habitualiter*, *&* *virtualiter* in Deum semper ferri debet, ita ut nihil unquam contra Dei dilectionem agant, & insuper omnia opera sua bona, *virtualiter* saltem, in Deum dirigant; non est autem necesse, aut possibile, ut semper actu feratur in Deum per charitatis ardores; quamvis & possibile, & necessarium, sit ut id aliquando, & sæpius fiat.

53. Inst. S. Doctor ibid. ad 3.: „ Perfectio charitatis, *inquit*, ad quam ordinantur consilia, „ est media inter duas perfectiones prædictas, ut „ scilicet homo, quantum possibile est, se abstrahat „ a rebus temporalibus, etiam licitis, quæ occupando animam impediunt actualem motum cordis in Deum": totum ergo charitatis præceptum in eo situm est, ut ea removeantur, quæ nos a Deo avertere possunt, quod fit servando præcepta, & consilia divina.

54. Resp., hæc, dicta esse, non per exclusionem actualis interioris erga Deum affectus, qui statis quibusdam temporibus excitandus est; sed suppositis charitatis actibus sæpius repetitis, significatur, perfectionem charitatis positam esse in abstinentia a rebus temporalibus, etiam licitis, quæ nimium occupantes animum impediunt actualem motum cordis in Deum; quæ postrema S. Doctoris verba satis luculenter exprimunt, in justis esse oportere actualem motum cordis in Deum, quamquam frequentius, vel rarius pro diverso charitatis fervore.

55. Inst. *secundo*. Idem S. Doctor ibid. art. 6. ad 2.: „ Sicut miles, *inquit*, qui legitime pugnat, „ licet non vincat, non culpatur, nec pœnam meretur, ita etiam qui in via hoc præceptum non „ implet, nihil contra divinam dilectionem agens, „ non peccat mortaliter; *&* *art.* 1. *ad* 3. Omnia „ præcepta Decalogi, *inquit;* ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi, & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur ".

56. Resp., S. Thomam in priori loco loqui de iis justis, qui quamvis per internos, externosque amoris actus præceptum charitatis aliquo modo adimpleant, non adimplent tamen perfecte, quia in venialia peccata sæpe incidunt, quibus homo ab ordine ad finem non recedit, etsi ad finem ipsum præcipientis non pertingit. Non autem loquitur Angelicus de iis justis, qui interiorem charitatis actum numquam eliciunt: nulli enim esse possunt hujus generis justi.

57. In alio autem loco non ille sensus est Sancti Doctoris, ut nullum sit præceptum diligendi Deum a ceteris distinctum; nam contrarium in toto articulo demonstraverat; sed quod necesse non erat, hoc præceptum distincte ab aliis poni, quandoquidem alia, saltem quantum ad modum, servari non possunt, nisi elicitis sæpius charitatis actibus, unde virtualis omnium operum in Deum relatio consurgit; quod idem Angelicus in resp. ad 1. clarius docuerat, dicens: „ Sicut supra dictum „ est (1. 2. qu. 100. art. 10.) cum de præceptis „ ageretur, modus dilectionis non cadit sub illis „ præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto: " *Honora patrem tuum*, *&* *matrem tuam*, non cadit, quod hos ex charitate fiat; *cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus*. Vid. etiam, quæ infra dicturi sumus cap. 4.

58. Obj. *quarto*. Joan. Gerson in *Opusculo tripartito*, ab octo plane Galliæ Conciliis probato: „ Primum præceptum est, *inquit*, Diliges Dominum Deum tuum &c., hoc est non voles scienter rem quamcumque amare, plus quam Deum, „ quo Dei amorem perdas. Hoc autem præceptum „ convenienter ab homine servatur, & non aliter, si legem Dei, & alia præcepta operibus „ impleat. Qui enim mortaliter peccat, præceptum hoc infringit, quia voluntatem suam divinæ voluntati oppositum præcipienti anteponit".

59. Resp., Gersonem non esse intelligendum *in sensu exclusivo*, quasi ad præceptum charitatis, ut par est, adimplendum sola externa mandatorum observantia sufficit; sed *in sensu positivo*, nempe ad veram Dei charitatem pertinere, ut Deus omnibus quibuscumque rebus præponatur, & omnia ejus præcepta exacte serventur; quod qui non præstat, veram, & perfectam Dei charitatem non habet.

40. Obj. *ultimo*. Commune est Theologorum effatum: *Non dari præceptum de fine;* sed charitas est omnium virtutum finis, ut centies repetit S. Thomas, secundum illud Apostoli I. Tim. I. 5. *Finis præcepti est charitas:* ergo &c.

41. Resp., illud Theologicum effatum esse intelligendum de fine ultimo, qui est Dei possessio, & fruitio in patria, cujusmodi certe nullum est præceptum: at vero charitas est quidem finis respectu aliarum virtutum, quæ omnes ordinantur ad ipsam: est tamen & ipsa medium ad justificationem, atque æternam salutem consequendam. De hac-

hac quæst. videri possunt Nat. Alexander *Theologia dogm. & Mor.* Lib. IV. art. 10., Concina Lib. I. in *Decal.* Diss. IV. c. 5., & Nicolius in Diss. Theol. *de præcepto amandi Deum*.

CAPUT III.

Resolvuntur breviter nonnullæ quæstiones de charitate.

Quæres *primo: Quibusnam temporibus actus charitatis exercendus sit?*

42. Resp. charitatis præceptum & negativum esse, & affirmativum: ut præceptum negativum est, prohibet quamcumque Dei offensam, idque omni prorsus tempore: prout autem præceptum est affirmativum, jubetque, ut in actus amoris Dei erumpamus, non obligat nisi certis quibusdam temporibus: in iis autem determinandis non una est, nec concors Theologorum sententia. Missis laxissimis, & erroneis quibusdam opinionibus, quæ Apostolica censura configi meruerunt, (Vid. supra n. 25.)

43. *Primo* dicimus cum S. Thoma, cui præter Thomistas bene multi alii suffragantur (Vid. Concina Lib. I. in *Decal.* Diss. IV. c. 7. n. 6.), hominem statim ac rationis usum attingit, debere per actum dilectionis se ad Deum convertere, eique suæ vitæ rationalis primitias offerre. „ Cum usum „ rationis, *inquit Angelicus* 1. 2. *qu.* 89. *art.* 6., „ habere incæperit .... primum, quod tunc homi- „ ni cogitandum occurrit, est deliberare de sei- „ pso. Et si quidem seipsum ordinaverit ad de- „ bitum finem, per gratiam consequetur remissio- „ nem originalis peccati. Si vero non ordinet sei- „ psum ad debitum finem secundum quod in illa „ ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter „ non faciens, quod in se est. *Et adhuc clarius* „ *in resp. ad* 3. Primum quod occurrit homini di- „ scretionem habenti, est, quod de ipso (*nempe* „ *Deo*) cogitet, ad quem alia ordinet sicut fi- „ nem; finis enim est prior in intentione; & ideo „ hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præ- „ cepto affirmativo, quo Dominus dicit: Conver- „ timini ad me, & ego convertar ad vos ". Et sane si aliquo tempore Deum diligere tenemur (quod superius probavimus) quodnam opportunius eo esse potest, quo homo rationis compos factus, de se ipso deliberare debet, & se ad aliquem finem ordinare (*a*)?

44. Et tamen observandum, instans illud, quo puer ad usum rationis pervenit, non esse metaphysicum, & indivisibile, sed morale, & pluribus physicis instantibus constans, & insuper non idem exigi ab omnibus, sed habita ratione uniuscujusque capacitati; unde Angelicus in corpore articuli: „ Si vero (*inquit*) non ordinet seipsum ab „ debitum finem, secundum quod in illa ætate „ est capax discretionis, peccat mortaliter, non fa- „ ciens quod in se est ".

45. *Secundo*. Ceterum pariter mihi est, teneri unumquemque ad actum amoris eliciendum in extremo vitæ articulo; tunc enim tenetur quam tutissime potest suæ saluti consulere; ut autem alicubi ait S. Augustinus, *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*.

46. *Tertio*. Sæpius in vita, immo & in anno elicere tenemur actus charitatis, quemadmodum multi doctissimi Theologi censent, ut ita continuitas moralis, seu dilectio virtualis toties in sacris Litteris inculcata servetur. Sane id exigere videtur Apostolus, quando Ephes. VI. 15. nos adhortatur, ut *veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus;* tum Princeps Apostolorum Petrus in 2. epist. cap. III. 18. jubens, *nos crescere in gratia, & in cognitione Domini nostri;* Apoc. XXII. 12. *Qui justus est, justificetur adhuc*. Hoc autem charitatis, & justitiæ augmentum sine sæpius iteratis dilectionis actibus obtineri nequit (*b*).

47. Imo nec ipsa charitatis habitualis diutina conservatio haberi poterit, nisi frequenter ad Dei gratiam implorandam intensioris divini amoris affectibus nos excitemus. Quod ipsa experientia nos docet; tepor enim, & negligentia nos ad venialia, ac demum ad lethalia peccata disponit; qui autem *manent in dilectione Dei*, majori horrore prosequuntur peccata, potissimum gravia, atque ab illis facilius abstinent. Addo, nonnumquam occurrere difficiliora Dei præcepta, quæ vix homo observabit, qui sæpius de ultimo fine non cogitat, in eumque sua opera non dirigit; intentio enim finis nos movet ad executionem mediorum; & quando hæc sunt admodum ardua, vel in se, vel propter occurrentes tentationes, magno opus est finis amore, ad ea exequenda; hic autem vehemens

(*a*) Hinc admonentur parentes, & quotquot puerorum educationi præsunt, quanta sollicitudine debeant ipsis in tenera adhuc ætate existentibus cognitionem, atque amorem summæ, & infinitæ bonitatis Dei instillare; ut cognitio hæc, & amor sensim ac sensim cum ætate in illis crescant; ac tandem possint illucescentis rationis primordia suo Creatori, & ultimo fini consecrare. Hoc certe curare solent pii, ac religiosi parentes, de quorum filiis bene sperare licet, quod hoc præceptum sancte adimpleverint. Non ita facile autem id de aliis præsumendum est, qui sine pietate, sine bonis exemplis, & omnino incuriose, & illiberaliter educantur; quorum propterea hujus præcepti omissio, etiam incuriæ, ac culpæ parentum imputari oportebit.

(*b*) Scotus Doctor subtilis in III. *Sent.* Dist. 27. §. 18. vult teneri fideles ad explicitum charitatis actum singulis diebus Dominicis, atque id esse insinuatum in illo præcepto Exodi XX. 8. *Sanctifica Sabbatum:* & huc etiam spectare præceptum Ecclesiæ audiendi Missam die Dominico. Quamquam vero non simul concordes Theologi sint in temporibus determinandis, quibus præceptum affirmativum dilectionis Dei urgeat, omnes tamen in eo consentiunt, quod sine culpa gravi actus fidei, spei, & charitatis diu differri nequeant.

mens amor finis ex frequenter repetitis actibus charitatis oritur.

48. Demum aliquando *per accidens* hujus præcepti obligatio occurrit; ut dum quis gravi tentatione ad odium Dei sollicitatur, vel etiam ad aliud malum; ita ut sine actu amoris Dei aut vix, aut nullatenus eam superare queat; dum quis gravi peccato obstrictus recipere, vel administrare debet Sacramenta, & nullum aliud præsto est ad justificationem medium, aliisque similibus circumstantiis. Rem claudo verbis doctissimi Bossueti *in Decret. de morali disciplina* P. II. §. 2.: „ Nemo „ Christianus quærat, quando, & in quibus circumstantiis actum amoris elicere teneatur. Hoc „ enim ipsa unctio, ipse amor docet, nec se otiosum esse sinit. Hoc quærant, qui non amant; „ nam qui Spiritu Dei aguntur; qui vere filii Dei „ sunt, & Christum imitati, credunt in his, quæ „ Patris sunt, se esse oportere, magis profecto „ quærunt, amorem ultro interrumpendo, quantum peccent, quam quomodo, & quando interrumpendo non peccent".

Quæres *secundo*. Cujus generis sit amor a Deo nobis præceptus?

49. Resp. certe non esse amorem mere naturalem, cujusmodi ex consideratione hujus universi etiam in Ethnico Philosopho esse potest: sed supernaturalem, qui gratia inspiratur; quidquid aliqui laxiores Theologi minus considerate contra hanc communem sententiam docuerint: est enim charitas nobis præcepta virtus theologalis, divina, & supernaturalis.

50. Certum est quoque, hunc amorem Dei debere esse super omnia *appretiative*, quamquam non omnino inter Theologos constat, an hæc Dei appretiatio super omnia ab ipsa charitatis specie desumi debeat, an vero ex intensionis, & fervoris gradu mensurari. Illud apud omnes constat, talem esse debere amoris Divini vim, ut Deus pluris, quam cetera omnia æstimetur, adeoque ceteris omnibus præferatur, unde Christus Dominus Matt. X. 37. *Qui amat*, inquit *patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Putant tamen aliqui, hanc Dei appretiationem super omnia sine majoris etiam intensionis gradu esse non posse; & Petrus de Soto, insignis Dominicanæ familiæ Theologus in Tract. *de Institut. Sacerdotum P. I. de Sacramento Pœnitentiæ* Lect. XV. hæc scribere non dubitavit: „ Distinctio illa appretiationis ab intensione „ nova est, nihil aliud habens, quam nomina, „ nisi quod interim illa persuasione ingeneratur „ hominibus securitas quædam & tepiditas, quod „ valde timendum".

51. Ibidem autem idem non minus pius, quam doctus Theologus tres exponit hac de re sententias. *Prima* est eorum; qui requirunt *summum dolorem*, hoc est *summo conatu*, & totis viribus productum; atque ita difficilem Dei dilectionem super omnia reddunt, ut plane in hujus vitæ infirmitate impossibilis videatur, in quo sine aliquo peccato, & aliquibus inordinatis concupiscentiæ motibus vel ipsi perfectiores justi esse non possunt. Quamobrem S. Augustinus in Lib. *De perfectione justitiæ* c. 8. n. 19. expendens illud maximum præceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. bene advertit, illud si de maximo intensionis gradu intelligatur, non ad hanc vitam, sed ad futuram in cœlis referri oportere, *ut sciamus*, inquit, *quo tendendum sit, ubi scilicet impleri possit*.

52. Hic igitur rejecta opinione Petrus aliam exponit eidem oppositam, quæ docet illam charitatem sufficere, qua magis amemus Deum, quam creaturas *appretiative*: atque hanc opinionem esse dicit, non solum parum utilem pœnitentibus, sed etiam valde periculosam, qui sacræ litteræ, & Sancti Patres nobis perpetuo inculcant, nedum ut Deum ceteris rebus præferamus, sed etiam ut eum super omnia *diligamus*. Porro S. Augustinus Lib. *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ* c. 11. illa verba Apostoli Pauli ad Rom. VIII. 38. & seq. *Quis nos separabit a charitate Dei* &c. ostendit pertinere ad *fortitudinem*, qua Deum diligere oportet, atque ita subdit. *Summum bonum non modo diligendum esse, nemo ambigat, sed ita diligendum, ut nihil amplius diligamus;* quibus verbis certo intensionem dilectionis designari, apparet.

53. Id etiam ostendit eximius ille Theologus verbis, & exemplis sacræ Scripturæ, quibus in pœnitentibus vehementia quædam doloris exprimitur. David in Ps. XXXVII. 9. *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Psalmo item XLI. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte;* & alia non pauca his similia, quæ *intensionem* magnam pœnitentiam significant.

54. His, aliisque plurimis argumentis laudatus Petrus a Soto luculenter evincit, non sufficere solum appretiationem Dei super omnia, sed requiri etiam intensionem amoris, quæ omnes alios amores superet; ut quidquid boni creati se nobis obtulerit, minus ametur, quam Deus; & quidquid mali occurrerit, minus timeatur, quam offensa Dei. Hinc etiam intelligitur illud, quod S. Paulus Philippensibus inculcabat cap. I. 9. *Et hoc oro, ut charitas vestra magis abundet*.

55. Alii Theologi ut hanc doctrinam clarius exponant, duplicem appretiationem distinguunt, aliam solius intellectus, & rationis, aliam voluntatis. Prior in judicio consistit, quo judicamus, Deum utpote summum bonum, esse omnibus bonis creatis præferendum; & hæc appretiatio est etiam in peccatoribus, utut excæcatis, & obduratis. Alia est appretiatio voluntatis, qua ferimur in Deum, ut nostrum ultimum finem, summum, & ineffabile bonum, cunctisque creaturis infinite amabiliorem. Et hæc appretiatio non est sine aliqua intensione amoris, quæ intensio crescere semper potest, ut charitas inchoata augeatur, & aucta perficiatur.

56. Est etiam distinguenda quædam sensualitas, &

& teneritudo amoris, qua erga creaturas amatas aliquando ferimur, & quæ in extrema signa suspiriorum, singultuum, lacrymarum, & similia effunditur: imo varia pro varietate temperamenti, aut circumstantiarum esse solet: est inquam hæc sensualitas distinguenda ab intensione amoris appretiativi existentis in voluntate; quæ intensio potest esse major, licet in parte inferiore sensibilitas sit minor. Vid. P. Bern. de Rubeis in *Dissert. Theol. de Charitate* cap. 14. & seq., ubi sententia Petri de Soto illustrat; & defendit, tum P. Dan. Concina in *Theol. Christ. Dogmatico-Morali* Lib. I. in Decalogum Dissert. IV. cap. 6.

Quæres *tertio*, an recte dividatur charitas in *incipientem*, *proficientem*, & *perfectam*; & quomodo illa divisio sit intelligenda?

57. Resp. S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 9. hanc distinctionem *primo* confirmat auctoritate S. Augustini, qui Tract. V. in epist. Canon. S. Joannis. *Charitas*, inquit, *cum fuerit nata*, *nutritur*, quod pertinet ad incipientes; *cum fuerit nutrita*, *roboratur*; quod pertinet ad proficientes, *cum fuerit roborata*, *perficitur*; quod pertinet ad perfectos.

58. Deinde bene observat: „ Quod spirituale augmentum charitatis considerari potest, quantum ad „ aliquid simile corporali hominis augmento: quod „ quidem quamvis in plurimas partes distingui „ possint, habet tamen aliquas determinatas distinctiones, secundum determinatas actiones, vel „ studia, ad quæ homo perducitur per augmentum, sicut infantilis ætas dicitur, antequam habeat usum rationis, postea autem distinguitur „ alius status hominis, quando incipit loqui, & ratione uti: iterum tertius status ejus est pubertas, cum jam incipit posse generare, & sic deinde quousque perveniat ad perfectum. Ita etiam „ diversi gradus charitatis distinguuntur, secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur „ per charitatis augmentum ".

59. „ Nam *primo* quidem incumbit homini studium principale, ad recedendum a peccato, & „ resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent; & hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel „ fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat „ ad hoc, quod in bono proficiat; & hoc studium „ pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum „ roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat: & eo fruatur; & hoc pertinet ad perfectos, qui *cupiunt dissolvi*, *& esse cum Christo*, Philipp. I. 53. ". Quælibet tamen charitas, etiam quæ *incipiens* dicitur, est charitas sanctificans, quæ ut infra probat. art. 12. non potest cum peccato mortali consistere, unde proprie loquendo: non est hæc divisio charitatis secundum diversas species, sed potius secundum diversa ejusdem charitatis munia, seu ut loquitur Angelicus, secundum diversa studia; quorum primum est recedere a peccato, quod contrariatur charitati.

60. Cum autem charitas dicitur *perfecta*, non excluditur, quin & ipsa augeri semper possit, quamdiu in hac vita sumus. Hinc Spiritus S. in multis divinarum Scripturarum locis nos adhortatur ut semper ad majorem charitatis, ac justitiæ perfectionem enitamur. Ecclesiastici XVIII. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari*. Clarius autem, & frequentius in novo Testamento. Sic Apostolus Paulus Ephesiis scribebat cap. IV. 15. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Christus Jesus*. Et ad Philipp. I. 9. *Hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet*. Et epist. prima ad Thessal. III. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem*.

61. Quibus, aliisque similibus testimoniis non solum refellitur stultus Joviniani error, quem S. Hieronymus in Lib. II. contra ipsum acriter confutavit. Justum nempe non debere laborare, ut crescat in perfectione, *sed ne perdat, quod accepit:* verum etiam condemnatur hæresis Novatorum, qui volebant, nos justificari per Christi justitiam fide apprehensam, nobisque a Deo imputatam; cum vero Christi justitia eadem semper sit, sequebatur, nostram justitiam crescere non posse: Putidum hunc errorem, ac Christianæ pietati contrarium proscripserunt Patres Tridentini Sess. VI. can. 24. ita definientes: „ Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non „ augeri per bona opera; sed opera ipsa fructus „ solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, „ non autem ipsius augendæ causam, anathema „ sit ".

62. Sed etiam in ejusdem Sess. VI. c. 10., quod inscribitur: *De acceptæ justificationis incremento;* ita loquuntur: „ Sic ergo justificati, & amici „ Dei, ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit de die in „ diem, hoc est mortificando membra carnis suæ, „ exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem „ per observationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, „ cooperante fide bonis operibus crescunt, atque „ magis justificantur .... Hoc vero justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia dum orat: *Da „ nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum* ".

63. Facile esset ad hujus doctrinæ confirmationem integrum Sanctorum Patrum chorum advocare, qui sæpissime Fideles adhortantur, ut per opera pietatis in charitate crescant. Sed unus sufficiat magnus Augustinus, qui hanc veritatem dogmatice proponit ep. CLXVII. alias XXIX. ad Hieronymum inquiens: „ Virtus est charitas, qua id, „ quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis „ major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima vero, quæ non possit augeri, quamdiu „ hic homo vivit, est in nemine ".

64.

64. Cohærenter ad hanc sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum doctrinam noster Angelicus Præceptor 2. 2. q. 24. (ubi multa exponit de charitatis augmento) art. 7. probat, charitatem in via posse semper magis augeri usque in infinitum: tum quia ipsa charitas secundum rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet; est enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sanctus: tum etiam quia Deus, qui nobis charitatem infundit, est infinitæ virtutis: tum denique quia charitate crescente, crescit semper habilitas ad ulterius augmentum.

65. Quomodo autem, & qua proportione charitas augeatur in nobis, haud facile est explicatu, neque una est Theologorum scholasticorum opinio. Ac *primo* quidem causa hujus augmenti efficiens proculdubio non est nisi Deus, qui ipsam charitatem habitualem primo infundit. „ Uniuscujusque „ rei quantitas, inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 24. „ art. 5., dependet a propria causa rei, quia u„ niversalior causa effectum majorem producit. „ Charitas autem cum superexcedat proportionem „ naturæ humanæ, non dependet ex aliqua natu„ rali virtute, sed ex *sola* gratia Spiritus sancti „ eam infundentis. Et ideo quantitas charitatis non „ dependet ex conditione naturæ, vel ex capaci„ tate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate „ Spiritus sancti, distribuentis sua dona, prout „ vult. Unde & Apostolus dicit ad Ephes. IV. 7. „ *Unicuique nostrum data est gratia secundum* „ *mensuram donationis Christi* ".

66. Cum autem sibi objecisset verba, quæ leguntur apud Matt. XXV. 15. *Dedit unicuique secundum propriam virtutem*, ita respondet ad 1.: „ Illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat „ unicuique, est dispositio, vel præparatio præ„ cedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed „ hanc etiam dispositionem, vel conatum præve„ nit Spiritus sanctus, *movens mentem hominis*, „ vel plus, vel minus, secundum suam volunta„ tem. Unde & Apostolus dicit ad Coless. I. 12. „ *Qui dignos nos fecit in partem sortis sancto*„ *rum in lumine* ".

67. Ubi tamen caute observandum est, aliquando hoc charitatis habitualis augmentum ita a Deo produci, ut nullatenus ab hominis voluntate dependeat; ut si puero baptizato administrentur Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ, augmentum gratiæ Sacramentalis nullatenus a pueri voluntate pendet. Sed in adultis alia est ratio; ad charitatis enim habitualis augmentum etiam hominis voluntas gratia actuali adjuta concurrit, *& per modum dispositionis*, *& per modum meriti*, ut loquitur S. Thomas. Per modum quidem dispositionis, quia, ut inquit 2. 2. q. 24. art. 6. *quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, inquantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem*. Per modum *meriti*; quia opera bona facta in charitate sunt meritoria. Idem tamen S. Doctor loco mox laud. ad 1. bene notat, „ quod quilibet „ actus charitatis meretur vitam æternam, non qui„ dem statim exhibendam, sed suo tempore. Si„ militer etiam quilibet actus charitatis meretur cha„ ritatis augmentum. Non tamen statim augetur; „ sed quando aliquis conatur ad hujusmodi au„ gmentum ".

68. Hic autem multæ exoriuntur quæstiones scholasticæ, quas enucleare operæ pretium non videtur; quas etiam prudenter omiserunt Tridentini Patres, hoc unum contenti definire, quod impie a Novatoribus negabatur, scilicet justos semper magis, ac magis justificari, & justitiam in ipsis augeri per bona opera, quæ non sunt solummodo fructus, & signa justificationis adeptæ, sed etiam ipsius augendæ causa. Vid. sup. n. 60. Et can. 32. anathemati subjicitur, qui negaverit justum bonis operibus, quæ per gratiam fiunt, *vere mereri augmentum gratiæ* (a).

69. Quærit postea idem Angelicus art. 8. utrum charitas in hac vita possit esse perfecta? Certe plurima sunt divina eloquia, quibus *perfecta* charitas commemoratur. In prima ep. S. Jo. c. II. 5. „ Qui servat verbum ejus, vere in hoc Dei cha„ ritas perfecta est: *c. IV.* 12. Si diligamus invi„ cem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in „ nobis perfecta est, *& vers.* 15. In hoc perfecta „ est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habea„ mus in die judicii; *& rursus:* Timor non est „ in charitate; sed perfecta charitas foras mittit ti„ morem ".

70. Jam vero S. Thomas *primo* advertit, non posse hanc perfectam charitatem intelligi ex parte objecti diligibilis, nempe Dei; cum enim bonitas divina sit infinite diligibilis, nulla creatura potest eam perfecte, seu infinite diligere. Sed ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantum, quantum potest. „ Quod quidem subdit „ S. Doctor, contingit tripliciter. Uno modo sic, „ quod totum cor hominis *actualiter* semper fe„ ratur in Deum: & hæc est perfectio charitatis pa„ triæ, *quæ non est possibilis in hac vita*, in „ qua impossibile est, propter humanæ vitæ in„ firmitatem semper actu cogitare de Deo, & mo„ ve-

(a) Bene observat Franc. Sylvius in Comment. ad 2. 2. S. Thomæ q. 24. art. 6. Concilium Trident. nihil definivisse de augmento Charitatis, quantum ad ea, quæ inter Scriptores Catholicos dubie disputantur. Cujusmodi sunt, an per singulos actus etiam remissos de facto augeatur Charitas: an augeatur secundum totam latitudinem operis meritorii; an augeatur effective, an meritorie. Mens enim Concilii fuit, destruere errorem hæreticorum, dicentium, *nec justos crescere in sanctitate*, *nec justorum opera vere mereri augmentum gratiæ*. Si quis in harum quæstionum vastissimo campo expatiari cupit, adeat doctissimos Theologos Salmanticenses in Tract. XIX. *De Charitate*.

„ veri dilectione ad ipsum. Alio modo ut homo „ studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum „ necessitas præsentis vitæ requirit: & ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non „ tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo; ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinæ „ dilectioni sit contrarium: & hæc perfectio est „ communis omnibus charitatem habentibus". En qualis charitatis perfectio haberi in hac mortali vita possit.

71. Ex hactenus dictis refellitur error Beguardorum, qui S. Antonino referente in *Chronico* P. III. Tit. XXI. cap. 3. §. 2. dicebant, *hominem in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum posse acquirere; quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeat*. Horum hæresis fuit in Concilio Viennensi in Gallia sub Clem. V. condemnata.

Quæres *quarto*, an sicut charitas augeri in justis potest, ita possit etiam diminui?

72. Respondet S. Thomas *negative*, cujus hæc est solidissima ratio. Non potest charitas diminui, nisi vel per cessationem ab actu charitatis, vel per aliquem actum charitati contrarium: neutro autem modo diminui potest: ergo &c. Priorem minoris partem ita S. Doctor demonstrat .... „ Per cessationem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus „ acquisitæ, & quandoque etiam corrumpuntur (ut „ dictum est 1. 2. qu. 53. art. 3.) .... Sed hoc ideo est, quia conservatio uniuscujusque rei dependet ex sua causa: causa autem virtutis acquisitæ est actus humanus: unde cessantibus humanis actibus, virtus acquisita diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate „ locum non habet, quia charitas non causatur ab „ humanis actibus, sed solum a Deo (ut supra „ dictum est art. 2.). Unde relinquitur, quod etiam cessante actu, propter hoc nec diminuitur, „ nec corrumpitur, *si desit peccatum in ipsa cessatione:*" ut non deesset, si actus cessaret in iis temporibus, & circumstantiis, quibus (supra n. 42. & seq.) homo tenetur sub gravi actus internos charitatis elicere.

73. Hoc constituto ita suum ratiocinium Angelicus prosequitur: „ Relinquitur ergo, quod diminutio charitatis non possit causari, nisi vel a „ Deo, vel ab aliquo peccato. A Deo quidem non „ causatur aliquis defectus in nobis, nisi per modum pœnæ secundum quod subtrahit gratiam in „ pœnam peccati: unde nec ei competit diminuere charitatem, nisi per modum pœnæ: pœna autem debetur peccato: unde relinquitur, quod si „ charitas diminuatur, causa diminutionis ejus sit „ peccatum, vel *effective*, vel *meritorie*. Neutro „ autem modo peccatum mortale diminuit charitatem, sed totaliter corrumpit; quia omne peccatum mortale contrariatur charitati (quod Sanctus Thomas postea ostendit art. 12.), & etiam „ meritorie, quia cum peccando mortaliter aliquis „ contra charitatem agit, dignum est, ut Deus ei „ subtrahat charitatem".

74. Et hoc totum per se evidens est. Dubium superesse potest de peccato veniali, an per hoc charitas diminuatur. Sed hoc etiam dubium diluit Angelicus ita pergens: „ Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui potest, neque „ *effective*, neque *meritorie*. Effective quidem „ non, quia ad ipsam charitatem non attingit; „ charitas enim est circa finem ultimum; veniale autem peccatum est quædam inordinatio „ circa ea, quæ sunt ad finem: non autem diminuitur amor finis ex hoc, quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, quæ sunt „ ad finem... sicut in speculativis scientiis falsæ „ opiniones circa ea, quæ deducuntur ex principiis, non diminuunt certitudinem principiorum. Similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem charitatis (habitualis): cum „ enim aliquis delinquit in minori, non meretur „ detrimentum pati in majori. Deus enim non „ plus se avertit ab homine, quam homo avertat „ se a Deo. Unde qui inordinate se habet circa „ ea, quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad „ ultimum finem".

75. Observat demum diligentissimus Aquinas, toto hoc ratiocinio solum concludi, charitatem non posse per peccatum veniale diminui *directe:* unde subdit: potest tamen *indirecte dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis* (a). Hanc eamdem doctrinam tradit Angelicus in Quæst. VII. *De malo* art. 2. ubi multa sibi opponit, & diluit: eidemque omnes ferre Theologi subscribunt.

76. Eidem tamen obstare videntur nonnulla Scripturæ sanctæ loca, ut illud Eccles. XIX. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet;* & Apoc. II. 4. Ephes. Episc. corripitur, quod *charitatem suam primam reliquerit:* unde etiam subditur. *Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam &c.*

77. Priora Ecclesiastici verba facile explicantur ex doctrina Angelici mox exposita n. 75. quod peccata venialia *indirecte* disponant ad mortalia, quibus

(a) Inter innumera exempla pravæ hujus dispositionis, quæ ad amittendam Charitatem inducitur ex cessatione operum Charitatis, illud afferre placet, quod habet magnus Gregorius Gordianæ sororis suæ Hom. XXXVIII. in Evang., *quæ cœpit a calore amoris intimi per quotidiana decrementa tepescere;* quo factum est, ut tandem *oblita Dominici timoris, oblita pudoris, oblita reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum maritum duceret*.

bus charitas non diminuitur, sed prorsus extinguitur.

78. Aliud autem testimonium ex Apocalypsi refertur ad ferventes charitatis actus, quibus justi habitum charitatis conservare, & augere satagunt; & a quibus si cessent, non diminuitur quidem ipse charitatis habitus, qui est infusus a Deo, non per actus acquisitus; diminuitur tamen fervor charitatis, unde recte monebatur Episcopus Ephesinus, ut pœnitentiam ageret suæ negligentiæ, & priora opera charitatis faceret.

79. Præterea objicit sibi S. Thomas verba S. Augustini, qui Lib. X. *Conf.* c. 29. Deum alloquens, *Minus*, inquit, *te amat*, *qui tecum aliquid amat*. Et Lib. *Octogintatrium Quæstionum* qu. 36. *nutrimentum*, inquit, *charitatis est diminutio cupiditatis*. Et Lib. VIII. *De Trinit.* c. 7. *Omnis amor*, inquit, *vel est cupiditatis*, *vel charitatis:* quanto igitur magis crescit amor cupiditatis per peccata venialia, eo magis diminuitur charitatis amor.

80. Respondet S. Thomas ad 2. ,, quod duplex ,, est cupiditas: una quidem, qua finis in creaturis constituitur; & hæc *mortificat totaliter charitatem*, cum sit venenum ipsius, ut Augustinus dicit ibidem. Et hoc facit, quod Deus minus ametur; scilicet quam debet amari ex charitate; non quidem charitatem diminuendo, sed eam totaliter tollendo. Et sic intelligendum est, quod dicitur: *Minus te amat*, *qui tecum aliquid amat;* subditur enim. *Quod non propter te amat*. Quod non contingit in peccato veniali, sed tantum in mortali. Quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu. Est autem alia cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per charitatem. Sed tamen talis cupiditas charitatem diminuere non potest ratione jam dicta ". Qua S. Thomæ doctrina explicantur etiam illa verba S. Augustini Lib. VIII. *De Trinit.*, scilicet de ea *cupiditate*, quæ non constituit finem in creaturis, adeoque charitatem minuere non potest.

81. Illud autem S. Augustini dictum, quod *nutrimentum charitatis sit diminutio cupiditatis*, sic explicatur a S. Thoma Qu. VII. *De malo* art. 2. ad 5. ,, quod diminutio cupiditatis dicitur esse *nutrimentum*, sive *conservatio* charitatis; non autem *augmentum;* quia scilicet diminutio cupiditatis diminuit venialia, quæ disponunt ad amissionem charitatis ".

82. Obstare etiam videtur, quod S. Bernardus habet in Serm. II. *De purificatione Beatæ Mariæ* n. 3., quod *non progredi in via Dei est retrocedere;* cum ergo justi peccando venialiter non progrediantur in via Dei, retrocedunt utique per charitatis imminutionem.

83. Illud vero sic explicat Angelicus in laud. Qu. VII. *De malo* art. 2. n. 11., homines retrocedere in via Dei, non per diminutionem charitatis, sed per hoc, quod retardantur a proficiendo, vel etiam per hoc, quod disponuntur ad casum.

84. Sed dicet aliquis, annon peccatum veniale est vera transgressio Legis, & vera offensa Dei, licet non gravis, & mortalis? Quomodo ergo per ipsum charitas non diminuitur?

85. Respondet S. Thomas, peccatum veniale esse inordinationem, seu transgressionem Legis non *simpliciter*, sed *secundum quid*, nec proinde habere proprie dictam rationem offensæ Dei, cum non importet aversionem ab ipso Deo.

CAPUT IV.

De præcepto charitatis, quo adstringimur omnia opera nostra deliberata in Deum referre.

86. Cum tota nostra sancta Religio a præcepto pendeat dilectionis Dei, quod primum, & maximum est, necessario consequi videtur, omnia nostra opera esse ad Deum ultimum nostrum finem referenda; ita ut primum nostræ rationis instans & cetera omnia usque ad ultimum in Dei amore impendantur, & unice in Deo vivamus: ut enim inquit noster Sanct. Præceptor 2. 2. quæst. 23. art. 2. ad 2., *charitas est formaliter vita animæ*, *sicut & anima corporis;* & ante cum Sanctus Augustinus Serm. V. *de Verbis Domini*, *Sicut*, inquit, *anima est vita corporis*, *sic animæ est Deus*. Et Sanctus Bernardus in Lib. *de diligendo Deo*. ,, Clamat, *inquit*, intus innata, & non ignota rationi justitia, diligendum esse illum, cujus nos totos esse, & cui totum debere, non ignoramus ". Imo Apostolus Paulus ita Corinthios exortabatur in secunda ad ipsos epist. cap. V. 14. seq. ,, Charitas Christi urget nos .... ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit ". Item ad Galat. II. 20. de se ipso dicebat: *Vivo ego*, *jam non ego; vivit vero in me Christus*. Scholastici tamen generalibus hujusmodi verbis minime contenti, diligentius expendere voluerunt, quid ex præcepto in iis sit, quid autem ex solo consilio? quæ ut recte intelligantur, nonnulla sunt prænotanda.

87. *Primo*, triplicem distingui oportere relationem nostrorum operum in Deum, nempe *actualem*, *virtualem*, *& habitualem*. Actualis est quæ procedit ex actu charitatis expresso; ut cum quis pauperi indigenti eleemosynam erogat ex reflexo, expressoque actu dilectionis Dei, & proximi; vel cum quis actum charitatis eliciens, se, suaque omnia in Deum ordinat. Ita autem referre *actualiter* in Deum omnia, & singula nostra opera est perfectio Beatorum in Patria, non autem obligatio Fidelium in via. ,, Omnia, *inquit Angelicus Quæst. I.* de Charitate *inter Disputatas art.* 11. *ad* 2. actu referre in Deum non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitemus; hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ ".

88. Relatio *habitualis* operum nostrorum in Deum, proprie loquendo, non est nisi potestas amandi Deum, at-

atque in eum omnia referendi, quæ inest omnibus justis habitu charitatis instructis; unde mox laudatus Angelicus ad 3. inquit: *Habitualiter refert in Deum, & qui nihil agit nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens.*

89. Demum relatio *virtualis* ea dicitur, quæ in nobis manet, postquam elicito actu charitatis omnia opera nostra ad Deum, ut ultimum nostrum finem ordinavimus; hæc enim ordinatio *moraliter*, & *virtualiter* perseverare censetur, nisi per actus contrarios, scilicet culpabiles retractetur, vel per cessationem fuerit nimis diu intermissa; certum est enim, ut superius est dictum num. 42. homines teneri ad sæpius actus dilectionis Dei renovandos: & quanquam difficile est, singula momenta determinare, in quibus habitus charitatis debeat in actus ejusdem charitatis explicitos erumpere, ambigi tamen non potest, nimis diuturnam ab hujusmodi actibus cessationem peccatum esse. Quamobrem recta docent Theologi virtualem relationem operum nostrorum in Deum tolli, vel per peccatum mortale, vel per nimis longam cessationem ab actu, quia & ipsa cessatio peccatum est omissionis (*a*).

90. Non erit inutile id verbis S. Thomæ uberius explicare, qui loco mox citato ad 2. postquam dixisset, actualem relationem omnium operum nostrorum non esse in hac vita possibilem, ita pergit: „ Sed quod omnia *virtute* referantur in Deum, „ *hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam* „ *omnes tenentur*. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus „ virtus primæ causæ manet in omnibus causis „ sequentibus, ita etiam intentio principalis finis „ virtute manat in omnibus finibus secundariis: „ unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem. „ Sicut Medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans, *virtualiter* tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. *Sic igitur* „ *cum aliquis seipsum ordinat in Deum, sicut* „ *in finem, in omnibus, quæ propter seipsum* „ *facit, manet virtute intentio ultimi finis*, qui „ Deus est ".

91. Notandum *secundo*, hanc relationem *virtualem* sic explicatam fuisse nonnunquam a veteribus Theologis appellatam *habitualem*, sensu minus proprio, ut ab actuali distingueretur. Sic S. Bonaventura in II. *Sent.* Dist. 28. „ Ad hoc inquit, „ quod aliqua actio sit meritoria, non oportet, „ quod quis eam referat *actualiter* in Deum, sed „ sufficit relatio *habitualis*. Habitualem autem re„ lationem eam voco, non quia habeat quis charitatem, per quam sit habilis ad referendum; sed „ quia in primordio operationis illius vel alterius, „ ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis „ intendit dare propter Deum centum marcas, & „ incipit dare, & cogitat de Deo in prima marca, & in aliis non cogitat, nihilominus omnes „ dationes illæ sunt & meritoriæ, & fructuosæ. „ Si autem opus alterius generis inciperet, oportet, quia intentio renovetur ad hoc, ut opus sit „ meritorium ". Ex quibus verbis liquet, ad mentem Seraphici Doctoris, *virtualem* relationem durare non posse, nisi sæpius renovetur.

92. Etiam S. Thomas aliquando terminum *habitualiter* usurpavit pro *virtualiter*; ut in I. *Sent.* Dist. I. quæst. 3. art. un. in fine inquiens: „ Non quod „ quamlibet operationem oporteat semper *actualiter* referre in Deum, sed sufficit ut *habitualiter* (idest *virtualiter*) in Deo constituat finem „ suæ voluntatis ". Item 1. 2. qu. 88. art. 1. ad 2. *sufficit, ut habitualiter referat se, & omnia sua in Deum*. Et 3. P. qu. 64. art. 8. ad 3. dicit ad perfectionem Sacramenti in Ministro sufficere intentionem *habitualem*.

93. Notandum *tertio*, a subtilioribus Scholasticis aliam distingui relationem *virtualem*, quam vocant *implicitam*, vel *interpretativam*, quando nempe quis facit opus natura sua ordinatum ad finem ultimum, *implicite* censetur illud ipsum opus ad finem ultimum referre, quamvis neque actu, neque explicite virtualiter illud ad ultimum finem ipse referat; de qua relatione virtuali implicita postea dicemus.

94. Demum ea recolenda sunt, quæ superius numer. 92. docuimus de præcepto referendi omnia nostra opera deliberata in finem honestum; ita ut in Deum nostrum ultimum finem *saltem referibilia* sint; cui doctrinæ unanimi calculo omnes ii Theologi subscribunt, qui cum sanctissimo Præceptore nostro pro certo habent, nullum esse actum humanum deliberatum in *individuo* indifferentem, sed non omnes isti Theologi postea consentiunt, hæc opera nostra deliberata in ipsum Deum ultimum nostrum finem ex charitate, vel actu, vel saltem virtualiter *explicite* referri oportere; putant enim bene multi, potissimum ex Angelica S. Thomæ schola, solam rationem virtualem *implicitam* sufficere, qua de re nonnulla addemus inferius. Interea sit

PRO-

(*a*) Attentis frequentibus tentationibus dæmonum, continuisque ictibus nostræ perduellis concupiscentiæ bene judicant Theologi, non posse diu hanc virtutem ex actu Charitatis elicitam perdurare, nisi crebris actibus foveatur, & renovetur. Ad illam autem fovendam, & renovandam quamplurimum inserviet devota, & attenta recitatio illorum verborum Orationis Dominicalis: *Sanctificetur nomen tuum*, ut nempe Deus ab omnibus, & ubique glorificetur. Frequens etiam doxologia *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* ad hoc instituta videtur. Denique plurimi divinorum Psalmorum versiculi ad hoc ipsum tendunt.

PROPOSITIO I.

Tenetur homo ex præcepto Charitatis omnia opera sua in Deum referre, non quidem relatione semper actuali, sed saltem virtuali.

95. Ideo sæpe, & luculenter traditur in sacris Litteris, ut mirum videatur, posse vel negari, vel in dubium revocari. Potissima earundem Scripturarum oracula asseremus cum sanctissimi nostri Præceptoris explicationibus: *Primo* Salvator noster J. C. Matth. XXII. 36. seq. Legis Doctori interroganti: „ Magister, quod est mandatum magnum „ in Lege? *illico respondit:* Diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum ". In hoc autem primo, & maximo mandato, quod sæpius in sacris eloquiis repetitum, & majorem in modum inculcatum invenimus, verum contineri præceptum referendi omnia opera nostra, saltem virtualiter, in Deum; ita S. Thomas evincit 1. 2. qu. 100. art. 10. ad 2.: „ Sub præcepto charitatis continetur, „ ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, *ut omnia referantur in Deum;* & ideo „ præceptum charitatis implere homo non potest, „ nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est *Honora parentes*, sed ex vi hujus præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. „ Et majore emphasi S. Augustinus Lib. I. *de doctrina Christ.* cap. 22. Tom. III. ita hoc divinum præceptum explicat, *ut omnes cogitationes tuas*, & *omnem vitam*, & *omnem intellectum* in illum conferas, a quo habes ea ipsa, „ quæ confers. Cum autem ait, *toto corde*, *tota anima*, *tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid „ diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, „ quo totus dilectionis impetus currit ".

96. Ulterius præceptum virtualis relationis operum nostrorum in Deum ostenditur ex iis Apostoli verbis 1. ad Cor. X. 31.: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* tum cap. XVI. 14. *Omnia vestra in charitate fiant*. Hæc enim verba continere verum præceptum referendi opera nostra in Deum ex charitate, aperte docent non pauci Sancti Patres. S. Augustinus *De correptione, & gratia* cap. 3. *Præcipit*, inquit, *Apostolus dicens: omnia vestra cum charitate fiant*. S. Basilius in *Regula fusiore* interrogat 5. „ Christianus, inquit, si actiones „ suas omnes, sive majores, sive minores ad Dei „ voluntatem direxerit, is sine controversia & egregie opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conservat, a quo „ id *jussus* est facere .... item Pauli *præcepto* illi satisfaciet: *sive manducatis, sive bibitis* &c. ". Similia habent S. Ambrosius in Lucam Lib. II. n. 84., & S. Hieronymus in ep. ad Ctesiphontem, ubi Pelagium alloquens. Audi, inquit, ingrate, „ imo sacrilege: *sive manducatis, sive bibitis &c.* ": Et pluribus aliis omissis, S. Bernardus Serm. III. *De obedientia: Quidquid facimus*, inquit, *jubemur facere in gloriam Dei*.

97. Tota denique Ecclesia græca in *Euchologio* (apud Goar. pagina 306. edit. Venetæ an. 1730.) ita in prima capillorum detonsione precatur: *Domine, qui per Apostolum tuum Paulum, tuæ vas electionis, omnia in laudem tuam fieri præcepisti &c.*

98. Sed præstat audire nostrum S. Præceptorem, qui ex Sanctorum Patrum doctrina hæc duo Pauli loca sic explicavit. Primum Lect. VII. inquiens: „ Persuadet intentionem *debitam* ibi: „ *Omnia in* „ *gloriam Dei &c.* .... ergo sive manducatis, sive bibitis, quæ sunt opera necessitatis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, „ & cum invocatione Creatoris, *ea intentione*, ut „ Deus laudetur, & glorificetur ". Alia autem Apostoli verba: *Omnia vestra in Charitate fiant* ita exponit: *Idest omnia debent referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum, & proximum*. Ita etiam loquitur in Quæst. I. *De charitate art.* 11. ad 2., ubi postquam relationem virtualem ab actuali distinxit, de prima interpretatur dictum Apostoli: *Sive manducatis &c. omnia in gloriam Dei facite*.

99. Multo autem clarius hunc S. Pauli textum *Omnia in gloriam Dei facite* explicat S. Doctor in Lib. II. *Sent.* Dist. 40. qu. 1. art. 5. ad 7. inquiens: „ Hoc potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus: „ *nihil contra Deum faciatis;* & hoc modo *præceptum* est: & sic præceptum hoc præteritur, vel „ per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel „ per peccatum veniale, quod præter præceptum, „ & præter Deum fit. Si autem intelligatur *affirmative*, hoc potest esse dupliciter, aut ita quod „ *actualis* relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed *in virtute*, secundum quod virtus primæ ordinationis „ manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut „ & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus „ ad ipsum ordinatis; & *sic adhuc præceptum* „ *est* ".

100. *Tertio*, præceptum referendi in Deum omnia opera nostra deliberata etiam deducitur ex iis verbis Jesu Christi Lucæ XVIII. 1. *Oportet semper orare, & non deficere;* quibus consonant hæc alia Apostoli Pauli ad Thess. V. 17. „ Sine intermissione orate; in omnibus gratias agite: hæc „ est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis ". Quæ duo sacra testimonia affert, & exponit S. Thomas 2. 2. qu. 83. artic. 14. ubi ostendit orationem debere esse diuturnam. „ De oratione, inquit, dupliciter loqui possumus: uno „ mo-

„ modo secundum se ipsam; alio modo secundum „ causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, „ quod quidem in nobis debet esse continuum, vel „ *actu*, vel *virtute*: manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus. „ *Omnia autem debemus in gloriam Dei facere;* ut dicitur 1. ad Cor. X. Et secundum hoc „ oratio debet esse continua. Unde Augustinus dicit ad Probam ep. CXXX. alias CXXI. c. 9.: „ *In ipsa fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus* ".

101. *Denique* hoc ipsum præceptum manifeste nobis declarat idem Paulus Apostolus ad Coloss. III. 17. inquiens: „ Omne quodcumque facitis in „ verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini „ Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. *Quæ verba expendens S. Thomas in Lect. III.* Quidam dicunt, *inquit*, quod „ hoc est consilium, sed hoc non est verum. Sed „ dicendum est, quod non est necessarium, quod „ omnia in Deum referantur actu, sed habitu; „ *vel etiam, ut alibi sæpius docuerat*, virtualiter ".

102. Et hæc quidem certissima esse debent. Veruntamen aliæ exortæ sunt inter Theologos quæstiones: duæ autem sunt præcipuæ. *Prima*, an hoc præceptum referendi omnia opera nostra in Deum saltem virtualiter sit distinctum ab ipso primo, & maximo mandato Deum diligendi super omnia, ut proinde illi satisfieri possit, ac debeat etiam actibus charitatis imperfectis, quibus diligitur quidem Deus, sed non super omnia? *Secunda*, an hujus relationis omissio semper culpabilis sit; ita ut qui opera facit ex objecto, aliisque circumstantiis bona, sed eadem in Deum charitate saltem imperfecta non refert, semper peccet? Ut nostram opinionem exponamus sit

PROPOSITIO II.

Præceptum relationis virtualis omnium operum nostrorum in Deo non est distinctum a primo, & maximo mandato dilectionis Dei super omnia.

103. Prob. *primo* ex verbis S. Augustini supra recitatis n. 94. ex Lib. I. *De doctr. Chr.* ubi divinum præceptum dilectionis Dei ita exponit, ut *omnes nostras cogitationes, omnemque vitam nostram in Deum conferamus, a quo illa ipsa habemus, quæ conferimus;* & hoc præcipi vult, cum jubemur Deum diligere *toto corde, tota anima, tota mente*. S. Isidorus Hispalensis Lib. I. *Differentiarum* Differ. XXXII. „ Dum dicit, inquit, *Diliges Deum ex toto corde tuo*, omnes cogitationes in Deum referendas *præcipit:* dum „ vero dicit, *ex tota anima*, omnes affectiones „ animæ in Deum referri jussit: dum vero adjecit, *ex tota mente*, indicat, & omnem rationem humanam ... in divinis esse occupandam ".

104. Prob. *secundo* ex S. Thoma, qui ubicumque agit de præcepto referendi omnia opera nostra in Deum, illud semper repetit ex maximo illo mandato diligendi Deum super omnia; & semper loquitur de præcepto charitatis *justificantis*, quæ Justorum est propria, qua nempe diligitur Deus, ut summum, & perfectissimum bonum, super omnia. Id facile apparebit relegenti textus Angelici n. 94., & seq. a nobis adductos, quibus varia scripturæ sacræ loca ad hoc pertinentia exponit; præcipue illud ex 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. ubi inquit: *Et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum:* relatio igitur omnium operum in Deum non est a præcepto charitatis distincta.

105. Ulterius idem S. Thomas 2. 2. qu. 184. art. 3. ad 2.: „ Est autem, *inquit*, infimus divinæ „ dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur: a quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet „ præceptum ", scilicet charitatis; ac proinde etiam relationis virtualis omnium operum in Deum.

106. *Tertio* in II. Distinct. 40. quæst. 1. artic. 5. ad 6.: „ Si quæratur, *inquit*, quando oporteat „ actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quærere, quando oporteat, habitum charitatis exire in actum; quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per „ consequens omnium eorum, quæ in ipsum (*hominem*) ordinantur ". Decretorius videtur hic „ locus; cum apertissime Angelicus non aliud agnoscat præceptum referendi omnia nostra opera in Deum, quam illud, quo *oportet habitum charitatis exire in actum*.

107. Nec minus decretoria sunt ejusdem Angelici Doctoris verba Quæst. *De charitate* art. 11. ad 3., ubi inquit: „ Virtualiter referre omnia in Deum „ cadit sub præcepto charitatis (*utique perfectæ, & justificantis*), cum hoc nihil aliud sit, quam „ habere Deum ultimum finem ". Quemadmodum igitur tenemur identidem actus charitatis perfectæ elicere; ita etiam tenemur identidem omnia opera nostra in Deum ultimum nostrum finem *actu* referre. Et similiter quemadmodum actus dilectionis Dei super omnia remanet in nobis *virtute*, quousque retractetur, aut cesset; ita relatio omnium nostrorum operum in Deo remanet virtute; ut non sit necesse eam renovare, nisi cum necesse est renovare actus charitatis.

108. Hæc firmissima est, & luculentissima doctrina S. Thomæ; cui tamen aliqui contradicunt, contendentes, præceptum relationis virtualis omnium operum in Deum latius patere, quam præceptum dilectionis Dei *super omnia*, & propterea *primo*, teneri homines ad referenda omnia opera sua in Deum, etiam quando præceptum *affirmativum* dilectionis Dei minime urget: *secundo*, præceptum relationis operum in Deum, quamvis dicatur *affir-*

firmativum, includere tamen etiam præceptum *negativum*, & huic æquivalere: *Nihil deliberate agatis, quod in Deum charitate dilectum actu, vel virtute non referatur: tertio*, hanc Dei dilectionem non oportere semper esse *perfectam*, & *super omnia*, cujusmodi est charitas justificans; sed satis esse etiam actus charitatis secundarios, qui ad justificationem minime sufficiunt: *demum* hoc præceptum relationis virtualis non obligare sub mortali peccato, sed sub veniali tantum.

109. Non erit abs re hanc quorumdam Theologorum doctrinam verbis exponere Franc. Sylvii in 1. 2. qu. 100. art. 10.; ubi primo ex illo celebri S. Pauli textu 1. ad Cor. X. 31.: " Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite, *evincit*, nos ex præcepto obligari omnes nostras actiones, quas ex deliberata voluntate facimus, ad Deum, Deique gloriam ordinare, non quidem actu, sed virtute ".

110. Post autem ita pergit: „ Neque vero his obstat, quod S. Doctor tradit, præceptum dilectionis Dei esse *affirmativum*, & non obligare ad semper, posseque idcirco contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de non omissione modi charitatis. Hæc enim omnia verissima sunt: sed quod dicit de præcepto dilectionis Dei, non pariter affirmat de præcepto referendi actiones nostras in Deum, idque merito, quia præceptum istud *diliges Dominum, Deum tuum* non continet *universitatem*, quam hoc exprimit, *Omnia in gloriam Dei facite:* & propterea præceptum dilectionis cum sit affirmativum, & sine *universalitate*, non pro semper obligat. Alterum vero etsi sit affirmativum, quia tamen continet *universitatem* actionum, obligat pro omni tempore, quo deliberate actiones alias facimus; alioquin non omnia essent in gloriam Dei referenda, non illa scilicet, quæ fierent eo tempore, pro quo præceptum non obligaret ".

111. „ Nec refert, eum (S. Thomam) dicere, quod ad præceptum dilectionis Dei ex toto corde pertinet, ut omnia referantur in Deum: quamvis enim ita sit, inquantum istud præceptum dilectionis impleri non potest ab aliquo, nisi etiam omnia sua in Deum referat; non tamen e converso dicit, aut significat, quod nullo modo possit quispiam omnia sua referre in Deum, nisi etiam impleat præceptum dilectionis. Nam omnia sua virtualiter in Deum referre, varie intelligi potest. Uno modo ut significet facere propter Deum simpliciter *super omnia dilectum*, vel ordinare in gloriam Dei simpliciter, & absolute *super omnia dilecti*, & sic recte dici potest, non posse quempiam sua omnia in Deum, nisi etiam impleat præceptum dilectionis; consequenterque concedi, quod juxta hunc modum sententia Apostoli non contineat præceptum, sed exhortationem, & consilium. Alio modo referre in Deum est facere propter Deum, non quidem *dilectum super omnia*, sed tamen fide cognitum, & aliquo modo honorandum, seu propter ejus reverentiam; ita ut quamvis ille, qui operatur, de Deo non cogitet, *virtute* tamen, & *implicite* operetur propter ipsum; adeo ut si rogaretur, quare hoc faciat, finaliter, aut quasi finaliter, ex animo responsurus esset, quia Deus jubet, vel consulit, quia Deo gratum est, quia fidei Christianæ est consentaneum, quia sic in Religione Christiana docemur, quia hoc decet Christianum, vel quid simile ".

112. „ Sic propter Deum operantur, qui licet Deum non diligant, sicut oportet, sed in homicidiis, adulteriis, ebrietatibus, aut aliis flagitiis versentur, aliqualiter tamen ei bene afficiuntur, & recusant pejerare, Fidem, aut Christum abnegare, Sacramenta conculcare, Imagines contemnere, & alia hujusmodi, eo quod actualiter, aut virtualiter judicent, talia facere esse gravia peccata, esse contra Christum, contra Fidem, aut Religionem. Sicut & illi, qui Missam audiunt, jejunant, eleemosynas largiuntur, Imagines honorant, quia Ecclesia sic jubet, quia Christianos sic operari decet. Et juxta hunc modum intelligenda videtur sententia, quæ asserit, esse præceptum Christianis, omnia facere saltem virtualiter in gloriam Dei, seu propter Deum. Neque præceptum sic intellectum est homini in hac vita impossibile; imo nec tam difficile, ut propter ejus difficultatem illud sit negandum; cum & absque charitate possit impleri, & peccatores, etiamsi graves, illud adimpleant, seu adimplere possint, quando opera faciunt moraliter bona ".

113. Hac eximii Theologi doctrina non excluditur quidem perspicua, & sæpius repetita Angelici Doctoris sententia de præcepto referendi omnia opera nostra in Deum *super omnia dilectum;* quod præceptum adimpletur, quotiescumque actus dilectionis Dei supra omnia elicitur; tunc enim fit ordinatio totius hominis in finem ultimum. Sed ulterius asseritur aliud præceptum distinctum, aut saltem latius patens referendi virtualiter totum id, quod facimus, in gloriam Dei, etiam quando non urget obligatio eliciendi explicitum charitatis actum; & hoc præceptum adimpleri aliquando posse per actus dilectionis Dei non *super omnia:* adeoque non justificatis; quam dilectionem Dei aliqui Theologi vocant *charitatem imperfectam;* & quæ etiam in peccatoribus esse potest.

114. Verumtamen, præterquam quod nulla apud sanctissimum nostrum Magistrum mentio invenitur hujus præcepti, referendi omnia nostra opera in Deum, distincti a præcepto charitatis, nimis expressa, ac sæpius repetita sunt ejusdem testimonia superius relata num. 104., quibus præceptum virtualis relationis operum nostrorum in Deum semper

per repetit ex præcepto dilectionis Dei *super omnia*, quod implere non possumus, nisi etiam opera nostra in Deum ordinemus.

115. Ulterius S. Doctor aliter omnino explicat præceptum negativum, quod continetur in iis verbis: *Omnia in gloriam Dei facite*, inquit enim in II. *Sentent.* Dist. 40. qu. 1. art. 5. ad 7.: „ Si „ negative accipiatur, sic est sensus: nihil contra „ Deum facietis .... & sic præceptum hoc præte- „ ritur, vel per peccatum mortale, quod contra „ Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præ- „ ter præceptum, & præter Deum fit ": ubi nihil habet de illa *universalitate*, quam Sylvius adnexam esse dicit præcepto referendi omnia in gloriam Dei; propter quam *universalitatem* putat præceptum illud obligare pro omni tempore, quo deliberate agimus. Docet ergo Angelicus, huic Apostoli præcepto satisfieri per actum dilectionis Dei super omnia, cujus virtus remanet, quousque per actum contrarium non retractetur; vel non eliciatur novum charitatis actus, urgente præcepto.

116. Præterea nimis clara sunt verba superius n. 95. recitata ex 1. 2. qu. 110. art. 10. ad 2., ubi hæc addit: „ Et cum ista sint duo præcepta affir- „ mativa (*scilicet diligendi Deum*, *&* *honoran-* „ *di parentes*), non obligantia ad semper, pos- „ sunt pro diversis temporibus obligare; & ita po- „ test contingere, quod aliquis implens præceptum „ de honoratione parentum, non tunc transgredia- „ tur præceptum de omissione modi charitatis "; nempe relationis hujus operis in Deum, quia præceptum hujus relationis, seu, quod idem est, dilectionis Dei, non obligat pro semper, sed solum quibusdam certis temporibus. Unde etiam in II. Dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6.: „ Quod si quæratur, „ *inquit*, quando oporteat actum referre in ulti- „ mum finem, hoc nihil aliud est, quam quære- „ re, quando oporteat, habitum charitatis exire „ in actum ".

117. Idemque Angelicus suis principiis constanter inhærens in II. Dist. 41. qu. 1. art. 2., cum docuisset, non oportere, omnes Infidelium actus esse malos, sibi objicit n. 4.: „ Illud proprie di- „ citur malum, quod caret aliqua perfectione, ob „ quam natum est, & debet habere; sed omnis „ actus humanus natus est in ultimum finem bea- „ titudinis referri: ergo actus Infidelium, cum in „ ultimum finem non referatur, in quem Fides „ dirigit, videtur, quod omnis actus Infidelium „ sit malus. *Huic autem objectioni ita respon-* „ *det:* Non obligamur ad hoc, quod quilibet a- „ ctus dirigatur in finem illum, in quem non po- „ test nisi Fides dirigere; *quia præcepta affirma-* „ *tiva non obligant ad semper*, quamvis semper „ obligent: & ideo non oportet, ut actus Infide- „ lium, qui in finem illum non est ordinatus, „ *semper sit peccatum: sed solum pro tempore* „ *illo*, *in quo tenetur actum suum in finem ul-* „ *timum referre* ". Quemadmodum autem in infideli, ita etiam in peccatore fideli ex allata S. Thomæ Aquinatis doctrina non oportet, actum in finem ultimum non ordinatum esse peccatum, nisi eo tempore, in quo ex præcepto affirmativo tenetur actum suum in finem ultimum referre. Et adhuc clarius 1. 1. qu. 100. art. 10. ita de peccatore patrem suum honorante loquitur: „ Qui ho- „ norat patrem, licet non habeat charitatem, non „ efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit „ transgressor præcepti, quod est de actu charita- „ tis, propter quam transgressionem meretur pœ- „ nam ".

118. Hinc etiam patet, longe a mente S. Thomæ aberrare, qui huic præcepto referendi omnia in Deum *virtualiter* satisfieri posse putant per actus charitatis imperfectos, quales vidimus a Sylvio describi num. 112.; qui inde concludit, etiam peccatores posse hoc præceptum adimplere. Nam Doctor Angelicus semper talem exigit relationem virtualem, quæ oriatur ex actu charitatis perfectæ; & quæ non unum, vel alterum opus, sed omnia opera nostra comprehendat. Ulterius S. Thomas non agnoscit in homine peccatore potentiam observandi hoc præceptum relationis operum in Deum; nisi quia opitulante Dei gratia potest se ad Deum convertere, & ad perfectam charitatem pervenire. *Non est impossibile*, inquit 1. 2. qu. 100. art. 10., *hoc præceptum observare*, *quod est de actu charitatis*, *quia homo potest se disponere ad charitatem habendam*, *&* *quando habuerit eam*, *potest ea uti*.

119. Mirum profecto est, sanctissimum, & diligentissimum nostrum Ducem, & Magistrum, cum tam sæpe agat de præcepto relationis virtualis in Deum, illud semper repetiisse ex alio præcepto, quo tenemur certis quibusdam temporibus actum dilectionis Dei *super omnia* elicere, nulla umquam facta mentione alterius præcepti relationis operum in Deum, cui satisfieri possit sine dilectione Dei *super omnia*, sed ex actis charitatis imperfectæ, quæ non sit dilectio Dei *super omnia*. Mirum insuper videri debet, non alia Infidelibus opera ad peccatum imputare, quam quæ fiunt eo tempore, & quo ipsi tenentur actus suos in Deum, ut finem ultimum, actu referre. Ac demum mirabile est, eum docere, non alia de causa posse peccatorem, & debere actus suos bonos in Deum virtualiter referre, nisi quia potest se disponere ad charitatem habendam, & quando eam habuerit, potest ea uti ad opera sua bona in Deum referenda: non autem docere, hominem peccatorem posse præcepto relationis operum in Deum satisfacere per actus charitatis, quos imperfectos vocant, quales etiam peccator actuali Dei gratia adjutus elicere potest, & aliquando etiam elicit, nempe exercendo aliquos virtutis, & pietatis actus propter Deum: qui actus imperfecti quidem sunt, & non meritorii, utpote gratia habituali destituti, non sunt tamen mali.

120. Obj. *primo*, S. Doctor in III. *Sent.* Dist. 56. art. 6. ad 5.: „ Modus, *inquit*, charitatis plus „ im-

,, importat, quam relationem operis in finem debitum, importat enim, quod actus ex habitu ,, charitatis procedat, qua multi carentes, actus ,, suos in Deum referunt": ergo admittit etiam relationem aliquam virtualem, quae non procedat ex præcepto, & actu charitatis.

121. Resp., neg. cons.; nihil enim aliud innuit S. Doctor, nisi præceptum referendi opera nostra in finem debitum, de quo late disseruimus num. 82. Cum autem subdit, *multos carentes charitate referre actus suos in Deum*, intelligendus est de relatione *interpretativa*, *& implicita*, qua etiam peccatores, & infideles referentes opera sua bona in finem honestum, eadem censentur referre etiam in Deum primum honestatis fontem.

122. Obj. *secundo*. Idem S. Doctor in I. *Sent.* Dist. I. qu. 3. art. 2. hujus virtualis relationis mentionem facit, dicens: ,, Nullo peccato utendum est, ,, quia peccatum non est a Deo: pœna autem a ,, Deo est, & ideo pœna utendum est, *& ordi-* ,, *nanda ad finem*, secundum quod promovet me- ,, ritum hominis, ducens eum in considerationem ,, suæ infirmitatis, secundum quod purgat pecca- ,, ta". Quibus postremis verbis ostendit Angelicus, se non loqui tantum de fine proximo, qui non promovet ad meritum, nec purgat peccata, sed de fine ultimo, nempe Deo. Deinde clarius mentem suam aperit in resp. ad 2. inquiens: *Creaturæ, quantum est in se, non impediunt nos a consequenda beatitudine: sed ex parte nostra, inquantum eis abutimur, in eis sistendo, sicut in fine:* non possumus ergo sistere in fine creato, cujusmodi est bonitas, vel honestas operis. Demum ad 3.: ,, Secundum Theologum, *inquit*, nul- ,, lus actus procedens a voluntate deliberante est ,, indifferens; quia si refertur in Deum, supposi- ,, ta gratia meritorius est: si autem non est refe- ,, ribilis, peccatum est: si vero est referibilis, & ,, non referatur, vanus est. Otiosum autem inter ,, peccata apud Theologum computatur". Itaque S. Thomas ad actus bonitatem exigit, non solum ut sit referibilis in Deum, sed etiam ut referatur.

123. Resp., scopum Angelici Præceptoris in hoc articulo non alium esse, quam ostendere, hominem debere creaturis *uti*, non *frui;* ille enim *fruitur* creaturis, qui finem in iis constituit; *utitur* autem, qui earumdem usum dirigit ad finem ultimum, nempe Deum (*a*); ex qua doctrina recte infert, omnia nostra esse in Deum ordinanda, quod ille facit, qui eliciendo debitis temporibus charitatis actum, se, & sua omnia in Deum ordinat. Ad hanc autem ordinationem non est necessaria virtualis alia relatio *explicita*. Unde ibidem Angelicus subdit. *Non quod quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum: sed sufficit, ut habitualiter in Deo constituant finem suæ voluntatis*. Quod utique præstant justi, adimplentes præceptum dilectionis Dei super omnia.

124. Hanc, & non aliam esse nostri S. Præceptoris mentem, etiam manifestius eruitur ex responsione ad quartam objectionem. Sibi enim objecerat, inde sequi, nullum esse peccatum veniale: ,, Quia si refertur in ultimum finem, non est ,, aliquod peccatum: si autem constituatur aliquis ,, finis alius ultimus, non relatus ad finem ulti- ,, mum, est peccatum mortale. *Huic autem dif-* ,, *ficultati sic respondet:* Quamvis ille, qui pec- ,, cat venialiter, non referat actu in Deum suam ,, operationem; nihilominus tamen Deum habitua- ,, liter pro fine habet; unde non ponit creaturam ,, finem ultimum, cum diligat eam citra Deum: ,, sed ex hoc peccat, quia excedit in dilectione: ,, sicut ille, qui nimis immoratur viæ, non ta- ,, men exit ex via". Hac S. Thomæ doctrina possunt non solum objecta testimonia sed alia ejusdem generis, quæ sæpe occurrunt, explicari de relatione virtuali vel *explicita*, vel *implicita*. Explicita quidem illa est, quæ resultat ex actu charitatis; & ad eam tenemur, quotiescumque opus est, ut habitus charitatis prodeat in actum. Implicita vero est in iis operibus, quæ ex objecto, ex fine proximo, aliisque circumstantiis bona fiunt temporibus illis, in quibus præceptum charitatis *affirmativum* non obligat.

125. Obj. *tertio*. S. Doctor in IV. *Sentent.* Distinct. 31. quæst. 2. art. 2. ad 1., matrimonii usum licitum non esse docet, nisi intentio naturæ, quæ ad prolem suscipiendam dirigitur, ,, Refera- ,, tur actu, vel habitu ad intentionem prolis, prout ,, est bonum Sacramenti; alias staretur in crea- ,, tura, quod sine peccato esse non potest. Et i- ,, deo quando natura tantum movet ad actum ma- ,, trimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi ,, inquantum motus naturæ ordinatur actu, vel ,, habitu ulterius ad prolem, secundum quod est ,, bonum Sacramenti".

126. Resp., ex hac doctrina, quæ verissima est, manifeste sequi, actum matrimonii, ut licitus sit, semper referendum esse ad bonum matrimonii, ut est Sacramentum, seu ad prolem procreandam in Dei honorem; non tamen sequi, hanc relationem semper esse debere *virtualiter explicitam*, ut *virtualis implicita* minime sufficiat. Imo eam sufficere, indicat ipse S. Doctor, cum dicit motum naturæ ordinatum esse *actu*, vel *habitu* ad intentionem prolis, secundum quod est bonum Sacramenti. Et in corpore articuli dixerat: *Quando*

(*a*) S. Augustinus Lib. I. *De Doctrina Christiana* cap. 3. *Frui*, inquit, *est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre;* post autem ostendit, solo Deo *fruendum* esse, quia solus est ultimus noster finis, ceteris autem rebus solummodo *utendum*, quia debent omnia bona creata ad summum increatum, & incommutabile bonum referri. Lib. autem X. *De Trin.* cap. 19. *Non est*, inquit: *alia vita hominum vitiosa, atque culpabilis, quam male utens, & male fruens.*

do conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem (matrimonialem) *pertinet, totaliter excusantur a peccato;* ubi nulla fit mentio relationis hujus actus in Deum: non quasi hæc excludatur, sed quia *implicite* subintelligitur in iis conjugibus, qui solum propter bona matrimonii, non autem propter alios fines simul conveniunt. Unde etiam sic concludit: *Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causa procreandæ proli, & debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.*

127. Obj. *quarto*. Idem Angelicus Qu. XXII. *De Veritate* art. 2. „ Sicut, *inquit*, in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio, nisi per resolutionem in prima principia: ita appetitus creaturæ rationalis non est rectus, nisi per appetitum explicitum ipsius Dei actu, vel habitu ".

128. Resp., hæc verba Angelici ita esse intelligenda, ut creatura rationalis possit, & debeat aliquando *explicite* Deum appetere, secus ac aliæ creaturæ irrationales, quæ non appetunt Deum, nisi *implicite*. „ Unde, *inquit*, sola rationalis creatura potest secundarios fines in ipsum Deum per quamdam viam resolutionis inducere, & sic ipsum Deum explicite appetere ". Id præstat egregie, qui perfectæ charitatis actum eliciens, se, suaque omnia in Deum ordinat. Virtus autem hujus actus manet etiam in sequentibus operationibus, manente habitu charitatis. Si autem habitus charitatis cesset per peccatum tunc relatio illa virtualis retractatur; nec amplius reviviscit, nisi novo charitatis actu elicito. Neque obest, quod S. Thomas dicit, appetitum creaturæ rationalis non esse *rectum*, nisi per appetitum *explicitum* ipsius Dei actu, vel habitu. Id enim significat solum, hunc appetitum Dei debere esse *explicitum*, quando actus charitatis ex præcepto elicitur; non autem semper, etiam quando actus caritatis solum virtualiter manet.

129. Obj. *quinto*. S. Thomas 1. 2. qu. 19. art. 10.: „ Non est, *inquit*, recta voluntas alicujus hominis volendi aliquod bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune, sicut in finem .... Ex fine autem sumitur quasi formalis ratio volendi illud, quod ad finem ordinatur. Unde ad hoc, quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet, quod illud particulare bonum sit volitum materialiter, bonum autem commune divinum sit volitum formaliter ".

130. Resp., hæc etiam explicari facile posse de intentione virtuali *implicite*, quatenus homo referens bonum suum particulare in bonum commune, hoc ipso illud bonum particulare refert *implicite* in Deum; quia bonum commune est *bonum divinum*, seu ipse Deus. Et sic evincit S. Doctor, quod sibi probandum proposuerat, scilicet teneri hominem conformare suam voluntatem voluntati divinæ *in volito formaliter: tenetur enim velle bonum divinum, & commune;* non autem in volito *materiali*, quia ut ibidem dicit ad 1., *volitum divinum, secundum rationem communem, quale sit, scire possumus ... sed in particulari nescimus, quid Deus velit.*

131. Obj. *sexto*. Ibidem qu. 21. art. 4. ad 4. „ Totum, *inquit*, quod homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum; & id eo omnis actus hominis bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus ".

132. Resp., id esse intelligendum de ordinatione, quam homo tenetur facere in actu charitatis, secundum quam sola nostra opera habent rationem *meriti* apud Deum, quæ ordinatio si urgente præcepto intermittatur, eadem opera nostra mala sunt, & habent rationem *demeriti*.

133. Atque ita facile explicantur quædam Sancti Thomæ testimonia, quæ adversarii hinc, & inde studiose excerpunt, ut ex Sanct. Doctore evincant, etiam extra tempus, quo adimplendum est præceptum affirmativum charitatis, quo omnia opera nostra referuntur in Deum, esse aliquod aliud præceptum, quo tenemur virtualiter eadem opera nostra in Deum ordinare; & hoc præceptum non esse solum affirmativum, sed negativo æquivalens; ut scilicet nullum opus deliberatum exercere liceat sine peccato saltem veniali, nisi virtualiter explicite referatur in Deum, sin minus ex charitate perfecta, saltem ex charitate imperfecta. Porro loca a nobis allata supra n. 104. & perspicua per se sunt, & ea ipsa, in quibus Sanctus Docor hanc materiam data opera pertractavit; ut proinde ex illis debeamus ejusdem S. Doctoris mentem eruere, & alia minus clara explicare, quæ obiter ab ipso dicta occurrunt.

Quæres *primo*, quid dicendum sit de illa non paucorum, nec ignobilium Theologorum sententia, qui volunt, teneri homines omnia, & singula opera deliberata *actu explicito*, aut formali, aut virtuali in Deum referre ex charitate, sin minus perfecta, & justificante, saltem inchoata, & generali; ita ut hujus relationis omissio sit peccatum, saltem veniale?

134. Resp., optandam certe esse, omnibusque, quantum fieri potest, inculcandam hanc virtualem expressam omnium, & singulorum operum nostrorum relationem in Deum; communiter tamen Theologos scholasticos docere consuevisse, eam minime esse præceptam, & necessariam; satisque maximo charitatis mandato fieri, si sæpius ejusdem actus eliciantur, quorum virtute remanente opera sequentia moraliter bona in Deum ordinantur, & cum S. Thoma scholarum Principe, & Duce: „ Sufficit, *inquiebant*, quod aliquando actualiter omnes illi fines (*proximi scilicet, honesti, & moraliter boni*) in finem ultimum dirigantur: sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei

„ di-

„ dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum (*homo*) ordinat, in Deum ordinatum erit ". Ita in Lib. II. *Sent.* dist. 40. quæst. 1. artic. 5. ad 6.

155. Huic communi fere Scholasticorum sententiæ primus, ut dicitur, se opposuit Gregorius Ariminensis in II. Dist. 26. qu. 1. art. 1. (*a*). Post autem multi, & egregii, præsertim ex sacra Augustinianorum Familia Scriptores (quorum nomina eruditissimus P. Laur. Berti in *Augustiniano systemate vindicato* Dissert. III. cap. 1. §. 2., quoad potuit, accuratissime recensuit) præceptum virtualis, & explicitæ relationis omnium operum nostrorum in Deum aliqua charitate dilectum propugnarunt, innixi potissimum gravissimæ S. Augustini auctoritati, quem totum in ære suo esse arbitrantur. Fere etiam tota Universitas Lovaniensis eamdem doctrinam adoptavit; imo gloriatur, ipsam an. 1677. ab Apostolica Sede diligenter fuisse examinatam, nec tamen reprobatam (*b*). Multos alios ejusdem sententiæ patronos addit laud. cl. Berti, inter quos etiam Dominicanos duos recenset, Vinc. Contensonium, & Nat. Alexandrum; quibus nuperrime accessit etiam Vinc. Patuzzi in *Ethica Christiana* Tom. II. Tract. III. c. 9. §. 4.

156. Opportunum autem ducimus hanc doctrinam distincte exponere, prout eam laud. mox P. Berti exposuit in cit. *Vindiciis systematis Augustiniani* §. 6. Primum hujus sententiæ fundamentum ipse desumit ex notissimis S. Augustini verbis Lib. IV. *contra Julianum* cap. 3. n. 21.: „ Noveris, non officiis, sed finibus, a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod „ faciendum est: finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi „ peccare non videtur, si non propter hoc facit, „ propter quod facere debet, peccare convincitur ". Quod S. Pater exemplis illustrat, tum illius, qui ab alieno abstinet, non amore justitiæ, sed ne majorem pecuniæ summam perdere cogatur; tum illius, qui pauperi indigenti subvenit, non propter Deum, sed propter inanem gloriam; uterque enim bonum opus ex officio præstat, sed non ex fine.

157. *Secundo*. Non solum peccat homo opera sua referens in finem pravum; cujusmodi est avaritia, vel inanis gloria, de quo nemo dubitat; sed peccat etiam peccato omissionis, quando ea negligit referre in finem ultimum scilicet Deum, dicente Augustino in eodem loco: „ Absit autem, „ ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel „ propter illum, cui dicimus, *Deus virtutum converte nos*. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusdam commodis, & emolumentis corporalibus serviunt, veræ prorsus „ esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire „ volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus, Deo serviunt in Angelis, a quo „ donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit „ ab homine, & non propter hoc fit, propter quod „ fieri debere vera sapientia pæcipit, etsi officio „ vi-

(*a*) Legenti autem hunc eximium Scholæ Augustinianæ Magistrum non ita liquido apparet, eumdem sententiæ *virtualis relationis explicitæ* omnium operum in Deum patrocinari. Postquam enim plurima S. Augustini testimonia attulisset ad hanc rem pertinentia sic concludit; *Ex his patet, quod quidquid homo agat ultimate propter aliud, quam propter Deum, peccat; ac per hoc ejus actus non est inculpabilis*. Quæ verba haud difficulter possunt cum ea opinione Scholasticorum conciliari, qui dicunt, sufficere relationem virtualem *implicitam*, quando nempe opus refertur ad finem proximum bonum, & honestum, qui ex natura sua tendit in Deum.

(*b*) Inter alios Universitatis Lovaniensis articulos, qui sub Alexandro VII. severo examini subjecti fuere, tres erant ad hanc materiam spectantes. Primus, *quod tametsi aliqui Scholastici accipiant charitatem pro sola Dei dilectione, quæ est nostra cum eo per peccatorum remissionem amicitia, tamen S. Augustinus, & alii Patres eam sumere soleant pro quavis supremi boni casta propter se dilectione*. Secundus, *quod omne opus, ut plene bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debeat ex tali charitate procedere, ac per ipsam referri in Dominum Deum*. Tertius; *istam tamen relationem non debere fieri per charitatem perfectam, sed sufficere, eam fieri per imperfectam; nec opus esse relatione ex charitate actuali, sive ex charitate, super quam fiat actualis reflexio ... sed sufficere, quod opera nostra per charitatem virtualem in Deum referantur*. Porro vir amplissimus Laur. Brancatus de Laurea, qui tunc Supremæ Congregationis S. Officii Consultor erat, postea vero ad Eminentissimum S. R. E. Cardinalium Collegium merito evectus, ejusdem S. Congregationis jussu Deputatis Academiæ Lovaniensis significasse dicitur, secundum expositum articulum non futurum a censura immunem, *si ad opera moralia ita requiratur relatio in Deum per charitatem virtualem, ut hac relatione prætermissa, nullum opus nostrum sit moraliter bonum: at vero si admittantur opera moraliter bona, etiam in Deum non relata, haud censurandum fore*. Cum autem Deputati nomine Facultatis declarassent, se admittere una cum S. Augustino *opera officio bona*, etiamsi in Deum ex virtuali charitate non sint relata, Lovanienses articuli nulla fuere censura notati. Quamobrem celebris illa Universitas doctrinam suam constanter defendit. Hujus facti historiam refert Petrus Lambertus Le-Drou Augustinianus in *Confut. Discussionis Theologicæ* P. D. Augustini Michel.

Cum vero noster P. Car. Renatus Billuart in suo *Cursu Theologiæ* eamdem doctrinam confutasset, protinus in ejus defensionem varia scripta prodierunt ab ejusdem Universitatis Doctoribus, Daelman, Hagens, & P. Maugis Augustiniano. Sibi non defuit P. Billuart, & duplici Dissert. suum Systema defendit. Etiam celebratissimus P. Daniel Concina in sua *Theolog. Christ. Dogmatico-Morali* Lib. I. in Decalogum Dissert. IV. cap. 12. & seq. veterem Theologorum sententiam strenue propugnat; eidemque subscribit P. Bern. De Rubeis in Dissert. Theol. *De Charitate*.

„ videatur bonum, ipso non recto fine peccatum „ est".

138. *Tertio*. Non itaque ad mentem Sancti Augustini admitti possunt virtutes, vel actiones *steriles*, *&* *infructuosæ*, quæ scilicet in seipsis bonæ undequaque sint, sed, quia gratia & charitate carent, ad æternam vitam adipiscendam non valeant. Similes virtutes admittebant Pelagiani ex solo libero arbitrio hominis proficiscentes; bonas illas quidem, sed inutiles ad regnum æternum, quod nonnisi gratia habituali sanctificatis destinatum est. Has autem virtutes & operationes steriles explodebat summus gratiæ vindex Augustinus, dicens cit. Lib. IV. cap. 8.: „ Fieri non potest, ut „ steriliter boni simus: sed boni non sumus, quid„ quid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos „ fructus facit .... Nullo modo igitur homines sunt „ steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt „ esse alii minus, alii magis mali".

139. *Quarto* ex his, & similibus Sancti Augustini verbis clariss. Berti post Eminentissim. Card. Henr. Norisium (in *Vindiciis August*. cap. 3. §. 4.) infert, nequaquam Sanctum Augustinum cum Juliano disputasse, an virtutes sine charitate ad salutem æternam prosint? sed an hujusmodi virtutes sine fide, & charitate steriles, atque infructuosæ, dici possent *veræ virtutes*, & non potius vitia similia virtutibus? Hoc secundum asserebat S. Augustinus, contendens, in Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, aliisque Romanæ Reipublicæ celebratissimis heroibus, quos licet alienos a fide Pelagiani dicebant *abundasse virtutibus*, non fuisse veram justitiam, quia *justus ex fide vivit*.

140. Ex his autem ita concludit laudatus cl. Berti: „ Harum virtutum, quæ Deo non serviunt, „ ideoque non sunt bonæ spectato fine ultimo, ad „ quem sunt referendæ, quædam sunt ad finem „ pravum directæ, quæ nempe serviunt gloriæ „ hominum, cupiditati, & voluptatibus carnis, „ *&* *hæc sunt vitia proprie dicta*, nempe ope„ ra, perversa intentione, & iniquo animo pa„ trata; & hæ virtutes sunt, quas Augustinus ap„ pellat *cupiditatis*, *&* *voluptatis ancillas*: aliæ, „ quæ in sua productione malæ non sunt, nec a „ pravo fine derivantur, ad objectum quoque ho„ nestum tendunt; cujusmodi sunt exhibere hono„ rem parentibus, pauperibus eleemosynas elar„ giri; & hæc, *nisi in Deum virtualiter referan*„ *tur*, vitia ab Augustino dicuntur, non *positive*, „ quasi a cupiditate corrumpantur; sed *negative*, „ atque ut ipse Augustinus loquitur, *non recto* „ *fine*: cujus recti finis omissio non inficit *intrin*„ *secus* officium, & opus, sed accusat duntaxat „ operantem, qui *non bene* bonum opus exercet, „ idest non operatur utendo creaturis, easque pro„ pter Deum diligendo". Atque hoc est Augustinianæ scholæ systema de præcepto relationis virtualis omnium operum nostrorum in Deum, aliqua, saltem imperfecta, charitate dilectum.

141. Porro Thomistæ nequeunt omnibus cujus doctrinæ capitibus subscribere, nisi verba Sancti Augustini eo modo intelligantur, quo ea intellexit S. Thomas, fidissimus ejusdem S. Doctoris discipulus, & interpres. Hic autem nostræ scholæ Magister 2. 2. qu. 23. art. 7. „ Virtus, inquit, ordi„ natur ad bonum; bonum autem principaliter est „ finis; nam ea, quæ sunt ad finem, non dicun„ tur bona, nisi in ordine ad finem. Sicut ergo „ *duplex est finis*, *unus ultimus*, *&* *alius pro*„ *ximus*, ita etiam est *duplex bonum*, unum qui„ dem *ultimum*, *&* *universale*, & aliud *proxi*„ *mum*, *&* *particulare*. Ultimum quidem, & „ principale bonum hominis est Dei fruitio, se„ cundum illud Psalmi LXXII. 27. *Mihi adhære*„ *re Deo bonum est*: & ad hoc ordinatur homo „ per charitatem. Bonum autem *secundarium*, „ & quasi *particulare hominis*, potest esse du„ plex: unum quidem, quod est vere bonum, ut„ pote *ordinabile*; *quantum est in se*, ad prin„ cipale bonum, quod est ultimus finis; aliud au„ tem est bonum apparens, & non verum, quia „ abducit a finali bono. Sic ergo patet, quod vir„ tus vera *simpliciter* est illa, quæ ordinat ad prin„ cipale bonum hominis; sicut etiam Philosophus „ in VII. *Physic*. dicit, quod *virtus est disposi*„ *tio perfecti ad optimum*".

142. Ex hac autem doctrina ita colligit Angelicus: „ *Et sic nulla vera virtus potest esse sine* „ *charitate*. Sed si accipiatur virtus, secundum „ quod est in ordine ad aliquem finem particula„ rem, sic potest aliqua virtus dici sine charita„ te, inquantum ordinatur ad aliquod particulare „ bonum. Sed si illud particulare bonum non sit „ verum bonum, sed apparens, virtus etiam, quæ „ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera vir„ tus, sed falsa similitudo virtutis; sicut non est „ vera virtus avarorum prudentia, qua excogitant „ diversa genera lucrorum, & avarorum justitia, „ qua gravium damnorum metu contemnunt alie„ na, & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ „ sumptuosa est, cohibent appetitum, & avarorum „ fortitudo, qua, ut ait Horatius (Lib. I. ep. I.), „ *per mare pauperiem fugiunt*, *per saxa*, *per* „ *ignes*; ut Augustinus dicit in Lib. V. contra Ju„ lianum cap. 3. Si vero illud bonum particulare „ sit *verum bonum*, puta conservatio civitatis, vel „ aliquid hujusmodi, erit, quidem *vera virtus*, „ sed *imperfecta*, *nisi referatur ad finale*, *&* „ *perfectum bonum*, & secundum hoc *simpliciter* „ vera virtus sine charitate esse non potest".

143. Post autem sibi objicit ea ipsa, quæ S. Augustino Pelagiani Lib. IV. contra Julianum cap. 3. objiciebant, scilicet eos, qui non habent charitatem, facere aliquos actus bonos, ut cum nudum vestiunt, famelicum pascunt, & similia operantur. Respondet autem: „ quod actus alicujus „ charitate carentis potest esse duplex. Unus qui-

„ dem

„ dem secundum hoc, quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate; & talis actus semper est malus, sicut Augustinus dicit in IV. *contra Julianum* cap. 3., quod actus infidelis, *inquantum est infidelis*, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, *ordinans ad finem suæ infidelitatis*. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundum id, quod charitatem caret, sed secundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur. Et secundum hoc sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem (*a*)".

144. Ubi tamen advertendum est, nomine virtutis *imperfectæ* non intelligi peccatum, nisi fortasse habituale, quod in iis reperitur, qui charitate carent; nam minis clara est ejusdem S. Doctoris sententia, quam etiam superius attulimus ex Lib. II. *Sentent.* Dist. 41. qu. 1. art. 2. ad 4., ubi sibi opponit simile argumentum ad probandum, omnia infidelium opera esse peccata, his verbis: „ Illud proprie dicitur malum, quod caret aliqua perfectione, quam natum est, & debet habere; sed omnis actus humanus natus est in ultimum finem beatitudinis referri, nisi sit per se malus; & debet in ipsum referri; cum ergo actus infidelium in ultimum finem non referatur, in quem fides dirigit, videtur, quod *omnis actus infidelium sit malus*": Hæc porro ipsissima est difficultas, quæ nobis objicitur.

145. Eam vero sic diluit Angelicus; „ Non obligamur ad hoc, quod quilibet actus dirigatur in finem illum, in quem non potest nisi fides dirigere; quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent; & ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, *semper* sit peccatum; sed *solum tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre*".

146. Ulterius idem noster S. Præceptor 2. 2. q. 10. art. 4. hanc eamdem materiam ex instituto expendit, quærens, *utrum omnis actio infidelis sit peccatum?* Respondet autem *negative*; quia licet infideles gratia careant, *remanet tamen in eis bonum naturæ*; ex quo infert, posse eos bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, *aliqualiter* operari: *unde non oportet, quod in omni suo opere peccent*. Et cum sibi objecisset, quod fides dirigit intentionem, nullum autem bonum esse posse sine intentione directa, respondet ad 2.: „ quod fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis". Quamobrem opera infidelium, quæ non diriguntur ad finem supernaturalem, imperfecta quidem sunt, inutilia, infructuosa, non tamen proprie sunt peccata, nisi eo tempore, quo urget præceptum affirmativum eliciendi actum dilectionis Dei super omnia.

147. His addo aliam nostri S. Præceptoris doctrinam diligenter notandam; scilicet mandatum relationis virtualis operum in Deum posse violari *mortaliter*, aut *venialiter*: mortaliter quidem, quando charitas habitualis lethali culpa extinguitur: venialiter autem; quando admittitur peccatum veniale, quod in Deum referri nequit. Clara sunt S. Doctoris verba in II. Dist. 40. qu. 1. art. 5. ad 7. „ Præceptum hoc præteritur, vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit; vel per peccatum veniale, quod præter Deum fit". In quo loco certe opportunissimo nihil addit S. Thomas de illo peccato veniali, quo Adversarii nostri dicunt operantem deliberate infici, cum opera sua ex objecto bona in Deum aliqua charitate, saltem imperfecta dilectum, referre prætermittit. Nec ullibi S. Thomas hujus præcepti sub solo peccato veniali obligantis mentionem facit.

148. Neque vero ab hac doctrina alienus fuit Magister S. Thomæ magnus Augustinus; nam & ipse agnovit infidelibus quædam bona opera, quæ appellat *laudabilia*, & *dona Dei:* quo nomine certe appellari non possunt peccata. Nam *primo* in Lib. *de Spiritu*, & *littera* cap. 27. loquens de impiis Deum verum non colentibus: „ Quædam, *inquit*, facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus; quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniatur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur". Quæ exceptio caute fuit a Doctore apposita, quia in infidelibus quamsæpissime etiam bona opera pravo fine corrumpuntur. At cum addit particulam *vix*, manifeste indicat, talia bona opera aliquando, licet rarissime, reperiri. Quod iterum indicat S. Doctor hanc addens hujus rei rationem: „ quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita

(*a*) Card. Cajetanus in Comment. ad hunc locum: „ Cave, inquit, ne fallaris ex eo, quod dicitur, scilicet *sine Charitate deest debita ordinatio ad finem ultimum*. Si namque debita ordinatio deficit, actus non solum est imperfectus, sed malus: privatio siquidem boni debiti malum constituit. Cave inquam quoniam non est sermo de ordinatione debita actus, ut sit bonus *moraliter*; sed ad hoc, quod sit bonus *simpliciter*, id est ad vitam æternam. Et propterea hujusmodi privatio non constituit actum malum *moraliter*, sed non bonum *simpliciter*, & *pro tempore, quo obligat præceptum Charitatis, constituit etiam malum*".

„ ta est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema „ remanserint".

149. Præterea in epist. CXLIV., alias CXXX. ad Cirtenses loquens de Polemone, quem Xenocrates de fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verum etiam tunc ebrium, ad mores alios convertit, inquit: „ Quamquam ille non fuerit Deo acquisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus, tamen ne id ipsum quidem, „ quod melius in eo factum est, humano operi „ tribuendum est, sed divino. *Subdit autem hujus rei invictam rationem*, *quia si bona corporis* non sunt nisi ex Deo creatore, & perfectore naturæ, quanto magis animi bona donare „ nullus alius potest? *Similiter etiam in Libro* De „ patientia *cap.* 26. *patientiam schismatici hominis*, *qui* ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, „ gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam „ crucem, timore gehennarum, *non dubitat appellare* donum Dei: *ita tamen ut intelligamus*, „ alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, „ quæ sursum est, libera mater nostra". Agnoscit igitur Augustinus, etiam in infidelibus aliqua opera *bona laudabilia*, & *Dei dona;* ea nempe, quæ pravo fine inquinata non sunt, licet non sint ex charitate in Deum ordinata; quæque proinde possunt cum S. Thoma vocari opera bona *imperfecta*, non tamen *mala*.

150. Dices. Si S. Augustinus admisisset hujusmodi infidelium opera *imperfecta*, non tamen *mala*, admisisset una cum Juliano Pelagiano opera bona, sed *sterilia*, *&* *infructuosa;* at vero ab iis admittendis alienissimus fuit S. Doctor, ut liquet ex iis, quæ ex Lib. IV. *cont. Julianum* cap. 3. supra retulimus n. 138.

151. Resp., utique S. Augustinum omnino explosisse illas virtutes, & operationes, bonas quidem, sed *steriles*, & *infructuosas*, quas Julianus comminiscebatur; explosisse inquam juxta perversam hæretici hominis intelligentiam; non autem absolute, & ad sensum nostrum. Videlicet cum Pelagiani neque peccatum originale agnoscerent, neque gratiæ actualis necessitatem ad bene operandum; admitterent tamen necessitatem fidei, charitatis, & gratiæ habitualis ad æternam beatitudinem in cœlo consequendam: hinc vi impii sui, & male consarcinati systematis eo adigebantur, ut confiterentur, aliquos esse homines charitate, & gratia habituali destitutos, non tamen impios; quorum propterea virtutes *veræ* essent, non tamen ad vitam æternam fructuosæ, sed *steriles;* unde etiam homines *steriliter bonos* appellabant. *Ego*, inquit Julianus apud Augustinum loco laud. n. 33. *steriliter bonos dixi homines*, *qui non propter Deum faciendo bona*, *quæ faciunt*, *non ab eo vitam consequuntur æternam*. Hinc merito suspicabatur Augustinus, hos Pelagianos tertium quemdam adstruere in altera vita locum hujusmodi hominibus steriliter bonis destinatum. „ An forte, „ *inquiebat n.* 26. & istis.... Fabriciis videlicet, „ & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, ceterisque talibus, sicut infantibus, qui sine baptismate moriuntur, provisuri estis aliquem „ locum inter damnationem, regnumque cœlorum, „ ut non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna"? Illas ergo virtutes explodebat Augustinus, quas Julianus quidem *steriles* esse dicebat ad regnum cœlorum consequendum, sed quæ tamen valebant ad æternam damnationem vitandam; immo ad beatitudinem nescio quam obtinendam.

152. In eo etiam turpissime aberrabat Julianus, quod istas virtutes *steriles* quidem esse volebat, *veras* tamen appellabat, & in suo genere *perfectas*, quamobrem contendebat præmio aliquo, licet *exili*, esse remunerandas. S. Augustinus autem contra eum cum Ecclesia Catholica negabat, illas virtutes esse *veras*; hoc enim nomine nonnisi illæ virtutes appellari possunt, quæ a fide per charitatem operante procedunt. *Prudenter*, inquit nu. 19. *fortiter*, *temperanter*, *&* *juste*, *ac per hoc omnibus veris virtutibus recte*, *sapienterque vivit qui fideliter vivit*. Et propterea Julianum sæpe redarguit, quod sine fide *veras virtutes prædicaret*. Et rursus nu. 25. *Non potes*, illi dicit, *probare*, *quod vis*, *etiam infideles veras posse habere virtutes*. Quod sæpius illi objicit. Ab eo autem nos quamlongissime distamus, dum in infidelibus virtutes, & operationes bonas agnoscimus, non tamen *veras*, sed *imperfectas;* licet nulla peccati labe coinquinatas.

153. Demum & in hoc procul a vero ibat Julianus cum suis asseclis, quod contenderet, has veras virtutes fuisse apud infideles crebras, & frequentissimas: „ Acerbissimi, *inquit Augustinus n.* „ 16., gratiæ hujus inimici exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos a fide abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ „ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus „ mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebro, & modesti, & casti inveniuntur, & sobrii". Contra vero Augustinus admittebat quidem aliqua in infidelibus, sed paucissima bona opera, quæ non essent pravo aliquo fine coinquinata; potissimum autem vitio superbiæ, cui tamquam idolo præcipuo omnia alia vitia immolabant; unde illud Virgilii de Bruto: *Vicit amor patriæ*, *laudumque immensa cupido*. Vid. S. Augustinus Lib. V. *de Civ. Dei* cap. 12.

154. Ceterum in alio sensu a Pelagianis omnino diverso, Augustinum opera quædam sterilia ad vitam æternam in peccatoribus, & infidelibus admisisse, clarissime patet ex iis, quæ scripsit *de Spiritu*, *&* *littera* cap. 28. „ Sicut enim, *inquit*, „ non impediunt a vita æterna justum quædam „ peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime „ vi-

„ vita cujuslibet pessimi hominis invenitur". En opera bona sterilia, quæ impio nihil prosunt ad vitam æternam. Non tamen homines *steriliter boni* esse possunt; aut enim justi sunt fide, & charitate instructi, aut impii ea destituti, ac peccato coinquinati. Unde S. Doctor n. 22. ita concludit: *Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt possunt esse alii minus, alii magis mali.*

155. Objicies. S. Augustinus in laud. Lib. IV. contra Julianum c. 3. sæpe repetit, homines *peccare*, non solum quando actiones suas referunt ad fines pravos, sed etiam ex hoc tantummodo, quod easdem ad Deum ultimum nostrum finem non referant: „ Noveris, *inquit n. 21. Julianum allo-„ quens*, non officiis, sed finibus a vitiis discer-„ nendas esse virtutes .... Cum itaque facit homo „ aliquid, ubi peccare non videtur, si non pro-„ pter hoc facit, propter quod facere debet, pec-„ care convincitur. *Et rursus:* Quidquid autem „ boni fiat ab homine, & non propter hoc fiat, „ propter quod fieri debere vera sapientia præci-„ pit, etsi ex officio videatur bonum, ipso non re-„ cto fine peccatum est".

156. Resp. *primo*, S. Doctorem sæpius repetere, homines impios peccare etiam quando opera faciunt ex officio bona, quia sæpissime ea referunt ad finem pravum; saltem ad inanem gloriam; quamobrem eodem loco subjicit: „ Possunt ergo „ aliqua bona fieri, *non bene facientibus*, a qui-„ bus fiunt. Bonum est enim, ut subveniatur ho-„ mini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille „ qui hoc facit, *si amando gloriam hominum „ magis, quam Dei*, facit, non bene bonum fa-„ cit; quia *non bonus* facit, quod non bona vo-„ luntate facit. Absit enim, ut sit, vel dicatur „ voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non „ in Domino gloriatur". Et cohærenter huic doctrinæ n. 30. Juliano quærenti, *si Gentilis nudum operuit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est?* respondet: „ Prorsus in quantum non „ est ex fide, peccatum est; non quia per se i-„ psum factum, quod est nudum operire, pecca-„ tum est: *sed de tali opere non in Domino glo-„ riari, solus impius* negat esse peccatum". Vult ergo magnus Ecclesiæ Doctor, ideo bona infidelium opera esse peccata, quia illa non in Dei gloriam, sed in gloriam suam propriam perverse referuntur. Ac demum, ut plura alia omittam, ita n. 32. colligit, infideles etiam in bonis operibus peccare, quia ea, non fideli, sed *infideli, hoc est stulta, & noxia, faciunt voluntate* (*a*).

157. Præterea, alia etiam de causa vere S. Pater contra Julianum asserebat, opera infidelium esse peccata, non ex eo præcise, quia ad Deum ultimum finem non referebantur; sed ex eo, quod infideles in fine proximo, licet honesto, sistentes, creaturis non *utebantur*, sed *fruebantur*, in iisdem ultimum finem reponentes. Quamobrem prolixum illud cap. tertium concludit, observans, „ quod „ amor mundi, quo quisque amicus est hujus mun-„ di, non est a Deo, amorque fruendi quibus-„ cumque creaturis, sine amore Creatoris, non est „ a Deo: amor autem Dei, quo pervenitur ad „ Deum, non est nisi a Deo Patre per Jesum „ Christum, cum Spiritu Sancto. Per hunc amo-„ rem Creatoris bene quisque utitur etiam creatu-„ ris, sine hoc amore Creatoris nullis quisquam „ bene utitur creaturis (*b*)".

158. Denique & illud addendum est, quod licet

(*a*) Cum S. Augustinus dicat, *solum impium* suæ sententiæ adversari, si nostra sententia ea ipsa esset, quam S. Doctor ibi refutat, sequeretur nos quoque *impios* esse appellandos, quo probroso nomine nemo certe adversariorum nos infamare audebit.

(*b*) Admodum pulchra est ea pictura virtutum infidelium, quam ex Cicerone refert S. Augustinus Lib. V. *De Civ. Dei* cap. 20. „ Solent Philosophi, qui fi-„ nem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad in-„ gerendum pudorem quibusdam Philosophis, qui vir-„ tutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis „ fine metiuntur, & illam per seipsam putant appeten-„ dam, istas propter ipsam, tabulam quamdam verbis „ pingere, ubi voluptas in sella regali, quasi delicata „ quædam regina considat; eique virtutes famulæ sub-„ jiciantur, observantes ejus nutum, ut faciant, quod „ illa imperaverit: quæ prudentiæ jubeat, ut vigilan-„ ter inquirat, quomodo voluptas regnet, & salva sit: „ justitiæ jubeat, ut præstet beneficia, quæ potest, „ ad comparandas amicitias, corporalibus commodis „ necessarias: nulli faciat injuriam, ne offensis legi-„ bus, vivere secure non possit: fortitudini jubeat, ut „ si dolor corporis acciderit, qui non compellat in „ mortem, teneat dominam suam, idest voluptatem, „ fortiter in animi cogitatione, ut per pristinarum de-„ liciarum suarum recordationem mitiget præsentis do-„ loris aculeos: temperantiæ jubeat, ut tantum capiat „ alimentorum, & si quæ delectant, ne per immode-„ rationem noxiam aliquid valetudinem turbet, & vo-„ luptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei ma-„ ximam ponunt, graviter offendatur. Ita virtutes cum „ tota suæ gloriæ dignitate, tamquam imperiosæ cui-„ dam, & inhonestæ mulierculæ servient voluptati". Postquam vero dixit, nihil hac pictura ignominiosius, & deformius esse posse, bene observat, indecoram pariter esse picturam, ubi virtutes humanæ gloriæ serviant. „ Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, „ inflata tamen est, & multum inanitatis habet: un-„ de non ei digne servit soliditas quædam, firmitas-„ que virtutum, ut nihil prævideat prudentia, nihil „ distribuat justitia, nihil toleret fortitudo, nihil tem-„ perantia moderetur, nisi unde placeatur hominibus, „ & ventosæ gloriæ serviatur. Nec illi se ab ista fœ-„ ditate defenderint, qui cum aliena spernant judicia, „ velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur, „ & sibi placent. Nam eorum virtus, si tamen ulla „ est, alio modo quodam humanæ subditur laudi". Tales erant, judice S. Augustino, Ethnicorum virtutes, seu potius falsa virtutum simulacra, & vera vitia.

cet infideles non referentes opera sua bona ad Deum ultimum finem, *actualiter* non peccant, nisi dum urget affirmativum præceptum eliciendi actum dilectionis Dei, sunt tamen propter illam antecedentem omissionem in peccato *habituali;* quia illa omissio habitualiter in eis durat. Propterea jure, meritoque S. Augustinus eosdem appellabat *arbores malas;* eorumque voluntates dicebat esse *malas*. Admittebat tamen alibi (*de Spiritu*, *& littera* cap. 27.), ab impiis posse aliqua bona fieri, licet iisdem non profutura ad vitam æternam, quemadmodum justi sæpe incidunt in peccata venialia, quibus a vita æterna non impediuntur (Vid. sup. n. 154.); unde evanescit status ille medius, in quo Julianus homines *steriliter bonos* absurde proponebat.

159. Atque hæc est doctrina nostri Angelici Præceptoris, qui ut vidimus supra num. 103., non distinguit præceptum virtualis relationis operum in Deum a præcepto affirmativo charitatis, quod obligat quidem semper, sed non ad semper; unde etiam in II. Dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 6.: „ Non „ oportet, *inquit*, quod intentio actualis ordinans „ in finem ultimum sit semper conjuncta cuili- „ bet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem pro- „ ximum: sed sufficit, quod aliquando omnes il- „ li fines in finem ultimum referantur: sicut fit, „ quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectio- „ nem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum „ ordinat, in Deum ordinatum erit: Et si quæ- „ ratur, quando oporteat actum referre in finem „ ultimum, hoc nihil aliud est, quam quærere, „ quando oporteat habitum charitatis exire in a- „ ctum, quia quandocumque habitus charitatis in „ actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem „ ultimum; & per consequens omnium eorum, „ quæ in ipsum ordinatur, ut bona sibi ". De infidelibus autem expresse dicit Dist. 41. quæst. 1. art. 2. ad 4.: „ Non oportet, quod actus infidelium, „ qui in finem illum non est ordinatus, semper „ sit peccatum, sed solum pro tempore illo, quo „ tenetur actum suum in finem ultimum referre ": scilicet quando tenetur actum dilectionis Dei super omnia elicere.

160. Et adhuc apertius in II. Dist. 41. qu. 1. art. 2. ad 2.: „ *Fides*, inquit, dirigit intentionem „ in finem ultimum: sed ratio naturalis, vel pru- „ dentia, potest dirigere in aliquem finem proxi- „ mum. Et quia ille finis proximus est *ordina-* „ *bilis in finem ultimum*, *etiamsi actu non or-* „ *dinetur*, ideo in infidelibus, quorum actus per „ vim rationis in talem finem diriguntur, possunt „ aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfe- „ cta bonitate, *secundum quam actus est meri-* „ *torius* ".

161. Plura huc spectanctia brevitatis studio omittimus; sed omittere non possumus difficultatem, quæ in oculos statim incurrit, quomodo transgressio hujus præcepti, seu omissio virtualis relationis operum in Deum, sit tantummodo peccatum veniale? S. Thomam supra num. 147. docentem audivimus, præceptum dilectionis Dei *super omnia præteriri*, *vel per peccatum mortale quod contra Deum fit*, *vel per peccatum veniale*, *quod præter præceptum*, *& præter Deum fit;* non tamen eo loco, qui opportunissimus videbatur, nec alibi, mentionem facit alicujus peccati *solum venialis*, quod incurritur omittendo relationem explicitam operum nostrorum in Deum. Immo contra sæpius docet, peccatum veniale *non contrariari* præcepto charitatis, *quia non tollit habitum charitatis*, *cum non tendat in oppositum objectum*, *sed solum impedit charitatis usum*. Ita 2. 2. qu. 44. art. 2. ad 2.

162. Præterea hæc obligatio referendi omnia opera in Deum actu virtuali explicito, si ulla esset, repeteretur ex ipso præcepto dilectionis Dei super omnia: aut saltem ex præcepto naturali constituendi in Deo ultimum finem nostrum; utrumque autem præceptum debet obligare sub gravi; ipsiusque transgressio non posset appellari levis, nisi fortasse ratione materiæ levis. Levis autem materia non esset, si quis longam operationum seriem in Deum referre omitteret.

163. Sed quoniam adversarii nostri volunt, omissionem hujus relationis esse gravem, & lethalem culpam, non videtur opere pretium cum iisdem longiorem, & graviorem concertationem habere; & rursus cum opera infidelium sæpe sint ambitione, superbia, amore sui, aliisque vitiis coinquinata, ut teste S. Augustino *De spir. & lit.* cap. 27., *si discutiantur quo fine fiant*, *vix inveniantur*, *quæ justitiæ debitam laudem*, *defensionemve mereantur*, supervacaneum reor, diutius disputare ut evincamus, non omnia eorum opera esse peccata. Erimus itaque iis paucis contenti, quæ ex S. Præceptore nostro solius veritatis amore non autem vitilitigandi studio hactenus delibavimus.

Quæres *secundo*, an exposita hactenus doctrina de præcepto relationis virtualis explicitæ omnium nostrorum operum in Deum conveniat cum pluribus damnatis ab Apostolica Sede, Baji Quesnelli, aliorumque propositionibus?

164. Resp. *negative*; cujus ineluctabile argumentum est, quod illa doctrina ubique in orbe Catholico impune docetur, & palam defenditur. Quis autem dicere audeat, vel suspicari, Pastores omnes, ipsosque summos vigilantissimos Romanos Pontifices, ita in utramque aurem dormitare, ut errores tam sæpe, & tam severe proscriptos publice doceri, ac propugnari permitterent? Hoc solum argumentum ad nostram responsionem luculentissime confirmandam plane sufficit, ut aliis opus non sit. Præstat tamen ob oculos Auditorum *primo* damnatas propositiones proponere; *deinde* varias recensere, quas Augustinianæ scholæ Theologi ineunt vias, ut suam sententiam omnino esse a propositionibus alienam, ostendant.

165. *Primo* autem notanda venit propositio Joan. Hus in Concilio Constantiensi Sess. XV. damnata: „ Divisio immediata operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa. Quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiose. Et si est virtuosus, & agat quidquam: tunc agit virtuose. Quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi ". Hic primus fons videtur multarum propositionum, quæ postea Apostolicam censuram meruerunt. Contrarium docet magnus Doctor Augustinus in Lib. *De spiritu, & littera* c. 27. inquiens: „ Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis inveniuntur ".

166. *Secundo*. Lutherus, & Calvinus eumdem errorem e cineribus infelicis Joan. Hus suscitarunt. Primus quidem in cap. IV. epist. ad Galat., docens, *Opera extra fidem facta, ut maxime in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledicto esse*. Calvinus autem Lib. III. *Institut.* cap. 14. *Omnes*, inquit, *Fabricios*, *Scipiones*, *& Catones*, *in illis præclaris suis facinoribus hoc peccasse*, *quod cum fidei luce carerent*, *non ad eum finem ipsa retulerunt*, *ad quem referre debuerunt*. Id ipsum asseruit de peccatoribus, subdens: *Quid ergo facient peccatores a Deo alienati*, *nisi illius judicio execrabile?*

167. *Tertio*. Eamdem falsam doctrinam secutus est Mich. Bajus, cujus plurimæ propositiones fuerunt a summis Pontificibus Pio V., Gregorio XIII., & Urbano VIII. condemnatæ; ut XXVI.: „ Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia (*a*). *XXXV*. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. *XXXVIII*. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. *XL*. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. *LXI*. Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum: altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda. *LXII*. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit: vel quia est meritorium regni æterni, quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda putatur. *LXIII*. Similiter illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ sit per Spiritum charitatis inhabitantem: alterius, quæ sit inspiratione quidem Spiritus Sancti, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impletur, odiosissima, & pertinacissima rejicitur. *LXVI*. Denique & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia est, & Scripturis minime congruens ". Omnes istæ propositiones eo spectabant, ut omne illud, quod a charitate justificante non procedit, peccatum sit.

168. Sed aliæ erant pariter erroneæ, & juste proscriptæ, quia docebant, charitatem *perfectam* esse in homine posse sine peccatorum remissione. Hujusmodi erat XXXI. *Charitas perfecta*, *& sincera*, *quæ est ex corde puro*, *& conscientia bona*, *& fide non ficta*, *tam in catechumenis*, *quam in pœnitentibus*, *potest esse sine remissione peccatorum*. XXXII. *Charitas illa*, *quæ est plenitudo legis*, *non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. XXXIII. *Catechumenus juste*, *recte*, *& sancte vivit*, *& mandata Dei observat*, *ac legem implet per charitatem*, *ante obtentam remissionem peccatorum*, *quæ in Baptismi lavacro demum percipitur*. LXX. *Homo existens in peccato mortali*, *sive in reatu æternæ damnationis*, *potest habere veram charitatem*; *& charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis*. LXXI. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta*, *& cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam*, *non remittitur crimen extra casum necessitatis*, *aut martyrii*, *sine actuali susceptione Sacramenti*.

169. *Quarto*. Istis reprobatis erroribus infectæ sunt quædam aliæ propositiones ab Alexandro VIII. damnatæ 7. Septembris anno 1690. Num. VII. „ Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est mala est: *VIII*. Necesse est, infidelem in omni opere peccare. *XI*. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem ope-

„ ra-

(*a*) Baji propositio in Bulla condemnata ita sonabat: *Ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia: Omnia opera Infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*. Sed manifestum est, ibi deesse particulam negativam, non enim ignorare potuit Bajus, Pelagianos potius collaudasse opera infidelium, eorumque virtutes ut *veras* prædicasse.

„ ratur, peccatum est. XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis".

170. *Quinto*. Sequuntur propositiones Paschasii Quesnelli, a Clemente XI. in celebri Constit., *Unigenitus* anno 1713. justissime proscriptæ; nempe XLIV. „ Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, & mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc fit malus. *XLV*. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo reguet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. *XLVI*. Cupiditas, aut charitas usum sensum bonum, vel malum faciunt. *XLVII*. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est principium illius interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est nisi hypocrisis, & falsa justitia. *XLVIII*. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, sine charitate? *XLIX*. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ite nullum est opus bonum sine amore Dei".

171. Si autem quæratur, quomodo damnatis hisce, & similibus propositionibus ii Theologi distent, qui docent, homines non referentes in Deum aliqua ratione dilectum omni opera sua deliberata, peccare peccato omissionis, id operose declarat præstantissimus P. Laur. Berti in *Augustiniano Systemate vindicato* Dissert. III. cap. 1. §. 6., ubi n. 11. ita loquitur: „ Apparet ex dictis maximum discrimen inter eos, qui defæcatissimam Augustini doctrinam defendunt, & inter Bajum, & Quesnellum, aliosque qui ajunt, infidelem in quolibet opere peccare; impium servire in omnibus operibus dominanti cupiditati; & quidquid fit sine fidei lumine, & sine charitate, esse præsumptionem, esse vanitatem, esse peccatum. Dogmatistæ enim isti merito ab Apostolica Sede damnati, statuentes duo tantum actionum humanarum principia, *charitatem habitualem*, & cupiditatem item *habitualem*, & nullam gratiam agnoscentes ante fidem perfectam, & Spiritum Sanctum inhabitantem, coacti sunt asserere, quidquid in infidelibus adinvenitur, esse inquinamentum, atque peccatum, & quidquid est in homine dominanti cupiditati subjecto, esse iniquitatem, & opus a noxio mundi amore corruptum".

172. „ Duplici itaque ex capite (prosequitur doctissimus Augustiniani systematis vindex) nos a Bajano dogmate discrepamus: quod nempe ad opus moraliter bonum non requirimus *charitatem habitualem*, neque *fidem perfectam*: & quod plura etiam sine fide imperfecta, & sine gratia actuali in infidelibus opera fateamur, quæ licet non sint *intrinsecus* peccata, neque a noxia cupiditate oriantur, quia tamen non fiunt propter Deum, *non bene fiunt*: quamquam hoc postremum perraro, & fere nunquam contingat, ut in praxi sine gratia fiat aliquod opus honestum, & bonum ratione officii, & finis proximi, atque in tali opere non sit humanæ gloriæ, & cupiditatis rubigo &c."

173. „ Ceterum ex eo, quod bonum honestum in Deum ultimum finem non referatur neque eliciatur, aut imperetur a charitate, minime requitur, ut commentus est Bajus, *intrinsecus* vitiatum esse, & originem suam ducere ab amore mundi, sive a noxia cupiditate; sed tantum, quod destitutum sit recto ordine relationis; solus enim debitæ relationis defectus in operantem, non in opus redundat (*a*)".

174. Quomodo autem ex defectu debitæ relationis in Deum opus bonum, & honestum *intrinsecus* non depravetur, sed solum operans peccet, peccato omissionis, non uno modo explicant illius sententiæ patroni. Sunt enim *primo*, qui dicunt præceptum relationis esse distinctum, & disparatum ab aliis præceptis, quo fit, ut alia præcepta *quantum ad substantiam* observari possint, etiamsi illa observantia non referatur in Deum. Sic si quis teneatur eadem die audire sacrum, & jejunare, unum autem faciat, & aliud omittat, non peccat audiendo sacrum, peccat vero proculdubio omittendo jejunium. Hoc tamen exemplum non omnino ad rem esse videtur; sunt enim illa duo præcepta adeo distincta, ut unum non includatur in alio. Præceptum vero relationis operum in Deum, si reipsa est, est etiam omnibus operibus bonis ita conjunctum, ut nullum possit esse opus bonum sine dicta relatione.

175. *Secundo*. Alii hoc ponunt inter finem pravum, & inter defectum relationis in fiem ultimum discrimen; quod primum inficiat ipsum opus quia finis ille pravus movens operantem influit in opus; at omissio debitæ relationis, utpote quæ operantem

(*a*) Obiter observo, ex doctrina S. Thomæ manifeste erui, si actus destituatur debita ordinatione ad finem, non solum operantem peccare, sed actum ipsum fieri *malum*. *Cum etiam*, inquit 1. 2. q. 18. art. 9. *rationis sit ordinare*, *actus a ratione deliberativa procedens si non sit ad debitum finem ordinatus*, *ex hoc ipso repugnat rationi*, *& habet rationem mali: si vero ordinetur ad debitum finem*, *convenit cum ordine rationis*, *unde habet rationem boni*. Hoc ineluctabili argumento invicte probat Angelicus, nullum esse *actum* indifferentem in individuo. Eodem autem argumento probaretur, *actum* in Deum ultimum finem ex charitate non relatum esse *malum*, si hæc relatio necessaria foret.

tem non movet, in opus non influit, illudque proinde vitiare *intrinsecus* non potest. Verumtamen, etiam in hac sententia manet illa principalis difficultas, quomodo opus carens *debita* circumstantia, nempe necessaria relatione ad Deum, non debeat appellari *malum*. Sane si actus non sit a ratione ad debitum finem proximum ordinatus, a S. Thoma appellatur *malus* 1. 2. quæst. 18. artic. 9. (Vide not. super.): pari ergo jure si actus careat debita ordinatione in Deum, habebit *rationem mali*.

176. *Tertio*. ,, Nonnulli putarunt, rationem habere duplicem respectum, unum ad bona temporalia, alterum ad sempiterna; sive ut inquiunt, rationem aliam *inferiorem* esse, aliam *superiorem;* ac virtutes, quæ in ultimum finem non referuntur, quoniam versantur circa temporalia, quæ ex genere suo bona sunt, modo a pravo fine non vitientur, esse officia bona, atque honesta *secundum rationem:* at si ratio superior attendatur, a qua præscribitur modus operandi propter finem ultimum, tametsi officia illarum virtutum versentur circa objectum honestum, tamen non *bene* fiunt, quia non fiunt propter Deum, qui ut est primum principium virtutum omnium, ita debet esse finis ultimus earumdem. Omissio autem relationis in Deum, cum non sit objectum illorum officiorum, nec sit eorumdem finis, ideoque nec intendatur ab operante, nec operantem moveat, & incitet ad agendum, non vitiat *intrinsecus* opus, quod ab objecto, atque a fine habet, ut bonum sit, aut perversum ". Nescio autem, an hæc explicatio æque solida sit, ac subtilis est, atque acuta. Sed illud ex hac opinionum diversitate consequi videtur, non parum Theologos illos laborare, ut suam sententiam, sin minus a damnatione, a suspicione liberent alicujus affinitatis cum damnatis propositionibus, præsertim cum illa ab Alexandro VIII. proscripta: *Necesse est, Infidelem in omni opere suo peccare*. Ubi non fit mentio operis, quod *intrinsecus* vitiatur, sed operantis, qui peccare dicitur. Sed de his legendos consulo Card. Henr. Norisium in *Vindiciis Augustinianis*, & P. Laur. Berti in sæpius laud. elaboratissimo opere *Systematis Augustiniani Vindicati*, ubi multa eruditione quidquid ab aliis scriptum fuerat, una simul collegit.

CAPUT V.

De præcepto Charitatis erga proximum.

177. Ante omnia ob oculos ponendæ sunt quædam propositiones ab Innocentio XI. anno 1679. in hac materia damnatæ: n. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali:* n. 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos:* in quibus propositionibus diris devota est laxissima quorumdam Casuistarum doctrina, qui huic præcepto dilectionis proximi solis exterioribus charitatis actibus fieri satis contendebant. At vero, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 7. (in argum. *sed contra*). *Interior charitatis affectus debet respondere exteriori affectui;* & antea q. 25. art. 9. *Effectus, & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt*. Quandonam vero hoc præceptum affirmativum interioris dilectionis proximi obliget, non ita facile est determinare; sed eadem fere ratio est, ac præcepti amoris Dei, præcipue quia docente S. Thoma 2. 2. qu. 25. art. 9., *idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus*. Vid. P. Dan. Concina Lib. I. *in Decal.* Diss. V. cap. 2. seq.

178. Idem Innocentius P. XI. has quatuor sequentes propositiones proscripsit: n. 12. ,, Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluo statui; *n.* 13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia, sed ob aliquod temporale emolumentum; *n.* 14. Licitum est, absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas; *n.* 15. Licitum est filio, gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas ". Quibus similis est illa in comitiis Cleri Gallicani an. 1700. proscripta: *Licet matri optare mortem filiarum, quas dotare non potest*. Harum propositionum monstruosa deformitas tanta est, ut pluribus confutari non indigeant.

179. Etsi vero proximum in genere diligere jubemur, est tamen ordo in charitate servandus; ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 26. artic. 4. homo magis tenetur se ipsum diligere, quam proximum, quod Christus ipse innuisse videtur iis verbis Levit. X., & Matth. XXII. ,, Diliges proximum tuum, sicut teipsum: Ex quo videtur, *inquit Angelicus*, quod dilectio hominis ad se ipsum est sicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum: sed exemplar potius est, quam exemplatum: ergo homo ex charitate magis debet diligere se ipsum quam proximum ".

180. Quantum vero ad alios, ita generaliter S. Augustinus Lib. I. *De doct. Christ.* cap. 28. n. 29.: ,, Omnes homines æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur ". Sed qui

de

de his rebus plura desiderat, adeat sanioris Ethicæ Theologos (*a*).

181. Has meas omnes Prælectiones verbis S. Augustini concludo ep. CXLIII. olim VII. ad Marcellinum n. 2.: „ Fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a meipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum; non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse se ipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius, & utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat? *Addo & alia ejusdem S. Doctoris Lib. II.* De Trinit. *cap.* 9. Parati corrigi, si fraterne, ac recte reprehendimur; parati etiam, si ab inimico, vera tamen dicente, mordemur. *Ac demum hæc pauca:* Sic Doctor sum, ut indocilis non sim ". Idem Sanctus Augustinus Serm. CCXLIV.

(*a*) Addi possunt Lud. Ant. Muratorii egregius liber *della Carità Cristiana, in quanto esse è amore del prossimo*, Nicolii *Instructions theologiques, & morale sur le Decalogue*, & Anonymi cujusdam *Abrégé de la Loi nouvelle, & suite de l'Abrégé*, &c. &c.

FINIS TOMI SEPTIMI.